UP.23.Pl.2.

Digitized by Google

43
4 H
16

COMMENTARIA
IN TERTIVM SENTENTIA-RVM LIBRVM, SVBTILI DV-CENTE, ET DOCENTE:

DVM PLVS VLTRA, SVB PECTO-RALI VERACI, ET VORACI, AC SVB SALVBRI, & irradianti Petri vmbra, *DOGMATICÆ FIDEI* flammeo gladio, in ſplendoribus Sanctorum Patrum, viſibiles atque palpabiles hæretici fætoris nebulas, fugat Auctor, inter Principes tenebrarum harum, quæ erant ſuper faciem abyſſi, invocantis abyſſum in voce cataractarum ſuarum.

ADDITVR IN FINE PROFICVA *DISTINCTIO DE Statutis Seraphicis in communi.*

QVORVM OMNIVM, SI INVENIAS BONA, VT DESVRSVM, AVCTOR EST DEVS; SIN AVTEM MALA, AVCTOR

Fr. Joannes Perez Lopez, Lector Bis Jubilatus, Archiepiſcopatus Cæſarauguſtani Examinator Synodalis, Cuſtos, & Pater Provinciæ Aragoniæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOMVS SECVNDVS

CVM LICENTIA BARCINONÆ:

Ex Typ. Martini Gelabert, coram Rect. Virg. Mariæ del Pino. Anno Domini 1690.

DE DEO INCARNATO,

SAPIENTIUM PRUDENTES DISCURSUS,
APTATE VESTRAS LAMPADES,

ECCE SPONSUS VENIT;

SI OLEO VESTRO EFFUSO, VLLI SACRANDI,
EXITE OBVIAM EI:

DIVINIZATO JOSEPHO,

IMMACULATO VIRO, DUM SPONSO VERO,
Ex omni carne abſtracto, ex millibus electo; ex omni Tribu, & Lingua inclyto; ex omni Populo, & Natione allecto; in via, in Patria, in torrentibus vallium, in ſummis montium, à ſummo Cœlo, ab altitudine diei, à medio ſilentio noctis, ab Aurora, à Sole; ab vno, Trinoque Deo, ſtupentibus Cœlicolis Aſſumptæ, in plenitudine Sanctorum aſſumpto.

QUI PASCIT INTER LILIA; TENDIT INTER virgines, extenditur inter ſydera, aſcendit inter Beatos, parat inter Divinos, ſedet inter Thronos, dominatur inter Dominationes, regnat inter Principatus, poteſt inter Poteſtates, ex quo Sponſam fecit ſibi magnam, Qui Potens eſt.

ORO PIJSSIME, ET PURISSIME SPONSE, VT LICET caput tuum aurum optimum, & in capite libri impreſſum, illud impinguat huius fatui peccatoris oleum; equidem propter eam candidam columbam, quæ venit ad te portans ramum olibæ virentibus folijs, folium meum non defluat; & ſic omnia quæcunque feci, proſperabuntur. Tu ſcis, quod licèt intra inſipientiam meam, in curſu, & recurſu laboris mei, cum non inveniſſet, vbi requieſceret pes eius, reverſus eſt ad Te, vti ad Arcanorum Arcam; extende manum tuam, meque cum eo infer in eam.

Amen.

IMAGO Patris, Splendor Filij, Umbra Spiritus Sancti, Solatium Virginis, Protector Generis humani, Sponſe decorans gloria, Sponſiſque præbens gratiam, ad laudem tuam, labia mea ſolve, & dulcis Spes noſtra Salve. Tu ſolus, ſtirpe Regius, Matrimonio mirus, Deo cognatus, caſtitate notus, tribulatione Juſtus, Angelis Dominus, Mundo mundus, Sorte Beatus, atque Conſorte Divinus. Ante faciē tuam, ecce video Cœlos apertos, clauſos inferos, dęmones profugos, Angelos vicinos, Patriarchas ſublimes, Prophetas profundos, homines gratos, montes melleos, colles lacteos, lapides fluidos, fluvios ſolidos, ac verum, ſeverumque Deum, recondito auri ſui pallore, inter brutorum palleas, humilem, pium, manſuetum; Incarnatum. Quis gloriam Regni tui dicet, ſi ſuper omnem Terram gloria tua, dum Sponſa comite, & ſuper Cœlos gloria eius? Si exeas, vt deſcribaris, opus eſt, vt vniverſus Orbis deſcribatur: abs Te in capite Libri, numquam totus reſonaret in pace compoſitus; ex Te Auguſtior, ipſemet Auguſtus. Si ambules, & ſuper pennas ventorum, ſic vt Gigas exultas magnus, quod non ſit Tibi locus in diverſorio. (Nil mirandum ei abeſſe locum, cuius dignus nec erat Mundus, haud parum, ſi ſat Cœlum!) Si fatigatus ex itinere inſis, Angelis ſuis altius mandavit de Te; Et vt animalia ibant, & revertebantur: In plenitudine Sanctorum, detentio tua: Tu Beatus vir, qui immaculatus in via. Si fugias, horroreque cingaris, at ipſo fugiente Deo: Tu ſolum metuis, dum non videtur ille ſecurus; Te profugo, & immenſitas peregrina recedit. Si noctu, & in medio duorum animalium, ſuper vagientem frigore, dolore ardeas, aſpectus eorum, quaſi carbonum ignis ardentium, & in lumine tuo, quaſi aſpectus lampadarum. Quid dum prius, ante gravidam Sponſam triſtabaris? Deus, Te dormiente, vigilat (Tunc exurgis, & non obdormis Domine) Te recedente, non quieſcit; nec naſcetur Mundo, quouſque divino ſuperſedeas negotio, vtquè Tuus Pater Jacob dicas, Verè locus iſte Sanctus eſt, & ego neſciebam. Quid & dum tunc, Marianum candorem dimittere tentabas? Ne faceres,

ceres, opus fuit, vt in Te Deus ſoporem immitteret, vtquè ſic conſo-pitus, qualis, & quantus eras, non intuereris: nec aliter, Angelus qui Te dormientem, poſſet comprehendere vigilantem. Quid miramini Spiritus cœleſtes? Sanctum Joſeph intuemini, inter candoris nebulas, ignimovo ſic fumigantem ſtupore, quod Spiritus Sanctus, qui ignis, ante illum, veluti vmbra pertranſeat.

Cui comparabo Te? Vel cui aſſimilabo Te Fili Sion, Fili David? Cum toto Mundo? Abſit. Sic enim Deus dilexit eum, vt Unigenitum daret; at Unigenitam, Sponſamquè ſuam, ſoli Tibi.

Magnus Dominus Joſeph, & laudabilis nimis. Magnus coram Templo, in quo aderat Maria, præparata, vt Sponſata. Audi nunc Filia, & vide: Ut in Templum eas, obliviſceris domum Patris tui; ſtat ad oſtium Joſeph, vt Sponſus pulſat, aperis, Templum dimittis, vt eum teneas, nec dimittas; igitur quia Joſeph, vltra Matrem, Patrem, & Templum. Melior eſt Mariæ, dies vna in atrijs domus Joſeph, ſuper Templi millia. Deus in domibus eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam.

Magnus coram Deo. Omnes nos, in ſudore noſtri vultus, pane veſcimur; veſcitur at ipſe Deus in ſudore vultus Joſeph. Veſcitur, igitur videtur per eum aucta, Deitas ipſa, quæ per eum nutrita. En ſic, vſque ad ſummum, Filius accreſcens Joſeph.

Magnus iterum coram Deo, dum coram Jeſu magnus. Juſtorum animæ in manu Dei ſunt; at in manu Joſeph & ipſe Deus animatus. Inde nos ſtatim perdimur, ſi deſerat divina manus; perditur Puer Jeſus (ſervatis pie ſervandis, hæc habe) numquam facile, dum difficile flueret è manu Joſeph.

Magnus coram Dominica Paſſione. Moritur, dum Chriſtus patitur: providerat, ante Paſſionem, recedere Joſeph; igitur, quia comite Joſeph, ipſius ſolatium, quemlibet Chriſto præoccuparet dolorem.

Magnus coram Virgine. En, voluit occulte dimittere eam: dormit tamen vt dimittat; igitur, quia ſic duo erant in Spiritu vno, quod neſciat dimittere eam, quin prius ſomno valeat dimittere ſe.

Magnus coram Angelis. Hos Spiritus, Almæ Virgini è Paradiſo cibaria miniſtraſſe, antequam convenirent, probat ipſa ratione pietas. Lignorum namque benedicti fructus iura non perdidit, quæ è fructu ventris Benedicta, Adami culpam, in hæreditate Domini ſemper morans, non contraxit: Accedebant ergo Angeli, & miniſtrabant ei: Ecce Sponſus venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſub vmbra

* illius

illius quem deſideraverat, Virgo ſedit, tuncque ſic fructus eius dulcis gutturi ſuo, quod cibos Paradiſi, Angeli non audeant amplius ſervire, ex quo de domo Joſeph habet labores manuum ſuarum manducare. Igitur qui ſibi fecit Miniſtros ſuos ignem vrentem, Virgini fecit Sponſum, veluti Solem ignea ſuperantem.

Magnus coram hominibus. Etenim ex genere noſtro habemus hominem, ante cuius lumen non expaveſcit Virgo, quæ ante Angelum. Igitur quia, quæ vt Luna plena, aſſueta ſemper videre Solem, dum ſola ante ſtellam expaveſcens, patitur eclipſim.

Magnus coram vniverſo Orbe. Aderat Verbum in almo ventre conceptum, & ſic properat, quod propter Joſeph, iam natus audiatur. Audi Verbum, & Oraculum: Joſeph Fili David, noli timere, accipere Mariam coniugem tuam: *quod enim in ea natum eſt*, de Spiritu Sancto eſt: *Natum eſt?* Igitur, vel Angelus mentitur, quod abeſt, vel Nativitas Orbi properat propter eum. Plus vltra: Virgini dicitur, Concipies, & paries; Joſeph autem *Natus* pronuntiatur; igitur quia dumtaxat ante Joſephum, quin ſit in termino, horreſcit tenere viam.

Cunctis at mortalibus, Tu Domine, ab Immortali Sponſa feliciſſimus. In manu tua omnes fines Terrę, ex quo manus eius, in manu tua. Magnificentia tua, ſuper Cœlos, propter eam elevata. Si glorioſus velis eſſe, atque dives; gloria, & divitię in Domo eius. Si delitioſam cupias tenere vitam; delitijs afluit. Si pulchritudine perfruaris; Pulchra eſt, & decora, ſpecioſa facta, atque ſuavis. Si cibos appetas; En, hæc illa Sapiens, quæ miſcuit vinum, & (nemini, vt Tibi) poſuit menſam. Si floribus fulciaris; flores eius, fructus honoris, & honeſtatis. Si aflictus triſteris; ſonat vox eius in auribus tuis; vox enim illa dulcis. Si fugere tentes; ait, amore languens, Revertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum. Si peregrinus ire cogaris; Rex Salomon ferculum fecit ei. Si tandem ſano, ac infirmo erat opus miniſtrare Tibi (ò mira dignatio!) Ecce Ancilla Domini, vt Tibi fiat, ſecundum Verbum tuum.

Meditabar inde, quod Tu ſolus Sponſus, vt ex omni carne electus, Sapientiſſimo dicere valeas: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me *Iſta* ſapientia, & ignorabam, quoniam horum omnium Mater eſt. Quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes

facti

facti ſunt amicitiæ Dei. *Mihi autem dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horum, quæ mihi dantur.*

Humilimè nunc oro, Candide, & Rubicunde Sponſe, vt propter tuam dilectam Sponſam, Te ſolo, Sole amictam, ſub vmbra ipſius, me transferas penitus contritum,& ab iniquitatibus meis lavatum, vt Te Dominum meum, cum incomparabili Sponſa tua; & Pijſſima Domina mea, in omni tempore benedicam. Fiat, propter illud immaculatum Fiat. Amen.

Inviolate, & è millibus, Sponſe Admirabilis,
Lætus adero, ſi vt iumentum ſim apud Te,
Et ego, ſemper Tecum, Pauperculus Fr. Joannes.

APPROBATIO R. P. Fr. IOANNIS BVRIAMAN, Lectoris Iubilati, Tribunalis Fidei Cenſoris, & Seraphicæ Aragonum Provinciæ Ex Diffinitoris: Ac R. P. Fr. Antonij Perez Sacræ Theologiæ Interpretis, Tribunalis Fidei Cenſoris, & Cæſarauguſtani Sancti Didaci Collegij Guardiani.

VIDIMUS hunc Librum obedientes mandato Rmi. Patris Noſtri Joannis Alvin Lectoris Jubilati, & totius Orbis Seraphici Miniſtri Generalis; & in Operis initio, vt titulũ legimus, felicem ſortẽ annunciamus, album lapillum in titulum ereximus. Auctoris nomen audivimus, & vox ipſius ſcientiæ dulcis in auribus noſtris inſonuit. Librum aperuimus tribus obſignatum obiectis; nimirum Theologia Scholaſtica, Dogmatica, & Seraph-legali: In vnaquaque Subtilem, & in tribus valde Doctum, ſicuti in alijs vnicum. Illico illud Gotofridi de Bullon, Arcis Sion Expugnatoris Inclyti, in memoriam venit. Hieroſolymorum Urbem obſidens laudatiſſimus Lotharingus, in turrim Davidicam eiaculatus eſt telum, quo tres ſimul confixit Alites. Regij faſtigij præſagium fuiſſe Bullionio mox eventus edocuit: quia ſagitta vna tres Aves transfixit, Rex coronatus evaſit.

Claudius Paradinus in ſymbolis Hieroſolym.

Tria difficilima obiecta vno perſolvit calamo Noſter Auctor: Tertium Sententiarum Librum, Subtili Mariano Magiſtro ducente, & docente: Dogmaticam Theologiam, contra Deſertorum cohortes, ſub Petri adumbratam vmbra: Legalem, denique, & proficuam valde, de ſtatutis Seraphicis in communi vtiliſſimam Diſtinctionem. Sapientia, ſi domum, vel Arcem ædificavit, ecce nunc Obſes Seraphicus, Subtilimi Exercitus ſtrenuus Miles, nedúm bis laureatus Jubilatione emerita, ſapientiſſimus Dux, qui tendens lucubrationis arcum, in faſtigium difficultatum, calamum eiaculatus eſt, quo, vnico ictu, & triplici victoria, tria mœnia inexpugnabilia diſrupit, & tres Aquilas altivolantes confixit. Evadat igitur diadematus Magiſter, laureatus Doctor, & inter Scotiſtas Duces coronatus Princeps; qui ſic ſcribit, dum vincit; qui ſic pugnat, dum docet; qui ſic enervat, dum exponit.

Mirantes vidimus Subtilitatem à Subtilitate ſuperatam; tenebras Novatorum à luce convictas; legeſque Minorum in mirum explanatas. Sumebat D. Paulinus *Scholaſticũ* pro imbuto naturalibus Diſciplinis. Quare hoc opus *Scholaſtici*, imò *Scholæ* nomen meruit habere, dum refertum doctrinis, & rationibus imbutum, Triſmegiſtrum ſtudium profert in lucem. Triplex funiculus haud facile rumpitur; ſolidatur Auctoris fama ſplẽdidius, & acuratius in hac lucubratione Tripartita, pluſquã in alijs vſque nunc prælo mandatis. Diſtinctiones Scoticas pertractat Subtilis; Nebulonum catervas fugat nervoſus; & Minorum leges pandit ſecurus. In quolibet ſapiens nitet Noſter Scriptor; in pergula, in paleſtra, in tribunali. Unde dicere fas eſt: novum Armarium aperuit ſapientia, cum Subtilis Auctor, præſens opus ſtudentibus præbuerit. Glorietur aula, ingemiſcat hæreſis, exultet Religio; nam vnico in Præceptore gaudet Theologo, Paleſtrita, & Jurium perito. Quapropter, quia eius calamus ſingularis eſt, eius ſtilus diſſertus; eius materia pura, & diſcurſus catholici, firmi, religioſi, & longe doctiſſimi, poteſt proculdubio N. Rmus. P. Miniſter Generalis facultatem concedere, vt Opus hoc Typis mandetur. Sic ſubſcribimus. Salvo &c. Cæſarauguſtæ die 26. Menſis Septembris Anno Dñi 1690.

Fr. Ioannes Burjaman. *Fr. Antonius Perez.*

LICEN-

LICENTIA ORDINIS.

FR. Joannes Alvin Lector Jubilatus, ac totius Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, & Servus, dilecto Nobis in Chriſto Patri Fr. Joanni Perez Lopez, Provinciæ Noſtræ Aragoniæ Lectori Bis Jubilato, ſalutem.

Cum iuxta Apoſtolicas, Noſtrique Ordinis Conſtitutiones reviſum, & approbatum fuerit opus à te compoſitum ſuper Tertium Sententiarum Librum, tenore præſentium, cum ſalutaris Obedientiæ merito, facultatem tibi facimus, quatenus ſervatis ſervandis, illud typis mandare poſſis. Vale. Dat. ex Conventu Noſtro Sancti Franciſci Matriti. Die 23. Septembris. 1690.

Fr. Ioannes Alvin
Miniſter Generalis.

De mandato ſuæ Rmæ.
Fr. Petrus Argenao
Secretarius Generalis Ordinis.

LEC-

LECTORI LECTVRO.

NONNVLLA, Lector Sapiens, vltra prænotata in Tomo 1. hinc præmittere opus eſt. Oro, pie legas, & dum non benè aliquid capias, verte oculos ad *Erratorum* correctionem, ibique invenies exaſperantis ſenſus ſolutionem. Etenim, dum Auctor ipſe prælo non adſit, difficillime ſat erit cura Correctorum, atque Bibliopolarum. Attende etiam ad *Fidei Proteſtationem* in fine poſitam: circa quam, etiam hinc notanter expono, quod dum legas, Verbum etiam denominandum peccans, at ex ſuppoſitione, quod peccaret humanitas ei vnita: Itaque ibi pro inſtantijs Godoy, hoc hinc inſero dilema; Si, quod vel Verbo tunc, repugnaret denominatio, vel non? Si non repugnaret (ex ſuppoſitione humanitatis potentis peccare) nil mirum, quod poſſet denominari. Si repugnaret denominatio (dum apud Scotiſtas non repugnaret humanitati peccatum) non repugnaret inde humanitati peccare, Verbum ſiquidem numquam peccans denominaretur. Itaque, quę in alio ſenſu, ibi dicta diſſonare videantur, retracto, prout etiam in fine Proteſtationis.

Ulterius, circa Tomorum ſucceſſivum curſum notabis, me hucvſque ſcripſiſſe ſupra Primum, & Tertium Sententiarum, non autem ſupra Secundum, qui iuxta ordinem Magiſtri ſubſequi videbatur: Ita eſt, at id conſulto facere decrevi; nam dum duos dumtaxat Tomos ſcribere, contingeret, malui contingentię parare Secundum, quam Tertium, vtpote noſtris Scholis magis familiarem, præterquam quod importantiſſimum. Duobus enim ſcriptis, vltra ſcribere, contingens fore, mihi offerebatur, ob eximias anxietates, quibus ſępè Scriptores circundantur: nec eas vmquam valebit perpendere, niſi qui expertus in ſudore huiuſce pręlij, & pręli habeat ſcribere. Scribam (dum Sanctis, ac Patronis meis promiſſerim Tomum Encomiaſticum) at iam, quę Beatiſſimus Joannes inquiens: *Scribe, Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.* Utinam non Philoſophica, nec alia Theologica, quam tria, Fidei, Spei, & Charitatis, ſequantur & nos. Amen.

LECTORI

LECTORI LECTVRO ERRATA.

CUM cuiuſvis ſpeculationis opera, tametſi imbecillia, quouſque terminata quieſcunt, ſui Auctoris præſentiam, atque munimen requirant, nonque horum Tomorum Auctor, prælo adeſſe valeret, nonnulla errata invenies, ingenti Auctoris dolore, in Latino idiomate penitus obſervantiſſimi. Omnia ſufferes, atque *Errata corriges, ſi legas lineam, vt hinc in correctione iacentem, ac proinde combinando verbum erratum, quod cum hinc poſito coincidit.*

N O T A.

P. eſt Pagina, n. eſt numerus, l. eſt linea, L. eſt lege; & aliquando pone et *dele*, quod indicet aufferre illam dictionem.

PAg.3.n.13.l.3. L. tenente-
P.6. n. 33. l.5. L.& Verbo-
P.7.n.39.l.7. L. vnire.
P. 12.n.67. l.17. L. incapax-
P.16. n.95.l.1. L. incipientes-
P. 17. n.100.l.33. dele ly, vbi-
P. 19. n. 1. l.4. L. aſſumpta-
P.20. n. 4. l. 18. L. vnitum (ſubinfert Scotus -i *verſ. contra in triduo)*
P. 23. n. 24. l. 11. L. contemplatæ-
P. 27. n.50. l.12. L. & tot modis-
P. 34. n.91. l.15. Dele, ly, vel fieri debuit-
P. 38. n. 112.l.19. L. ad aliquem-
P. 39. n.118. l. 11. L. quam fuiſſet-
P. 44. n.143. l. pen. L. ab extrinſeco-
P. 48. n.166. l. 27. L. perfectioris. Et n.167. l.12.L. formata. Et n.168. l.4.L. perfectior-
P. 50. n.178. l.2. L. expoſitio-
P. 51. n. 185. l. 42.L. dediſſet-
P. 52. n. 188. l. 17. L. enim decet. Et n.189. l.8. L. inde non ſequitur-
P. 53.n.201.l.4. L. influens.
P. 58. n.227. l.11. L. exigeret-
P. 62. n.248. l. 8. L. peccati, Dei, & l.9. L. quidquam poſitive-
P. 65. n.266. l.24. L. perfectioris-
P. 68. n.13. l. 12. L. eſſe perſona-
P. 71. n.27. l. pen. L. ſed pro libito-
P.72.n.35.l.8.L. de per ſe illud ſimiliter L.l.10.
P. 74. n.44. l.4. L. ſententia-
P. 75. n.3. l. 18. L. terminata-
P. 79. n.37. l.14. L. quæ faciat-
P. 82. n.5. l.5. L. in primis ergo,
P.89. n.48. l.10. L. anxietatem-
P. 104. n. 2. l.13. L. pulſavimus-
P. 105. n.6. l.22. L. actus infinitas. Et n.8.l.2 L. præcaventur.
P. 106.n.13.l.4. L. quam is-
P.107.n.23.l.7.L. verſus. Et l.27. Dele ly. etiã.
Pag. 109. n. 30. Dele, à lin.20. vſque ad 22.
P.112. n.6. l.10. L. nunquam- Et n.7. l. pen. L. ad literam. Et n.8. l. 11. L. Verbum-
P.114. n.17. l.7. L. & Christo. Et n.19. l. 12. L. invincibilis-
P.115.n.28.l.8. Lege ſic: *quinque ſummè exhibitis, ſummè laudabile nõ videretur, ita vt careret ea poſſibili perfectione.* Dele cætera paragraphi, quia nõnulla nõ accuratè impreſſa.
P.119. n.51. l. 1. L. Ulterius, nec quidquam-
P. 126. n.6. l. vlt. L. vltra quod-
P.129. n.24. l.13. L. paſſibilitatis- Et n.25.l.1. L. Theologizantibus.
P.131. n.33. l.9. L. arctius-
P. 132. n.41. l.1. L. aſillum-
P. 135. n.53. l.21.L. relinquere-
P. 135.n.1. l. 24. L. citandus-
P. 141. n.25.l.8. L. tum ex dictis, tum quia-
P.143. n.8. l.3. L. quòd ferè-
P. 145. n.21. l. pen. L. mente noſtra. Et n.25 l. pen. L. applicatione.
P.149. n.11. l.4. & 5. L. reddente-
P.155.n.47.l.7.L. in atteſtãte. Et l.17.L. Tales-
P.158. n.60. l.12. L. obſtaret- Et l.14. L. evidens foret-
P.162. n.84. l. 9. L. vt dixi-
P. 166. n. 106.l.2.L. imprudentiſſimus foret-
P.177.n.6. l.5.L. ergo, & prava-
P.178. n.15. l.2. L. ſit, vnica-
P.179.n.19. L. Art.11.
P.180. n.26. l.8. L. ſive ſic, ſive ſic-
P.182. n.40. l.15. L. Scripturarum-
P.183. n.44. l.8. L. non interrupta-
P.184. n.45.l.46. L. balantes- Et n.48.L. horiſoni-
P.189. n.65.l.7.L. qui corrumpentes, ſic illi- Et n.67.l.2. L. concedi Pontifici-
P.193.n.83. l.13.L. Antiochiæ; vt enim-
P.198. n. 11. l. 16. L. ſed Chriſtus cum- Et n.14. l.3. L. ponendo.
P.209.n.16. l.4. L. Catholicis-
P.211. n.21. l.17. L. Spiritus Sancti-
P. 214. n.32. l. 43. L. quia verus- Dele ly, dumtaxat.
P.216. n.39. l. 7. Dele ly, ſic,

P.

P.217. n.42. l.7. L.quod non-
P.218.n.48.l.14.L. idolo latriam-
P.222. n.62.l.4. L. nec. Et l.5. L. intellectus expoſitor-
P.226.n.78. l. 2.L. exactè. Et in titulo ibi L. vt Divinum, Verbum.
P.227.n.84.l.22.L. poterunt.
P.228.n.85.l.7. L.forent,nulla-Et n.87.l.pen. L.quæ tradita,fuerunt-
P.230.n.95.l.2. L. erant. Et l.13. L. Domini-Dele ly, oraculis.
P.231. n.101.l.33. L. eum nil bono-
P.233. n.106.l.12. L. Et ſiſtit.
P.236 n.120. l.9. L. poſſent-
P.240. n.134. l.23.L. vis tantę.Et l.44. L.oppreſſi.
P.244. n.148.l.24.L.finitatis,&-
P.246. n.154. l.15. L. mutuo in conſiſtentia,
P.247. n.157. l.25. L. fidei innuam-
P.249. n.163. l.antep.L.fide imbecillibus-
P.253.n.11.l.53.L.inſerta,&c.ſic,tunc.
P.254. n.13. l.31. L.vt tot exiſtimatur.Et n.13 l.31.L.preadductum.Et l.33.L.probantem-
P.259.n.35. l.12. L.debent-
P.260.n.38. l.12. L.in ſucceſſionibus-
P.261.n.43.l.1. L.reſponderi-
P.265.n.55.l.4.L.infallibilem.Et n.58.l.20.L. fluctibus-Et n.59.l.20. L.peſſimus-
P.269.n.72.l.28. L.ite,vt.Et n.73.l.21. Dele; ly,in vnum-
P.271. n.81. l.18.L. iuſtitiæ operà-
P.233. n.91. l.17. L. Innocentij honeſtè-
P.278.n.108. l. 1. *L.* Sotus enim-
P.279. n.112.l.vlt.L.reſolutionis-Et n.113.l.4 L.gubernantem.
P.286.n.137.l.15. L.auſu temerario.Et n.138. l.26. L.poterit.
P.289.n.145.l.21.L.errorum Magiſtri-
P.290.n.153. l.11. L.ſuppreſſo Et l.154. l.20. L. ijdem-
P.291.n.156. l.7. L. relinquamus. Inprimis-
P.292.n.163.l.14. L.vera, ſir-
P.295. n.176.l.24. L. nobiliſſima-
P.296. n.177.l. pen.L.abſtractę.Et n.179.l.12 L. omnes; ac proinde,
P.297. n.183. l.2. L. ex fidei firmitate. Et n. 184.l.9. L. à ſimili,
P.298.n.188.l.pen.L. retardet-
P.299. n.194. l. vlt. L. in cap.18.
P.300. n.198.l.17. L. eſt comparare-
P. 302. n. 206. l. 22. L. Concilij præbente-Dele,ly, Chriſti.
P.303. n.208. l.4. L. quamcumque diſpenſationem-Et l.9. L. malè-Et n. 209. l. pen. L. ſponſum,dilectæ-
P.304.n.213.l.vlt, L. Eccleſia. Et n.214.l.vlt. L. facto-Et n.215. l.7. Dele-ly, nedum.
P.305. n.219.l.6. L. ſi-ſtemus-
P.306.n.224. l.4. L. inde iam, licet-Et n.225. l. 8. L.Gubernator-
P.308.n.230.l.17. L. & quod vſque ad hanc-
P.309. n.233. l.antep.L.&c.ſic, quo pacto-Et n.234.l.23.L. à Chriſto. Et l.36.L.deſignatus-Et n.236. l.7. L. ſtabilire-Sed.
P.310. n.240.l.20. L. Eccleſiæ navis-Et l.vlt, Dele ly,)Et n.241.l.5.L.poſito Et n.242.l.12 L.poterit.Et l.13. L.ferè.Et l.21.L.propior-
P.311. n.245.l. 36.L.veneratetur reſpectivè-Et n.246.l.5.L.peccantes-
P.312.n.249. l.3.L. ſedem-Et n.251. l.1. L. Et pro, ad-
P.313. n.252.l.vlt.L.&c. ſic; ſecus-
P.315.n.259.l.16.L.ergo,&c.Explicatur-Et n. 262.l.16.L.petition iure,ſervatis,ſervãdis,
P.316. n.263. l.15. L.ſolve. Et n.266. l.34.L. illam. Et l.35.L. non haberet-
P.318.n.274.l.pen. L.immediatè,per-
P.320.n.282.l.10. L. hinc,licet-
P.321.n.288.l.9.L.Summus Eccleſiæ Antiſtes-
P.324.n.301. l.17. L. nonque ſolum iuxta-
P.327.n.311.l.15.L.ſat (quoad perſonale)qui-
P.328. n.317. l.16.L.ſiquidem ſi-.
P.329. n.129.l.32. L. divina; at ſemel-
P.335. n.3. l. 2. L. dividuntur-
P.340. n.28. l.3. L. male ſic-
P.344.n.13. l.34.L. participat à
P.345.n.3.l.25. L. Nunc ſic,magis-
P.346. n.7.l.39. L. *enim dicemus?*
P.347. n.12.l.4. L. intrinſecè-
P.350. n. 30. l. 16. L. quæ facere bene-
P.352.n.9.l.16.L. in futurũ,& inconſquendũ-
P.358. n.30.l.24.L. diſtinguendæ-
*P.*363. n. 14. l.13. L. perfectum-
*P.*368.n.36. l. pen. L.benè-dicta-
P. 385. n.54. l.12. L. illam, *vt* non habendum amiſſit. Et l.vlt.L. ipſam quoad totum-
*P.*393. n. 23. l. 12. L. rationalis.
*P.*396.n.45.l.4.L. naturæ-
*P.*397. n. 47. l. 28. L.&c. corporea. Et l. 19. L. impaſſibilitate-
*P.*401. n.19. l.2. L. præſtat-
*P.*402. n.26. l.10. L.deficiat-
*P.*403. n.38.l.5.L. potius ferinus-
P. 414. n.9 l. pen. L. infirmitates-Et n. 11. l.pen. L. iudicum-
*P.*416.n.19.l.pen. L. dumtaxat tria-
*P.*427. n.67. l.9. L. corpore-
*P.*430. n.87. l.5. L. decidere, ſciat-
*P.*437. n. 117. l.14. Dele, ly,non-
*P.*438. n. 119. l.23. L. feciſſe Vrbanum-.
*P.*451. n.177.l. vlt. L. revocata-Et n.178.l.3. L. ſufficit,
*P.*455. n.189.l.26. L. intelligant-
*P.*456. n. 206. l.18. L. ſæpè proni-

LI-

LIBER TERTIVS SENTENTIARVM.

DE Deo Incarnato, credito, deſiderato, & ſuper omnia dilecto egerat hinc Subtilis Noſter, qui veluti alter Joannes (vt piæ narrant Hiſtoriæ) ſub vmbra Virginea in lectulo, ſivè florido, ſivè laureo conſopitus, poſtquam è Theologiæ ſinu, verbis ſtudioſis eructaverat Verbum, ad Virginalem Aulam deſcendens, mentis exceſſu, in ſubtilitatis ſpiritu, Verbum caro factum ſic deſcripſit, quod Marianus innueret eluceſcere Moderator. Quo agnito diſcipuli, Incarnati Numinis, vel inclinati Cœli, recto tramite, tanti Magiſtri ſuſpirantes ſemitas, prout moris habemus, in paſſibus Scoti difficilibus, Chriſti tenerè veſtigia tentabimus.

DISTINCTIO I.

De Structura, & non repugnantia Verbi exiſtentis in carne.

HÆC ſunt, quæ à Subtili Doctore de Incarnati Verbi myſterio primitus dilucidantur, & merito cum huiuſce arcani & ſublimis ædificij ſint principalius fundamentum.

QVÆSTIO I.

Vtrum poſſibile fuerit naturam humanam vniri Verbo vnitate ſuppoſiti.

1 SUb eodem vocum ſcopo exagitat præſens quæſitum Scotus *in 3. quæſt. 1.* vbi, vt eam plene, & vndequaque reſolvat, inquit, quod ad intelligendam quæſitam iſtam poſſibilitatem tria ſunt videnda. *Primo*, ait, quid debeat intelligi per vnionem perſonalem. *Secundo*, qualiter ipſa ſit poſſibilis ex parte perſonæ, quæ aſſumit; ita quod ex parte eius non inveniatur repugnantia. *Tertio*, qualiter ſit poſſibilis ex parte naturę, quæ aſſumitur; ita quod neque ex parte eius inveniatur repugnantia. Quibus, ſic ab ipſo poſitis, ſuo ordine ſatisfacit, & ſubtilibus expoſitionibus imminergentes difficultates luculenter exponit.

ART. I.

Quid debeat intelligi per vnionem perſonalem.

2 SUbtilis Doctor circa conceptum vnionis perſonalis decernit in primis, quod ipſa per ſe non dicat aliquid abſolutum, cuius ſtatim rationem ſignat, quia quocunque abſoluto intellecto in altero extremo, non percipitur perfecta ratio vnionis, quia vnio non percipitur ad ſe; aliter enim, nec facile perciperetur in ea formalitas nexus, nec facilè poſſet ſecerni ab entitativa ratione extremorum, cum non minus ac il-

la, eſſe haberet ad ſe; igitur vnio illa relationem dicit.

3 Deinde exponit ibidem (ſcilicet à §. De primo Dico) quod licet Incarnativa vnio relatio ſit, non autem communis, ſeu vt illa quę fundatur ſupra vnitatem, aut ſimilitudinem, prout ſunt relationes primi generis formaliter, vel ad tale genus reductivè ſpectare diximus, vt relationes ſimilitudinis, ſcilicet inter duas qualitates eiuſdem rationis. Hoc enim pacto, inquit Scotus, non habetur illa relatio, quę Incarnativa dicitur, cum non ſit eiuſdem rationis in vtroque extremo, qualis eſt ſimilitudo, quia non eſt habitudo eiuſdem rationis in natura aſſumpta, & perſona aſſumente.

4 Neque eſſe relationem mutuam exponit Scotus deinde, quia perſona aſſumens nullam habet relationem realem ad naturam creatam, prout ipſe tenuit *in 1. diſt.* 30. Sin autem è converſo, quia, vt ipſe inquit, ſi natura aſſumpta nullam relationem ad aſſumentem perſonam diceret, nil per ſe intelligeretur per præfatam vnionem. Neque talis relatio, inquit, in natura aſſumpta eſt tantum rationis, quia tunc incarnativa vnio, realis non foret.

5 Eſt igitur iſta vnio, inquit Doctor, relatio diſquiparentię realis in vno extremo, cui in altero nulla relatio, ſaltim realis correſpondet, cum divina perſona non poſſit eſſe fundamentum alicuius realis ad extra, ſiquidem ei repugnat ſuſceptivum eſſe ſubiectum. Itaque relatio iſta, inquit Subtilis, eſt relatio ordinis in vno extremo relato ſubiecta, quia penes vnum aut alterum dependendi modum, ordinem aliquem dicit natura quæ aſſumitur ad perſonam aſſumentem, ſicque ſuſtentantem & terminantem illius defectum, ſicque dependentiam.

6 Verumtamen in huiuſmodi expoſitione prӕcavet Scotus, quod licet prӕfata relatio, dicta ſit ordinis, ſed ſic, quod non ſit ordinis cauſati ad cauſam, quia relatio cauſati communis eſt ad totam Trinitatem, iuxta commune proloquium, ac proinde ſic dum tota Trinitas æquè dicatur cauſans, & efficiens, ex hoc vnionis ſeu relationis medio, tota Trinitas diceretur aſſumens & Incarnans. Neque prӕdicta relatio, inquit, eſt dicenda ordinis cauſati poſterioris ad aliquod prius cauſatum, vt quando aliquod agens cauſat duplicem effectum, quorum vnus dicit ordinem ad alium, eo pacto quo amor & cognitio, vel calor & lux &c. Non eſt ergo ſic habendus Incarnationis ordo, quia licet natura aſſumpta relata ad Verbum ſit cauſata, ſecus autem Verbum ad quod ordinatur.

7 Eſt igitur (exponit denique Scotus) hæc relatio ordinis, ſivè dependentiæ alterius rationis ab omni dependentia, & ordine cauſati ad cauſam, & cauſati poſterioris ad cauſatum prius, quia talis eſt vniverſaliter ratione naturæ, & conditionis naturaliſſimæ in vtroque extremo. *Et licet difficile ſit videre aliquam dependentiam eſſe talem, tamen iſta poteſt patere, aliqualiter in ſubiecto, & accidente.* Quę vltima Scoti verba nimis notanda, vt diſertus præoccupet in Scotum calumniam ex exemplari, ipſe ſiquidem exemplaris difficilem agnovit combinationem, & ſolum aliqualiter conducere exemplar notavit, quia non penes materiam, ſed penes aliqualem formalitatis ſtructuram. Simpliciter namque, & omnimode, eoque pacto quo in rebus naturalis conditionis adducere exemplar, nimis difficile fuerat Scoto viſum, prout hinc expoſuit in initio huius §. vbi ſtructuram relationis incarnativæ longe diſtinctam ab vniverſali ratione naturæ præfixit. Hoc etiam ſcopo Concilium Toletanum II. cenſuit hæc, dum dixit: *Si ratione oſtendi poſſet, non eſſet mirabile: ſi exemplo, non eſſet ſingulare.*

8 Exemplum ergo, (ſervatis illis, quæ ab Scoto infra) proponit Scotus in accidenti, quia accidens ad ſubſtantiam, quę eſt ipſius ſubiectum, duplicem dicit habitudinem, ſcilicet informantis ad informatum, & hæc habitudo indicit imperfectionem in ſubiecto informato, eo quod ſubiectum potentiam receptivam exerceat reſpectu formæ accidentalis, quæ dicitur actus ſecundus præ forma ſubſtantiali, quæ dicitur actus primus reſpectu potentialitatis primi ſubiecti. Aliam dicit habitudinem accidens, prout eſt quid poſterius reſpectu prioris, S, ſubſtantia à qua dependet; ſic tamen quod hæc dependentialis habitudo, non ſit vt aliqua cauſa, quia ſi pro aliqua cauſa habeat ſubiectum, ipſum habebit pro cauſa materiali, ſeu receptiva, & hoc modo habebitur ex habitudine alia, S, informantis ad informatum. Dum igitur iſtæ duæ habitudines diſtinguibiles ſint, prout ex munerum ſcopo poſſe diſtingui videtur, prima cum imperfectione tendit ad ſubiectum, cum iſtud non percipiatur informatum ſine potentialitatis nota. Secunda vero nullam in ſubiecto indicit imperfectionem, cum ſalvetur dum præciſe ponat in eo prioritatem naturalem ſubiecti prout eſt ſubſtantia, & ſic, puram ſuſtentationem quæ ex ratione ſua indiget accidens.

9 Huic ergo vltimæ & puriori habitudini, ſimilima apparet (proſequitur Scotus)

prӕſens

præſens habitudo, quæ eſt dependentia naturę humanæ ad perſonam divinam, quæ etiam habitudo eſt extra omnē dependentiam cauſati ad cauſam, cum perſona Verbi nec ſit agens, nec ſit recipiens, quin humanitatis dependentiam terminans, & ſuſtentans.

10 Exponit tandem Scotus, quod præfata habitudo naturę humanæ non habet pro termino primo naturam, ſed perſonam in quantum perſona, quia ſicut entitas naturæ divinæ eſt alterius rationis ab entitate propria perſonæ vt perſona, ita dependentia & habitudo ad tale, & tale erit alterius, & alterius rationis.

11 His ergo iuxta puriorem Scoti literam propoſitis, vt vndequaque & Scoti mens, veritaſque innoteſcat, oportebit aliqua infra adducere, & maximè quæ difficiliora circa expoſitum Articulum offerantur.

SVBART. VN.

Difficiliora dilucidans.

12 TAmetſi clara maneat prædicta Scoti expoſitio, cum in re difficili aliqua obſtare videantur, vnum aut alterum punctum removere conſulto decernimus.

EXAMEN PUNCTI PRIMI.

13 Unum ex principalioribus offertur circa primum ſupra ab Scoto expoſitum tenens vnionem illam quid reſpectivum eſſe, ac proinde quid puris entitatibus Verbi & humanitatis ſuperadditum.

14 Circa quod, fere omnes, prout teſtatur Gonet hinc *dp. 6. Art.* 3. convenire videntur in eo, quod ibi reſultet relatio, quæ ſit accidens de prædicamento relationis; ſed circa poſitionis modum variantes. Aliqui addunt modum ſubſtantialem à Verbo & humanitate diſtinctum modaliter, qui ſit fundamentum illius relationis. Ita Suarez, Vazquez, & nonnulli cum Godoy apud Gonet. Alij vero Verbum vnitum exiſtimant, quin aliquid vltra Verbi, & humanitatis puras entitates intelligant. Ita aliqui Thomiſtæ quos ſequitur ibi Gonet.

15 Reſolvendum, nil abſolutum dari novum, quod ſit fundamentum illius relationis novæ, S, vnionis & dependentiæ ad Verbum. Ita literaliter Scotus hinc *d.* 1. *q.* 1. *à* §. *Sed circa iſtum articulum tertium.* Prob. 1. iuxta Scoti mentem, quia ex eo tota entitate abſoluta humanitatis poſita, non percipitur adhuc vnita, quia abſolute nil ponitur quod in ordine ad Verbum, vt ad terminum intelligatur; ſed nec ſic intelligitur illo novo poſito, aliàs conditionem abſoluti deperderet, & in formam reſpectivi tranſiret, quod concedimus Scotiſtę; ergo. Confirmatur hęc ratio, quia quando aliquid additur alteri iuxta genuinam alterius conditionem, potius roboratur, quam in ſe tale alterum diſtrahatur; ſed alterum vtpote humanitas erat abſoluta, & ſic in ordine ſtricto eſſendi in ſe; ergo modo illo novo abſoluto addito, potius repugnabit vt ſit fundamentum concipiendi eam in ordine ad aliud, S, ad Verbum.

16 Deinde, quia illud novum abſolutum ponitur, non aliter niſi vt præveniatur conſonans fundamentum ad illam relationē; ſed dum abſolutum præexiſtens non ſufficiat, nec aliquod abſolutum ſufficiet; ergo. Suadetur minor, & explicatur intentum, quia illud novum abſolutum, vel eſt conſonans materiæ, vel formæ, vel toti compoſito, vel modo ſubſiſtentiali; ſed quidquid ſit conſonans non ſufficit; ergo. Prob. quia non videtur ſufficere, quia conſonans materiæ, cum hæc ſolum exigat reſpicere formam, & ſic nec quia conſonans formæ, cum hęc ſolum exigat reſpicere ſubiectum, quod omne à Verbo abeſt; nec quia conſonans compoſito, cum iſtud vel ſit ſibi inſtar partium intrinſecarum, vel ſolū exigat conſonans cōplementum, quo non habito ſecundum ſe cœteris violentum, & pro cœteris nil genuinum fundans, deinde neque conſonans ſubſiſtentiali modo; ergo. Hoc vltimum in quo eſt maior difficultas ſuadetur; quia ſi proprius modus ſubſiſtentialis manſiſſet in natura humana, in nullo ſtatu diſſonantius perciperetur, vt relatio ad Verbum reſultaret, prout fatemur omnes; ergo dum modus ille novus abſolutus conſonans foret ſubſiſtentialis, nunquam diſſonantius relinqueret fundamentum, vt relatio illa reſultaret. Hanc rationem attende:

17 Quod nulla entitas abſoluta poſſet eſſe præfatæ relationis fundamentum, ſuadebat ibi Scotus, quia vel ſubſtantialis, vel accidentalis, Non accidens abſolutum; quia ſicut natura perſonaretur in ſe penes ſuarum partium ordinem, & perſonaretur in alio; ſed natura ſubſtantialis eſt in ſe perſonabilis in quantum eſt prior omni accidenti; ergo & in Verbo. Nec foret ſubſtantia; quia tunc ſequeretur eximium inconveniens, ſiquidem quod materia, aut forma, aut ſubſtantia compoſita, ſivè quæcunque alia ſubſtantia foret in Chriſto, quæ nō foret in alijs hominibus.

18 Deinde deducitur quod prędictus modus ſubſtantialis non foret reſpectivus; Quia ſi iam concedunt intra ſphęram vnitivam relationem prefatam cuius ponebatur fundamentum modus ſubſtantialis ab eis adductus, ad quid modus iſte qui intra ſphęram vnitivam relatio ſit? Vel eſto talis modus relatio ſit, ad quid vltra illum illa alia relatio reſultans? Præterquam quod dum intra eamdem formam ponatur vna relatio, quę alteram inducat, non dabitur ex quo & altera vſque in infinitum non inducatur.

19 Deinde quod modus ille non ſit partim abſolutus partim reſpectivus ſuadent Noſtri paſſim alibi, cum implicet eamdem entitatem eſſe inſimul abſolutam, & reſpectivam; ad ſe & ad aliud. Et ratio eſt mihi circa ſubiectam materiã, quia vt ſit ad ſe nullo eget entitas naturæ humanæ, quin eſto aliquid requirat quoad ſe ſit, nullum prædicatum ſingularius & habilius deſignari poterit, quam vel tota ſecundum ſe, vel quæcunque ipſius pars; igitur penes eſſe in ordine ad ſe otioſe ad novæ formalitatis additionem recurritur. Deinde, quia ſic natura illa manet in ordine ad ſe, quod nec inclinationem, quin forſan naturalem imbibat repugnantiam, vt exeat in ordine ad aliud, vtpote Verbum; igitur eſto aliquod debeat interponi vt ſit & poſſit exire à ſe ad ſubſiſtendum in alio, tale debebit eſſe, quod totum ſit in ordine ad aliud; aliter ſi medium quo ſit in ordine ad ſe includat, potius retardabitur, quam defluat, & id habebit ex medio, cuius contrarium ipſi habilius.

20 Deinde nil iuvat quod reſpectus ille exprimatur tranſcendentalis. Quia apud eos reſpectus trãſcendentalis cum talis ſolum habeatur penes dici, eſſe entitatis ſeu modi abſoluti ſimpliciter non variabit, in quo caſu vrgebit argumentum ſupra poſitum in §. *Deinde quia illud novum.* Deinde quia reſpectus tranſcendentalis vel eſt in modo veluti paſſio in ſubiecto, vel in natura humana? Si in natura humana; igitur ipſi non eſt connaturalior & innatior terminus ſubſiſtentia aliena, S, Verbi, quam propria, nullus ſiquidem eſt connaturalior terminus, quam qui à natura pertingitur, ſeu exigitur per reſpectum ipſius tranſcendentalem. Si ſit in modo; igitur cum debeat ſecerni realitas modi, & realitas reſpectus (aliter dum totum adæquate reſpectivũ ſit, difficile ſalvabitur quod ſit tranſcendentalis, cum nil ſignetur vltra rationem relationis) & ſola realitas reſpectus vnitiva ſit, cum ipſa ſola ſit in ordine ad aliud; realitas modi ſeu ſubiecti vnitæ erit, ac proinde aliquid dabitur in natura humana Chriſti vnitum Verbo extra rationem naturæ humanæ.

21 Ulterius id impugnari poteſt etiam ratione nuper poſita, S, quod reſpectus tranſcendentalis vtpote cum abſoluto identificatus, vel ex abſoluta realitate deductus partim tunc foret ibi abſolutum, & partim reſpectivum &c.

EXAMEN PUNCTI SECUNDI.

22 Diximus vſque adhuc vltra puras entitates nil addere Verbum & humanitatem vt vnita percipiãtur, concedẽtes vero relationem præexpoſitam cum Subtili Noſtro. Et in huiuſmodi aſſumpto conſentire videtur Gonet cum aliquibus proprię Scholæ. Reſtat nunc examinare, an prędicta relatio ſit duntaxat forma qua formaliter vniri, ſeu vnita manere debeant dici. Circa quod, prout notavi apud Gonet, alios ve ab ipſo relatos, etiam ſi talis relatio reſultet, veruntamen, per eam vnita non fore, quin vnita ad eam pręexiſtere extrema Verbi, & humanitatis; ſed à *num.* 71. *ait*, quod fundamentum remotum illius relationis eſt actio vnitiva Dei, per quam effectivè coniungit humanitatem perſonalitati Verbi; fundamentum verò proximum eſt terminatio paſſiva humanitatis, ſeu ipſa humanitas, vt terminata perſonalitate Verbi, quod idem eſt; ſeu vnitas realis perſonæ Chriſti in qua Natura divina, & humana conveniunt.

23 Scotus hinc, à §. *Ad illud in oppoſitum*, poſtquam diſtinxit congruè relationem tranſcendentalem à prędicamentali, & prædicamentalem intrinſecus à prædicamentali extrinſecus, quia iſta fundamento & termino poſitis non neceſſario reſultat, reſolvit quod nullo abſoluto poſito in altero extremorum, ipſa & ſi ſit nova reſultat contingenter, ſecus vero intrinſecus relatio, quæ non advenit niſi propter novitatem alicuius abſoluti in altero extremo: tenens deinde, *Quod vt relationes extrinſecus, ſe habent multa relationes, puta communiter uniones abſoluti ad abſolutum. Si enim* (adaptat exemplar) *forma per ſe eſſet, & materia per ſe eſſet, vt corpus organicum & anima, ſi de novo vniantur, nullum abſolutum novum eſt in altero extremo, ſed iſta relatio contingenter ſe habet, vt poſſit ineſſe & non ineſſe, etiam extremis poſitis.* Igitur præciſo relationis conceptu nil percipitur, quo ſicuti nec relata, ſeu coexacta formaliter, nec formaliter vnita percipiantur. Hæc reſolutio propugnata manet in *lib. Phys. Diſt.* 4. *queſt.* 1.

vbi

vbi ſic vnionem tenui vltra puras extremorum entitates, Necnon radicitus in *Metaph. Diſt. de Relatione q.1. Ar.2.* vbi tenui & diffuſe propugnavi relationem prędicamentalem ſic eſſe modum, ſeu formam ab extremis diſtinctam, quod ipſa ſic non intellecta, nil formaliter de extremis intelligi valeat. Rurſus videri oportet *Diſt. de ſex vlt. Predicam. quæſt.* 1. vbi pro viribus defenditur ſtructura relationis extrinſecus, ibique declaratur, quod poſitis extremis, nil formaliter pro denominatione & munere ponatur, niſi relatio.

24 Reſolvendum, iuxta principia ſtabilita, & rationes fuſius poſitas in locis citatis, quod vnio humanitatis cum Verbo ſtat formaliter in ſola relatione. Suadetur, punctum centri attingendo. Quia formaliter tunc humanitas debet intelligi vnita Verbo, quando intelligitur formaliter in ordine ad illud; ſed quouſque non intelligitur relatio formaliter, eſſe *Ad* formaliter non intelligitur; ergo. Maior ſi de aliqua videtur vera, maximè de vnione Verbi, eo quod iſtud ſolam rationem termini puriſſimi habeat, ita vt penes ipſum nulla exprimatur inhæſio, ſed extrinſeca adhæſio. Minor ſuadetur. Quia ſivè ita in aliquo ſigno ſit, ſivè ſupponatur, præciſa & non intellecta relatione, dumtaxat entitates illæ humanitatis, & perſonalitatis intelliguntur, ſeu poſſunt intelligi; ſed illis dumtaxat intellectis, & abſque vllo eſſe Ad, non aliter intelligentur ac intelliget eas in ſe abſolute, & abſque vnione, vt Scotus exemplificabat de entitate corporis & animæ ſeparatæ; ergo.

25 Dices ea, quę ſupra P. Gonet, ſcilicet, fundamentum proximum talis relationis fore terminationem paſſivam humanitatis, ſeu quod idem eſt, ipſa humanitas, vt terminata perſonalitate Verbi, & remotum fore ipſam actionem Dei, per quam effectivè coniungit humanitatem Verbo, ac proinde jam aliquid præcedere ad relationem, quo humanitas vnita intelligatur; necnon, eo ipſo quod humanitas ſit terminata perſonalitate Verbi dari aliquid reale in rerum natura de novo exiſtens, non tamen modum ſubſtantialem vnionis, nec ſolam naturam humanam præciſè, aut ſolam perſonalitatem Verbi, ſed eſſe ipſam naturam humanam vt terminatam divina perſonalitate. In hoc ſiſtunt Thomiſtæ aliqui cum Gonet.

26 Contra præfatum fundamentum non levis inſtat ratio. Quia quando in aliqua linea datur aliquid, quod de per ſe habet eſſe fundamentum, nunquam videtur quod ratio formalis illius lineę ſtet in fundamento, ſed in illo gratia cuius eſt fundamentum; fundamentum namque vlterioris formę, ſeu ad vlteriorem formam habetur, ac proinde ſi remotum remote indicit formam, ſi proximum proxime; ſed in linea illa humanitatis ad Verbum ſub conceptu vnibilitatis, de per ſe datur fundamentum ad quod de per ſe ſequitur vlterior formalitas; ſcilicet relatio ex linea vnitatis, prout fatetur Gonet *num.* 72. igitur ſi propriè, & de per ſe diſcurrere debeamus, debemus dicere, quod id, quod ibi eſt formaliter vnio, eſt illud, quod ibi eſt formaliter relatio.

27 Deinde, quia non poteſt negari, quod relatio illa, quę vera & realis eſt, & eſt inter vniendorum propriam claſem, ſit de ſphęra, linea, & claſe vnitatis, ſeu vnibilitatis, prout & ex fundamento ipſo cupit *num.* 72. perſuadere Gonet; igitur dum ſcopus formaliſſimus vnionis ſalvetur & adęquetur in terminatione illa paſſiva humanitatis, inutiliter & otioſè protenditur vlterius linea & additur relatio. Dices, quod ponitur relatio, quia ipſa non poteſt impediri. Contra, igitur quia imperfecta erit linea abſque illo, ſcilicet, abſque quo non valet eſſe.

28 Deinde ex proprio Myſterij caſu ſuadetur. Quia ibi vnitas non eſt capienda vtcunque, quin vt ſubſiſtentialis, ſeu vt medium proportionatum ad ſubſiſtendum; ſed nil proportionatius quam relationis affixio, cum prout ipſi fatentur, vltimum in ea linea ſit relatio, prout & vltimum eſt ſubſiſtentia; ergo.

29 Deinde, quia equidem non leviter trepidamus omnes, vt Verbum intrinſece maneat vnitum, dum nil ſit in eo, quo innovatum præſumamus cum nec ſit receptum, nec recipiens; ſed caſu quo quod formaliter relatio non ſit formaliter quod vnio, potius augeretur difficultas, ſiquidem Verbum terminans dumtaxat, & terminans etiam humanitas; igitur cum humanitas jam relationis ſit ſubiectum, & deinde tunc percipienda potius vnio, quando mutatio, & tunc potius mutatio quando receptio, dum ex relatione id novius expendatur, tunc aptius erit perpendenda vnio.

30 Neque pro prima ratione ſatisfaciebat prima ratio Gonet, S, dari aliquid de novo exiſtens ex terminatione humanitatis. Ratio eſt, quia ſic de quavis diſpoſitione agentis ad formæ vnionem poſſet dici ex novo diſpoſitivo ad vnionem quod dabatur vnio. Deinde illius motus ſeu mutationis ab agente derivatæ aliquid debet eſſe ad quod ſit; ſed nil novi eſt, niſi relatio illa, ad quam apud nos non datur per ſe motus, cum ſcopum

pum relationis extrinſecus, ad quam per ſe motus datur apud oos, non admittant; igitur ſi novum ex relatione non detur, ex nullo poteſt ſuaderi alicuius novitatis ſignum.

31 Quod motus ſit ad relationem extrinſecus breviter hinc ſuadebo ex Scoto ſupra à *verſ. Tunc ad Philoſophum*, quia ſecundum Philoſophum 5. *Phyſ.* motus eſt ad vbi, & tamen vbi nullam formam dicit abſolutam, ſed reſpectivam, S, reſpectum in corpore circumſcripto ad locum circumſcribentem; igitur cum illac humanitas ſit mutata, & aliàs non admittatur modus ſubſtantialis, dum præſcindatur modus noſter reſpectivus, cum pro mutatione ſeu motus exercitio, putę entitates abſolutæ non ſufficiant, non dabitur ex quo noviter ſit vnita, ſicuti nec ex quo noviter ſit mutata, ſeu alicuius motus ſeu mutationis ſubiectum.

EXAMEN PUNCTI TERTIJ.

32 Propugnato iam, quod vniò hypoſtatica ſit relatio formaliſſime, reſtat ſolum exponere modū & ſtructuram ipſius, tam iuxta Doctoris S. mentem, quam iuxta dicta in Prædicamentis, vbi oportet videre, quæ radicitus expoſuimus pro plena intelligentia relationis extrinſecus advenientis. Illis à Differto videndis ibi, prout brevius poſſimus, præſens punctum exponemus.

33 In primis ergo dicimus iuxta ſtabilita à D. Subtili, ſupra in *Puncto* 2. quod præſens vnio ſit relatio iuxta conditionem, & normam relationis extrinſecus advenietis, cum poſitis extremis, S, natura humana, & Verbum iſta neceſſario non ſubſequatur, vt patet, valent igitur iſta extrema exiſtere invnita, ſicuti corpus ipſum & anima in Triduo; igitur quod vnionis relatio ſubſequatur non proveniet ex neceſſitate extremorum, ſed ex aliquo contingenter intellecto.

34 Deinde exponimus, quod natura humana, etiam ad propriam ſubſiſtentiam impedita, non valet ſtrictè loquendo dici extremum neceſſarium pręſentis relationis hypoſtaticæ, quin loquendo ad normam ſtrictam relationum extrinſecus, ſemper valebit dici extremum relationis extrinſecus. Ratio eſt, quia licet comparata natura humana in ſtatu impediente propriam ſubſiſtentiam ad ſtatum eſſendi cum propria ſubſiſtentia, videatur poſſe dici habilior ad relationem hypoſtaticam in ſtatu impediente, quia ſic iam poteſt habere relationis modum, quem aliter non, verumtamen iuxta ſtrictam normam relationum extrinſecus, ſemper valet dici extremum ipſarum, ſiquidem adhuc natura humana à propria ſubſiſtentia impedita, agenti extranco præciſo, non inducet neceſſario hypoſtaticam relationem, cum in probatiſſima ſentētia poſſet ſic eſſe, quouſque Deus vltra non agere vellet.

35 Verum enim vero, licet præſens linea, tam ex extremis, quam ex relatione non facile videatur cæteris naturalibus lineis affinis vndequaque, ſiquidem in ipſo referendi ſcopo deficere videtur, cum realem vnionem dicat humanitatis extremum ad aliud divinum, divinum autem Verbum incapax ſubiectum relationis eſt, nihilominus quidquid perfectioni diſſonum non inſit noſtris combinare, oportebit: Qua propter, ſi Scotiſtis non diſpliceat, exponi poterit, quod ſi, ſervatis ſervādis, normæ relationum extrinſecus ſtando dum ſit, etiam ex illa conditione, S, quod vt ſequatur relatio ad extrema, aliquid prędiſponere contingat, iſta conditio ſaltim ex æquivalenti io extremis hypoſtaticæ relationis invenietur, ſiquidem, talis hæc relatio non ſubſequeretur ad extrema, niſi prius natura humana aliquo modo foret prædiſpoſita, S, per ablationem impedimenti propriam ſubſiſtentiam removendo, ſic enim iam videtur approximari, ſeu videtur eſſe proxima relationi, ſeu agenti dum volenti cauſare relationem, eo pacto quo ablatis impedimentis ignis & ligni vt ſubſequatur relatio combuſtionis.

36 Quo exemplari ignis & ligni, ſimile ex diſſimili adaptare cupiam, hoc intentum proſequens pronunc. Ablatis enim impedimentis in igne, & ligno, dum in proximum poſitis ſequitur neceſſario (nota quod ſemper relatio extrinſecus combuſtionis eſt in cauſa extremis contingens, cum contingens foret eis prædiſpoſitio per impedimenti ablationem) combuſtionis relatio, ſecus autem in hypoſtaticis ablato ſubſiſtentiæ impedimento, quia ibi in poteſtate naturali vnius extremi, S, ignis ſtat inducere combuſtionem, ſecus autem hac, cum io natura humana nulla maneat vis inducendi, & in alio extremo, S, Verbo, ſolum ſit poteſtas libera. Similes enim forent, ſi vel ignis poneretur in ſphæra ſuperna vt natura humana, vel ſi natura humana poneretur in ſphęra naturali, vt ignea. Suadetur, & ni fallor, conſonanter. Si enim etiam ablatis impedimētis ex diſpoſitione, ignis, vel ex natura rei, vel melius ex pacto vt io Babilonico, non haberet naturaliter comburere, niſi ex divino agenti libero, tunc foret prædiſpoſitio, etiam combuſtione non ſubſecuta, & hac libere ſubſecuta, non deficeret vt combuſtio ex extremis &c. foret de linea relationis extrinſecus

cus

ctus &c. ſequere paritatem in his & alijs cum hypoſtaticis. Conſimiliter philoſophares ſi in ſtatu natali igni natura humana poneretur, vel ita quod ab ea tolleretur impediens, ſicuti ab igne illo ſuſpenſo Babilonis.

37 Deinde punctum hoc, inter cetera difficilius, clarius exponentes, tam iuxta mentem Scoti, quam iuxta alteram conditionem relationis extrinſecus ab ipſo deſignatam, dicimus, quod poſitis illis extremis, cum divina voluntate præciſa nil in extremis ſit, quo vnio percipiatur, hæc vnice tribuenda eſt divinæ volitioni libere & contingenter ad extra operanti. Ita enim, quod tametſi vnio illa vt eſt producta ſit communis toti Trinitati, veluti cæteri Omnipotentiæ effectus, tamen ex determinatione divinæ voluntatis debet penes vnire, dumtaxat manere inter hæc duo extrema, cum præterquam quod iam extrema ſint habilia, inter hæc Deus vellit & non inter alia, maxime dum extremis non ſit naturalis, quin obedientialis, & quæ obedientialia potius circa agens maneant habilia.

38 Dices (huius argumenti expoſitione percipies, quæ teſtant) quod dum vnio hypoſtatica producitur, debet dicere reſpectũ realem quem omne productum dicit ad producens; igitur cum talis reſpectus ſit receptus vel in vnione, vel in humanitate in qua recipitur vnio, id ſufficiet, vt tota Trinitas, ad quam reſpectus vnionis terminatur, vnita dicatur. Suadetur, quia apud Subtiles, non aliter manet Verbum vnitum, niſi quia reſpectum vnionis terminat, dum in humanitate receptum; igitur cum vnionis reſpectum tota Trinitas ſic terminet, & tota vnita manebit.

39 In primis reſpondemus ad argumentũ diſtinguendo añs: ſcilicet, vnionem vt productam dicere ad Trinitatem vt producentem reſpectum intrinſecus, ſecus autem extrinſecus advenientem. Et inde negamus quod deducitur in conſequenti; & conſimiliter ad probationem concedimus vnionem vniri ex reſpectu extrinſecus, & negamus vnire ex alio, S, producti. Itaque nimis percipe, quod vnio ſicuti & quilibet effectus productus dicit relationem intrinſecus ad producens, quæ eſt relatio ſecundi generis, per quam nil denominatur vniens, ſed productum vel producens. Ratio pro nunc valet eſſe, quod relatione intrinſecus S, producti, non mutatur ſeu transmutatur ſubiectum, quia vt tranſmutetur, opus eſt, quod præexiſtat, & quod non ſupponitur productum, non ſupponitur exiſtens, ac proinde non eſt adhuc aliquid de quo tranſmutari valeat dici; valet tamen dici tranſmutatum ex forma ſeu modo relationis extrinſecus, quæ eſt vnio, cum extrema, vt toties dixi exiſtentia ſupponat, ac proinde ſit aliquid quod valeat eſſe receptivum.

40 Vnio igitur hypoſtatica dupliciter valet comparari, & percipi. Ut enim comparatur ad producens, dicit vt quivis effectus creatus reſpectum intrinſecus producti in ſuo eſſe quidditativo recepto, per quem formaliter denominatur producta, quo reſpectu producti, producens ſolum materialiter & effectivè denominat vniens, eo pacto quo producens leonem, productio leonina valeret dici. Ut vero vnio, quæ producta comparatur ad extrema præexiſtentia, dicitur vnire, & humanitatem ex reſpectu extrinſecus tranſmutare, ſicque Verbum vnitum denominare, ita vt illud exercitium, & denominatio ſit ab ipſo eſſe proprio & in ſe habito in vnione &c.

41 Neque contra hæc quidquam roboris obſtare ſentio. Non enim obſtat combinatio duplicis diſtinctæ relationis, S, intrinſecus, & extrinſecus in brevi vnionis intervallo; quia vt dixi in *Prædicam.* id evenit in alijs, v.g. in igne calefaciente aquam, vbi in aqua calida, calor reſpectu ignis dicit reſpectum intrinſecus producti ad producentem, qui poſitis igne & calore nullo eget vt neceſſario reſultet; aqua vero, quæ calefacta eſt, dicit reſpectum extrinſecus calefactionis ad ignem, qui eſt reſpectus tranſmutatæ aquæ ad ignem tranſmutantem, ac proinde ex eo valent exiſtere extrema, vtpote ignis & aqua abſque tali reſpectu. Conſimiliter vnio hypoſtatica vt producta dicit reſpectum intrinſecus ad Deũ, cum poſitis extremis, S, Deus, & vnio neceſſario reſultet; ipſa vero vnio producta, vt tranſmutans vt quo eſt, eſt reſpectus extrinſecus inter humanitatem, & Verbum, quibus extremis poſitis non intelligebatur vnio.

42 Deinde præcave alia advertens, quod relatio intrinſecus productæ recipitur in ipſa vnione; tum quia non obſtat quod vna relatio, maximè vbi non inſtat proceſſus, ſit fundamentum ſicque alterius ſubiectum; tum, quia ſicuti diminuta eſt quidditas vnionis & diminuta eſt relatio producti quam recipit; tum quia denominatio producti in producto debet eſſe, vnde ſi virtute huius relationis productionis aliquid deberet vniri Deo, non humanitas ſed vnio vnita deberet eſſe, cum ipſa ſit ſubiectum receptivum ſuæ relationis productivæ, quod de omnibus vnionibus à Deo productis dici poſſet, quod repugnat. Ipſa vero vnio, quæ eſt relatio extrinſecus tranſmutandi, recipitur in humanitate, ex quo manet tranſmutata, & vnita.

43 Neque obſtat, quod vnio hypoſta-

tica

tira eſt relatio, & ad relationem non datur per ſe motus nec productio. Non obſtat, quia Ariſtot. intelligendus eſt de relationibus intrinſecus ad quas non datur per ſe motus, nec producuntur, cum extremis poſitis de per ſe neceſſario reſultent; extrinſecus vero produci poſſunt, cum extrema talis conditionis ſint, quod eas non inducant neceſſario, neque ex ipſorum naturis habeant reſultantiam. Datur enim per ſe, motus ad relationem, prout ſupra exemplificavimus cum Scoto. Similiter enim in materia dum eſt acquiſitio vnionis ad formam eſt motus ad eam. Et natura humana valet dici mobile, & in ea dari motum, dum vnionis datur acquiſitio. Videãtur dicta à me poſſibili cura *Diſt. de Relatione quaeſt.* 1. *Art.* 3. *de ſecundo genere Relat. & Diſt. de ſex vltimis Prædicam. quaeſt.* 1. vbi, ni fallor, fere omnia in hoc puncto tertio dicta, efficaciter ſuadentur.

44 Plures aliæ difficultates iam attinguntur ſatis à Noſtris; videatur Maſtrius hinc *quaeſt.* 2. vbi etiam *num.* 35. exponit, quod licet vnio hypoſtatica ſit relatio, & conſequenter accidens, nil id obſtare, vt extrema ſubſtantialiter vnita dicantur; nil enim facit, quod vnio ſit accidens vel ſubſtantia, vt extrema ſint ſubſtantialiter, vel accidentaliter vnita; licet enim motor, & mobile ſint ſubſtantia, vnio erit accidentalis; atſi ſi ſit inter ſubſtantialia, & ſubſtantialiter vnita erit ſubſtantialis, vt inter materiam & formam, quia hæc per ſe actus, & illa eſt per ſe potentia: ſic vniò hypoſtatica ſubſtantialis erit, cum de per ſe pertineat ad modum de per ſe eſſendi ſubſtantiæ, de per ſe ſiquidem eſt modus ad ſubſiſtendum ſubſtantia. De hoc vide dicta in *Met. Diſt.* de Subſiſtentia, *quaeſt.* 2. *Art.* 3. in ſolutione ad ſecundum principale.

ART. II.

Qualiter vnio ſit poſſibilis ex parte perſonæ quæ aſſumit.

45 CIrca non repugnantiam ex parte aſſumentis perſonæ recitat Scotus fundamentalem rationem Varronis quem in Religione habuit in Magiſtrum. Ratio tanti Magiſtri, & aliorum deinceps, ſic proponitur à Subtili: Perſona divina cõtinet, & includit in ſe virtualiter perfectionem cuiuſlibet perſonæ createę; ergo reſpectu naturæ creatæ ſupplere poteſt vicem perſonę creatæ ad terminandum iſtam dependentiam naturę creatæ.

46 In primis ex alibi defenſatis à V. Guillelmo Var. præfatam rationem deficere ſuadet Scotus. Defenſarat enim realitatem perſonalem non fore perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ſed ſi perſona divina contineret realitatem vnius perſonæ creatæ virtualiter, per idem motivum & cõtineret infinitas, quod eſt iuxta formam perfectionis ſimpliciter ſimplicis, quia id de cuius ratione eſt continere multas perfectiones virtualiter, & quãtum eſt de ſe infinitas, oportet quod ſit perfectio ſimpliciter ſimplex; ergo.

47 Præterea ſimpliciter arguit Scotus ſic: Ita perfecta continentia eſt in Eſſentia divina reſpectu naturæ creatæ, ac ſit in perſona divina reſpectu perſonæ creatæ, quinimo quo ad aliquid, magis, cum Eſſentia ſit abſolutè infinita, non autem ſic entitas perſonalis; ſed licet Eſſentia divina creatam virtualiter contineat, inde ex tali perfectione ſua non poteſt eſſe formaliter eſſentia alicuius perſonę creatæ, vt ſuppleat formaliter vicem eſſentiæ creatæ; igitur perſona illa multo minus poterit ſupplere vicem illam reſpectu perſonalitatis creatæ.

48 *Ideo*, inquit Scotus, non arguo ex perfectione entitatis perſonalis, quaſi ipſa contineat virtualiter aliquam perſonalitatem creatam; ſed ex eo quod illa entitas perſonalis eſt independens, & independens in quantum tale poteſt terminare dependentiam alterius ad ipſum, quod natum eſt habere terminum talem, S, perſonã. Iſta enim dependentia nata eſt habere perſonam pro termino, & nõ naturam; igitur perſona divina independens poteſt ſufficienter terminare talem dependentiam naturæ creatæ ad ipſam.

49 Ratio vero Scoto genuina, in aſſumentis probationem, ſic propoſita fuerat iam ab ipſo in §. *De ſecundo Articulo*: ſi repugnaret perſonæ divinæ ſic aſſumere, aut terminare dependentiam naturæ humanæ, hoc eſſet, aut in quantum perſona divina, aut in quantum hæc perſona divina; ſed ex neutro modo repugnat; ergo. Probat minorem: nam non ex primo modo, cum terminare dependentiã, nec inferat compoſitionem, nec potentialitatem, nec limitationem; ergo ex primo, S, ex conceptu perſonæ divinæ non infert aliquid repugnans. Comprobat antec. Quia non compoſitionem, quia propriè non valet dici illud concretum compoſitum, ſed ens completum, ac proinde Verbum non eſt pars, ſed purus terminus; tum, quia ſi valeat dici Verbum compoſitum, non abſolute, ſed cum addito, S, vt ſubſiſtit in natura humana, quod potius eſt eſſe quid compoſiti extra ſe; tum

quia

quia ſi inferat compoſitionem, at imperfectionibus ablatis, cum nil recipiat, nec penes aliquid induatur potentialitate. Nec potentialitatem dicit, cum iam diximus diuinam perſonam non referri realiter, ſed aſſumptam relatam terminare, & nil reſtat cuius ſit potentialitas, ſi relationis nõn ſit. Nec limitationem, cum terminando ſemper à limitato independeat.

50 Deinde quod neque ex ſecundo modo repugnet probat Scotus diſtinguendo poſitionem reſpectus à diuinis terminatus. Reſpectus enim ille qui formaliter vnio ipſa eſt, vel conſideratur vt connotat cauſalitatem, & ſic dicit relationem producti, & hoc modo ſicuti commune eſt tribus virtutem productiuam habere, & tribus eſt commune, reſpectum ſeu vnionem terminare; vel reſpectus conſideratur, prout extra materiale productionis in ſe formaliter habetur, & hoc modo terminus proprius non eſt alius, quam qui libere ſtabilitur & ſic cum quæuis entitas independens poſſit illum terminare, & talis ſit entitas cuiuſvis perſonæ etiam vt ab alia diſtinctæ, ſic terminare non repugnabit.

51 Contra ſtabilitam non repugnantiam ex parte perſonę aſſumentis aliquæ obſtant difficultates, quarum principalioribus occurram. In primis P. Gaudentius nouiſſimus Seraphici Doctoris Commentator ſic inſurgit intendens euertere Scoti fundamentum: Non minus natura diuina in ratione naturæ eſt independens, & natura creata dependens in ratione naturæ, quam perſona diuina ſit independens in ratione perſonę &c. ſed perſona diuina per Scotum, ratione independentiæ, poteſt dare creatæ naturæ eſſe perſonale diuinum; ergo & natura diuina eſſe naturale diuinum. Ad argumentum in forma reſpondendo, conceditur prima pars maioris; & ad ſecundam partem vel reſpondetur negando, quod natura creata pendeat à natura diuina in eſſe naturæ, ſicuti à perſonalitate, vel diſtinguitur quod pendeat, S, mediate, ſecus immediate ſicuti à perſonalitate. Ad minorem, negatur quod ſola independentia fuerit vnica ratio Scoti. & ſic conſequentia retardatur.

52 Natura igitur humana in propria ſubſiſtentia manens, æque pendet in ſuo eſſe & conſeruari à natura, ac à perſonalitate diuina, cum ſic ſolum habeat pro termino dependentiæ Omnipotentiam, quæ æque denominat diuina prædicata; quo pacto etiam propria eius ſubſiſtentia pendet à perſona diuina, necnon ſic ac à natura diuina; quod omne impertinens eſt ad quæſtionis genuinum intentum. In caſu enim eſſendi abſque ſubſiſtentia, & prout ea eget ad complementum, non ſic pendet à natura diuina penes naturalizari, ac à diuina perſona penes perſonari, quia formaliter in eſſe naturæ nil ei deficit, & ſic formaliter non pendet à diuina natura, ſicuti à perſona, à qua nedum materialiter & cauſaliter pendet, quin formaliter & integraliter, cum ipſi deſit perſonalitas formaliter, in qua pendere non poteſt formaliter, niſi ab eo quod eam formaliter ſupplere poteſt, vtpote diuina Perſona. Et hoc pacto non eſt natura nata pendere à diuina natura, vt aiebat Scotus natam eam videns penes perſonam; quia vel eſt, vel non eſt natura in ſuo eſſe naturæ? Si ſit; non pendet, vt dixi: Neque ſi non ſit, quia ſi ex defectu partium naturæ, natura non ſit, non erit aliquid, cui natum ſit in eſſe naturæ pendere à natura.

53 Unde Scotus ſupra dixit, quod independens in quantum tale poteſt terminare dependentiam alterius ad ipſum, dum natum ſit habere terminum talem. Et licet dixiſſet, *quod independens in quantum tale*, non quia adæquatum punctum reducat ad indepẽdentiam, vt aperte conuincitur ex verbis immediatis; ſed quia requiritur etiam independentia in terminãte, quia nedum voluit perſonam diuinam complete humanitatem, nam etiam limitatæ & pendentes entitates perſonales complent, ſed quia attendebat etiam ad diuinitatem perſonæ complentis, cui oportebat independentia, vt nec realis reſpectus ſuſceptione egeret vt creatam perſonaret naturam, necnon ex independentiæ dote pura & immunis maneret, necnon habilior & potentior. Quæ omnia bene expoſuerat Scotus ab exemplari ſubſtantię dum abſolute independens poſſet nude terminare accidentis dependentiam. Vide exemplar ſupra in *Art.* 1. §. *Eſt igitur*.

54 Deinde inſurgit iterum P. Gaudentius ſic: Independentia diuinę Perſonæ eſt vltimum eius, & eſt mera negatio, quę non dicit perfectionem apud Scotum. Etſi dicant, negationem hanc connotare affirmationem, hæc, & non negatio erit ratio terminandi; quibus alia ex Scotiſtis addit Gaudentius, quæ omitto quia non magni momenti in eos. Reſpondetur, quod licet perſonalitas ſit mera negatio, perfectionem tamen dicit, licet non ſimpliciter ſimplicem, quod nil obſtat vt in linea quam complet, determinatam dicat perfectionem. Deinde dicimus, quod diuina perſonalitas apud Scotum non eſt negatio ſed negatiue perfecta, quod ex alio capite ſumitur. Datur enim motiuum vt in diuinis quid-

B poſi-

poſitivum ſit, ſicuti & quid idenrificatum. videantur dicta in *lib.9.Met.Diſt.2.quæſt.* 2. *Art.3.*vbi exponitur,quod divina perſonalitas poſitivũ ſit.Deinde, quia divina perſonalitas quę ad intra ſolum negativè perfecta eſt,circa naturam ad extra abundat in perfectione, vt poſſit, eam complere, & perficere, cum quod non perfectum Dei, maiorem perfectionem noſtram excellere videatur.

55 *Secunda difficultas*,quæ ex parte vnius numero perſonæ aſſumentis obſtare poteſt, deſumitur ex parte eventus contingentis, & ad extra. Verbum namque ad extra vnitur,ita vt terminatio vnionis contingens ſit; ergo implicat eam Verbum terminare,quin cœteræ divinæ perſonæ terminent. Suadetur,quia dum ad extra & contingens eſt producere vnionem,eam cognoſcere,velle &c. implicat vnam perſonam producere, cognoſcere &c. quin & cæteræ; necnon implicat quod Deus poſſit velle quod vna competat, ſecus alterij ergo & ſic implicabit quod ex libera Dei volitione, vnio terminetur ad vnam, quin ad cœteras. Confirmatur à paritate diſtinctionis. Sicuti enim vnio ſtabilit intimitatem, diſtinctio ſtabilit diſtantiam; ſed licet contingens ſit vni perſonæ terminare diſtinctionem reſpectu vnionis, cum poſſet ab ea non diſtingui,diſtinguitur ſiquidē ex ſuppoſitione quod ſit vnio,tamen implicat quod vna perſona terminet diſtinctionem,& non alia; ergo & quod terminet vnionem abſque cœteris.

56 Reſpondendum, & in primis dato antecedenti abſque alio examine, negatur conſeq. Ad prob. concesſo anteced. negatur deductio in conſequenti. Ratio eſt, quia in cœteris contingentiæ eventibus vna & indiviſa eſt forma, cui competit immediata terminatio, quare cum terminare non dicatur de tribus,niſi quia dicitur de vno termino, & ab intrinſeco repugnet quod vni & indiviſo competat non terminare & terminare, inde eſt,quod ex medio ratione cuius vni perſonæ competit terminare, repugnat quod cœteris non competat, cum æquè cœteræ perſonæ medient. At formaliter terminare vnionem, vt hæc eſt relatio extrinſecus, cum de per ſe non ſit Omnipotentiæ, nec vniformis medij ſeu termini, inde eſt quod terminante vna perſona per ſpeciale & notionale ſuum,quod cœteræ non terminent ſic,non inducit invencibilem difficultatem.

57 Ad confirmationem dicendum non tenere paritatem. Diſtinctio namque non eſt forma correſpondens vnioni phyſicæ, ſed eſt phyſica ſeparatio, quo pacto ſi omnibus perſonis competeret phyſicè ſeparari, & competere deberet phyſicè vniri.Omnibus enim ſeparari ſic, non convenit ob dicta, cum dimittere quod aſſumpſit ſoli Verbo competat, cum ſoli ipſi competat terminare relationem illam extrinſecus ex volitione Dei. Forma enim diſtinctioni metaphyſicę correſpondens eſt identitas, ex qua vrgeret paritas ex contrariorum ratione, ita vt ſicuti repugnat vni perſonæ metaphyſicè diſtingui quin ab eo & cœteræ metaphyſicę diſtinguantur & repugnabit quod vna identificetur,quin & cœteræ.

58 Et etiam ratio eſt, quia diſtingui à quolibet creato competit proprię entitati cuiuſvis perſonæ vt quod, ratione divinitatis vniformiter & neceſſariſſimè competentis;at vniri,competit ratione divinæ volitionis contingenter & libere applicantis terminum. & ſic nil mirum quod impar ſit exercitium. Sic etiam, licet ponere vnionem ſit contingens, at eam cognoſcere non eſt contingens, quia cognoſcere non eſt à libera volitione;ita nec diſtinguere, quia licet poſitio vtpote phyſica & contingens libera ſit, at quod deinceps ſequitur cum iam metaphyſici, & neceſſariſſimi exercitij ſit, omnibus competet, ita vt non competere metaphyſicè repugnet.

59 Inſtabis, vt clarius elucear, quod Verbum etiam per prędicatum metaphyſicum terminat vnionem, ſicuti per prædicatum ſibi proprius & metaphyſicum diſtinguitur; ergo. Reſpondendum,quod terminat per prædicatum metaphyſicum vnionem, ſed non metaphyſicè, vt dum diſtinguitur, quin phyſicè, & contingenter. Vel clarius, terminat per metaphyſicum vt *quod*, ſed ratione formæ ſeu principij phyſici & contingentis, vtpote liberæ volitionis, ac proinde, *quo* terminat, ſeu ratio terminandi non eſt æqualis ſeu vniformis, cum ratione diſtinguendi.

60 *Tertia difficultas* inter omnes principaliſſima. Stat in eo, quod teneant Catholici Doctores,Verbum fuiſſe intrinſece vnitum, ſecus autem intrinſece mutatum, idque philoſophicè non facile compoſſibile. Pater Martinionus, quem citat Gonet hinc *dp.* 2. §. 4. vt ab his facilius expediretur tenuit Verbum vere fuiſſe innovatum, non autem intrinſecè mutatum, idque rationibus, & ſacris verſionibus probare intendit, vtpote illo quod canit Eccleſia in Dominica Circunciſione: *Mirabile Myſterium declaratur hodie, innovantur naturæ, Deus homo factus &c.* Quibus omnibus exacte ſatisfacit, eumque impugnat Gonet.

61 Deinde P. Gonet defenſat quod omnes, illud prout D. Thomas exponere cupit, reſolvens quod Verbum non poteſt mutari,

tari, cum non poſſit eſſe nec humanitatis nec alicuius realitatis receptivum ſubiectum, ratione paſſivę potentiæ; mutatio enim eſt actus exiſtentis in potentia prout in potentia. Exponit tamen manere vnitum per puram terminationem, ita vt illa denominatio vniti competat non ratione alicuius potentiæ quæ ſit in ipſo, ſed in natura humana, quæ ad modum relativi ipſum terminum denominat; adaptās exemplum Angelici Doctoris de Relativis tertij generis, v. g. ſcibile quod relativè dicitur ad ſcientiam, in quo aliquid incipit dici de novo quod prius non dicebatur, nulla mutatione facta circa ſcibile, ſed circa alterum nempe ſcientem, nulla enim mutatione facta circa ſcibile, incipit à me eſſe ſcitum, per mei mutationem; & ſic dicitur res ſcibilis, non per potentiam paſſivam, quę ſit in ipſa, ſed per potentiam quæ eſt in ſciente &c. conſimiliter diſcurrit circa vnitum Verbum reſpectu potentiæ quæ paſſivè eſt ſolum in humanitate.

62 Sed revera licet ſana ſit adducta doctrina, difficultatem tamen non evacuat, quia licet conſulat Verbi perfectionem penes non mutari, at non videtur conſulere Myſterij eventum penes intrinſecè vniri. Admittam ergo doctrinam, ſed ſi conſona debeat eſſe, ex ipſa potius roborabitur difficultas. Quia enim in ſcibili non correſpondet potentia paſſiva, ſcibile ſolum extrinſece denominatur ſcitum, ſicuti & viſibile ſolum extrinſece viſum, ita vt quam plurimi ſolum per relationem rationis poſitam in eis ſic denominari defenſent, eo quod ſcientia, & viſio ſolum in potentia ſcientis, & videntis recipiantur; reſtat ergo ſemper declarare, quo pacto dum ſola humanitas ſit ſuſceptiva, Verbum autem ſolus terminus ad quem relativè dicitur, Verbum etiam intrinſece denominetur vnitum.

63 P. Maſtrius omnium claſicorum Doctorum expoſitiones recitat, & partim conciliare cupit hinc *dp.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 2. vbi prout inter Antiquos, & Recentiores, proponit controverſiæ ſtatum. Antiqui enim tam Thomiſtæ, quam Scotiſtæ Verbum non mutari tenebant, quia intrinſece vnio in ſola humanitate, & extrinſece in Verbo ac proinde Verbum non mutatum, quia in ſe nil abſolutum nec reſpectivum acquiſivit, ſed ſolam denominationem extrinſecam, vel relationem rationis ad humanitatem ſibi vnitam, prout dicitur de Deo dum creante, & ſupra dicebamus iuxta Gonet. Recentiores vero licet teneant etiam Verbum nil reale ſuſcipere, quin ſolum terminationem explere, attamen deficere, ſi intrinſece vnitum non reſolvant, cum non minus Verbum ſit ſubſtantialiter intime vnitum humanitati, per rationem terminandi ac humanitas ipſi, per rationem ſubijciendi, ac proinde licet terminans, quin vero terminatio ſit extrinſeca & ad inſtar aliarum habitudinum; S, creantis, ſciti, viſi &c. ita plures RR. apud Maſtrium.

64 Inde aliqui, inter quos concollegæ Maſtrius & Bellutus reputarunt de nomine controverſiam, iuxta ea quæ addiderunt RR, etiam cum primis diviſi. Verumtamen ſentio, pluſquam de nomine diſputandum, cum nomini ſubiacere non debeat, an Verbum ſit vel non ſit intrinſece homo, & an Verbum ſit vel non ſit intrinſecè mutatum? Nec dubito quod quæſitum nominale, aliunde deſumere velint, quare priuſquā reſolutionem expoſitione propria adaptemus, oportebit prius quæ firmiter habeantur ſtabilire.

65 In primis convenire debemus in eo (in his convenire omnes teſtatur Maſtrius) *quod*, S, Verbum nullius realitatis ſit ſubiectum (excipe opinionem tenentium dari vnam vnionem creatam in humanitate ſubiectam, & increatam aliam ſubiectam in Verbo) *quod* Verbum per vnionem cum humanitate excellat ſimplicem indiſtantiam, vt patet ex intima præſentia quam habet rebus, quin eis ſit vnitum: *quod* intimitas Verbi ad humanitatem ſubſtantialiter expendatur: *quod* vnio in humanitate dum terminata ad Verbum, plus eam conjungat cum ipſo, quam viſio in oculo & terminata ad parietem viſum, hunc cum oculo coniungat: *quod* tandem Verbum nunquam debeat dici intrinſece mutatum, ſivè ſic ſivè ſic Verbum humanitati ſit vnitum. His ita, vt theologicum dogma vniverſaliter, receptis, vt difficultati ſatisfiat, recurrendum eſt ad exemplar Scoti, S, ſubſtantiæ ſuſtentantis dependentiam accidentis, de quo ſupra in *Art.* 1.

66 Suſtentat igitur, inquit Subtilis, ſubſtantia dependentiam accidentis, ſic tamen, quod accidens eam informet, quod provenit ex imperfecto modo ſuſtentandi penes limitatam conditionem ſivè ſubſtantiæ, ſivè accidentis, ac proinde ſi perfectiſſimè haberetur ſubſtantia (vt poſſet haberi, & habetur divina & illimitata) penes ſuſtentare accidentis exactam dependentiam, ſtricta ſalvaretur ſuſtentatio abſque informatione accidentis per ipſius receptionem, quia informare de per ſe & per locum intrinſecum non ſequitur præciſum munus ſuſtentandi, quin præciſam & imperfectam conditionem entitatis ſivè ſuſtentantis, ſivè ſuſtentatæ.

Unde probatiſſimè tenetur, quod ſi Deus vellet aſſumere accidens, tunc non minus ſtricte daretur ſuſtentatio, tametſi deficeret informatio., quæ vulgariter ſequitur ad ſuſtentationem limitatorum entium.

67 Conſimiliter ergo, vt vnio penes duo extrema intrinſecè, vtpote ſtrictè, expendatur, non requiritur per ſe loquendo intrinſecum quod ſit in vtroque extremo aliquid informet vel recipiatur, quod ſi aliàs vnum ex extremis perfectiſſimum ſit ita, quod ſecluſa imperfectione poſſit habere munus præciſum illius ſcopi, illud non habeat, & penes præciſé illud habere, perfectiſſimè habere; aliqua ſiquidem quę ſequuntur ad vnionis ſcopum, penes vnum & aliud extremum, non ſequuntur iuxta ſtrictam conditionem vinculi, ſed iuxta imperfectam conditionem vinculatorum, ita vt ſi imperfectionis ſit capax extremum, imperfectione vniatur, v.g. humanitas, quę receptive vnitur, ſecus autem ſi imperfectionis ſit capax aliud extremum, vtpote Verbum, erit capax vniendi, licet imperfectione vniendi incapax ſit. Etenim imperfectione vniri, non dat intrinſecè & ſimpliciter vnire, ſicuti nec imperfectione ſuſtentare, dat ſimpliciter ſuſtentare, & ſic in alijs.

68 Sæpe enim experimur ex intuitu connaturaliter ſe exerentium repugnantiam ad cœtera deduci, quæ forſan ſolum quoad nos extat. Exemplificatur & comprobantur dicta in vnionum exercitio, in quo firma norma non eſt. Omnis enim forma ſubſtantialis materialis, vt vniatur præter quiſit eductionem activam, ita vt in probatiſſima ſententia, tunc intelligatur formaliter & intrinſecè vnita, quando intelligitur paſſivè educta, & tamen anima rationalis, quæ altioris & purioris perfectionis eſt, ſtrictè vnita manet, quin paſſivè educta ſit; ac proinde ex illo primo ſcopo vnionum formarum materialium, repugnantiam pro formis non eductis deduceremus; igitur ſicuti eviſceratio illa formarum materialium intra materiam non ſequitur præciſam ſed imperfectam conditionem vniendi, ita vt imperfectione illa vniri non det ſimpliciter vniri, ita pariter dum extremum, vtpote divinum, & animam ipſam infinitè excellat, poterit vniri ſicuti anima penes purum ſcopum vniendi, tametſi nec altera animæ imperfectione vniatur.

69 Comprobatur aliter in rebus identificatis. In creatis enim, prout ex Subtili in Diſt. de Trinitate expoſuimus, nunquam aliqua habent identitatem ex ſe, niſi ex tertio, quia cum ſecundum ſe abſtractè nil imbibant quo includuntur, tertij concretionem requirunt, vt patet in animali & rationali, quæ ex tertio quod eſt homo verificantur eadem; idque totum ex limitatione provenit in extremis; verumtamen cum illud non ſequatur conditionem & purum ſcopum identitatis, quin imperfectionis conditionem, abſque tertij imperfectione ponimus identitatem in divinis, ita vt à tertio abſtracta verificentur, cum ſecundum ſe infinita ſint; de quo videantur plura à me expoſita iuxta Scotum in *quæſt. de perfectionibus ſimpliciter*; igitur penes ſtrictè vniri, liceat conſimiliter theologizari circa vnitatem divini extremi cum humanitate, ac proinde ſic, quod imperfectio aliorum deſit ex parte Verbi, cum munus exercere ſine imperfectione, ex illimitati conditione prævaleat &c.

70 Comprobatur iterum in cœteris phyſicè vnitis ex receptivi formalitate, & in primis in ſententia vnicam vnionem tenente, in qua non minus intrinſece vnita eſt forma, tametſi nullius vnionis ſit receptiva. Dices formam recipi in materia. Benè eſt, ſed nunquam ſatisfit, quia ſi vnio etiam reciperetur in forma, plus vnita diceretur, quod repugnat dici, cum nil recipiendo intrinſece vnita ſit, & ſupra intrinſece eſſe, nil ſit. Deinde in ſententia ex hoc motivo duplicem vnionem ſtabiliente, S, quia nil dicitur intrinſece in aliquo, niſi ab eo quod in ſe ipſo recipit: in hac etiam ſententia nunquam haberet in ſe quod materia; ac proinde non intrinſece ſicut materia. Suadetur, quia materia non ſolum recipit vnionem, quin & formam; igitur quouſque etiam materia non ſit in forma, ſemper aliquid minus erit penes habere in ſe in vno extremo, quam in alio.

71 Dices ſtatim, illud repugnare ex conditione primi ſubiecti & primi actus. Fateor libenter, inde tamen ſtabilio dicta. Primum enim ſubiectũ ex conditione ſua minus perfectum extremum eſt quam formale, vnde ſcopo veræ & ſtrictæ vnionis non opponitur quod extremũ quod perfectius, levius ex receptivi imperfectione involuatur, ſupplet enim exceſſus quẽ in perfectione habet, vt idẽ exerceat ac aliud, quin ſicuti aliud imperficiatur. A ſimili ergo philoſopha circa Verbum, gradatim perfectionis elevando exceſſum.

72 Etſi ſemper inſiſtere vellis in eo, quod ſemper vrgeat intrinſece denominari aliquid ab aliquo quod in ſe non habet intrinſece: ſi dicta non ſatisfaciant, vt exiſtimo ſatisfacere, dicam, quod Intrinſece denominari in alijs extra vniones ſubſtantiales non videtur verificari niſi ex eo quod habeant in ſe denomi-

nantia

nantis, ita vt in talibus præciſé terminare, ſit extrinſece terminare; at in vnionibus ſubſtantialibus valet aliquid intrinſecè denominari abſque eo quod in ſe habeat denominans, cum ſic intrinſecè denominetur, ſubjectum dicatur vnitum & connexum altero extremo, quod iſtud valeat dici terminans intrinſecum.

73 Comprobatur in humanitate dum vnita Verbo. In primis enim verificatur hinc, quod conditio vnionis talis ſit vis, quod dũ ſolum recepta in humanitate valeat dici, *Humanitatem eſſe intrinſecè vnitam Verbo*; igitur iam videtur ad minus, veritatem Incarnationis ſalvari intrinſecè hoc pacto, quia ſivè ſic, ſivè ſic Verbum vnitum denominetur, habetur firmiter, verùm eſſe, taliter Verbum eſſe Incarnatum, quod humanitas intrinſecè ſit vnita cum illo. Deinde ſuadet intentum id quod ſuperius innuebamus, S, hanc locutionem falſo poſſe adſcribi penes cœtera extrinſecè denominata, ac proinde pluſquam tale extrinſecum cœterorum hinc cõcipiendum.

74 Neque valet, ſi dicas, etiam poſſe dici, potentiam viſivam intrinſecè videre parietem, & tamen paries extrinſecè dumtaxat habetur viſioni: non valet, tum ex effectibus formaliter imparibus, quia ſic Verbum ſivè ſic terminet, terminat humanitatis dependentiam, ſic, quod idem faciat, ac faceret proprium ſuppoſitum; ſed proprium ſuppoſitum intraneè & proprijſſime lineam intrinſecam modificaret, & vnitatem axpleret ſubſtantialem, remaneret ſiquidem vnum totale vltimatum ſubſtantialiter; igitur & Verbum, ac proinde ſic quod cœterorum exterorum & extrinſecorum terminationea excellat.

75 Tum, quia etiam realitatem ex ſigno locutionis deducentes impar inveniemus argumentum; quia videre v. g. non exprimit affixionem vnionis, cum videre ſit videre aliud, & ſic præciſé dicit eſſe ad aliud; at vnire plus affigi dicit, prout & in rei veritate exercetur, cum dicat eſſe vnum cum alio, quod ſine vinculi & veræ vnitatis realitate non expenditur. Hæc enim præ cœteris eſt vnionis conditio, ita vt licet relatio ſit extrinſecus adveniens, ac proinde in genere aliquarum conditionum cum cœteris talibus relationibus conveniens, at differens in ſpecie infima ex addito peculiariſſimo, vt dixi.

76 Quo autem pacto Verbum non maneat intrinſecè mutatum, manens intrinſecè vnitum, facili iam conceptu percipies, ſi dictis attendas, maximè ad ea quæ expoſuimus hinc à §. *Conſimiliter ergo*, præterquam quod prout paſſim fere omnes Doctores non teneant mutationem, niſi vbi receptionem tenent. Et pro nunc breviter; quia tranſmutatio non convenit terminis intrinſecè, niſi tranſmutationis ſubiecto, quod v.g. eſt in phyſicis materia, quę eſt mobilis, ac proinde dum tranſit ad formam vnitive, ſola materia tranſmutatur, ſicuti ipſa ſola intrinſece movetur, mutatio enim ſolum competit ei, cui competit tranſitus ab vna forma ad aliam, ita vt ibi ſolum ſit proprie acquiſitio ſicuti ibi proprie ſolũ eſt motus, qui eſt acquiſitio, quin motus ſit in termino; vnde licet forma dicatur intrinſece vnita, ſecus autem mutatur.

ART. III.

Qualiter ſit poſſibilis ex parte naturæ, quæ aſſumitur.

77 Tertius Articulus, inquit Scotus, eſt difficilior, quia ibi oportet oſtendere diſtinctionem ſingularitatis naturæ creatæ à perſonalitate creata. Quod vt exactius diſtinguat Scotus, examinat prius conceptum formalem conſtitutivum perſonæ, vt ſic conſtet diſtinctio inter rationem individuandi, & inter rationem ſubſiſtendi, quarum rationum diſtinctio non apparuit, quouſque Myſterium Incarnationis revelatum, & deinceps à Patribus fuit expoſitum, prout declaravit Damaſcenus tenens. *Quod Verbum aſſumpſit naturam in atomo, non tamen perſonatam.*

78 Inquirendum ergo erat de formali ſubſiſtendi conceptu, vt diſtinctio pateret inter perſonalitatem, & individuationem. Sed horum, & aliorum quæ ad hæc conformiter habentur, plura dixi in *lib. 9. Met. Diſt.* 3. à *quæſt.* 2. vſque ad *quæſt.* 3. vbi per aliquos Articulos tam difficultati de negativo, quam conſimilibus ſatisfit, quorum forſan aliqua tranſeunter in memoriam revocabimus. Plurima enim exacto examine relinquo expoſita, & propugnata in *lib.* 8. *Diſt.* 5. *q.* 2. *ab Art.* 1. vbi de his quæ ad ſtructuram individuationis ſpectant ſatisfit. Prout ergo ad preſſens attinet, poſſibili iam brevitate, aliquas reſolutiones innuam.

79 Reſolvendum in primis, quod ſecluſa Incarnationis notitia, vlterior ſubſiſtendi conceptus imperceptibilis maneret. Suadetur, quia in nullo individuo poſſemus aliquid percipere vltra naturam, & hanc naturam; quod totum abſque reali diſtinctione percipimus & nunc; igitur non facile conceptum hunc ſubſiſtendi, vtpote realiter abſolutè

ſolutè alium à conceptu individuandi conciperemus. Comprob. quia in nullo facile perciperemus aliam naturam vltra ſpecificam; igitur nec aliquid naturæ determinativum vltra naturæ individuum. Ut enim quodcumque determinatius eſſe exactè attingeretur, ſi benè notetur, ſufficeret penetrare, quidquid ad eſſe *hoc* præ *illo* requireretur; ergo.

80 Confirmatur intenta reſolutio, dum in ſerie cuiuſvis entis ſolum perciperemus à primo vſque ad vltimum eſſendi gradum, & tali norma, quod cuiuſlibet entis ſeriem metaphyſicè clauderemus, cum difficilimè nobis poſſet occurrere, quod dum individuatio clauderet totam entis ſeriem, quid vltra pro pleno rei prædicamento deficeret. Cõprobatur, quia difficile occurreret, quod entis metaphyſica ſeries ſic inciperet, quod ſupra primum gradum eſſendi poſſet ens aliquo alio, & realiter diſtincto incipere; igitur & difficilius occurreret, quod infra vltimum eſſendi gradum poſſet ſubſequi alius, & realiter diſtinctus, in quem deſineret. Explicatur, & ſuadetur, quia in quavis entis ſerie, ſic à primo gradu incipit, quod incipiat ampliari extendi, & vniverſalizari, ſicuti ab vltimo, reſtingi, exinaniri, & ſingularizari; igitur dum gradus indiſtinctus, & indiviſus ſufficiat pro primo, potius aut æquè, indiſtinctus & realiter indiviſus ſufficiet pro vltimo.

81 Reſolvendum etiam, quod ex notitia Incarnationis præciſé, & communi non deduceretur adhuc ſubſiſtendi gradus. Suadetur, quia vt præciſé daretur Incarnatio ſat foret dari vnionem alicuius creati cum aliquo increato; ſed inde ſubſiſtendi conceptus non deduceretur; ergo. Maior ſubſiſtit. Minor exponitur. Quia licet natura humana ſolum vt individua nobis pateret, habita Incarnationis notitia, inde ſubſiſtendi conceptum non foret opus efformare, ſingularis ſiquidem natura ſecundũ ſe foret capax vnionis ad Deũ; ergo. Comprob. quia ſicuti ſingularis Dei natura poſſet vniri, dum ſingularis noſtra natura foret, quod ſic poſſet vniri occurreret nobis; igitur dum ablata Incarnationis notitia, ſubſiſtendi gradus nobis non pateret, poſita præciſé notitia Incarnationis, ſubſiſtendi gradus non deduceretur.

82 Reſolvendum vero, quod habita, vt nunc habetur Incarnationis notitia, S, Verbum aſſumpſiſſe naturam in atomo, ſecus autem perſonatam, deducitur ſubſiſtendi gradus, & realiter diſtinctus vltra ſingularitatem poſitus. Hæc reſolutio Catholicorum propria, non ex eodem probo motivo ſuadetur ab omnibus. Prima pars facilè deducitur ex illo Damaſceni, aliorumque Doctorum Catholicorum tenentium Verbum aſſumpſiſſe naturam in atomo, non autem perſonatam; ergo clare convincitur dari aliquid vltra naturam in atomo, ac proinde gradum dari præter ſingularitatis gradum, qui ſolus perſonandi valet eſſe, & à nobis intelligi.

83 Secunda pars, quæ difficilior apparet, ſuadetur ex motivo ſtatim proponendo. Quia ſi ſubſiſtendi gradus non poneretur realiter diſtinctus à gradu exprimente ſingularitatem, ſuperfluè ſtabiliretur ſubſiſtendi gradus; ergo. Prob. intentum anteced. quia ſi ſubſiſtendi gradus foret actus cum natura identificatus, tunc nil amplius faceret ſubſiſtentia, quam individuatio, vel è converſo; ergo ſuperflueret. Prob. anteced. Quia incommunicabilitas pure metaphyſica nulli alteri poteſt ſtrictius competere, quam ipſi hæcceitati & ſingularitati, cum omnia prædicata vſque ad eum gradum magis & minus communicabilia, ſic reddat pœnitus incommunicata reſpectu omnium aliorum entium, quod vni ſoli ſtrictiſſimè relinquat appropriata; ergo nil faceret amplius ſubſiſtentia ſic metaphyſicè habita.

84 Exponitur, & corroboratur intentum ex recto ordine graduum metaphyſicorum. Gradus enim metaphyſici, ſervata proportione, ſic deſinunt, ſicuti incipiunt; vnde advertes, gradus metaphyſicos ſic incipere in quovis ente, quod duo gradus æquè communes non concurrant, quare vnicus omnium communiſſimus ſolum percipitur ab initio; igitur & ſic debent finiri, quod duo æquè ſingulares, & incommunes, ſeu incommunicabiles, concurrere nequeant.

85 Exponitur amplius. Si ſubſiſtentia foret gradus metaphyſicus, & realiter idem ac individuatio tunc vel forent in eadem linea, vel vnus poſt alium? Si inſimul: difficile poſſet convinci quod ſubſiſtentia foret vltimum entis, necnon quod individuatio erat vltima differentia, & vnitas. Si vnus poſt alium; dum ſubſiſtentia foret poſt individuationem, ſequeretur dari gradum vltra poſitum poſt omnem communitatem, & diviſionem metaphyſicam naturæ, quod etiam debet repugnare à paritate præfatæ rationis de gradibus initiativis. Etſi poſt ſubſiſtentiam foret individuatio, ſequeretur quod ſupra, necnon melius convinceretur ſubſiſtentiæ inutilitas, cum individuatio ſufficeret, imo deberet communicationis negationem explere;

re;

re ; vltimo namque vnum, vltimo eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio. Ergo &c.

86 Oppones contra iſta , quod ſi ſuppoſita Incarnationis exiſtentia, deberet iuxta Patres deduci diſtinctio , maximè quia Verbum aſſumpſit naturam, ſecus autem perſonam ; ſed pro hoc ſufficeret diſtinctio ex natura rei ; ergo. Prob. min. quia non minus (vel ſaltem quod ſufficit contradictioni) videtur contradicere aſſumere, & non aſſumere quod idem eſt realiter, ac aſſumi & non aſſumi; ſed ſola diſtinctione ex natura rei, ſalvatur quod aſſumat Verbum , & non natura; igitur & quod aſſumatur natura & non perſona.

87 Reſpondebunt,vt ingenioſi quidam Scotiſtæ reſpōdent ad cōſimile,perſonalitatē Verbi terminare naturam humanam, & eam nō terminare divinam Eſſentiam compatibile eſſe in divinis propter infinitatem , ſecus autem defectu infinitatis in creatis: ſic ob infinitatem in divinis communicatur Eſſentia, ſecus autem Paternitas. Sed contra ſcoticè habendum, ac iſti Scotiſtæ nunc, quia vt dixi *in lib.* 8. *Met. Diſt.* 4. præfatę contradictiones ex maiori motivo debent adſcribi diſtinctioni, quam infinitati. Tum etiam, quia perſonalitas Verbi terminat humanam naturam vt ex natura rei diſtinctam ab Eſſentia divina , ſed vt ſic diſtincta non eſt infinita apud Scotiſtas ; ergo ex infinitate pro nunc non venit diſparitas. Tum quia infinitas ſecundum Scotiſtarum fraſim potius ponit vnitatem quam expendat oppoſitionem , cum ſecundum ſe ſit identificans; ergo potius deberet vrgere infinitas, vt, altero motivo ceſſante , Verbo terminante, & terminaret Eſſentia.

88 Reſpondendum eſt ergo doctrina noſtræ reſolutionis, iuxta quā dicimus, quod ſemel ex noticia Incarnationis habito Verbum aſſumpſiſſe naturam ſingularem , ſecus autem perſonam , deduci inde perſonalitatem realiter diſtinctam , non quia non permitteremus quod diſtinctio ex natura rei ſufficeret, vt natura terminari poſſet à Verbo, quin ſi ipſe Deus vellet, poſſet non terminare perſonam: mens enim noſtra limitatiſſima valet terminari facialiter ad eſſentiam & non ad perſonas ; quin metaphyſicum motivum deducitur ex eo , quod ſuperflueret perſonalitas, ſi hæc gradus foret metaphyſicè habitus ob dicta.

89 Dices aliter contra reſolutionis doctrinam, quod per ſubſiſtentiam creatam non videtur poſſe deduci ſtrictiorem incommunicandi effectum , quam per divina ſuppoſita, vt Pater qui ſummè incommunicabilis eſt; ſed licet in divinis cōcedatur conceptus ſuppoſitalis vltra ſingularitatis conceptum, non ſtabilitur inde diſtinctio realis , quin ſufficit noſtra, vt actu & formaliter detur ſingularitas, & vltra eam ſuppoſitalitas ; ergo aptius deberet dari in humanis.

90 Reſpondendum nil obſtare id doctrinæ noſtræ,cum impar ſit medium quo arguitur. In divinis namque idem exercet ſuppoſitalitas,ac in creatis hæcceitas. Tres enim illæ divinæ perſonalitates habent rationem individuā,ſicuti eam habent noſtrę individuæ rationes, ex individuatione ſiquidem omnem communitatem reppellunt in concreto conſtituto , ita vt illa forma ſingularis & individua non ſit ſingularis , & communis , vt eſt ſingularitas Eſſentiæ divinæ;ſed ſic, quod ſit purè ſingularis notionaliter , prout id exercent noſtræ hæcceitates. Quare in divinis idem eſt habere hęccéitates ſtrictas , ſeu notionales ac ſuppoſitalitates , quin ſit neceſſarium ponere vltra hæcceitates gradus ſuppoſitalitatis ; igitur & in creatis ſuperflueret gradus ſuppoſiti vltrá gradum hęcceitatis, dum pro gradu ſuppoſiti non intelligatur aliud , quam vnitas vltima hæcceitatis incommunicabilitatem metaphyſicam exprimens. Itaque ſi in divinis vltra ſingularitatem datur ſuppoſitalitas identificata,talis datur vltra ſingularitatem in communi, non vltra ſingularitatem notionalem ; ac proinde in creatis cum ſingularitas non ſit communis, dum detur ſingularitas , vlterior gradus identificatus ſuperfluet.

91 Dices ſemper difficillimè reſpondendum , ex quo dum in divinis pro ſuppoſitalitate ſufficit hæcceitas , hæc & in creatis pro ſuppoſitalitate non ſufficiet, vel è converſo? Reſpondendum breviter hinc , ſtare in eo, quod in divinis nullum datur concretum,nec natura phyſicè compacta, neque ex prædicatis realiter diſtinctis , ac proinde nil mirum quod vltimus completionis gradus , non ſit phyſicus;at in creatis v.g. in natura humana, datur natura phyſicè talis,& ex partibus phyſicè & realiter diſtinctis conſtructa,quare debet dari conſimilis completio, & incommunicabilitas. Id conſonare debet, quia ſic res debet compleri ſicuti inchoari; igitur ſicuti ſeries metaphyſicè finita diſſonè inchoaretur à gradu phyſico, ſeries rei metaphyſicè inchoata diſſonè finiretur à gradu phyſico. Itaque homo v.g. duplicem habet ſubſiſtentiam, metaphyſicam vnam,phyſicam aliam;phyſica ponenda pro homine phyſicè conſtructo,

vtpo-

vtpote ex partibus phyſice conſtituentibus hominem,ita vt tale totum,& talis natura,& tale conſimiliter habeat cõplementum, alijs ſic naturis reddens incommunicabilem;metaphyſica ponenda pro ſerie hominis metaphyſicè conſtituta, & hæc eſt individuatio, quæ ſic eſt vltima vnitas &c. Neque enim ſubſiſtentia,quę eſt phyſica proprietas, talis poterat eſſe ex natura metaphyſica. Videantur quæ expoſui latius *in lib.9.Metaph.Diſt. 3.quæſt.2. Art.2. Subart.2.per totum.*

92 His ita iam reſolutis,conſtare videtur dari diſtinctionem realiter maximam inter naturam humanam, eiuſque ſubſiſtentiam, necnon ſtabilitum manet motivum ex quo talis maxima diſtinctio inter naturam, eiuſque individuationem non debeat dari.Itaque circa propoſitum in titulo,principalior difficultas ſatisfacta manet,cum ſcilicet naturam humanam aſſumi à Verbo non repugnet ex parte naturæ, prout ſubſiſtentis, ſiquidem ſubſiſtentia vtpote realiter diſtincta, & deinde ipſa natura poſterior, ſeparabilis & impedibilis erat à perſonalitate Verbi, comite,vtpote extrinſecè agente, divina voluntate; vt iam paſſim exponunt Noſtri, & noviter Maſtrius *dp.1.quæſt.1.Art.2.* ſolum ergo reſtat aliquibus alijs difficulter occurrentibus ſatisfacere, quorum ſtatim.

SVBART. I.

Aliquibus in contrarium adductis ſatisfit.

93 TAmetſi ex parte naturę aſſumptæ, prout à propria ſubſiſtentia ſeparabilis, evicta maneat principalis difficultas; cum natura ſecundum ſe diſtans ſit nimis ab his quæ divinæ ſphæræ ſunt, ſemper nonnullæ aliæ defluunt difficulter oppoſitæ,necnon aliquæ iuxta opinionem noſtram (iuxta contrariam de poſitivo magis præmunt, vt videri poſſunt *in Met.Diſt. de Subſiſtentia à quæſt. 2.per ferè omnes Articulos*, vbi pro viribus aliud à nobis defenſatur,ſed circa ſubiectam materiam pro Myſterio Incarnationis, *in Art.* 3. vbi Scoti fundamenta ſolide propugnantur) iuxta quam in negatione ſiſtere formaliſſimè ſubſiſtentiam defenſavimus.

94 In primis opponent, quod iuxta à nobis dicta,videtur ſubſiſtentiam in negativo ſiſtere; ſed prima ſubſiſtentium lux fuit habita à Verbo, & hęc poſitiva eſt; quo igitur pacto pro cœteris vltimum in natura ſiſtens, potius per negationem, quam per poſitionem ſtabilimus? Deinde, quia ſubſiſtere eſt incommunicabiliter exiſtere; ſed expellere & negare alias formas, nil obſtat vt negans poſitiva ſit; ergo nec ſubſiſtentia obſtabit.

95 Reſpondendum, & incipiens ab vltimo dicimus, inter formas, cœteras expellentes & negantes, & inter ſubſiſtentiam dari maximum diſcrimen; nam omnibus formis, excepta ſubſiſtentia, competunt duo munera, S, poſitivè conſtituere vnum, ſeu eſſe in ordine ad ipſum, & negativè repellere aliud, v.g. in formis phyſicis,quare ſi in ſubiecto ſeu materia divinitus ponatur alia forma, ceſſat negatio in prima, ſed non ceſſat informatio; quia licet ceſſet quod eſt de effectu repellendi, non inde intelligitur quod ceſſare debeat, quod eſt in ordine ad ſubiectum, quod eſt de effectu informandi, ac proinde negare aliam percipitur effectus ſecundarius, & eſſe in ordine ad ſubiectum percipitur primarius, qui non poteſt deficere niſi forma deficiente: idque conſimiliter eſt dicẽdum de quibuſcunque formis, & modis, in quibus duo iſti cõceptus valent diſtingui. Si vero aliqua ſit cuius totum ſuum eſſe ſiſtat in eo,quod præſuppoſita re cum integra prędicatorum poſitione, pro vnico munere habeat, illam non poſitivè conſtituere, nec in ordine ad ipſam aliquid ponere, quam ſolum alteri eam incommunicare, & quodcunque aliud repellere, talis enim merito in ſola negatione eſt ſtabilienda, veluti in vnico ſuo effectu: & hæc eſt ſolum ſubſiſtentia, cum ſola hæc ſit etiam præ cœteris vltima, de quo ſtatim reſpondendo ad primum.

96 Reſpondentes ad primum, dicimus conſonanter ad dicta in Artic. antec. quod in ſerie cuiuſvis naturæ, à primo vſque ad vltimum deſcendentes inveniemus naturæ incrementum, & extenſionem deperdi; quare cum in vltimis ceſſet oppoſitionum & differentium formarum vniverſalis amplitudo, non requiritur tunc extenſior differentia in natura; itaque ſi ad ſuppoſitum deſcendamus, cum tunc nudam incommunicabilitatem alterius debeamus ſalvare, in natura ſolam negationem alteri ſe communicandi debemus invenire; necnon cum ille gradus ſit omnium perceptibilium infimior, & debilior, cum in eo natura ſpiret, & deſinat, videtur, quod ſi poſitivi ſint præcedentes gradus, ille gradus negativus eſſe debeat, tunc enim dignoſcetur optime quod finitur, quanto finiens minus habet iam, & magis debilitatur.

97 Quod equidem videtur proprium in creatis (reſponderet difficultati) & in divinis

vinis merito debet non omnem, ſed proportionatam aliquam habere exceptionem, cum in divinis, ſaltim apud Subtiles, in vltimis debilitatur aliorum perfectio, perſonalitates ſiquidem nec ſunt iam poſitivæ infinitæ, nec ſimpliciter perfectę; congruit tamen quod non deperdantur, aut debilitentur vt creata, ac proinde quod poſitivæ ſint. Et ratio proportionis ſtat in eo, quod in antecedentibus gradibus iam præcellebat in divinis eximius robur, quam in antecedentibus creatis; itaque congruit quod licet cędat perfectionis vigor, nunquàm tamen ſic, quod non ſit cum proportione, ac proinde expedit quod debilitas vltimorū in divinis habeat robur quod aliorum in creatis, & ſic quod ibi poſitivum finiat, dum ſolum negativum in noſtris. Tum poſſet reſponderi ex dictis, S, ex eo quod in divinis gradus ſuppoſitales ſunt idem quod in nobis hæcceitates, & gradus metaphyſici, qui intimius naturæ poſitionem participant, ac phyſici noſtri ſuppoſitales, de quo ſtatim.

98 Dices me expoſuiſſe ſuperius, ſingularitatem eſſe vltimum complementum naturæ metaphyſicæ; ſed id non obſtat, vt eam diminuat, aut debilitet, ne poſitivum ſit; igitur neque id obſtabit vt phyſica ſubſiſtentia & quid poſitivū ſit. Reſpondēdum, etiam dari debilius eſſe in ſingularitate reſpectu aliorum graduum, quia vt dixi late in metaphyſica agens de ſingularitate, non eſt realitas vt alij gradus, ſed ſolum eſt realitatis modus, ibi eam ſic diminutam relinquens, vt eam ſtabiliam aliquid materiale, & extra rationem quidditatum, ei præciſè puram determinandi rationem tribuens. Vide dicta ibi in *Subart.* 7. *à* §. *Nunc audi Scotum*, & etiam vide ſupra. Nunquam tamen ſingularitas poteſt ſic debilitari, quod entitas poſitiva non ſit, quia vt ſupra dicebam de divinis, ordo metaphyſicus firmior & robuſtior eſt in principijs, & progreſſibus, ac proinde licet deperdat in vltimis, nunquam vero ſic, quod tantum deperdat & debilitetur, ac res ordinis fallibilioris, vtpote phyſici. Conſonat, quia vltimum in metaphyſicis ſemper conſervat fortius vinculum, S, poſitivam identitatem; igitur debet ad proportionem fortius eſſe, S, poſitivum conſervare.

99 Dices, quod ſic, etiam ſeriem cuiuſvis entis per negationem, vtpote per levius poſſemus incipere, S, per negationem priorum, ſeu prioris gradus ab illo à quo poſitivè incipiebat; ergo. Reſpondeo, quod huius data, & non conceſſa poſſibilitate, non infringeret aſſumptum noſtrum, quin etiam ſiſteret. Verum reſpondemus non tenere, quia negationes, & privationes, quæ licet nil ſint poſitivum, (ita vt licet ſint nil, vt *poſitivo aliquid* contrapoſitum) non tamen ſunt nil reale, cum ſequantur neceſſario, & ex natura rei ad poſitionem naturæ realis; ita enim, & quibuſcunque negationibus & privationibus videtur contradicere, quod non ſint derivatę, & fundatæ in aliquo ente poſitivo, & cum ante primum gradum, nullum ſit ens poſitivum, nullius quod neger poteſt realiter percipi ens.

100 Oppones aliter contra idem, quod ſubſiſtentia ſolet dici perfectio naturæ, & non aliter niſi quia complet; igitur erit aliquid vltra negationem, & maximè cum compatibilis ſit negatio quæ ſubſequatur ad incommunicabilitatem ipſam entitatis poſitivæ. Plura dixi in *Met. Diſt. de Subſiſtentia quæſt.* 2. *Art.*3. *in ſolutione ad ſecundum principale.* Dico nunc, & in primis quod vt dicatur naturę perfectio, ſat eſſe complete negare omnem imperfectionem dependendi ab alio. Natura enim tunc ſumme pefecta percipitur, quando iuxta ſtatus requiſita habet quantum petit, & habere debet; igitur cum in vltimo ſui eſſe non debeat habere aliud, quam negationem eſſendi in alio ſuppoſito, tunc per illam, plenam perfectionem habebit. Confirmat id, quod ſi pro divinis perſonalitatibus ſufficiat in eis negativa perfectio, & pro creatis videtur ſic poni quod ſufficiat.

101 Deinde, & vt ad idem reſpondeatur, placet hinc recitare, quæ Noſtri, inter quos Maſtrius, S, ſubſiſtere, poſſe ſumi dupliciter, vel per ſe, vel per incommunicabiliter per ſe eſſe. Primo modo dicit perfectionem poſitivè, non autem ſecundo modo; itaque dum dicitur ſuppoſitum eſſe perfectiſſimum in genere ſubſtantiæ, id non debet intelligi formaliter, ſed fundamentaliter, & præſuppoſitivè, S, in quantum perſonalitas derivatur à natura completa in genere ſubſtantiæ, in qua fundatur. Quæ doctrina conformat Scoto in *quol.* 19. *art.* 3. vbi iuxta quem natura ſubſiſtens dicit illam duplicem negationem, S, actualem, & aptitudinalem; aptitudine, dum appetit in ſe ſiſtere vltimo, & non in alio; actualiter, dum in ſe & non in alio vltimo ſiſtit. Prima eſt inſeparabilis à natura, ſecus ſecunda, cum pendeat etiam à voluntate Dei, eam impedire valentis. Itaque ſubſiſtere formaliſſimè ſiſtit ſolum in negatione actualis communicationis, præſuppoſitivè vero & fundamentaliter ſiſtit in negatione aptitudinalis, ac proinde negatio communicationis aptitudinalis, non ſpectat ad conſtitutivum

perſonę, niſi fundamentaliter, & præſuppoſitivè.

102 Deinde ad maxime dictum in argumento oppoſito dicimus, quod licet concedatur entitas poſitiva etiam incõmunicabilis, formaliſſime in ſola negatione ſtabilienda ſubſiſtentia, quia dum aliqua prima principia debeant eſſe, quę formaliſsime nil pręſtare debeant quam privationem, vt in ipſo ente naturali, & aliqui termini ſic vltimi debent percipi quod ſolam negationem debeant præſtare naturis. Et huius ſemper, ni fallor, elegans ratio eſt, quod natura in ſubſiſtentia vltimo finiat, & tunc vltimiori ſtatu percipitur, quanto indiviſibilius finit; & ſi foret poſitiva entitas cum negatione, in hæc duo terminans vltimum, diviſum & multiplicatum perciperetur, ac proinde pro natura in vltimis improprium, cũ pro his nullo alio formalius egeat, quam alterius incommunicatione, & negatione. Dum enim lineam finimus, ſicuti & dum incipimus, indiviſibiliorem gradum vt terminantem tenemus; ſed illa pura negatio eſt omnium indiviſibilior, cum non ſic ſit forma indiviſa cum poſitivo derivans negationem, quam cum ſola ipſa negatione; ergo.

103 Oppones etiam, & circa ſubiectam materiam de Verbo Incarnato, nam Verbum per ſuam propriam ſubſiſtentiam vices fecit pro humanitatis ſubſiſtentia, eam vtiliter & proportionate ſupplens; igitur cum in ſententia de negativo, nil ſit ſubſiſtentia, nil Verbum ſuppleret, ac proinde pro nihilo faceret vices. Reſpondendum, quod licet Verbum non poneret per ſuam ſubſiſtentiam, quod natura haberet per propriam, nil obſtat, vt dicatur Verbum non ſupplere propriã naturæ ſubſiſtentiam. Hoc namque, quod eſt facere vices, nõ ſemper exprimit facere idem, eodem que modo, quo feciſſet illud, pro quo ſuppletur, quin poni loco illius, & poſſibili proportione ſupplere defectum illius, quod abeſt; ad quod non requiritur, quod Verbum in humanitate ſe exerceat modo quo propria exerceretur ſubſiſtentia, cœteris alijs comitantibus; aliter enim in nulla ſententia poſſet Verbum ſupplere abſentiam proprię, cum propria finita ſit, infinita Verbi; iſta non dimanata à natura quam complet, ſin autem illa; per propriam manens natura ſiſtens in ſe, per divinam manens ſiſtens in alio; ſubſiſtentia Verbi ſubſiſtens natura per vnionem realiter diſtinctam, talis vnio non requiſita, vt natura ſubſiſtat cum propria &c. ſic. Quare debet dici, Verbum ſupplere modo poſſibili, & penes eſſe vltimum naturæ complementum; prout exponunt rectè Noſtri in accidentibus Euchariſticis, circa quæ dicitur Deum ſupplere vices ſubiecti, non quia accidentibus ſe ſubijciat, eaque recipiat, ſed quia per concurſum ſuum ſic terminat dependentiam, eaque conſervat, ac ſubiecto conſervarentur.

104 Ex quibus facilius poteris iam ſatisfacere ad difficultatem de duplici ſubſiſtentia; ſicuti pro viribus negat Scotus duplicem poſſe eamdem naturam terminare *in* 3. *D*. 1. *quaſt*. 2. ſi enim ſubſiſtentia formaliter ſiſtat in negatione ſe communicandi alteri vt ſuppoſito, non videtur perceptibile quod extra vnam, aliam poſſit habere natura; altera enim percepta, imperceptibilis eſt conſervatio negationis ad ipſam, ſicuti imperceptibilis eſt privatio formę cum ipſius formæ poſitione. Quo enim pacto clarius, & efficacius reſolvimus nos contra Næſtorium, & ſic tenentes duplicem perſonalitatem in Chriſto, quia ſi propria naturæ humanæ ſubſiſtentia conſervaretur, & conſervaretur alterius negatio, ſed tali negatione conſervata, imperceptibilis erat poſitio perſonalitatis Verbĩ quam negabat; ergo. Exponitur totum in ſingularitate, quæ & ſi incommunicabilis vt quo, quia tamen quid poſitivum dicit verſus naturam in ordine ad ſe, in ſententia probatiſſima, percepta intentionaliter vna ſingularitate quæ contrahat, non diſſolvitur contractum, quin plures alias valet habere; quod tamen foret imperceptibile, ſi ſingularitas pura negatio alterius dumtaxat foret. Videantur à me dicta in *lib*. 10. *Diſt*. 3. *quaſt*. 4. vbi ſuppoſita opinione de poſitivo, propugno nil poſſe reſponderi à paritate duplicis formæ in eadem materia.

105 Oppones tandem contra ſubiectam Verbi materiam, quod ſuppoſita noſtra opinione de negativo videtur difficulter poſſe capi ſic naturam humanam Chriſti ſubſiſtere, quod aliam ſubſiſtentiã non haberet. Nam poſita Verbi perſonalitate, non ponitur negatio pura, vt ſupra expoſuimus; pura negatione non poſita non præcluditur locus alteri; igitur poſſet natura humana ſubſiſtere per entitatem poſitivam Verbi, & tamen reſpectu cœterarum vtpote creatarum omnium conſervare, vel dicere negationem, in qua proprie ſubſiſtere ſiſtit in creatis,

106 Reſpondendum, quod ſi argumentum aliquid probat, probat ad ſummũ naturã humanã habere poſſe poſita Verbi ſubſiſtẽtia, cęteras omnes ſubſiſtentias poſitivas, quę cum ſolum divinæ ſint tales, deduceretur poſſe habere tres ſubſiſtentias divinas dumtaxat, non vero aliquam ex cæteris. Ratio eſt, quia

quæ-

quævis creata ſubſiſtentia de per ſe & formaliſſimè ex conceptu ſuæ propriæ formalitatis dicit indiviſe negationē cæterarum omnium; quare ſubſiſtentia Verbi poſita, nulla, nec propria reſtat perceptibilis. Non reſtat perceptibilis propria, Verbi ſubſiſtentia poſita, quia cum propria ſiſtat in negatione cuiuſvis, poſita Verbi ſubſiſtentia, talis negatio impeditur, & præocupatur. Nec poſita Verbi reſtat vlla perceptibilis, quia cum quævis perceptibilis etiam in negatione ſiſtat, eſt imperceptibile, quod ſi poneretur talis negatio, Verbi ſubſiſtentia non repelleretur. Ergo.

107 Deinde, quia Subtilis Doctor citatus ſupra pugnaciſſime defenſat eamdem naturā nec tribus divinis perſonalitatibus poſſe inſimul terminari, id aſſerens iuxta illud dictum D. Anſelmi, De Incarn. Verbi *Cap.7.* & Cur Deus homo *Cap.9.* ſic aientis: *Plures perſonæ eumdem hominem aſſumere omnino nequeunt*, ideo hinc breviter exponam, nec duplicem poſſe habere perſonalitatem, nedum divinitus, ſed nec divinam. Sat ergo in eo, quod ſivè æquivalenter, ſivè formaliter datur in illis negatio, ſicuti incommunicatio, quæ formalitas negativa licet ex conceptu ſuo ſit ex natura rei diſtincta à formalitate poſitiva perſonalitatis, tamen ibi, vel quia formalitas eſt metaphyſici entis, vt dixi, vel quia eſt formalitas entis divini, ac proinde ex omnibus ſuis perpetui, & neceſſariſſimi, inſeparabilis eſt, ſicque eum poſita negatione alterius, tale alterum poni nequeat, niſi ſeparetur negatio; poſita vna divina perſonalitate, aliarum repugnabit poſitio.

108 Si hæc vltima expoſitio non placeat, aliās eligere poteris, vt Scoti intentum ſalves circa repugnantiam multiplicis perſonalitatis in eadem natura, cæteris præcedentibus expoſitionibus ſtabis, & pro complemento huius quæſtionis vide loca à me citata in Metaphyſica, & maxime *diſt.3. de Subſiſt. quæſt.2. Art.3.* vbi ex Scoto, ni fallor, efficaciter ſuadetur, quod ſi ſubſiſtentia naturæ humanæ entitas poſitiva ſit, non datur ex quo poſſit repugnari, quod Verbum non aſſumpſiſſet ſubſiſtentiam, quin potius id concedi debeat.

DISTINCTIO II.

De modo aſſumendi naturam.

1 IN hac 2. *diſt.* Subtilis D. exagitat modos tam gratioſos, quam naturales, quibus ſervatis, natura humana fuit à Divino Verbo aſſumta. Inquirit enim, an naturam humanam hypoſtaticè vniri Deo, & tamen non frui includat contradictionem. Deinde, an Verbum primo, & immediatè aſſumpſerit totam naturam humanam. Et vlterius, an Incarnationem præceſſerit corporis organizatio. De his ergo hinc agemus, necnon inſimul de alijs, quę hiſce combinationem habent, ne in diverſis locis eamdem ferè materiam rurſus moveamus, & maximè cum Subtilis Magiſter horum omnium hinc mentionem fundamentaliter faciat.

QVÆSTIO I.

An naturam humanam hypoſtaticè vniri Verbo, eoque non frui, includat contradictionem.

2 EX præſenti quæſt. à Subtili Noſtro ſic *in 3. d. 2. quæſt. 1.* exagitata, aliquos hinc excitabimus Articulos. Primum, an Verbum cuicunque etiam non intellectuali naturæ poſſet vniri. Secundum, an in eaſu præſeoti, vt aſſumeret naturam hanc intellectualem, habitum gratiæ, aut glorię in ea præcedere, foret neceſſitatis, vel congruentiæ. Tertium, an ex ipſo aſſumptionis modo, ipſa natura aſſumpta maneret Deo grata. Conſequenter & Quartum, an ex ipſo vnionis modo impeccabilis ſtabiliretur.

A R T. I.

An Verbum cuicunque non intellectuali naturæ poſſet vniri.

3 EX modo Incarnationis Dominicę non contradicit deducere, quamlibet naturam fore aſſumptionis capacem, cum ſic Verbum naturam humanam aſſumpſiſſet, quod dependentiam ad ipſum terminando ſuſtentaret; igitur, eum, vt inquit Scotus verſ. *Quantum etiam*, quævis natura creata poſſit dependere, non tantum dependentia cauſati ad cauſam, ſed dependentia hypoſtaſibilis ad hypoſtaſim cum non habeat aliquid in ſe, per quod repugnet ſibi ſic dependere, nec ſit aliquid in Verbo per quod repugnet ſibi terminare iſtam dependentiam, vt infra dicetur, videtur nec repugnare quam-

vis naturam fore aſſumptionis capacem.

4 Dices, quod licet natura lapidis v.g. poſſet dependere hypoſtaticè, non tamen ad perſonam, vt ad terminum, quia perſona non terminat niſi dependentiam naturæ perſonabilis. Contra hanc ſolutionem inſurgit Scotus à verſ. *Contra iſtud*, ſuadens diſertè, quod licet naturæ dependentes ſint alterius rationis, & ſic earum dependentiæ, tamen idem terminus, & ſecundum eamdem rationem ex parte eius poteſt eſſe omnium harum dependentiarum, diverſitate ex fundamentis ſeu ſubiectis deſumpta, prout in reſpectivis ſuadetur, & de facto ſuadet Scotus exemplar in triduo dū caro immediatè vnita, & tamē non fruens, cum anima fruens, & tam diſtans in omni ratione eidem termino vnita & ab eodem terminata; ſed quidquid Verbum potuit conſervare ſibi vnitam (ſubinfert Scotus) verſ. *Contra in triduo* immediatè, & immediatè potuit aſſumere; ergo.

5 Deinde inſtat Scotus, quia ſi natura angelica aſſumeretur, ipſa eſſet alterius rationis à natura humana, ac proinde huius & illius naturæ alia, & alia foret dependentia; ſed id non obſtaret, vt vtraque poſſet dicere dependentiam ad eumdem terminum; ergo. Sed diceretur (hinc Scotus à §. *Hoc excludendo*) non tenere ſimile, quia vtraque illa natura erat perſonabilis, ac proinde licet habeant entitatem, ſeu dependentiam alterius rationis, vtraque poſſet vniri perſonæ, ſecus autem natura quæ non perſonabilis foret. Contra hoc ſemper vrget primum illud corporis in triduo vniti ad perſonam, tametſi tunc imperſonabilis.

6 Contra deinde, & eſt potiſſima ratio Scoti, à verſ. *Contra iſtud*. Si Verbum eſſet hypoſtaſis independens, & non perſona poſſet terminare dependentiam naturę non perſonabilis; igitur cum nil tollatur ab ipſo, quod per ſe faciat ad rationem terminandi dependentiam naturæ, quod ſit perſona, non obſtabit vt poſſit terminare, cum ſic perfectè habeat (hoc vltimum, à verſ. *Quantum etiam*) quidquid requiritur tam ad hypoſtaſim, quā ad perſonam, vt terminare poſſit, ſicuti ſi non eſſet perſona. Comprobatur Scoti ratio ex communiter receptis. Licet indiviſè à parte rei perſonalitas & relatio in Verbo habeantur, tamen quia Verbum ſic perfectè habet quidquid requiritur tam ad perſonalitatem, quam ad relationem, poteſt terminare, ſicuti ſi non foret relatio, vt dum terminat entitatem abſolutam; & tunc quin hanc denominet relatam; ergo à ſimili.

7 Non ergo ſequitur (inquit & exponit Scotus) quod lapidis aſſumpta natura perſonaretur; quia perſonari non tantum dicit vniri, ſed ſic vniri, ita quod ille modus vtpote perſonationis reſpiciat fundamentum vnitum, ſivè aſſumptum, penes effectum denominandi. Eſt autem iſte modus attendendus in eo, quod fundamentum natum eſſet in ſe perſonari, ſi non aſſumeretur ab alio. Quare licet natura humana, & lapidea conveniant in ratione dependentiæ ad hypoſtaſim, cum tamen non conveniant in ratione talis modi dependentiæ, ideo non poſſunt ambæ perſonari, quin iuxta habilitatem fundamentorum perſonatur vna, & hypoſtaſiatur altera. Nec operari, ſeu denominari iuxta ſubiectorum habilitatem difficultandum nimis, vt patet in eadem Solis virtute verſus diverſa paſſibilia; & penes denominari (adhuc illud viſionis poſitæ in lapide, & in intellectu &c. ſic) in Verbo ipſo quod dum terminat generationem æternam, eſt indiviſe idem quod terminans Incarnativam, tamen ſic ex vtroque fundamento diverſimode habetur, ac diſtantiores termini ſe haberent.

8 Ex prædictis deinde Scotus improbat dictum ſui venerandi Magiſtri, præfatam diverſitatem in terminando deducentis *in 3. quæſt. 9. art.* 3. ex eo, quod perſonalitas, & hypoſtaſis in Verbo quid diſtinctum ſint, ac proinde ex tali diſtinctione poſſe aliquid Verbum ſibi vniri in ratione hypoſtaſis, vt lapis, & tamen non in ratione perſonæ. Improbarat id Scotus *in* 1. *d.* 8. eo quod in Deo non ſit ordo aliquarum realitatum, quarum vna contrahat aliam, quia tunc non eſſet perfectè ſimplex. Et iſta eſt ratio (inquit hinc Scotus à verſ. *Aliqui tamen dicunt*) quare Deus non eſt in genere; igitur non eſt in eo aliqua realitas, à qua ſit hypoſtaſis determinabilis à realitate, à qua eſt perſona ſecundum diſtinctionem ex natura rei.

9 Omnis enim vnio realis (proſequitur Scotus) eſt ad terminum realem; non igitur poteſt eſſe vnio realis ad hypoſtaſim, & non ad perſonam, cum nulla ſit ibi diſtinctio realis: ideoque nō dico (dicit) Naturam illam irrationalem non perſonari, & naturam noſtram perſonari ob aliquam diſtinctionem realem hypoſtaſis, & perſonæ in termino dependentiæ; ſed ob diſtinctionem realem relationum per modos quos habent à fundamentis, vel ſaltim quos cauſant fundamenta.

10 Contra præformatam reſolutionem aliqua argumenta adducit Scotus, quæ facile iam diſſolvi poterant. Obijcitur ergo, quod natura, quæ vnitur perſonę in vnitate ſuppoſiti,

ſiti,

ſici,perſonatur;ſed natura non nata frui , ſeu irrationalis non eſt perſonabilis;ergo nec vnibilis. Diſtinguitur maior,perſonatur in alio,ſi poſſet perſonari in ſe;ſecus ſi perſonandi in ſe ponat obicem,non ex alio,ſed ex ſe. Hæc enim doctrina eſt conformis illi de Omnipotentia habilis ex ſe ad impoſſibile , ita vt hoc vt ſit improducibile non requiratur impoſibilitas ex virtute , quin ſat ſit, quod percipiatur ex termino. Deinde aliter diſtingue, iuxta dicta; perſonatur natura quia præciſe vnitur,eſt falſum;quia tali modo, ſeu fundamento vnitur, eſt verum. Vide dicta, iuxta quę hinc in reſponſione, Scotus tradit , qualiter dicetur *hypoſtaſiari*,ſeu *ſuſtentificari* , non tamen *perſonari*,propter differentiam illius dependentiæ, quæ dicitur hypoſtaſiatio,ſeu ſuſtentificatio, ad aliam dependentiam quæ dicitur perſonatio.

11 Obijc.2. quod tunc eſſet communicatio idiomatum, & ſic Deus diceretur lapis & cætera huiuſmodi ; imo tunc eſſet perfectior communicatio idiomatum quam modo,cum quælibet pars lapidis ſit lapis , quidquid eſt Dei eſt Deus,& non ita eſt de homine; ergo. Respondet Scotus,quod cum ratio talis communicationis ſtet in eo,quod ſuppoſitum recipiat prædicationem in concreto illius naturæ in qua ſubſiſtit, dum ſubſiſteret in natura lapidis,non inconveniret,quod lapis prædicaretur de eo,dicendo Deus eſt lapis,ſicut modo dicitur,Deus eſt homo &c. Et quid eſt homo vt memor ſit eius? Omnis caro fœnum,terra, lapis.

12 Deinde ad ſecundum reſpondet Scotus, quod pars lapidis & ſi ſit prædicatiuè lapis in communi, ſicuti pars homogenea ſuſcipiens prædicationem in ſuo toto, non tamen ſuſcipit prædicationem illius totius cuius eſt pars integralis , ſicuti nec totum integrale prædicatur de parte integrali,nam paries v.g. non eſt domus. Itaque tunc Verbum eſſet lapis,ſed ita quod ly lapis non foret percipiendus in vniverſali,nam ſic quælibet pars lapidis eſt lapis;ſed ita quod percipiendus ſit contracte ex Verbi adiuncto,quo pacto non foret iam lapis vt ſic,ſed foret hic lapis,ſicque non valeret prædicatio illa,cum non quælibet pars lapidis ſit hic lapis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ART. II.

An in noſtra natura aſſumpta à Verbo, habitus gratus gratiæ, vel gloriæ , foret neceſſitatis , vel congruentiæ.

13 CIrca primum reſolvendum venit neque habitum aliquem ſupernum,neque aliquam operationem mediaſſe neceſſario inter naturam & Verbi aſſumptionem,ac proinde ſi aliquid præceſſiſſet , non præceſiſſet neceſſario ad aſſumptionem in natura aſſumpta. Ita Scotus *quæſt.1.& 2.huius lib. 3. Contra Henricum quol.6. q. 6. & alios celebres Antiquos Doctores.* Prima pars reſolutionis facile probatur (de facto nec eveniſſe infra ſuadebitur ex Scoto *in quæſt.2.*)quia vt diximus in antecedenti Art.natura irrationalis potuit aſſumi ; igitur præhabitio alicuius habitus gratioſi non erat medium neceſſarium ad aſſumptionem, Patet,quia pulchritudinis, & ornatu defectus , adhuc abſque habitu vllo superno, nunquam ſic foret in natura humana ad imaginem Dei facta &c. ac in natura irrationali;igitur ſi hæc ſic potuit aſſumi, potius poſſet illa. Eſt Communis hæc reſolutio , prout teſtatur Gonet iuxta D. Angelicum,& Gaudentius iuxta D.Seraphicum.

14 Secunda pars reſolutionis , quæ eſt proprior Henrici , aliter defenſatur, Cum enim Henricus ſupponat , necnon aliquibus rationibus probatis,naturam aſſumptam manere virtute aſſumptionis ſumme inclinatam, elevatam,& proportionatam obiecto fruibili, ita vt potentia naturæ aſſumptæ , per ipſam vnionem ſit elevata ad eſſe ſupernaturale,conſequenter & elevata ad operationem ſupernam, ſic vt vnio ad Verbum ſuppleat quantum ad fruitionem , quidquid habitus gloriæ poſſet facere in alijs ; & aliàs ſicuti ſi oculus foret ad præſentiam lucis in neceſſario,ſequeretur quod ipſa immutaret oculum ad videndum ; ſic , cum per vnionem hypoſtaticam lux increata ſit præſens intellectui , neceſſario erit præſens vt immutans intellectum ad videndum , & voluntatem ad fruendum. His ita

15 Probatur ſecunda pars adducendo in contrarium Scoti rationes (fundamentum in vnione hypoſtatica ſuppoſitum,infra in *Art. 3.* examinabitur melius). Primo,quia prius ex ratione prioris poteſt eſſe abſque poſteriori,

quando

quando nulla eſt neceſſaria connexio,S, identitatis,vt inter ſubiectum & paſſionem, vel ſimultatis naturæ,vt inter vere correlativa; ſed natura perſonabilis prius perſonatur quam operetur,dum perſonatur in ſe, cum operatio ſit ſuppoſiti; igitur dum perſonatur in alio, priuſquam operetur perſonabitur in eo.Probat Scotus vltimam hanc conſequentiam ſic: natura humana in eodem inſtanti naturæ, in quo perſonaretur in ſe ſi ſibi perſonari relinqueretur, perſonatur in perſona aſſumente; ſed non contradicit naturam non operari in ipſo inſtanti naturæ in quo perſonaretur;igitur nec contradicet naturam perſonari in perſona divina,& tamen non operari in eodem inſtanti in quo perſonatur.

16 Secundo, quia nulla natura neceſſario fruitur divino obiecto, niſi quæ neceſſario & ex natura rei immutatur ab eo, vt præſenti; ſed nulla anima neceſſario immutatur ab eo ad actum intelligendi, cum obiectum illud ſolum divinum intellectum immutet neceſſario, nil enim extra cauſat niſi voluntariè, & contingenter; ergo.

17 Tertio, illa neceſſitas in fruendo,vel deberet attribui Deo, vel voluntati? Non voluntati, quia neceſſitas non accipitur ex parte illius quod eſt in potentia contradictionis ad aliquid; ſed nec debet tribui Deo, quia ipſe non cauſat aliquid neceſſario extra ſe; ergo. Si dicas, quod ſuppoſita immutatione intellectus,neceſſario cauſabitur fruitio vt concomitans. Contra, quia(Scotus)cum intellectio & fruitio ſint duo abſoluta, non contradicet prius cauſari ſine poſteriori.Contra 2.ex Doctore,quia ſi concedatur animam Chriſti poſſe ſic ſe habere ad fruitionem ſine habitu, ſicuti aliam cum habitu, videtur ſuperfluum in Chriſto ponere habitus infuſos, qui tamen ab omnibus ponuntur, ſed de his exactius agendum.

18 Tandem ſic Scotus arguit; ex vi vnionis ſolum eſt præſens Verbum animę aſſumptæ, & hoc ſecundum eſſe perſonale; igitur dum ex tali vnione ſit idem præſens in ratione obiecti immutantis, ſolum deducetur, quod ex vi vnionis, ſolum Verbum immutet intellectum creatum, & non tota Trinitas, quod eſt falſum, quia opera Trinitatis ſunt indiviſa ad extra comparata. Si dicas quod eadem eſt ratio videndi tres perſonas & vnam; quia qui videt vnam,neceſſario videt & omnes: contra hoc vide Scotum *in* 1. *diſt.* 1. & hinc breviter ſic: Non poteſt in noſtro aſſumpto, à tota Trinitate nunc aliquid niſi contingenter immutari; ſed nil contingenter poteſt nunc à Trinitate, quia qui videt vnam, & omnes per te; igitur ab vna,S, Verbi,dum contingenter ſit, eſſe debet. Deinde ex ipſo medio Henrici; quia ex natura rei, idem eſt principium ſeu norma vniendi, ac operandi; igitur quo pacto,viſa vna perſona, videantur & cœteræ, & quo vnita natura vni, vnietur & cœteris: & è converſo.

19 His ita de neceſſitate alicuius ſupernè illuſtrantis ſivè in habitu, ſivè in operatione, reſolvendum venit circa poſitionem alicuius habitus ſupernè illuſtrantis, & præcipue habitus gratiæ diſputari ſolet; & de hoc non per medium neceſſitatis vt ſupra,ſed per medium congruentiæ; nec ita quod habitus gratię comitetur vel ſequatur ad poſitionem vnionis hypoſtaticæ, ſed ita, quod in humanitate, etiam de facto prærecepta foret gratia, eo quod congruum videatur illam ante vnionem ad Verbi perſonalitatem præceſſiſſe decoram.

20 Reſolvendum quod ſi rationabilioribus ſtandum, non videtur congruum, habitum gratiæ ad Verbi vnionem pręceſſiſſe. Ita Subtilis Doctor *q.* 2. contra Seraphicum *in* 3. *d.* 2. *art.* 3. *q.* 2. *& contra Irrefragabilem* 3. *part. q.* 7. *mem.* 2. *art.* 1. *& quæſt.* 11. *memb. vlt. & q.* 12. *memb.* 1. & ita vt Alenſis velit gratiæ diſpoſitionem fuiſſe neceſſariam, vt Verbo poſſet humanitas vniri. Hos ſequuntur Richar. Paludan. Gabriel & alij cum D. Angelico apud P. Gaudent. qui tribus in locis eum pro ſe refert; contrarium tamen vidi apud Gonet hinc *dp.* 9. *Art.* 2. *à num.* 17. *vſque ad.* 22. Præſens itaque reſolutio probanda etiam Scoti rationibus hinc *in d.* 2. *q.* 2. ab eo poſitis, ſicuti antecedens reſolutio probata fuit ex ipſius rationibus poſitis *in q.* 1.

21 Arguit primo Scotus ſic, iterum adducens rationem *quæſt.*1.Natura humana perſonatur à Verbo, eo inſtanti quo perſonaretur à ſe, ſi à Verbo non aſſumeretur; ſed ſi non aſſumeretur, prius foret perſonata, quam habitu gratiæ informata; ergo & nunc.Maior vt vera conceditur. Minor. probat, quia habitus eſt principium operandi, ſicque perfectio eius cui competit operari; ſed operari eſt ſuppoſiti; igitur ſi non aſſumeretur prius haberet quod prius, S, eſſe perſonata, quam habitu gratiæ informata.Reſpondet Gaudentius Seraphici D. Commentator, negando minorem, nam habitus gratiæ infuſus fuit ob alium ſuum effectum, S, vt redderet animam illam pulchram,ac ita Dei formem;non enim ad ſolam operationem gratia ordinatur; ſed primo, vt tanquam forma animam Deo aſſimilet,

milet. Ita Gaudent. hinc *dp.* 10. *quæſt. vlt.*

22 Inſtat Vazquez *a dp.* 40. ſi data eſt ad ornamētum, data eſt cum effectu adoptionis, vt eſſet anima filia; ſed gratia in Chriſto, neque nunc habet talem effectum, vt faciat filium adoptivum; ergo. Hæc ratio, quam arrogāti calamo, proprioque nomini adſcripſerat Vazquez, teſte Gaudentio, iam à Seraphico volatū velocius inventa. Reſpondet Seraph Doctor, *d.* 13. *quæſt.* 11 negando ſequelam, quia adoptio reſpicit perſonam, & importat aliquam extraneitatem; at gratia data eſt, vt eſſet Dei formis, & perpulchra illa anima, ideoque non habet repugnantiam cum filiatione naturali. Deinde poſſet dici, quod dato, quod poſſet ante perſonationem Verbi, ſortiri effectus adoptionis, ante vnionem ſiquidem hypoſtaticam quod humanitas foret extranea, nil mirandum, at ſtatim ac vniretur, adoptio deleretur, vt de facto, ita tamen quod habitus gratiæ non impediretur ad effectus cęteros pulchritudinis &c. ſicuti nec de facto impeditur. Quare

23 Inſto aliter ſic: prout Gaudentius ex Seraphico fatetur, ſolum datur ante vnionem gratia habitualis ad effectum præveniendæ pulchritudinis in natura deſponſanda Verbo; ergo & ad eumdem effectum poterat dare hic Commentator actus amoris ſuperni &c. quos dare ipſe repugnat. Prob. intentum. Quia æqualis, quin clariſſimè & maioris pulchritudinis foret animam Chriſti præextitiſſe Deum intelligens, ipſumque ſupra ſe & ſuper omnia amans, &c. ſic, ac præextitiſſe ignaram ſponſi, voluntate conſopitam, inanimem veluti truncus, cui præciſè habere gratiam ſolius depictę foret perfectionis &c. ergo.

24 Nec valet, ſi reſpondeant Seraphici, quod operari foret irregulare, & contra naturaliter petitum in ſuppoſito, cuius debent eſſe actiones &c. Non valet quia prout Gaudentius reſpondet ad illud Scoti argumentum de accidenti gratiæ poſteriori ad cōplementum ſubſtantię; quia, S, hinc non valet ordo in naturalibus, cum natura ordinetur ad aliquid ſupernum, dicemus conſimiliter, quod actiones ſunt ſuppoſitatæ naturæ, in naturalibus contemplata, ſecus in irregulari ordine, & reſpectu omnium ſupernaturalioris ſphærę &c. quo pacto poſſemus facilimè defenſare humanitatem meruiſſe Incarnationem, & primam gratiam vnionis hypoſtaticę, ac proinde quod principium meriti cadebat ſub merito.

25 Deinde poſſet aliter inſtari, quia dato quod tunc animæ repugnaret claſis operandi, tamen non poſſet ex motivo poſito à Seraphicis negari, quod in anima Chriſti pręexiſterent omnes imaginabiles habitus, virtutes &c. etiam ſi de per ſe ſint ad operationem; tum quia huius perfectionem iam haberet in principio, & inclinatione; tum quia etiam in virtute, pulchritudinis eſſet habere tot pulchras virtutes &c. ergo.

26 Confirmat Subtilis primam ſuam rationem, quia illud quod eſt alicuius in ſe, prius debet eſſe eius, quam quod eſt eius per accidens; ſed ſi natura fuiſſet ſibi diviſa, fuiſſet prius perſonata, & completa in ſe ex ſe ipſa; igitur quia prius debet ei competere perſonaliter, quam ille & quilibet habitus accidentalis. Reſpondet Gaudentius, hunc ordinem valere in naturalibus, ſecus autem quando ad aliquid ſupernaturale ordinatur natura. Imò & in naturalibus corpus ante aſſumptionem habuit aliqua accidentia, vt pulchritudini etiam ordinata.

27 Sed contra hæc iam ſupra direximus inſtantiam. Deinde, quia corporis exemplar ei nil favet; corpus enim non vtcunque, ſed vt diſpoſitum ordinatur ad animam, ita vt quo pulchrius organizatum, & elegantius præpoſitum pręcedat ad animationem, non ſit violentum, quin potius iuxta exigentiam ipſius; ſecus autem in noſtro caſu, cum tam iuxta ordinem naturæ, quam rationis, prius debeat eſſe quod ſpectat ad priorem & perfectiorem lineam, vt eſt ſubſtantiæ.

28 Arguit aliter Scotus ex illo Joan. 1. vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre, vbi videtur dicere, quod Chriſtum eſſe vnigenitum Patris ſit proxima ratio congruētiæ, vt natura habeat plenitudinem gratiæ; igitur quia prius natura vnita Verbo, quam ipſi tanta gratia collata; alias videretur, quod in aliquo inſtanti, in quo natura non erat vnita Verbo conferretur gratiæ plenitudo. Reſpondet Gaudentius ea Seraphico Doctore, gratiam habitualem datam ex reſpectu vnionis, nempe, vt ornamentum prævium eius, ſicuti qui adornat thalamum ſponſi nondum ingreſſi.

29 Sed contra hoc ſemper pugnat, quod ſupra direximus in prima inſtantia. Tum, quia exemplar thalami ſolum eſt apparēs, nam ornare thalamum naturaliſſimum eſt omnibus ante ingreſſum, ſivè ſit Principis, ſivè plebeij; ſecus autem hinc, cum nulli in ſubſtantia mutilato, & incompleto ſit naturale accidentalibus perfici, & prius compleri. Convincitur in ipſo exemplari thalami, thalamus namque ornatur ante ingreſſum, ſed non ante quam ſit ingrediens; ſi enim ingrediens

non

non foret natus, ſeu plene factus, ita vt adhuc non forer perſona irrationalis, & otioſus apparatus in ornamento tanto thalami ante ingreſſum &c. Applica id ad nondum perſonatam humanitatem.

30 Contra præſormatam reſolutionem duo obijciuntur Divi Bonaventurę argumenta. Primum, quia iuxta divinæ ſapientiæ ordinem congruit, vt quæ maximè diſtant, non vniantur niſi præcedente aliqua diſpoſitione, quæ reddat vicinius, & ſic Dei forinius vnum extremum. Secundum, quia modo ſupernaturali ordinario Deus in nullo homine habitar, niſi mediante aliquo habitu gratuito; ergo in hoc opere maiori, multo magis.

31 Reſpondendum ad primum, ita eſſe, at iuxta ſapientiæ ordinem ſolum debent pręcedere diſpoſitiones, quæ ſint vnioni conformes, & quibus reveta ſit vicinior humanitas iuxta realem conditionem phyſicè vniendi; iſtæ enim diſpoſitiones præcedunt, vtpote in corpore perfectior omnium organizatio, & in tota natura, ablatio propriæ ſubſiſtentiæ, in quo ſtatu prę omnibus naturis iam manebat habilior vt aſſumeretur. Confirmatur, quia tam ante, quam poſt Incarnationem, plures fuerunt ornati habitibus gratiæ &c. & tamen quia tunc in proprijs ſubſiſtentes, inhabiles vnioni hypoſtaticæ; ergo quia vicinior ex alio modo Chriſti humanitas. Tum Beata Virgo in primo inſtanti naturæ ſuę fuit illis omnibus perfectionibus circundata, & tamen penes vniri hypoſtaticè non vicina, ſicuti chriſtifera humanitas; quia in proprijs ſubſiſtebat; ergo.

32 Ad ſecundum reſpondendum, quod ſi modus ordinarius attendendus ſit in ſupernis, potius confirmabitur intentum noſtrum, cum potius attendi debeat modus connaturalis naturæ quæ vnitur, dum obſervato connaturali ordine naturę poſſet vniri ſemper; & vniri poſſet eo obſervato, vtpote quod non habeat lineam accidentium, quin prius lineam perfectam ſubſtantiæ; necnon quod accidentia illa ſuſcipiat in aliena ſubſiſtentia, quando ſuſciperet in propria, &c. ſic. prout rectè Subtilis. Salvatur enim in omnibus ſupernis exercitijs connaturalitas, ſi hæc cum eiſdem ſalvari poſſit, vt patet in viſione, amore &c.

33 Itaque dicimus, quod licet perfectionis appareat humanitatem præintelligere illis accidentibus ornatam, maioris tamen apparet eam intelligere, vt nos hinc; tum propter dicta; tum quia radix omnis perfectionis eſt vnio, & ante radicem nil; tum quia nil ei potius prodeſt quam perſonalitas divina, ac proinde dum aliquid ei detur, nil citius dandum; tum quia decens eſt vt nil ſit perfectionis in Verbo, quod valore infinito perſonę ipſius non denominetur valoratum &c.

ART. III.

An ex vi aſſumptionis, Deo grata maneret natura.

34 PRæſentis Articuli controverſia, celebris ſemper inter Theologos, tam ex parte aſſumpti, quam ex Theologizantium auctoritate. Humanitatem enim ad omne ſupernè gratioſum præextitiſſe Verbo vnitam propugnavimus in pręcedenti Art. inquirentes nunc, an ex vi aſſumptionis à Verbo, ex puro ſcilicet vnionis hypoſtaticæ modo, humanitas maneret ſancta, ac proinde, Deo grata, ſuperno gloriæ iure amicta, amica &c. prout dicere ſolemus de iuſtis habitu gratiæ noſtræ induiis, & ſuperne illuſtratis.

35 Verùm circa punctum ſanctificandi humanitatẽ ex vi aſſumptionis nimis in modo dividuntur Auctores, Schola enim Angelica ex vi aſſumptionis humanitatem communiter propugnat ſanctificatam, eamque PP. Jeſuitæ generaliter amplectuntur. Variatur vero propugnaculum; nam licet etiam abſque gratia habituali humanitas dum aſſumpta ſit ſancta; ſed tamen deinceps diſputantes, an ſic ex vi vnionis, quod vnio ſecundũ ſe ſit forma ſanctificans; an vero perſonalitas Verbi vt à Deitate formaliter, vel virtualiter diſtincta; & ſic alij, an Deitas immediate, vel mediate ſit talis hæc ſanctitatis forma. Et rurſus cum ſanctitatis ſcopus non appareat omnibus facilis, vt ad normam habitus accidentalis gratiæ, hypoſtaticæ ſanctitati accomodetur., tenent aliqui ſanctitatem ſeu gratiam vnionis non phyſicè, ſed moraliter humanitatem ſanctificare, ac proinde ſolum eſſe moraliter radicem derivantem & exigentem cæteros habitus phyſice ſupernos, ſeu habitum gratiæ ad quam ſequuntur, vt poſſit in linea phyſica anima ſuperne operari. Sed horum, & forſan aliorũ modorũ in defenſando, in ipſo Articuli curſu vel impugnãdo, vel reſpõdendo fiet mẽtio. Si cuncta videre diffuſius cupias, vide pro Seraphicis P. Gaudentium *hinc dp.* 11. *quæſt.* 2. Pro Angelicis Illuſ. Godoy *Tract.* 5. *dp.* 21. *q.* 7. Pro Subtilibus P. Maſtrium *dp.* 2. *à quæſt.* 1.

36 Circa hoc itaque quęſitum in tot placita diviſum, ea proponemus, & impugnare curabimus, quę principalioris momenti ſint. Controverſia igitur de principaliſſimo ſiſtit

in

in eo, quod humanitas Chriſti D. gratia habituali præciſa, non haberet ex quo formaliter, etiam contrapoſito ad radicaliter, foret ſancta, grata &c. Et exactè preſens controverſia comprehenditur ex hoc diſcurſu; quia ſcilicet, vel fuit ſancta ex vi vnionis formaliſſime, vel ex vi termini formalis immediate vniti, qui eſt Verbi perſonalitas, vel ex vi termini mediate vniti, qui eſt Deitas, ſeu natura divina; ſed ex nullo ex præſtabilitis Deo fuit ad normã & ſimilitudinem gratiæ habitualis, grata formaliter &c. ergo. Maior vdetur exactè propoſita, non enim pro ſanctitate humanitatis, quia divinizatæ, alia apparent prerogativæ media. Minor ſuadebitur per partes in ſequentes ſubartieulos diſtributas.

SVBART. I.

Ex vi vnionis formaliter Deo grata non fuit humana natura.

37 PRopoſita reſolutio, nedum eſt communis Subtilibus, quin etiam Angelicis apud Godoy citatum ſupra §. 3. apud quem etiam tenetur ex Jeſuitis à Suario, Vazquio, Raguſſa, Beccano, Turriano, Granado, & à Cardinali de Lugo, eſtque frequentior apud huius Familiæ RR. Sed tamen licet non intra eamdem reſolutionem cum precitatis Doctoribus intueamur, verùm ex alio motivo, ac proinde iuxta noſtrum ſic deberet probari; quando forma, nec ex ſe, nec ex repugnantia ſubiecti poteſt effectum formalem præſtare, nec talis effectus formalis præſtabitur ex vnione, vel applicatione forme; ſed impræſtabilis eſt effectus formalis ſanctitatis tam à perſonalitate divina, quam à Deitate; igitur ex vnionis formali, & præciſa applicatione non præſtabitur. Convincit hic diſcurſus apud nos, ſuppoſito minoris motivo, infra probando.

38 Auctores vero contrariæ ſententie cum teneãt formã ſanctificativam humanitatis fore Deitatem, vel perſonalitatem, ſivè per modum formæ, ſivé per modum puri termini; ex alio motivo applicant probationis medium. Applicat namque medium Godoy, quia modus vnionis non eſt ſanctitas per eſſentiam, quia creatus; nec per participationem cum non participet divinam naturam ſub conceptu naturæ; ſiquidem nec eſt radix phyſica donorum ſupernorum, vtpote gratia; nec radix moralis, cum debitum morale principiorum proxime operandi, in vnione ſecundum ſe radicari non poſſit; ad ſummum namque poterat ex proportione ſui eſſe, participare normam divinæ identitatis, ſecus vero divinæ naturæ. Deinde applicat ex connaturalibus medijs, quia vnio albedinis cum ſubiecto non dealbat formaliter; vnio anime cum corpore non conſtituit illud formaliter animatum; vnio habitualis gratiæ cum anima formaliter non ſanctificat illam; & ſic eſſe ignem non ab vnione formæ ignite, ſed ab ipſa forma formaliter præſtatur; ergo à ſimilibus ſimiliter in hypoſtaſis vnione. Ita pro Angelicis Godoy *à num.* 76. qui ad dicta varias adducens aliorum ſolutioues, inſtat in omnes.

39 Sed quidquid ſit de inſtantijs à Godoy ſtudioſe poſitis, ex principijs vniverſaliſſimis brevius, aliquid ex Noſtra, & ex Angelica ſuppoſitione dicemus. Vel enim ſic vnio formaliter ſanctificat, quod nec Verbum, nec Deitas ſanctificent, quin ſola ipſa; vel ſic, quod Deitas & Verbum ſanctificent; ſed quomodolibet ſit, vnioni tribuere effectum formalem ſanctificandi non congruit; ergo. Maior eſt indeficiens. Minor ſuadetur quoad primam partem. Quia ſi non præſtante effectum formalis ſanctitatis divino vnionis extremo, illum poſſet ab vnione ex ſe habere humanitas, difficulter poſſet negari quod non poſſet ſubſtantialiter non ſanctificari humanitas, etiam inunita Verbo; ſed contradicit hypoſtaticè ſanctificari non vnita hypoſtaſi; igitur non minus contradicet hypoſtaticè ſanctificari, non ſanctificante hypoſtaſi. Hic diſcurſus vniverſaliter eſt indeficiens, prout firmiter ſuadent omnia imaginabilia ab exemplaribus; aliàs adducatur vnum.

40 Dices, quod ita foret, ſi in caſu irregulari foret regulariter diſcurrendum. Humanitas enim vt ſit coniuncta Verbo elevatiſſimam vnionem requirit, quæ ſemel poſita, cum ſit ex vna parte participatio ſpecialior divinitatis ex eiuſdem hypoſtaſi, & ex alia parte ſemper creata remaneat, inde congruit, quod dum ſola eius entitas inſimul ſit ſublimis, & inſimul proportionata ſubiecto, & ipſi ſoli ex vtroque idoneæ competat ſublimare, perficere, & humanitatem ſanctificare.

41 Sed contra arguo ſic: Verbum non ſanctificare humanitatem, vel èſt, quia Verbum ſecundum ſe eſt incapax ſanctificandi, vel quia licet ſanctificativum ſit, non poteſt ex diſtantia entitatis ſanctitatem illi præbere; ſed vtrumque contradicit; ergo. Prob. min. & primo quoad primum; quia ſi incapax ſit Verbum ſanctificandi, nullo medio reddetur ſanctificandi capax, vt patet in nigredine ex

nullo medio dealbativa &c. ſic. Prob. quoad ſecundum, quia Verbum nec medianti vnione poſſet ſanctificare, ita vt non ipſum, ſed vnio ſanctificaret, niſi vnioni præberet ſanctificandi vim; ſed ſic vnionem ſanctificare humanitatem repugnat; ergo. Suadetur minor; & primo quia ſi quia ex diſtantia divini ad humanum, & increati ad creatum repugnabat ipſi ſanctificare humanitatem aſſumptam per ſe, & per ſe ſanctificare vnionem cõſimiliter repugnaret. Secundo, quia ſi vnio, quia elevatio ſanctificativa, poſſet eſſe à Verbo, & humanitas, quia ipſo medio elevata, poſſet eſſe ſanctificata ab ipſo. Tertio, quia vnio aliquid verè & realiter deberet accipere vt ſanctificaret, & non facile vllius receptionis ſubiectum, invenietur aliud vltra humanitatem. Quarto, quia humanitas eſt immediatè à Verbo perſonalizata, & prædicto diſcurrendi modo id obſtaret ex diſtantia perſonæ increatæ, ac proinde deberet habere aliud medium, vt vnio ſupra, reſpectu perſonationis; ergo. His ita de prima parte.

42 Suadetur ſecunda pars minoris primi & principalis diſcurſus, S, quod ſanctificante Verbo, vel Deitate, vnioni ſanctificare non competat. Et principalis ratio debet ſtare in eo, quod in quavis linea, in qua aliquid formaliter exercetur, ſemper ſecernendum ſit principium formale, & cauſalitas, vel conditio, quibus ratio formalitatis principij non competat, aliàs non illud, ſed conditio principij foret principium, & cauſalitas formæ foret forma; ſed dum Deitati vel perſonalitati competat virtus formalis ſanctificandi, nil valet aptè ſignari in conditionem, vel cauſalitatem, ſi non deſignetur vnio; ergo. Maior conſonat, cum verſus nos nil inveniatur, vel exerceatur tanto virtutis robore, in cuius exercitio aliquid non requiſat, vt patebit diſcurrenti per ſingula; quin & in divinis virtutibus ſummè producentibus, ſivè virtualiter, ſivè formaliter actiones deſignamus. Etſi quia penes neceſſitatem confluendi ad effectum, vel denominationem non minus inſiſtere debeat firmitas in conditione, quam in forma ſeu virtute, conditioni etiam velimus tribuere formalitatis rectum, qui protervire vellet conditiones vt principia, cunctam principiorum & formarum normam abolebit; & è converſo poterit dici principia non principia, ſed conditiones fore. Minor eſt theologica, cum vnio ſit idiomatizandi vndequaque medium.

43 Si dicas, quod qua ratione natura irrationalis eſſet vnita Verbi perſonæ, tamen quin foret perſonata, & ſic natura noſtra poſſet vniri Verbo ſancto, quin foret ſanctificata. Contra, quia licet teneant non fore ſanctificatam per Verbum, tamen tenentes ſanctificatam per vnionem, tenent hypoſtaticè ſanctificatam, ſed qua ratione aliquid eſt perſonaliter vnitum, repugnat quod non ſit perſonaliter, ſeu à perſona denominatum; ergo qua ratione aliquid ſit hypoſtaticè ſanctum, repugnabit, quod non ſit ab hypoſtaſi ſanctificatum.

44 Si dicas, poſſe dici ſanctificari per Verbum, quia ſanctificata per vnionem, & ſic ſolum à Verbo mediate. Contra, quia vſque adhuc vniones non tollunt immediationes, & ſi ipſæ medient, vt patet diſcurrendo per ſingulas, ſicuti nec mediare actiones impedit immediate influere cauſas; ergo.

45 Si dicas, aliter humanitatem fore ſanctam ab vnione, ſed non hypoſtaticè, vt ſic repellas hypoſtaſis influxum. Contra, quia præterquam quod difficile ſonat hypoſtaticè & ſubſtantialiter non ſanctificari, deduceretur talem ſanctitatem eſſe ex forma extra ſubſtantiam & hypoſtaſim, ac proinde accidentaliter Divinitatis participationem, quo pacto gratia habitualis aptius & perfectiſſimè ibi inſtaret.

46 Si dicas, perſonam divinam non poſſe ſanctificare rem creatam, benè vero vnionem illam moraliter, cum ipſa ſit perſonæ intima. Contra. 1. quia moraliter etiam Verbum poſſet ſanctificare, cum moraliter ſemper Verbum foret tale debitum ad perfectiones radicans. Contra 2. quia ſi Verbum poſſet creatam vnionem moralizare, poſſet & creatam naturam. Dices, vnionem eſſe eximiè ſupernam. Contra, quia quo ſuperna ſit vnio, & ſuperne debet elevare humanitatem; igitur licet in priori ad vnionem non poſſet ſanctificari, ſuperne vnita, poſſet participare à Verbo vt ſubiectum, quod vnio ſolum vt quo & vt conditio participaret.

47 Si dicas, vnionem ſanctificare vt quo, vt via, medium &c. Concedent cõtrarij, quia vt quo agere, vt quo informare, &c ſic, nec eſt virtutis, neque eſt formæ, ſed vel conditionis, ſeu cauſalitatis.

48 Hinc diſputant aliqui, an vnio ſit ſanctitatis conditio, an cauſalitas, à quibus abſtrahere decerno, cum id Scotiſtis nõ competat. Illuſ. Godoy cauſalitatem ſanctitatis perſonæ Verbi non fore contra nonnullos propriæ claſſis propugnat hinc dp. 21. q. 7. §. 3.

SVBART.

SVBART. II.

Ex vi perſonalitatis Verbi formaliter Deo grata non fuit humana natura.

49 PRædictam reſolutionem amplectuntur Vazquez, Turrianus, Araujo,& alij ex Diſcipulis D.Thomæ,prout teſtatur,& ſequitur Illuſt.Godoy mirans poſſe ab alijs contratiam ſuſtineri,cum debeant tenere divinas relationes ſub explicite addito ad Eſſentiam non dicere perfectionem; igitur cum ſanctificare ſit perficere, id quod ſecundum ſe perfectum non ſit,nec poterit perficere,nec ſecundum ſe ſanctificare. Huic rationi,cuius vis,maxima fuit etiam apud Subtiles pro viribus non perfectas divinas relationes defenſantes,reſpondent quod licet Verbi perſonalitas ad intra perfectio non ſit,ſin autem ad extra, contra quos multiformiter inſurgit Godoy §.5.*à num.*124.

50 Contra ſic arguendum: ſi divina natura non diceret perfectionem ad intra,nec quidquã perfectionis diceret ad extra; igitur ſi divinæ relationes (percipe relationes divinas prout virtualiter,vel ex natura rei ab Eſſentia diſtinctas) nil perfectionis dicant ad intra,aliquid perfectionis non dicẽt ad extra. Corroboratur aſſumptum, eoquod adhuc natura &c.abſoluta,quæ eximiam dicunt perfectionem ad intra, vt patet producendo, communicando,& identificè denominando;ad extra vero tantam,& tot modos nec producendo,nec communicando dicunt perfectionem, quin ad extra ſolũ leve deſignatur indicium; igitur quæ ad intra nullam dicebant perfectionem, ſi divinam ſuo modo debeant immitari conſonantiam, nec ſignum relinquent perfectionis ad extra.Non enim,ſi bene attendatur,ſtatus ad extra,eſt ſtatus apud quem debent exaltari perfectiones, cum ſecundum ſe imperfectiſſimus ſit,& quæ perfectiora potius obumbrata ſplendeant, vt patet in divina virtute, cuius ad extra terminus iam limitatur, necnon apud aliquos & actio Omnipotentis noſtra eadem confunditur; ergo &c.

51 Dices in eo potius ſtare divinitatis perfectionem, quod quæcunque ſua, etiam dum ſibi perfecta non ſint, talia tamen quæ ſua, ſunt ſemper, quod reſpectu noſtri inſuperabilem derivent perfectionem, iuxta illud ad Corinth, *cap.* 1. *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei,fortius eſt hominibus*;eo namque modo, quo aurum ſic cæteris in perfectione eminet, quod licet ſcoriæ auri in eo non dicant perfectionem, at reſpectu ferri perfectiſſimæ apparerent, illudque eximie elevarent.

52 Prǽadducta ſolutio non facilis impugnatu apparet,& id, ne Myſterij magnitudinem deſpicere videamus. Verum ſi ſcholaſticè, etiam dum catholicè id perpendendum ſit,videtur ex adducto, ſolum deduci moralem quamdam ęſtimationem,ſervatis ſervandis,ex Verbi perſonalitate in humanitate conſiderandam,ita vt ſalvetur proportionatus exceſſus, quin ei ſanctitatis perfectio,aliter quã ab Scotiſtis ſolet,tribuatur. Explicatur. Perſonalitas Verbi complens,ſolum eſt comparanda ad perſonalitatem quæ compleret; igitur dum præ ea & quibuslibet alijs creatis relinquamus exceſſum eximium,& aliàs ſtatum perfectionum ad intra ſalvemus, ita vt abſolutæ abſolutè,& relativæ relativé, iuxta perfectionem cuiusvis, ſic melius theologizabimus;ſed ſic theologizare poſſumus; ergo.

53 Exponitur ſubſumpta minor, Quia poſſumus præbere, vt Scotiſtæ præbemus quamdam congruentiam,& motivum, vt natura noſtra Verbo perſonata plenitudinem habeat gratię habitualis,& aliorum donorum, relinquẽs in ea,Verbi perſonalitas quoddam ius in cauſa, & in radice, vt ei comitetur gratia habitualis,ſicque ſit hæres beatitudinis &c. ſed dum ſic id habeat,etiam ſi formaliter nõ habeat ſecundum ſe, eximius exceſſus prę cæteris perſonalitatibus ſalvabitur,vt intuenti patebit,& alias divina illa conſonantia perfectionum ad intra ſemper obſervatur; ergo. Tum ſic recte ſalvantur verba Pauli, cum infirmius Dei prædicatum,vtpote perſonalitas, ſic robuſtior ſit quibuſcunque creatis perſonalitatibus, necnon ex latriæ cultu & alijs extra punctum ſanctitatis formalis. Similiter paritate auri non infringitur prima ratio noſtra, quin potius roboratur, quia licet ſcoriæ auri prę alijs dent ferro aliquam æſtimationem, improportionatum tamen & irrationale foret,quod ſcoriæ darent ferro id,quod darent perfectiſſioræ auri partes. Vnde ſumo ſequens argumentum.

54 Non videtur conſonum, quod à non perfectis ſumat natura humana tantam, & talem perfectionem, ac à perfectiſſimis, vt probat ferrum deauratum ab auro puriſſimo, & ab ipſius ſcoria;ſed dum perfectius Deitatis auro perficeretur humanitas ſolum haberet dona illa,quę gratiæ accomodantur; ergo

dum ab inæqualibus ſimpliciter inæqualia ſumat, talibus donis non perficietur, nec deaurabitur à non auro, nec perfectione perſonalitatis.

55 Dices; ita fore, ſi capacitas humanitatis æquè iuvaret reſpectu divinæ naturæ, ac reſpectu perſonalitatis. Contra, quia humanitas æquè capax eſt vt vniatur naturæ, ac vt vniatur perſonalitati; igitur ſi ex medio vnionis ea dona ſolent ſubſtantialiter imbibi in humanitate, & ſic perfici, dum adeſſet medium capax ad perfectionem ſublimiorem, etiam humanitas deberet ex capacitate ſublimius perfici, tametſi nunquam poſſet ad ſe trahere, quidquid in ſe Deitas retineret. Deinde arguo à paritate extremorum, dum contrariorum eadem ſit ratio. Non minus ſecundum ſe ex natura rei rectè probata apud Angelicos, & Subtiles dicit omnem perfectionem Deitas, ac eam non dicit perſonalitas; ſed quia incapax humanitas penes recipere, ſummam perfectionem Deitatis non tenet; igitur quia incapax perfectionis perſonalitas penes dare; ſeu habere, eam humanitas non tenebit. Vellem equidem percipere cuius numinis, & occultæ conditionis ſie humanitas ex capacitate ſua, quod capax ſit perfectionis à non habenti, ſecus reſpectu habentis. Imperceptibilis equidem hæc capacitas; nam ſi humanitas foret capax perfectionis non perficeretur à Verbo, vt Dei natura ab eo non perficitur.

56 Dicent alij per aliam viam ducti, præformata ſolum probare, Verbi perſonalitatem non ſanctificare phyſicè, ſecus autem moraliter, ad quam ſanctitatem nõ requiritur in Verbi perſonalitate alia bonitas & perfectio quam moralis. Contra hanc expoſitionem inſurgit Godoy applicando in ſenſu morali, quod ad aliam in ſenſu phyſico, S, ex eo Thomiſtis negari perfectas eſſe phyſicè divinas relationes, quia in Deo darentur tres phyſicæ perfectiones relativæ in ſpecie, vel quaſi in ſpecie diſtinctæ, & ſic in vna perſona in perfectionibus inæqualitas; ſed inconvenit etiam quod de morali bonitate & perfectione idem dicatur; ergo. Reſpondent non ſic inconvenire, quia ex bonitate phyſica ſequeretur, bonitates formaliter & in ſpecie multiplicari, ſecus autem ex multiplici morali, eo quod omnes perſonæ conveniant in ſanctificando ad extra, in quo munere non diſtinguuntur eſſentialiter, ſed ſolum materialiter, quod non inconvenit.

57 Contra hæc inſtat ſemper Godoy, non dari rationem vt ſuperadditio bonitatis phyſicæ arguat illius formalem, & eſſentialem multiplicationem, ſecus autem ſuperadditio moralis. Et deinde, quia licet tam ad intra, quam ad extra penes poſſe terminare eandem numero naturam, conveniant omnes divinæ perſonæ, ſicut conveniunt in ſanctificando ad extra, tamen inde non ſequitur quod in ratione perſonandi non ſint eſſentialiter diſtinctæ; igitur ex ea convenientia ſanctificandi ad extra non ſequetur in ratione perficiendi & bonificandi non eſſe diſtinctæ ſimiliter. Hæc è Godoy retuli, quia Scotiſtis familiaria, necnon quia tanto viro favorabilia. Cuius Illuſt. Doctoris vide inſtantias in huius puncti varias ſolutiones adductas, *Tract. 5. dp. 21. q. 7. §. 6.*

58 Arguo deinde, ſuppoſita Thomiſtarum ſententia, quia moralis perfectio iuxta rationalem perfectionem fundamentum debet ſumere iuxta phyſicas rerum & naturarum entitates, vt patebit diſcurrenti per gratias noſtras; ſed in phyſicè nullo modo perfectis, nullum rationale datur fundamentum ad moralem perfectionem; ergo. Suadetur minor, quia non videtur rectum fundamentum pro divina voluntate (quę ſaltim inadęquate & incomplete erigit lineam moralem) vt ſcilicet penes eam habeat bonitatem moraliter, id quod nullam habet penes naturam ſuam; ſed nullum fundamentum præſtat divina natura pro relationibus; ſiquidem eas omni perfectione denudat; igitur nullum datur fundamentum vt eas divina voluntas induat.

59 Deinde, quia relationes divinæ phyſicè non ſunt participes divinæ naturæ; igitur ſolum ſunt moraliter, vt habeant per participationem moralem, quod ſaltim inadæquatè per phyſicam habent formæ ſanctificantes. Illam moralem participationem à quo habent, ſeu quomodo habent, ex natura rei, & phyſicè, vel moraliter & ex voluntate Dei? Non videtur primum, nam ſi ex natura rei & phyſicè participarent à divina natura, illam moralitatem formaliter, pro eodem, quin & aptius poſſet dici quod non moralem ſed phyſicam habebant bonitatem. Si à divina voluntate; igitur iam moralis ſanctificatio non provenit à perſona Verbi formaliter, ſed à libera voluntate Dei.

60 His ſic præiactis iuxta opinionem divinis relationibus perfectionem negantem, venit aliter theologizandum ex ſuppoſitione opinionis perfectionem adſtruentis, cuius Auctores cum non inconveniat relativè plures perfectiones admittere, nec inconveniunt, quod Verbi perſonalitas addat relativè ſanctitatem ad divinam naturam, & quod

forma-

formaliter ſecundum ſe ſanctificet humanitatem. Contra quem dicendi modum

61 Arguo ſic: in divinis vna, aut altera prætermiſſa diſtinctione, debemus prædicta diſtinguere vnumquodque iuxta munus & ſpecialem lineam; igitur licet Verbi perſonalitas ſit perfecta, perfecta debet eſſe in linea ſubſiſtendi, ſecus autem in linea ſanctificandi. Suadetur intentum, quia ſicuti quod prædicata ſint divina, non evacuat vnam, aut alteram veram diſtinctionem, vt vni poſſit competere, quod contradicit alteri, ſic quod ſint perfectiones, non impediet quod diſtinctæ ſint, ac proinde quod ab vna negetur exercitium & denominatio, quæ de alia dicitur, vt patet diſcurrendo per ſingulas tam abſolute, quam relativè intellectas; igitur quod ſanctitas ſit perfectio, & quod perfectio ſit perſonalitas, non obſtabit, vt de ſanctitate ſolum dicatur quod ſanctificat, & de perſonalitate quod perſonat.

62 Dices, quod dum perſonalitas infinitè perfecta ſit, implicat, quod non communicet perfectionem, cui communicat perſonationem, & vt aliquid ſanctificetur, nil requiritur, niſi quod eximiè perficiatur.

63 Contra, quia intenſio eſſendi, & denominandi non debet cadere ſupra diverſæ lineæ formam, ſed ſupra eamdem; ſi enim intellectio infinitè elevaretur, nunquam denominaret totam animam, & ſic volentem, quin ſolum partem intellectivam, & ſic infinitè intelligentem; igitur licet linea ſubſiſtendi infinitè elevetur, nunquam denominabit aliter quam in linea ſubſiſtendi, ac proinde, quod humanitas complebitur per ſubſiſtentiam infinitam. Comprobatur, & præcavetur evaſio. Non minus formaliter & intrinſece competit divinæ naturæ, ſeu attributo ſpeciali ſanctitatis ſanctificare, quam perſonalitati Verbi complere, ſeu perſonare; ſed etiam ſi ſanctitas illa infinita ſit, ei tamen ex diſtinctione, non poſſet vnquam competere perſonare, etiam ſi infinitè ſanctificare; igitur etiamſi Verbi perſonalitas infinita ſit, nunquam ei competet ſanctificare, etiamſi ſummè complere. Similiter inſtare poteris à paritate intelligentis, dato quod per intellectionem increatam poſſet intelligere.

64 Dices inſiſtendo in eo, quod ſubſiſtere & perſonare eſt proprium alicuius divini prædicati, ſecus autem ſanctificare, cum ſit omnium divinorum tranſcendenter, eiſque commune. Contra, quia ſic quilibet effectus ab Omnipotentia deductus maneret ſanctificatus, vel quia ab ea egreſſus, dum intra eam poſitus, vel quia virtuti ſeu Omnipotentis actioni immediatè coniunctus, vel quia noſtra & eius actio, vel eadem, vel inſimul. Tum ſi in creatis nil à gratia, quæ eſt ſanctitas, poteſt efficienter derivari quod ſanctificatum non ſit, multo magis quod à ſanctitate divina quomodolibet derivetur.

65 Contra aliter, quia hoc quod eſt ſanctificare, ſi propriè & ſtrictè loquendum ſit, non eſt verificare, ſed bonificare, non enim eſt eſſe ſanctum eſſe verum vel verax, ſed eſſe bonum, quare fides quamtumvis ſuperna non ſanctificat, cum poſſit eſſe aliquis eximiè fidelis, & eximie malus: ſed ſic eſt quod in Deo, quæ ſunt de linea boni, ſecernuntur ab eis, quæ ſunt de linea veri, ita vt tranſcendēter non confundantur; igitur ſimiliter de attributo ſanctitatis cum ceteris perfectionibus diſcurrendū. Deinde, quia improbè ſuſtineretur à rectè & proportionatè theologizantibus, dum ſtabiliunt non quodvis prædicatum eſſe ſanctitatem, ſed illud quod eſt radix ceterarum perfectionum, aliter enim habitualis gratiæ ſtructura aboleretur, dum quævis Deitatis participatio ſanctitas foret, ac proinde quicunque ſupernus habitus, tametſi ad lineam intelligendi ſpectaret.

66 Deinde, quia ex eo à quovis divino prædicato ſanctificata intelligitur humanitas, quia à quovis intelligitur poſſe & debere ſuſcipere perfectionem ei deficientem; ſed id nec poſſe, nec debere à quolibet prædicato divino ſuadebitur; ergo. Suadetur minor, caſu quo aliquod ex divinis prædicatis abſque perſonalitate, vel abſque illa, ipſa divina natura vniretur non perſonatæ humanitati: Licet enim ſimpliciter perfecta divina natura foret, & tunc humanitati deficeret perfectio, cuius foret ſuſceptiva, tamen Deitas omnia ſuperans in perfectione, non daret humanitati perſonalitatis perfectionem, quæ humanitati deficiebat; igitur hoc quod eſt imperfectiones auferre, & perfectiones præſtare, non eſt proprium cuiuſvis divini reſpectu cuiuſvis humani, nec commune.

67 Dices aliter, aliquod dari diſcrimen, vt perſonalitas poſſit denominare, & perficere extra lineam perſonalitatis, ſecus autem cetera prædicata extra propriam lineam. Diſcrimen ſtat in eo, quod perſonalitas eſt pro tota natura, cum ſit totius naturæ complemētum, ſicque tota natura perſonata, tota manet perfecta; ſecus autem videtur de illis prædicatis ad aliquam ſolam partem naturæ ſpectantibus. Contra à paritate divinæ naturæ nuper poſita, quæ non perſonaret humanitatem: arguo ſic; ſicuti perſonalitas ex ratione vltimi termini petit complendo perficere & im-

mitere

mittere perfectionem ad omnia prædicata quæ ſunt ſupra ſe, ſic natura ex primo conceptu naturæ petit derivare perfectionem dimanando omnia prędicata quę ſunt infra ſe, ac proinde proprietates, & perſonalitatē ipſam; ſed ſi divina natura, prout diſtincta à perſonalitate Verbi vniretur, non perficeret, nec derivaretur vſque ad omnia, quę propria, quin propria perſonalitate egeret; igitur licet perſonalitas Verbi vniretur, nunquā phyſicè derivaret perfectionē vſque ad omnia, quin anima & potētiæ, ſuis egerēt cōprincipijs & perfectionibus &c.

68 Deinde, etiamſi perſonalitas Verbi vniatur leoni, nil perficit naturæ in potentijs ſuis, & ſi non minus ſit cōplementum pro tota leonis natura; ergo à ſimili in humana. Dicunt ſtatim omnes iſti Auctores, dari in leone ex potentijs incapacitas. Contra, quia etiamſi divina perſonalitas ſit ſimpliciter complens naturam leoninam, ſic complet, quod non poſſit ſupplere, quod ex parte potentiarum non habet; igitur quod ex parte virtutis ſuperne requiſitę non habeat natura humana, nec poterit ſupplere perſona divina. Natura enim humana, vt ſubtiliter exponebat Scotus, in phyſicis potentijs eadem manſit ex ſolo phyſicè addito perſonæ; neque enim, quod facile ſcire poſſim, vis aliqua phyſicè ſuperna valet intelligi in Verbi perſonalitate, neque ab ea aliquid ad modum potentię, & virtutis derivari; qualis enim foret phyſica ſanctitas à Verbo præſtita humanitati, dum alio non intellecto in ea, nil deflueret, quo humanitas Deum ſuper omnia poſſet amare? Ergo indiguit alijs.

69 Ulterius ex ipſa ſolutione deducitur inſtantia. Perſonalitas dat perfectionem iuxta conceptum vltimi termini; igitur ex tali conceptu phyſicè non omnem, ſed vltimam præſtat; aliter namque quid vltra vltime complete haberet; ſed ſanctitatis conceptus, nec eſt ex natura rei vltimus, nec ab vltimo, cum ſequatur animam, & in ſanctè operando potentias; igitur licet vltimo complere, foret vltimo perficere, nunquam foret ſanctificare; & dato quod foret vltimo ſanctificare, non foret adæquate ſanctificare, quod enim vltimo ſanctificat, aliam ſanctitatem requirit, ac proinde ea indiguit humanitas, vt ſimpliciter ſancta maneret. Nec enim, quia vltimo complens facit perſonam, nec diſtinguit perfectam naturam, quin ſupponit, vt in natura iam ante complementum intellectuali, & entitativè perfecta &c.

SVBART. III.

Ex vi divinæ naturæ formaliter Deo grata non fuit humana natura.

70 NAzarius, Araujo, & Gonet *dp.* 11.§.2. ex Angelicis, & ex Ieſuitis Vazquez, Turrianus, Beccanus, & Lugo contrariam noſtrę reſolutioni tenent, quos citat & ſequitur Illuſtriſ. Godoy §.9, reſolvens, quod Deitas, vt à perſonalitate Verbi, virtualiter diſtincta, ſanctificat humanitatem Chriſti, vt terminatam per Verbi ſubſiſtentiam, ly *vt*, dicente non rationem formalem, ſed conditionem, ſeu complementum, & illam immediatè ſanctificat. Hanc reſolutionem impugnavimus per partes, vt ſic melius probetur noſtra.

71 Arguo 1. fundamentum præcipuum in quo Doctiſſimus Godoy pugnaciſſimè ſiſtebat in tenentes quod ad minus moraliter ad extra Verbi perſonalitas ſanctificabat, ſtabat in eo, quod etiam ſic contradiceret aliquid in linea perfectionis deduci per vnum prędicatum quod non per cętera; ſed hoc inconveniens, ſi ſtricte ſiſtendum ſit, vt ſiſtebat ſupra Godoy, etiam contra ipſum vrget; ergo. Maior videatur diffuſé apud ipſum à §.5. Minor ſuadetur, quiá ſaltim Verbum eſt via per quam eximiè, & perfectiſſimè participatur ad extra humanitati perfectio, S, Deitatis; ergo ſtricte ſiſtit inconveniens. Prob. conſeq. quia potuit humanitati vniri Pater per paternitatem, & per ſpirationem activam, dum Spiritus ſanctus ſolum per paſſivam ſpirationem; ergo in Patre plures eſſent viæ derivativæ perfectionis.

72 Dices ſtatim, quod liceť per diverſas vias, tamen cum vna ſit Deitas à qua vt ab origine perfectio derivatur, nunquam ſequitur ex multiplici medio aliquid, quod perfectioni Deitatis indiviſæ contradicat. Contra, quia ſic, nedum perfectio illa moralis, quam accerrimè impugnabat Godoy, verum nec phyſica perfectio in linea dumtaxat perſonali contradiceret. Prob. quia nec Contrarij, nec Nos poſſemus negare, quod perfectionū perſonalium vnica foret radix Deitas, ita vt indiviſé ſit origo pro omnibus, non aliter perfectæ, niſi quia ab illa vna natura derivatæ, & tamen ſic ſtriſtè relegatur multiplicitas, quod dum notionaliter diſcurrendum ſit, nullo modo aperiatur ianua ad perfectionem: Deinde tenen-

cenſetes diſtinctā perfectionem in linea morali, eam ex vnico Deitatis adiuncto ad perſonas deducebant, non enim phyſicè eas perfectas concedebant, & tamen Godoy nec ſic diverſa media per quę vna Deitas moralizaret humanitatem permittebat; ſed non minus contradicit, quod licet Deitas ſit vnicum communicabile bonum, in vna perſona habeat plures ianuas, & ampliores vias ad communicationem bonitatis; ergo.

73 Deinde viceverſa ſic; prædictum inconveniens ex pluralitate viarum parui habebitur apud Godoy, eo quod idem licet per plura media communicetur humanitati à ſumma Deitatis perfectione; igitur nedum moraliter, quin & phyſicè perfectior ex medio foret perſonalitas Spiritus Sancti. Suadetur intentum, quia quidquid ſummé poteſt communicari per plura media, aliarum perſonarum, ſummè communicaretur per indiviſum, & ſimplex Spiritus Sancti medium, ſi iſte incarnaretur; ſed id perfectionis eſt, vt patet in omnibus ex ſimplicitate Deitatis quoad ſe, & virtutis divinæ quoad nos, cum per vnicum actum, & indiviſam actionem derivare effectus quos nos per plures, ſummam diſtinguat diſtantiam; ergo.

74 Deinde, confirmatur intentum argumenti, eo quod Verbi perſonalitas ſit indiſpenſabilis conditio perfectionis, nam inſtrumenta ſemper elevantur iuxta perfectionem principalium, quod enim eſt medium, vt intellectus diſcurrat, non eſt tale pro rugitu leonis, & ſic excelſæ conditiones ad beandum, excelſam præ cęteris ſervant perfectionem; igitur eſto Verbi perſonalitas ſit conditio pro ſumma Deitatis perfectione, in genere conditionis ſummam habebit perfectionem; igitur cum Pater plures conditiones habeat pro ſummè perfecto, in vna, aut altera linea excellet tertiam perſonam, & non extra lineam perfectionis. Si enim benè attendatur iuxta impetum D. Godoy, nec adorationis capaces intuentis ſecundum ſe divinas perſonas, cum bonitas Eſſentiæ vſque ad eas non diffundatur; congruum videretur dicere ſic perfectionem in Eſſentia iam detineri, quod per perſonas non poſſit diffundi. Quod enim nullo modo perfectum eſt, non videtur habile & proportionatum, vt quod perfectum eſt, ſic participetur. Nec obſtat in divinis ſcopus ad intra, cum ibi concretivè, & concomitante Eſſentia, omnia expendantur.

75 Rurſus non facile poſſum percipere partes reſolutionis præadductæ, S, divinā Eſſentiā mediante Verbi perſonalitate ſanctificare, & tamen humanitatem immediate fore à divina Eſſẽtia ſanctificātam. In primis enim mediat perſonalitas Verbi, necnon mediabat vnio, videtur ergo difficilis reſoluta immediatio. Si velis dicere, quę aliquando ego, videlicet vniones &c ſic, etiam mediantes non impedire terminorum immediationem: Benè erit, ſed vrgebit, quod vnio illa, ex eo non tollit immediationem, quia aliter mediat ac Verbum; igitur dum Verbum aliter mediet, Verbum non poterit mediari vt conditio. Vel ſic, dum vnio mediat vt conditio inter Verbum, & humanitatem, non impedit quod Verbum immediate terminet humanitatem; ergo dum Verbum medium vt conditio inter Deitatem, & humanitatem, non impediet, quod Deitas etiam phyſicè ſit immediata humanitati. Fateor plura mediare, vt deinceps Deitas poſſit humanitatem ſanctificare.

76 Exponebat D. Godoy quod licet perſonalitas Verbi mediatet, poterat tamen dici Deitatem immediatè ſanctificare, quia cum perſonalitas Verbi nullo modo ſanctificativa ſit, valet deduci, quod inter Deitatem, & humanitatem nil mediat, nil ſiquidẽ ſanctificativè mediat. Sed hāc expoſitionem reprobandam exiſtimo, quia ſic, etiam poſſem dicere, quod inter volitionem divinam & humanitatem nil mediabat, cum nil volitivè mediet, necnon quod inter ignem Barchinonæ & inſulam Maioricarum nil mediabat, quia dum mare vtrique contiguum, nil mediaret igneum, vel ſilveſtre inſularum; & ſic nil mediare inter animam meam ab Omnipotentia immediatè productam, & inter Verbi perſonalitatem; ac proinde dum immediata ſit Omnipotentia perſonalitati Verbi, cum deinde nil perſonaliter mediet, poſſet dici animam meam à Verbi perſonalitate immediatè terminatam.

77 Dices, quod recta appareret impugnatio, ſi ſolum phyſico rigore alloqueretur, qui non eſt neceſſarius ad verè exhibendum ſanctitatem humanitati, prout ipſe D. Godoy in proceſſu reſolutionis exponit, dicens, Deitatem ſolum moraliter eſſe immediatè ſanctificativam humanitatis, ad quod ſufficit quod nulla forma moralis mediet, vt non mediare ſuperius defenſavit. Contra, quia ſcopus priſtinæ impugnationis ſemper inſtat, dum phyſicè mediet terminus, etiamſi non mediet in vlla linea ſanctificando, vt ſuadet animæ noſtræ exemplar, quæ immediata phyſicè Omnipotentiæ, poſſet ab Eſſentia moraliter ſanctificari.

78 Dices, quod Omnipotentia mediat

vt

vt cauſans,& efficiens, ſecus autem perſonalitas. Contra, quia licet Omnipotentia mediet vt cauſans reſpectu gratiæ, nil obſtat, vt ſanctitas Deitatis immediata Omnipotentiæ derivetur in gratiam; ergo licet Omnipotētia mediet vt cauſa reſpectu animæ, dum Deitati ſanctificativæ immediatè ſit,nil obſtabit vt Deitatis ſanctitas in eam derivetur. Dices, gratiam eſſe Deitatis immitationem, cum ſit ad modum naturæ habitus, ſeu proprietates ſupernas deducens. Contra, quia id poterat obſtare, ne anima participaret ſanctitatem à Deitate vt natura, ſecus vero vt participaret vt ſubiectum paſſivè ſe habens; in omni enim linea, minus requiritur ad pati, quam ad agere; igitur ſolum venit deducendum, quod licet anima non poſſit participare à Deitate eſſe ſanctitatem, ſeu eſſe ſanctificativam, non autem quod non poſſit participare eſſe ſanctificatam.

79 Dices, quod in anima non inhæret ſanctitas Deitatis. Contra, quia nec Deitas inhæret humanitati. Dices,eſſe per vnionem immediatè terminatam à Verbo Deitati immediato. Contra, quia etiam per actionem, vel paſſionem receptam in anima eſt immediatiſſimè terminata ab Omnipotentia, Deitati immediata. Dices, quod ſanctificationi non eſt proprium medium linea efficientiæ, cum hæc de ſe non ſit ſanctificativa, & etiam medium Omnipotentiæ reducitur ad Deum vt naturę Auctorem. Contra, quia ſi benè attendatur nullum improprius medium poteſt eſſe ad ſanctificandum, quam illud quod de ſe eſt extra lineam ſanctificandi, vt eſt perſonalitas Verbi apud Godoy & alios, & tamen licet id obſtet vt ſanctificet phyſicè ex medio Deitas,ſecus autem moraliter; igitur licet ex medio linea virtutis & efficientiæ improportionate habeatur,vt ſanctificet efficienter,dum Deitas verificetur immediata medio, non habebitur improportionate,vt ſanctificet moraliter.

80 Dices,quod non congruit, cum eo pacto quo anima rationalis redditur immediata ſanctitati Deitatis ex Omnipotentia, immediate etiam habetur leo &c. Contra, quia manere ſanctificatum non ſemper ſtat ex habilitate vis ſanctificantis, ſed etiam ex habilitate ſubiectorum, vt patet in perſonalitate Verbi, cui non obſtat, vt poſſit reddere humanitatem perſonatam, quod eadem poſſit etiam vniri leoni, licet eum perſonatum non relinquat;ergo à ſimili,dum anima ſit capax ſanctificationis, licet ſit per medium, quod poſſit alijs eadem immediatione competere,nil obſtabit,

81 Ulterius arguendum eſt contra principaliter dictum,S, ſuperius dicta in antecedenti argumento obſtare, ne Deitas ſanctificaret phyſicè,ſecus moraliter. Arguo ſic,Deitas non ſanctificat phyſicè,quia phyſicè non eſt immediata rei ſanctificandæ;ſanctificat vero moraliter, quia ad id ſufficit,quod ſit immediata Verbo,vel quia nulla forma moraliter ſanctificās mediat;ſed ex hoc non videtur deduci rem eſſe moraliter à Deitate ſanctificatam; ergo. Pro ſecunda parte minoris, cum plura dixerim, breviter nunc, S, etiam poſſe dici humanitatem phyſicè ſanctificatam à Deitate, cum ab humanitate vſque ad Deitatem nulla forma phyſicè ſanctificativa mediare inveniatur. Altera pars moralitatis, quę eſt ſcopus reſolutionis D. Godoy eſt nunc principalior.

82 Arguo ergo, & inquirens ex quo motivo debeamus intelligere,& in prudenti æſtimabilitate reputare humanitatem illam formaliter in linea morali ſanctificatam? Videtur enim ex eo, quod ſit immediata Verbo, cui immediata eſt ſuprema Deitatis ſanctitas, ac proinde id ſufficeret,vt ſaltim moraliter Deitati tribuatur ſanctificatio illius, cum Deitas, quæ eſt radix phyſica omnium bonorum ad intra,ad extra & reſpectu humanitatis ſit radix moralis, vtpote fundans debitum donorum ſupernaturalium, vt humanitati tribuantur; ſed quidquid id ſit, non valet moralis ſanctitas interpretari perſonalitate Verbi mediante; ergo. Explicatur intentum, quia quidquid ſit Deitas,quæ in linea boni eſt quidquid poteſt eſſe, ac proinde ex hoc moraliter derivabilis,tamen ſic Deitatis perfectio clauditur ſecundum ſe, quod ſtrictè cenſeat D. Godoy quod ad Verbi perſonalitatem ſecundum ſe non pertingat, ita vt penes perfectionem, non minus Verbum ex perſonalitate ſileat, quam Deitas dicat; igitur ſicuti Deitas ex ſe dum mediata phyſicè humanitati fundat debitum vt moraliter ab ea humanitas æſtimetur ſanctificata, perſonalitas ex ſe dum immediata phyſicè, repellet debitum morale, vt ſanctificata non intelligatur. Certiſſimum enim eſt, quod Verbi perſonalitate non mediante, nil ſanctitatis præſtaretur à D. Godoy; ſed tale eſt quod mediat, quod apud D. Godoy §. 10. *num.* 240.(huius,dum hinc increpantur, memores ſint Scotiſtæ) *nec veneratione ſit dignum*; igitur ipſo tali mediante quo pacto æſtimabitur altioris perfectionis Deitatis, digna, vel dignificata humanitas? His ita

83 Nonnulli apud D. Godoy, vt ſeriem harum difficultatum auffugiant, tenent, humani-

manitatem à toto Verbo ſanctificatam. Sed hic reſolvendi modus, breviter iam impugnabitur. Quia vel id ſic defendunt, quia exiſtimant Verbum concretivè ſumptum ſanctificare, & ſic parum obſtare perſonalitatem Verbi in abſtracto nullam dicere bonitatem, ſeu perfectionem; vel quia exiſtimant Verbi perſonalitatem ſecundum ſe, etiam infinitè bonam, & perfectam eſſe; ſed quolibet modo ſub priſtina difficultate manent; ergo. Explicatur quoad primum, quia ſi Verbi perſonalitas ſecundum ſe & abſtractè non ſanctificet, nil iuvabit dicere concretivè ſanctificare iuxta realem eventum Incarnationis; ergo. Prob. intentum anteced. quia humanitas non eſt, nec poteſt intelligi vnita Verbo concretivè ſumpto, aliter altera formalitas verbalis concreti, S, Deitas non minus incarnata foret, quod communiter à Theologis negatur; igitur ſic Verbi perſonalitas vnita fuit, quod ex dilatatione concretorum in denominando, nil iuvet Deitas ex Verbo in cõcreto, vt à Verbo abſtractè non ſanctificata iuxta eventum Incarnationis poſſit eſſe ſanctificata à Deitate, quia à concreto ſancto terminata inſimul. Delicatior enim intellectus in præſcindendo non excellet eventum Incarnationis penes attingere vnam Verbi formalitatem, & non alteram.

84 Explicatur poſtea quoad ſecundum; quia quod Verbi perſonalitas ſecundum ſe dicat infinitam perfectionem, non tollit quod vere diſtinguatur ab entitate infinitè perfecta Deitatis, & eo modo ac ſi perfectionem non diceret; igitur nec tollet, quod terminante Verbi perfectione humanitatem vere & realiter, vere & realiter eam non terminet Deitas; ſed dum ſic terminet vna formalitas quod altera non terminet, iam poſitio concretiva nil iuvat, cum quæ abſtractius intelliguntur, non aliter habeantur; ergo.

85 Reſtabat hinc impugnare incidenter dictum ab aliquibus Auctorum horum, S, humanitatem exiſtere etiam per Deitatem, tametſi hæc mediate vnita ſit ei, quod dictum cum alibi principalius ab ipſis propugnetur, proprio loco à nobis examinandum. Pro nunc ſolum innuam, tale dictum non leviter obſtare, quia prius videtur, quod Verbum immediate poſitum expendat, quæ immediate habet, quam quod expendat Deitas, quæ ſolum influit mediante Verbo; igitur cum prius videatur eſſe & exiſtere, quam vltimo eſſe & ſubſiſtere, dum prius immediate debeat ſubſiſtendo humanitatem terminare, hæc debet ſupponi ſicuti natura & exiſtens ad Verbi completionem, ac proinde potius ad exiſtendum per Deitatem. Certiſſimum enim eſt, quod prius non vnito Verbo, nil haberet à Deo humanitas, ac proinde quod eſſe vnitam Verbo, ſit mediũ vt à Deitate aliqua recipiat; igitur cum non ſubſiſtente in Verbo, non ſit vnita, & prius, vel ſaltim inſimul immediate ſit exiſtere & ſubſiſtere, dum immediate non vnita ſic Deitati quam Verbo, dum Verbo ſubſiſtens, Deitate exiſtens non facile percipietur humanitas.

SVBART. IV.

Iuxta ſubtilem mentem nonnulla dilucidantur, & reſolvuntur, dum principaliter oppoſitis ſatisfit.

86 Reſolvimus vſque adhuc naturã humanã Chriſti, neque ab vnione, neque à perſonalitate Verbi, neque à Deitate fuiſſe formaliter ſanctificatam, eo pacto quo, ſervatis ſervandis, natura humana noſtra à gratia accidentali, quæ habitus gratiæ dicitur, formaliter ſanctificatur. Reſtat vero nunc nonnulla dilucidare, & nonnullis principaliter oppoſitis ſatisfacere.

87 Et in primis ſi Subtilium mentes conſulere velimus, inſimul, & in ſolidum conformes non invenientur. Poncius enim *dp.* 37. *q.*2.*cõcluſ.*3. reſolvit, quod à Chriſto D. gratia habituali præciſa, ſanctior, & vita glorioſa dignior foret, quam cæteri iuſti, & habitu noſtro gratiæ ſanctificati. Vulpes *tom.*2.*part.*4.*dp.*27. *art.*3. reſolvit, quod licet iuxta lineam ſanctificandi accidentaliter, foret regulariter habitus noſter gratiæ neceſſarius ſubiectivè in voluntate naturæ aſſumptæ ſub conceptu ſanctificantis, & gratum facientis, ſed tamen ſuppoſita gratia vnionis in linea ſubſtantiæ etiam gratum facientis, & ſanctificantis.

88 Noſter Aragonicus Rada 3. *p. Controv.* 4. *art.* 3. *not.* 2. quem placidus refert & amplectitur Maſtrius *dp.*2.*q.*1. *art.* 1. triplici gratitudine, Chriſtum Deo gratum poſſe dici, diſtinguit. Prima, eſt neceſſaria, & infinita, quæ Chriſti perſonam primo & per ſe reſpicit, & qua Pater æternus Chriſtum vt ſibi conſubſtantialem diligit, vtpote eamdem divinam naturam habentem. Secunda licet ſubſtantialis, & infinita, ad finitum tamen vtpote ad humanam naturam terminata, ac proinde ex hoc finito modo communicata, ſicque non iam neceſſario, cum liberum & pro divino li-

biro eſſe perſonale Verbi foret humanitati communicatum. Et dum dicitur Chriſtum ex vi vnionis eſſe ſanctum (inquit iuxta Radam Maſtrius)gratitudine perſonali, non eſt capiendum de perſona in ſe,nam ſic gratia eſt ex æterna generatione vt ſupra, ſed de perſona iam amplectente humanitatem, cui, ſubſtantiali communicatione ſanctitas perſonalis communicatur ex vi vnionis, quia Verbi eſſe perſonale humanitati communicatum eſt. Et hæc eſt gratia vnionis. Tertia dicitur accidentalis,quæ eſt participatio ſuperna diuinæ naturæ,qua noſtra eius fit particeps,& ſic ſuperne perficitur,& ad ſupernè habendum Deum proportionatur. Et hęc eſt gratia accidentis.

89 Deinde exponit Rada,quod licet tam gratia accidentis, quam vnionis conueniant in eo quod ſint effectus liberalis, & gratuitæ dilectionis Dei;differunt tamen in eo quod prima eſt formalis, S. per modum formæ actuantis,& eleuantis animam vt ſit diuinę naturæ particeps: ſecunda vero eſt perſonalis, quia bonum primo & per ſe datum humanitati eſt Verbi perſonalitas per modum termini. Deinde differunt, quia effectus primarius vnionis hypoſtaticę eſt tantum dare eſſe ſubſiſtens,ſanctificare vero humanitatem eſt effectus ſecundarius,ac proinde à Deo impedibilis. Unde exponit & Maſtrius, quod dum vnioni hypoſtaticę ſanctificationem ſancti Patres tribuũt,capiendi ſunt nõ in ſenſu formali,ſed cauſali, & diſpoſitiuo, prout ſaltim de congruo fuit cauſa & diſpoſitio,vt gratia animæ tribueretur. Vnio namque hypoſtatica ex ſua ratione formali & intrinſeca non habet naturam aſſumptam ſanctificare, quin ſolum eam Verbi ſuppoſito coniungere,ex qua coniunctione in perſona vtriuſque naturæ aduenit communicatio idiomatum, prout etiam id totum ex coniũctione ad Verbum in natura irrationali formaliter ſic adueniret.

90 Prædictam expoſitionem non reprobantes, quin ex principaliori forſam corroborantes,conſulimus Doctorem Subtilem, & maximè in 3.*diſt*.2.*q*.1. & 2.iuxta quem primo exponimus,quod ſi accipiatur gratia pro gratuita Dei voluntate,Deus(inquit Scotus) dicitur ex gratia operari omne illud, quod non includitur in natura rei,quin potius excedit naturę facultatem; quo modo, cum facultatem naturæ humanæ,excedat ſubſiſtere in Verbo,vnionem gratuite operatur, & ſic vales dici ex gratia ſumma;quia ſcilicet ſumma gratuita condeſcenſione cõfert naturæ illud, ad quod minimè poteſt ex ſe attingere, vtpote maximè illam excedens. Sed ſi intelligatur gratia pro habitu informante, licet gratia concomitetur naturam vnitam, non eſt tamen neceſſaria ad vnionem. Ita Subtilis in fine *quæſtionis* 2.

91 Ex quibus ſolum videtur deduci,quod gratia habitualis foret in natura humana Chriſti ad paſſum vnionis hypoſtaticæ, quin tamen ex vi vnionis intelligatur humanitas ſanctificata,cum ſolum formaliter ſanctificata,quia ſanctificata per gratiam,quæ ad vnionem ſequebatur, quod eſt ſolum occaſionaliter per vnionem ſanctificari. Quod etiam expreſſit Scotus in *quæſt*.1. §.*Ad Auguſtinum*, aiens: *Non eſt autem ſumma gratia habitualis ex vi vnionis in iſta vnione, licet de facto gratia concomitetur iſtam vnionem.* Unde innuit Scotus quod circa gratiam Myſterij aliter theologizare debeamus iuxta factum,ac iuxta id quod fieri potuit, vel fieri debuit,tam iuxta naturam ex natura rerum, quam iuxta diuinam volutionem.Hoc enim pacto gratiarum multiplex ſenſus percipietur, quem, prout ſtatim videbitur,nimis varium fateor.

92 Exponimus in primis omnem euentum Myſterij poſſe dici ſummam gratiam, quia liberaliter, & gratuitè eum patrauit Deus in linea ſupra naturæ vires habita, ac proinde ſummam gratiã fuiſſe vnionem illã, & coniunctionẽ cum perſona Verbi,& perſonã Verbi humanitatẽ terminantem, ſummam gratiã fore, necnõ naturã in ſigno impedıẽte propriam ſubſiſtentiam, ſumma gratia iam capiendam,& ſic in ſumma gratia capiendam, in ſigno in quo nulla gratiæ forma, ſeu per modum formę capiebatur, & ſimiliter in ſigno in quo omnem gratiam per modum formæ habuit,cum ſumma gratia habuiſſet gratiam. Ita Scotus,qui ſic exponit Auguſtinum dicentem 13.*de Trin. cap.* 19. *Quod eſt ſumma gratia in iſta vnione*, quem exponit Scotus, *Eſt ſumma gratia,quia ſumma gratuita condeſcenſio voluntatis.* Sic vbi ſupra *in quæſt*.1. quo pacto exponendi ſunt cæteri ſancti Patres dicentes in vnione, vel ob vnionem ſummam gratiam fuiſſe circa humanitatem.

93 Exponimus deinde, quod volente Deo,valuit perſonalitas Verbi ſic ſanctificare humanitatem, quod haberet ius ad gloriam &c. Ratio eſt, quia licet perſonalitas ſecundum ſe non ſit formaliter ſanctificans, tamen potuit Deus pro volnntate ſua decernere, quod digna foret gloriæ & donorum ſupernorum natura diuinę perſonalitati coniuncta, ac proinde ex diuino pacto poſito ſupra perſonalitatem ſtrictum deinde retinere ius, eo pacto quo iuxta Scotum tenemus gratiam complete & formaliter ex diuino decreto dare

re ius proximum ad dona beatitudinis.

94 Exponimus tamen, quod ſic ſanctificate poſſet potius quam de potentia ordinata, eſſe de abſoluta, eo pacto quo Deus per extrinſecam acceptationem valet aliquem ad gloriam transferre, ius ad eam non habentem, ſic ex vi vnionis ad Verbum proxime & formaliter ius ad gloriam non habente, poſſet Deus ex pacto ei gloriam & cætera præſtare.

95 Exponimus ergo, quod etiam ſuppoſita, & intellecta vnione ad Verbum, iuxta potentiam ordinatam non debemus tale pactum percipere. Ratio eſt, quia nec ex poſitione talis pacti haberet humanitas aliud, quam gloriam, & ſic formaliter & proxime dona, quæ quid creatum & accidentale foret, vt habitus amoris, & cæteri beatitudinis; ſed hos omnes connaturalius haberet ex poſitione habitus gratiæ; ergo. Maior eſt certa, cum Verbi perſonalitas ſecundum ſe formaliter nec poſſit informare animam, nec dimanare ab ipſa, quo elevetur intellectus, & quo charius incendatur voluntas, cum ſolum habeat phyſicè, pure terminare naturam in eſſe ſuppoſiti, ad quod natura integra in potentijs præintelligebatur. Minor ſuadetur, quia radicare habitus & alia dona ſummæ noſtræ perfectionis expeditiva proximè & formaliter competit gratiæ, attenta conditione ſuæ ſpecialis naturę; igitur connaturaliter pactum proximè relinquens ius ad gloriam, recto ſervato ordine, potius deberet eſſe in ea forma, ex cuius vi, & habitibus ab ea dimanatis actus ſupremi deducerentur.

96 Dices, quod iuxta ſententiam aulam, formaliter gratiæ habitum ſanctificare deſumitur ex pacto, quod tamen recte cadit ſupra phyſicum eſſe gratiæ, cum hæc ex ſe pulchre exigat nos facere participes eius cuius ipſa ſupernè fuit particeps; igitur cum vel vnio hypoſtatica, vel Verbi perſonalitas divini Verbi relinquat humanitatem participem, etiam de potentia ordinata debebat pactum de formali ſanctificatione cadere ſupra vnionem, vel Verbi perſonalitatem.

97 Exponendum non tenere, quia de potentia ordinata; & recto ſervato ordine forma, ſeu eſſe formale proximum debet cadere ſupra melius diſpoſitam & proportionatam materiam, qualis proximè non apparet perſonalitas Verbi reſpectu eſſe moralis formalis ſanctitatis, ac apparet gratia. Ratio eſt, quia perſonalitas Verbi ſecundum ſe, non eſt perfecta, perfectiſſima tamen ſecundum ſe eſt gratia; igitur ordine proportionis ſervato, potius ſupra entitatem gratiæ, quam perſonalitatis debuit Deus ſtabilire eſſe morale ex pacto ius proximum ad habendam, & exercēdam perfectionis lineam, & ex ſemine nativo vtpote gratiæ, fructus conſimiles gloriæ lucrandos, & per vniformes actus, ac antea radicatos in gratiæ viribus, habendos.

98 Deinde clarius, quia Verbi eſſe ab humanitate participatum non eſt in linea virtutis, nec operationis, ſed in linea ſuppoſitandi, & pure terminandi; ſecus autem gratię, quæ inſtar naturæ habetur vt radix potentiarum ſupernaturalium; igitur cum gratiæ quæ ſtabilit amicitiam, nedum debeat ponere poſſe eſſe à Deo dilectos, quin & eum poſſe diligere, idque potius debeat proportionate poni in radicante vires, id potius in gratia, quam in exanimi perſonalitatis eſſe debet adſtrui. Suadetur omne, dum natura irrationalis videatur capax vnionis ad hypoſtaſim Verbi, ita vt dum capax foret ad ſuppoſitum creatum, eo ipſo probemus capacem ad ſuppoſitum Verbi, quin aliquid obſtet defectus intelligendi, volendi &c. quæ ad vitam Spiritus, gratiæ & ſtrictæ ſanctificationis exiguntur; igitur in formalitate talis vnionis foret improportionatum relinquere recreationem, & elevamen naturę rationalis per gratiam & dona in ea radicata, quin potius in ea forma cuius non poteſt eſſe capax ea natura, quæ adhuc vnionis valet eſſe capax.

99 Dices, ſaltim Verbi perſonalitatem fore ſecundum ſe impeccabilem; igitur cum expellere peccatum ſit præcipuus effectus formæ ſanctificantis, ex hoc motivo iuxta proportionem entitatis perſonalis, conſonaret pactum ſanctificationis cadere ſupra illam. Reſpondendum in primis, quod pactum ex decreto ordinate proportionato ſemper deberet poni ſupra formam amplioris perfectionis, quare cum hæc foret illa, cui competeret nedum expellere malum, ſed introducere omne bonum, vtpote gratia, pactum huic potius conſonaret, melius ſiquidem foret ab illa forma deduci odium in malum, à qua deduci poſſet dilectio in bonum. Itaque cum recto ſervato ordine fruſtra fiant per plura, quæ exactè fieri valent per pauciora, impeccabilitate ex gratia pacto completa, cęterum otioſum haberetur.

100 Exponendum deinde, perſonalitatem Verbi non dicere impeccabilitatem, eo pacto quo gratiæ nunc impeccabilitatem adſtruimus; dicit enim propriè loquendo *non peccabilitatem*, eo pacto quo expoſuimus dicere non imperfectionem. Natura igitur Verbo perſonata præciſum ſtatum haberet circa peccabilitatem, & impeccabilitatem, vtpote

non peccabilis; & nunc impeccabilitas determinatius, vtpote ex poſitivo formæ, videtur exprimere peccati expulſionem.

101 Exponimus deinde, quod Deus poſſet de potentia abſoluta nullam gratiam humanitati Chriſti præſtare, nedum extrinſecam ex pacto cadente ſupra vnionem, vel perſonalitatem, ſed neque intrinſecam & per modum formæ, vt eſt regulariter gratia noſtra habitualis. Eſt etiam conformis Scoto *in quæſt.* 1. verſ. *Per idem poteſt dici*, vbi tenet, *Non tamen neceſſe eſt, quod ſi filius Dei eſt filius hominis, quod ille idem filius hominis ſit filius Dei per gratiam, forte enim negaretur de eodem determinatè.* Et ratio eſt quia eſto ex natura rei perſonalitas Verbi ex ratione formæ non habeat effectum, ſeu denominationem formalem ſanctificandi exhibere, habere debet aliunde, vtpote à divina voluntate; ſed ad extra nil eſſe poteſt quod divinum voluntatis actum neceſſario reſoluere queat; igitur adhuc terminante Verbi perſonalitate humanitatem, liberum fuit aliquod eam ſanctificans exhibere.

102 Neque exiſtimo hanc expoſitionem temere fore ab Angelicis videndam; quia violentius apparet, quod homini in gratiæ iure poſito, Deus valeat denegare gloriam, & tamen Illuſtriſſ. Godoy hinc *dp.* 21. §. 2. *num.* 39. concedit quod licet ex gratia tale ius ad gloriam habeat homo habens, eam valet Deus denegare, imò & illum in æternum punire; pariter ergo, inquit D. Godoy caſu in quo Deus humanitati Verbo hypoſtaticè vnitæ vitam æternam negaret. Nunc ſic, non minus videtur conſonum dare gloriam hypoſtatico ſubiecto, quam ipſi dare gloriæ ſemen, vtpote gratiam; ſed iuxta potentiæ divinæ libertatem valuit Deus gloriam denegare hypoſtatico ſubiecto tametſi in gratia foret poſito; igitur etſi hypoſtaticè intellecto poſſet & denegare quidquid foret gratioſum.

103 Exponimus deinde, quod Deus naturę ſibi perſonaliter vnitæ, debuit exhibere gratiam & cætera comitantia dona de potentia ordinata. Hæc expoſitio conformis eſt literaliter Scoto *in quæſt.* 1. verſ. *Ad rationem probantem*, vbi ait: *Deus natura vnita ſibi perſonaliter non poteſt de potentia ordinata non dare ſummam charitatem, & vlterius ſummam fruitionem.* Circa quod iam de facto inſpectum, & conſideratum.

104 Expoſuerunt aliqui ex Angelicis, gratiam habitualem, dimanare ex hypoſtatica vnione ad modum proprietatis naturalis abſque alia nova actione, ac vnionis productiva. Contra hanc expoſitionem exactè arguit Noſter Rada *controv.* 4. & Gallus *Præl. vn. dp.* 1. *ſec.* 2. apud Maſtrium *hinc quæſt.* 1. *art.* 1. Scotiſtæ vero nonnulli exponunt gratiam habitualem, cætera dona, & beatitudinem ipſam ſequi ex vnione hypoſtatica, neceſſitate quadam morali, & congruitatis, quę vim Deo non infert, quin talis ſequela abſolutè loquendo valet ab eo impediri.

105 Vulpes, prout iam notarat Maſtrius, maiorem & neceſſariorem connexionem ſtabilire videtur, cum exponat, ex communi lege, & regulariter loquendo, gratiam fore debitam vnioni hypoſtaticæ in ſuo ordine ſupernaturali, modo quo anima rationalis corpori organico; verumtamen ab illa non fluere phyſicè ſicuti calor ab igne, quin immediate à ſolo Deo produci, & quidem libere, ſimpliciter & abſolutè loquendo, & ſolum neceſſario ſecundum quid, prout talem neceſſitatem inferre ſolent leges iam ſtatutæ. Ubi Maſtrius vult conſequenter ad hæc dicere, quod licet Angelicis concedatur, ſic naturaliter gratiam ſequi ad vnionem, ac calor ſequitur ad ignem, adhuc talis neceſſaria ſequela impedibilis foret à Deo, ſicut impedibilis fuit caloris ſequela ad ignem, & ſplendoris ad Solem.

106 Exponendum eſt, quod ſupra iuxta Scotum, S, iam de facto intuentes humanitatem hypoſtaticè vnitam, ei iuxta ordinatam legem deberi gratiam habitualem, vno aut altero titulo, S, non phyſicè prout ex dictis manet, ſed moraliter ex pacto, verumtamen ſic, quod pactum, titulo congruentiæ, vel decentiæ, fore exhibendum vnio indiceret, ſivè proxime, ſivè remote aliquid in ſe habens fundamentum, nunquam neceſſitatis ſimpliciter, quin adhuc in linea morali, ſecundum quid. Quę, ſi audiamus Scotum, melius exponentur.

107 Subtilis Doctor vbi ſupra *in quæſt.* 1. adducens in contrarium illud, quod ſcilicet, ſi Chriſtus non foret formaliter impeccabilis ex vi vnionis, *Deus diceretur peccabilis, & damnabilis, & Diabolus &c. quæ videntur horrenda*: reſpondet, *Dico*, quod ſicut habens lumen gloriæ, & charitatem conſumatam non poteſt peccare, non quia iſta formaliter repugnent peccato, ſicut nec actus primus repugnat oppoſito actui, ſui actus ſecundi contingenter cauſabilis, *ſed quia de potentia ordinata, Deus non poteſt* (en impeccabilitatem ex decreto manutenenti) *non cogere ad actus ſecundos perpetuæ viſionis, & fruitionis*, qui actus repugnant peccato, ſic Deus naturæ vnitæ ſibi perſonaliter non poteſt de poten-

potentia ordinata non dare ſummam charitatem, & vlterius fruitionem, quæ excludit peccatum; & ſic ex hac vnione eſt impeccabilis, non formaliter, ſed virtualiter diſpoſitivè diſpoſitione remota, licet neceſſario reſpectu Dei agentis, ſicut neceſſarium eſt aliquem beatum non peccare. Hæc Subtilis.

108 Exponendum igitur, quod ſemel aſſumpta humanitate ad Verbi perſonalitatem debuit Deus ei dare dona quibus Deitatis foret perfectè particeps, eaque poſſet perfrui, iuxta normam aliquam habentis lumen gloriæ, & habitum charitatis, verumtamen ſervatis ſervandis, vt dicetur. Servat normam ex eo, quod dum aliquis habens lumen gloriæ, ſi Deus libere eum operari relinquere vellet, poſſet ponere actum contrarium habitui; ſic humanitas coniuncta Verbo, ſi Deus vt potuit, libere ſic eam relinqueret, nil haberet quo ſuperne operans, valeret expellere peccatum; & ſicut ſemel lumine gloriæ elevatus habet ſtatum, iuxta quem ſi de congruo attendat Deus, debet decernere illius conſervationem perpetuando ei dare viſionem &c. ſic ad vnionem Verbi elevatus habet ſtatum, iuxta quem congruè & ordinarie ſi attendat Deus, debet ſtatuere ei dare gratiam & alia dona, eaque ſicuti ſtatum perpetuare, vt ab eo ſic perfecto ſtatu nunquam decidat, & poſſit ſuperne operari.

109 Servatis tamen ſervandis, quia diſpoſitio, quam ponit Charitas, vt Deus iuxta eam ſtatuat perpetuitatem, eſt diſpoſitio proxima, necnon ex natura rei habens proportionem; quod enim facit ſecundũ ſe, Deum cõſumatè ſuper omnia diligere, ſecundũ ſe exigit proportionatũ retinere ſtatum, ita vt ad obligandum divinum perpetuitatis favorem nil phyſicum ſit aptius, nec proxime, nec ex natura rei. Similiter dicimus de gratiæ habitu, & charitatis viæ, cum hic habitus ſivè duplex, ſivè vnus ſit, ſit ſecundum ſe & ex natura rei pulcher, & phyſicè perfectus, necnon ſic proportionatus reſpectu charitatis patriæ, quod hęc ſit ex ſemine ipſo habitus viæ, ſicque ius intra proportionem habens, cum pręmium intra formam ipſam, & ſcopum merendi reperiatur. Qua propter præfatus habitus, nullo phyſicè proportionante eget, vt inferat ius ad gloriam, & priùs ad divinam amicabilitatem, quin ſolum eget divino acceptante, & ad proportionem decernente & pactante, ita vt morale hoc pacti immediate inſit phyſico habitus iuxta proximam proportionem ipſius.

110 Cæterum non ſic theologizandum de vnionis diſpoſitione, quia vnio hypoſtatica ſecundum ſe nil proximum ponit quod ſit gloriæ proportionatum; vniri enim Verbo ſubſtantialiter, nec auget, nec rectificat vires animæ, nec intelligendi, nec amandi facultates elevat, nec ſeminat aliquid, quod fructibus glorioſis vnivocè & proportionate correſpondeat, ac proinde ſi diſponat, non proximè, ſed remote, quod deducitur, quia non diſponit proportionatè, ſed æquivocè, non enim gloria eſt effectus ab ea vnivocè derivatus. Solum enim ſic gloriæ, quam gratiæ habitus moraliter æquivocè derivantur ab vnione, prout, S, ex decentia perſonalitatis dat regulariter & congruenter ocaſionem, vt Deus ibi ponat gratię habitum, qui proxime & proportionate ad hæreditatē diſponit, ita vt ſi decretum de danda hereditate cadat ſupra vnionem, ſit quia congruit & decuit ęquivoce, quod decretum de danda gratia caderet ſupra illam: ac proinde ius proximum manet in humanitate quia habens gratiam, & ius remotum quia habens vnionem, ita vt habenti vnionem congruat & deceat habere gratiam, & habenti gratiam deceat & proportionate congruat habere gloriam &c. Unde dicebat Subtilis, quod prædicta habebat ex tali vnione, *non formaliter, ſed diſpoſitive diſpoſitione remota.*

111 Expoſuimus enim æquivocè conducere, quia illa participatio perſonalitatis ſecundum ſe formaliſſime non eſt genuina pro natura intellectuali, cui ſolum eſt conformis linea ſuperne vivendi per viſionem, & fruitionem, hoſque actus radicandi per vitam, ſeu ſupernam animam, vt pote gratiam, quod enim æquè ſecundum ſe potuit competere non intellectuali naturę in ſpecialiori formalitatē habitę, non videtur genuinè competere oppoſitæ. Deinde, quia perſonalitas Verbi licet derivet ocaſionem, vt naturæ humanę vlterius detur gratia, tamen peculiare perſonalitatis fundans ęſtimationem moralem circa humanitatem deinceps illuſtrandam, non eſt potius proprium de linea veri, quam boni, &c. ſic, quin ſolum ex præeminentia moraliter in perſonalitate interpretanda, vagè & indifferenter cauſar moraliter decere, ponere, quæ magnifico perſonę non ſint obnoxia; quod æquivocè habetur cum iuxta genuinum principium, & formalem rationem perſonæ, ſola perſonatio & alia huic muneri propria, determinatè & vnivocè deducantur.

(∴)

SUBART.

SVBART. V.

Principalius oppoſitis ſatisfit.

112 OPpones 1. Aug. 13. *de Trin. cap.* 9. vbi arguit per locum à minori ſic: Filius Dei naturalis factus eſt filius hominis; igitur magis credibile eſt, quod filius hominis naturalis ſit gratia Filius Dei. Reſpondet Scotus *diſt.* 2. *q.* 1. *à* §. *Ad Argumenta*, verum eſſe, quod minus videatur, eſſe poſſibile Filium Dei eſſe realiter filium hominis, quam filium hominis per gratiam poſſe eſſe Filium Dei, & ideo ſi vltimum hoc videtur poſſibile, magis & primum; non tamen neceſſe eſt, quod ſi Filius Dei eſt filius hominis, quod ille idem filius hominis ſit per gratiam Filius Dei. Immò, inquit Scotus, nec conceditur (quod videbatur deduci ex argumento) quod Chriſtus ſit Filius Dei adoptivus; quare ſolum ſequitur ex cauſali, quod aliquis alius poſſet eſſe Filius Dei per gratiam, nam illa Aug. comparatio ad aliquam fiebat indeterminate, non ad iſtum, vel illum. Nec enim negamus illius vnionis comitem eſſe gratiam, nec de potentia ordinata datam, nec ipſi vnioni hypoſtaticę ſanctificare fore ex pacto impoſſibile &c. quibus Auguſtino ſatisfit.

113 Oppones 2. ibidem: vnio illa ad Verbum maior eſt noſtra gratiæ, & gloriæ vnione, quia ſecundum Aug. 13. *de Trin. cap.* 19. *In rebus per tempus ortis illa ſumma gratia &c.* igitur ſanctificante noſtra, aptius divina illa. Ad primum de comparatione duarum vnionum in ſe reſpondet Scotus, quod hypoſtatica eſt maior quantum ad actum primum, quia per eam communicatur eſſe perſonæ aſſumentis naturę aſſumptæ. Et etiam modo de facto, inquit Subtilis, hypoſtatica includit aliam, S, noſtram, quæ eſt ad actum ſecundum, & operari. Tum de poſſibili ſi vna ſeparata ab alia intelligatur, maior eſſet (inquit conſimiliter) quæ eſſet naturæ ad Verbum, vt ad terminum quantum ad actum primum, licet non quantum ad actum ſecundum, & eſſe beatificum, quia iſta potius in informatione & operatione habentur.

114 Dum itaque, Subtilis Doctor, quantum ad actum primũ maiorem eſſe vnionẽ hypoſtaticã deſignat, ſicque maximè ſanctificativã &c. tunc debet intelligi vnio hypoſtatica prout ſtabilit congruentiam, & occaſionem vt dona ſuperna tribuantur humanitati, ita vt remotè, & ſic occaſionaliter omnia excellat, eũ omnia cadant ſub illa, ita vt ſola illa poſſit inveniti, quæ tota illa bona deriver, ac proinde diſpoſitivè eſt primum dans originem, cunctaque ſic tradens, quin ante ipſam aliud primum inveniatur. Secus vero formaliter, intrinſece, & quoad actualem illuſtrationem animæ, & potentiarum &c. ſic. Sic vnionem hypoſtaticam, quantum ad actum primum, exponunt iuxta Scotum communiter Noſtri.

115 Deinde ad idem primo poſitum reſpondet Scotus dicens, quod ſi magis proprie loquendum ſit, debet dici, quod neutra vnio eſt maior alia, quia ſunt alterius rationis, & etiam quia ſimpliciter & neceſſario loquendo neutra includit aliam, cum ſecundum ipſarum formale eſſe poſſit abſolutè vnaquęque ſine alia eſſe. Unaquęque enim in ſua linea, ſumma eſt, & ſic quod licet iuxta diſpoſitum à Deo, non ſit hypoſtatica quin alia ſequatur vel ei comitetur, ex quo excelſior diſparatè, cum aliam tradat ſecum, tamen vnaquęque in propria linea ſic ſumma ſpecialiter eſt, quod formaliter excludantur, quin in aliquo communicent, hypoſtatica enim, nil habet perfectionis vnionis beandi &c. neque beatifica & chara quidquam habet perſonalizandi divinè, & ſic primitus quęcunque bona occaſionandi &c. & dum diviſim alloqui liceat, dico breviter, quod de facto, & ordinariè, melius foret alicui habere hypoſtaticam, quam iuſtificantem noſtram, cum haberet hanc, illam habens, & non è converſo. Abſolutè vero, S, ex ſuppoſitione habendi vnam ſolum, melius foret habere noſtram, ſicque beatificam.

116 Oppones 3. D. Anſelmum 2. *Cur Deus homo cap.* 10. aiens: *Si primus homo erat peccabilis, quia non erat Deus*; igitur ex iſta vnione ſecundus homo, ex qua erat Deus erat impeccabilis; ſed non erat impeccabilis, niſi quia ſanctus, & beatus &c. ergo. Ad Anſelmum dico (reſpondet Scotus ibidem) quod ſecundus homo, quia Deus, de congruo replebatur ſumma gratia, per quam eſſet impeccabilis, & eam ſic ſummam de congruo habere, non decebat primum hominem, quia non erat Deus. Non igitur ex vi vnionis hypoſtaticę ponit Anſelmus iſtam impeccabilitatem, niſi de congruo, dum ſcilicet ſic, vnionem hypoſtaticam concomitatur plenitudo gratię, per quam condigne, formaliter, & ſimpliciter reddebatur impeccabilis, gratus &c.

117 Inſtabis ex his principaliſſimè. Quia quomodolibet ſit, non poteſt negari quod ex vnione, & intimitate cum Verbi perſonalitate detur aliquod motivum, vt de potentia ordi-

ordinata ſancta debeat eſſe humanitas ſic aſſumpta, ita vt ſit aſſumptio radix moraliter derivans cętera dona ſuperna; & ſic quod ordinariè operans violentum foret non ſanctificare illam; igitur cum ſanctitas principaliter ponenda ſit in primo derivante & erigente lineam, licet ſancta foret etiam per ſubſequentes gratiæ habitus, non eſt cur principalius ex radicanti aſſumpto non foret ſtrictè ſancta. Confirmatur quia regulariter violentum foret iam aſſumptæ non præſtare dona cætera, quod igitur tale erat quod ei cætera ſuperne grata deberentur, videtur etiam tale fore quod ius ad gloriam, & mereri illam debeatur, necnon eſſe dilectum à Deo, vti gratiæ gratificantis ſubiectum. Neque ad ſanctificandum requiritur facultas proximè operativa, vt patet in gratia, quæ per habitus diſtinctos elevat ad credendum, & amandum; ſanctificare enim veluti naturę, & radicis eſt, ſicuti proprietates fundare; ergo.

118 Deinde, quia ſi obſtet, quod Verbi perſona, non dicat perfectionem, vt terminans formaliſſimè humanitatem, inde plus probabitur, quàm ab aliquo concedetur. Verbi namque perſonalitas, ſi quia vt terminans nullam dicit perfectionem, non perficeret aſſumptam, in hoc ſtrictè ſiſtentes, nec vllum relinquet fundamentum, vt naturæ aſſumptæ debeantur vlterius dona per quæ perficiatur, ac proinde perſonalitas Verbi nō fuiſſet convenientior quam feciſſet propria. Suadetur intentum apud ſtrictè negantes perfectionem divinis perſonalitatibus.

119 Dum namque ens dividitur in quantum, & non quantum, à rectè, & metaphyſicè theologizantibus, vt noviter & pugnaciſſimè exponit Maſtrius, in linea entis quanti collocātur omnes gradus in quibus datur exceſſus in perfectione, vtpote gradus ſpecifici, & de quibus ens quidditativè & in recto valet prædicari, quapropter omnium rerum ſpecifica ſunt in perfectionis quidditativa norma, vt numeri, qui vel exceſſi, vel excedentes ſemper ſunt. In linea vero entis non quanti collocantur omnes illi termini, inter quos non percipitur exceſſus ſecundum ipſos, quia cum prout ex natura rei vel virtualiter diſtincti à naturis, eas omnino reticeant, nil percipitur quo inæquales ſint, cum nec in obliquo ponatur natura, cuius eſſe ſapiant, ac proinde vt alterius membri à *quanto*, neque exceduntur, neque excedunt, & inde perſonalitates nec finitę, nec infinitæ, nec perfectę, nec imperfectæ, quia ſic, earum natura ignoratur, & nullatenus indicitur. His ita hinc, latius alibi à me expoſitis.

120 Sic ſumetur argumentum: Perſonalitas terminans humanitatem non ſanctificat formaliter, tam apud Subtiles, quam politiores Angelicos quia vt terminans cum ſit virtualiter, vel ex natura rei ens non quantum non dicit perfectionem; igitur cum etiam ex ratione entis non quanti non dicat exceſſum, vtpote neque eſſe excedentem (ex quo non valet dici infinita) neque eſſe exceſſam (ex quo non valet dici finita) non plus proficiet perſonalitas Verbi, quam proficeret propria. Etſi plus perfectè profit, iam ens quantum dicetur.

121 Huic argumento publicè à me propoſito, reſponſum fuit à noſtræ etiam opinionis Sectatore, non quanta dici Trinas perſonalitates, quia licet inter ſe, neque excedentes, neque exceſſę ſint, ſecus autem ad noſtras perſonalitates comparatas. Sed vrgebat inſtantia, tum iuxta conceptum entis non quanti, qui æquè debet competere quibuslibet non quantis, aliter dum conceptus quanti omnibus competit, non quanti conceptus æquè non competeret ſic, quin inter divina ſolum exauriretur, & ſic diviſio illa foret ex vno membro, S, quanto, phyloſophica; & ex alio membro, S, non quanto, foret ſolum theologica, & non traſcendens &c. Tum, quia ſic, non aliter attributa, non quanta dici poſſent, nam licet divina attributa cætera creata excedant, inter ſe tamen non exceduntur. Ergo.

122 Reſpondendum, & ab vltimis incipientes, dicimus, non poſſe negari veram eſſe doctrinam circa perſonalitatem Verbi ſimpliciter, & philoſophicè, & dum abſtractè, & formaliſſime concipiatur, aliter enim, ſequeretur quod vt erigamus & conſervemus vnam opinionem, ſimpliciter deſtruamus aliam, magis, vel æquè principalem. Verumtamen adhuc dicimus, quod ſecundum quid, extrinſecè, interpretativè & in eſſe moris, datur aliqua occaſio, vt ex decentia aliqualem eminentiam perſonalitati ſecundum ſe impingi interpretemus. Et fundamentum congruit ex eo, quod licet perſonalitas vt terminans, ſit abſtractè intellecta, & ſic in abſtracto terminet, quod talis terminationis nil competat Deitati, & ſic ſimpliciter & philoſophicè non plus præſtet humanitati purè & dumtaxat ſuppoſitandę, quām dumtaxat pura perſonalitas præſtaret; at non poſſumus non intelligere, quod illa formalitas, quæ ex parte abſtracti ſic habetur, nequeat realiter dicere identicam intimitatem cum Deitate, quæ identitas licet nil proſit exercitio prout philoſophicè habetur, prodeſt tamen vt aliqua excellentia interpretetur ſaltim remote,

te, ita vt diſtans præ cæteris aliquid moraliter impingatur, ſiquidem licet abſtractè, & philoſophicè æquales ſint omnes perſonalitates, de nulla tamen valet interpretari, & vere dici, quod *talis ſit abſtracta, quod talis ſit concreta*, & quod licet abſtractè, vt cæteræ, ſit; at ſic, quod abſtractum dum concernere poſſit, concernat infinitè diſtans ab alijs, ac proinde quod in alia linea poſſit conflare lineam, quam nulla poterit.

123 Igitur cum ſaltim remotè, & ſic ſecũdum quid præbeat occaſionem, quam ſic vt eminentius habeatur, & interpretetur nulla præbere nec remotiſſimè poſſit, iam congruet quod ex hoc quod occaſionat magis æſtimetur, & vt diſponat vt ex hoc motivo humanitati debeât præſtari aliqua dona, ad quæ ſic præſtanda in nulla natura noſtra decenter invenietur. Ut enim ex motivo prædictæ decẽtiæ debeãtur, id ſufficere videtur, quia licet Verbi perſonalitas abſtractiſſime conſiderata nil perfectionis teneat, & ſic phyloſophycè nullam, potiur quam cęteræ, humanitati præſtare valeat, at cum ad aliquid ex decentia præſtandum, ſufficiat eiuſdem perſonalitatis affinitatem habuiſſe, vel ſivè ſic, vel ſic poſſe cum Maieſtate habere, quam nulla alia perſona nec ſic habere valeat, ſat erit pręfatus affinitatis ſcopus, vt ex hoc decentiæ motivo (nota, quod motivum decentiæ, ſpecialiſſimum eſt, ita vt ex decentia ſpecialiter ſumatur motivum præ cęteris phyſicè cauſantibus perfectionem) aliquid eminentius congruere interpretetur.

124 Deinde ad primum principale reſpondentes, dicimus primo, verum eſſe, non poſſe negari Verbi perſonalitatem eſſe originem totius aſſumpti ſuperne illuſtrandi, at ſolum diſpoſitivè, & remote: & diſpoſitivè, non philoſophicè, ſed moraliter: & moraliter non vnivoce, ſed æquivoce vt ſupra expoſuimus, quibus & his exactè ſatisfit. Itaque cum Verbi perſonalitas vt terminans & concernens humanitatem, nil perficiat formaliter, ſed ſolum ex eo quod ſit, vel foret abſtractè non habita, & vt ſic non terminans, perfectè & excelſé habeatur, dicendum eſt, diſponere remotè ad humanitatis favores, cum ad eos ponat occaſionẽm, dum terminans abſtractè, ex quo haberet, non terminans & non abſtractè habita; igitur terminatio licet proxima decentiæ, remota tamẽ danti occaſionem, cum inter id, quod concretivè haberet, & humanitatem, mediet quod ſimpliciter & ex natura rei non habet, vtpotè abſtractè, & terminans humanitatem.

125 Deinde clarius reſpondentes, dicimus, primum in linea illa ſanctificandi forę Verbũm vt aſſumens, ſed cum vt aſſumens non habeat normam, quam gratia vt natura habet, vel ad proportionem naturæ debet regulariter habere, ideo in linea gratioſa non tenet conceptum ſanctificandi, vt prius in ratione naturæ, ſed vt prius in ratione diſpoſitionis, vt ſupra exponebat Scotus necnon prope finem *quæſt.* 1. dum ait: *Quidquid eſt in natura humana aliquo modo dependet ad eſſe Verbi.* Et ratio eſt, quia radicare vt natura, vni ſoli entitati competere poteſt in vna linea; igitur dum in linea incipiente à perſonalitate Verbi, ſoli gratiæ accidentali vt naturæ proportionatè ſanctificari competat, dum id detur humanitati ad poſitionem Verbi aſſumentis, Verbi occaſioni non rationem naturantis, ſed diſponentis competere debebit. Quod enim naturæ conceptus, & norma perſonalitatis aſſumptioni non competat, ex improportione cum effectibus, & ſupernis proprietatibus expoſuimus ſupra; ſcilicet regulariter, & proportionatè loquendo, nam de potentia abſoluta, vt etiam expoſuimus, valuit Deus decernere & ſtatuere ius ad omnia in pura Verbi terminatione, & in illa prima diſpoſitione, quæ modo & de potentia ordinata remota eſt, cum ius proximum ad gloriam ſtabiliatur in gratia, quæ mediat & ſequitur ad Verbi terminationem.

126 Nec valet quod primum lineæ, ſaltim moraliter, eſt ad modum naturæ, cum divina ſit primum radicans, & erigens lineam, nam licet verum ſit quod niſi perſonalitas Verbi terminaret, nil tanti boni ſequeretur, etiam eſt verum, quod ſi Deitas non daretur, perſonalitas illa tantum bonum non derivaret &c. Non valet, quia hinc primitas non eſt attendenda phyſicè, vel materialiter, nec theologicè in genere & tranſcendenter, ſed theologicè ſpecificè, & formaliſſimè circa ſtructuram propriam Myſterij determinatè, & ſpecificè intenti, & executi; quo pacto, quod primo movẽs debet intelligi, debet eſſe quod primo lineã Myſterij incipiens, quę enim extra illud reperiũtur prius, prius erant reſpectu Trini, ſecus reſpectu incarnati. Quæ doctrina ſuadetur à paritate defenſantium motivum principale actus fidei theologicę fore veracitatẽm Dei, quin obſtet veracem eſſe, quia Deus eſt; igitur primitas eſt in Deitate? Eſt in Deitate per viam ſcientiæ, non per viam fidei: necnon eſt Deitas primum phyſicè & materialiter, ſecus formaliter, & ſpecificè theologicè, &c. ſic, prout communiter plures. A ſimili ergo circa ſubiectam materiam.

127 Neque requiritur pro illuſtranda vt nunc

nunc humanitate, quod Deitatis plenitudo ſit norma & radicans ſcopus, quia prætterquam quod, graviſſimi ſaltim noſtrę Scholæ Auctores, teneant humanitatem fore incapacem ſubſtantialis ſanctitatis Deitatis, etiamſi vnionis immediatæ ad ipſam foret capax; adhuc capacitate in tali caſu permiſa, dicimus vt nunc, quod vt humanitati præſtaretur, quidquid præſtitum fuit, & vt eximiè præ cæteris deſignaretur, ſat foret & eſt quod ei præſtatur ex remota diſpoſitione Verbi, modo quo expoſuimus; cum ſic comitem ſemper habeat gratiam, eiuſque dona, & ex motivo ex quo nulli pręter ipſam habere deceat, vt diximus, ad hæc enim ſic habenda ſat eſt Verbi perſonalitas, iuxta illud ſpeciale morale quod propriæ ipſius formalitati impingitur, cum abſtractum ſit illius concreti, ſicque inſtar contactus extrinſecè interpretari debet &c. Sic enim dum nimis eam honorás Deus, ordine recto, & proportionato operatur, cum Chriſti humanitatem relinquat gratioſam vt noſtram, & ad noſtræ conditionem, & ex parte motivi ſupra opera manuum ſuarum, etiam dum operatur ad Verbi proportionem, ex perſonalitate non valente ad modum naturę inchoare lineam gratiarum, ſed ad modum diſponentis, & propria perſonalitate non perficientis (perfecta ſiquidem inſtar naturę non eſt) ſed præparantis.

128 Dices ſemper, nil rectius potuiſſe à Deo ſtabiliri iuxta ordinem ſuæ divinæ, & proportionatæ providentiæ, quam qood linea gratiæ, etiam formaliſſimè & vt ab intrinſeco radicanti derivaretur ex perſonalitate Verbi, vel ex vnione coniungente humanitatem cum ipſa, ſi enim benè attendatur, gratiæ norma ſtat in hoc quod Deo nos coniungat & ſic beatitudinis intentus ſcopus; ergo & melius in vnione quæ eſt maxima in donis, & in eſſe ſuo ſic perfectiſſima & elevata.

129 Reſpondendum, gratiam derivare coniunctionem, quia ex natura rei eſt ad modum naturæ, divinæ participatio, vt communiter exponitur; ſecus vero perſonalitas, neç perſonalitatis participatio; vnde Illuſt. Godoy *dp:* 21. *quæſt.* 7. §. 7. *num.* 178. reſpondet, quod non quęlibet coniunctio cum Deo eſt proportionara ad ſanctificandum formaliter, ſed ſolum ea quæ fit per aſſimilationem cum Deo in natura ſub conceptu naturæ. Neque obſtat quod ſit excelſa, cum phyſicè excelſior ſit viſio beatifica, ipſa gratia habituali, & forſan apud Angelicos, elevatius & perfectius coniungit animam divinę Eſſentię, & robuſtius vitat, & præocupat peccatum, & tamen vt textatur Godoy *à num.* 195. §. 8. non ſanctificat animam, apud veriorem opinionem. Sicque neque vnio Deitatis per modum ſpeciei, licet ſit maius donum quam gratia &c. ſic, quæ perfectioris lineæ adducit; ergo. Coniungit itaque perſonalitas, verùm inanimate, & extra ſanctificandi proportionem, abſque perſonalitate enim quacunque, poteſt cum gratiæ plenitudine eſſe natura humana beata, &c.

130 Ex dictis iam percipies Scoti doctrinam in ſupra poſitis verbis fundatam, necnon modum ad quem rectè Scotizantes eam defenſant, dum tam ad dicta ſanctorum Patrum, quam ad aliorum rationes ad ſanctificationem tendentes, ſatisfaciunt dicendo, perſonalitatem, & vnionem ſanctificare remotè, diſpoſitive, radicaliter, ac proinde ſic exigere ſanctitatem &c. Itaque licet de potentia ordinata exigat perſonalitas vi vnionis ſanctificare, necnon ab ipſa inchoetur ſanctificandi linea, ſic tamen quod non ſit exigens ad modum naturantis, ſed ad modum diſponentis, nec ſit radicans vt natura, ſed vt pręparans &c. & ſic quod ad ſanctitatem, quæ eſt formaliter vt natura, ordinetur, ita vt hæc ſit vltima, vt terminus formalis (puta gratiam) & illa licet ſit prima, ſed ab ea incipiens, vt à via, ſeu viam incipiente.

131 In horum expoſitionem adducam idem exemplar, quod ad intentum ſuum adducit D. Godoy §. 10. *num.* 241. Exigentia, inquit, moralis, quæ ad formaliter ſauctificandum exigitur, non ſolum ſtat in eo quod excludat priorem radicem, quin etiam ordinationem ad aliud, tanquam ad finem, quare licet actus contritionis exigat moraliter gratiam, & dona ipſam conſequentia, non dicitur in linea ſanctificandi radix moralis illorum; quia licet ea non præſupponat vt radicem ſui, neque præſupponat gratiam habitualem, ad illam tamen ordinatur.

132 Sic theologizabat D. Godoy, quo pacto penes lineam ſanctificativam, vt formam dicit ſanctificandi, & nos valemus theologizare, comparantes ſimiliter in ea iuitium ſauctitatis ex vnione hypoſtatica ordinatum ad gratiam, quę in linea ſanctitatis formalis valet eſſe terminus, & licet minor vnione in linea ſuppoſiti, maior autem in alia linea, S, in linea ſanctificandi formaliter, & per modum naturæ. Et ſicuti, ſupra cum Scoto expoſuimus, quod diverſimodè acceptę, adinvicem excedebantur, valemus dicere, quod diverſimodè acceptæ adinvicem ordinantur. Necnon dicimus, quod licet in ordine decen-

tię, gratia dicat ordinem ſupremitatis ad vnionem cum hypoſtaſi, ſecus autem in ordine ſtricto ſanctificandi. Ubi adverte, quod eſſe radicem ſolum, & finem in linea decentiæ, eſt eo ipſo, eſſe medium & diſpoſitionem inducens aliunde formam ſtrictam, & connaturalem in ſanctificando.

133 Quam plurima in Scoticam, noſtramque reſolutionem opponunt argumenta, quæ omitto, cum ex iam expoſitis, facile poſſint quæcunque à me viſa, diſolvi. Vide pro principalioribus Noſtrum Maſtrium citatum ſupra.

ART. IV:

An ex ipſo aſſumptionis modo, impeccabilis maneret humanitas.

134 PRæſentis Art. difficultas ſic elevatur, ſicuti elevatur à Verbo humanitas aſſumpta. Plura circa humanitatis defectibilem conditionem exagitantur à pluribus, S, an in humanitate aſſumpta repugnaret peccatum; & an tam habituale, quam actuale; an leve, quam grave; necnon an de facto & iuxta ordinatam nunc potentiam; an vero de poſſibili, & iuxta abſolutum & rigoroſum poſſe Dei; & horum quodlibet ſic, quod foret compatibile in ſenſu compoſito cum hypoſtatica vnione, hoc eſt, peccatum manere, vnione etiam perſeverante; an vero ſolum in ſenſu diviſo, ſcilicet, quod vnita poſſet expedite peccare humanitas, at ita quod ad poſitionem peccati deſtrueretur vnio, eo pacto quo habens gratiam habet potentiam proximam ad peccandum, ſic vero quod ad poſitionem peccati deſtruatur gratia.

135 De facto, nil reſtat reſolvendum à Catholicis Auctoribus, neque in ſenſu compoſito, neque in ſenſu diviſo. Nil reſtat in ſenſu compoſito, cum de facto & iuxta ordinatam potentiam, peccatum, non poſſit adeſſe, vbi adeſt gratia, & hæc aderat ſanctificans, vel quia ex ipſo modo vnionis ad hypoſtaſim ſubſtantialiter extitit ſanctificativum, vt tenebant Angelici; vel quia ex decentia perſonæ vnitæ congruit, præſtare humanitati gratiam habitualem, & conſequenter viſionem, & fruitionem, cæteraque dona peccati excluſiva, & præſervativa, vt tenebant Subtiles. De facto igitur, & iuxta ordinatam potentiam, nec fuit, nec cum tali addito, potuit eſſe peccatum, quia licet aliqui etiam defenſent, quod de potentia abſoluta inſimul cum gratia poſſit eſſe peccatum, vel quia ſolum opponuntur demeritoriè, vel quia licet phyſicè opponantur, divinitus non repugnant duæ ſic oppoſitæ formæ in eodem ſubiecto, verumtamen tale poſſe ſic, cum iam non foret iuxta ordinem nunc præfixum, ſemper ſalvatur bene, quod iuxta potentiam cum addito, S, ordinatam, non poſſit componi peccatum.

136 Neque reſtat aliquid in ſenſu diviſo, quia licet de facto habens gratiam poſſit in ſenſu diviſo habere peccatum, ac proinde ſic, & habens vnionem ſive diſpoſitivè remote ſanctificantem, vt Subtiles, ſive formaliter ſubſtantialiter, vt Angelici, poſſet in ſenſu ab ea diviſo habere peccatum, at iuxta ordinatum nunc à Deo, nec dividens humanitatem ab vnione poteſt poni peccatum, vel quia decrevit ibi ſemper conſervare dona expellentia, vel quia ſivè ſic, ſivè ſic, decrevit nũnquam deſinere, quod ſemel aſſumpſit; ac proinde iuxta nunc ordinatum, ſic debet theologizari, ac theologizarent alij, dum decreviſſet Deus, nunquam efficaciter deſinere illos, quos ſemel vidiſſet in gratia habituali conſtitutos.

137 Cum igitur principaliſſimum in hac difficultate notaverim fore controverſię ſenſum diſtinguere, cum ex hoc aliquorum vel imperita, vel odioſa dicteria deſumantur, ideo vt acrium cenſurarum impetus arceatur, ſtatum diſputationis diſtinxi, & infra diſtinguere connabor. Vel enim humanitas aſſumpta, ſivè Chriſtus capitur vt nunc eſt, vel capitur vt eſſe potuit, Chriſtiferam ſtructuram ſubſtantialiter ſolum conſervans? Si Chriſtus capiatur vt nunc eſt, capi debet, nedum cum gratia quæ dicitur ſubſtantialis & vnionis, quin debet conſiderari, vt habens plenitudinem gratiæ, & glorię, necnon ad præſentiam decreti efficaciter ſtatuentis conſervationem talis plenitudinis, ſicuti & ipſius gratioſæ aſſumptionis, eo quod ſic Deus pro hoc ſtatu ordinare vellet. Quo pacto inquirenda erit impeccabilitas, à quo vel ex quo procedat, vt ſic modus & gradus impeccabilitatis deſignetur, & diſtinguatur.

138 Si vero Chriſtus capiatur, vt capi poteſt, Chriſtiferi ſtatum quoad ſubſtantiam non dependens adhuc, poteſt capi dupliciter, vel ita quod Chriſtus ſolum haberet humanitatem Verbo vnitam, hancque præciſam ab omni penitus favore tam gratiarum, quam decreti præfixi; vel ita quod licet Chriſtus intelligeretur cum præfata gratiarum plenitudine, ſed tamen circa earum ſubſiſtentiam, nil firmius ſtabiliens Deus, quam quod ſtabilire

bilire voluit de alijs in gratię donis exiſtentibus. Et rurſus in quovis ex deſignatis ſtatibus humanitate conſtituta, valet attendi Deus, vel iuxta omnia ampliora iura ſuæ abſolutiſſimę potentiæ, vel iuxta omne quod poteſt attendendo ad iura rerum, vel congrua, vel condigna, vel iuxta hanc providentiam condigna, iuxta aliam congrua, & è converſo, aliter namque, ſolent aliqui implicari in terminis potentiæ abſolutiſſimæ, quod enim reduplicativè & cum hoc vel illo addito fieri eſt impoſſibile, ſi præciſo addito fieri valeat, tunc dici de nulla potentia fieri, abſolutè eſt implicatorium in potentia abſoluta, quia iam eſt additum potentię abſolutè.

139 Ut igitur à viris pure doctis probior, & rationabilior, vel Scoti, vel contrariantium opinio in reſolvendis pulletur, prędicta diſtinguere fuit opus, necnon alia quæ in curſu reſolvendorum ſubdiſtinguere utile præuoto, ut paſſionis fugata umbra, probabilioris rationis ſplendeat lux, ne turbine ignitorum fumigantis cordis carbonum, ſpiritus Subtilior damnetur. Dum enim Chriſtum potuiſſe peccare audiunt, inſurgunt damnantes Scotum, vel temere, vel ſcandaloſe, vel in pias aures allocutum. Verum enim vero, cum non deterreat ſententia, ſi non accuſet delictum, opprobiorum obliviosus & in Chriſto habitus, reſolutiones proponam, nullum ex prædictis ſenſibus relinquens, ipſique Scoti animæ germanis per ſubſequendos Subart. reſolvens.

SUBART. I.

Examinatur impeccabilitas Chriſti, ut ab omni ſuperno dono abſtracti.

140 Conſulto ſtatum Chriſti, qui pntuit eſſe, prius proponimus, quia cum præſcntis difficultatis controverſia ſit circa ea quæ fuerunt in Chriſti potentia, ex his, quæ nudè unita humanitas poſſet, clarè deducetur ex quo motivo nunc ea pnteſt, vel non poteſt; ſi namque nunc non poſſit, quę potuit in eodem ſubſtantialis unionis ſtatu, diſtinctè potentiæ & impotentiæ gradus & origo deſignabuntur, ut talis per ſe patet rudiori.

141 Reſolvendum, nec grave peccatum repugnare Chriſto in ſtatu ſuppoſito. Deducitur manifeſtè ex Subtili Noſtro, tam ex locis in quibus impeccabilitatem ex alijs principijs ſuadet, de quibus in proprio loco infra, quam hinc *diſt.* 2 *quæſt.* 1. *a.* 5. *ad Argumenta*, ubi Maximam fundantem noſtrans doctrinam proprius relinquit, exponens ſic repugnare peccatum unito hypoſtaticè, ſicuti habenti habitum charitatis in patria, à quo dicitur impeccabilis, quia de potentia ordinata non poteſt Deus ei non dare continuam fruitionem peccati formaliter expulſivam; *Et ſic ex hypoſtatica unione eſt impeccabilis* (inquit) *non formaliter, ſed virtualiter* (ut à charitate, diſpoſitivè habitualiter) *diſpoſitivè diſpoſitione remota*; igitur iuxta Scotum ſiccuti habitu illo nude capto, & cæteris donis abſtracto potentia proxima peccandi non deficeret, nec deficeret, hypoſtatica unione nude intellecta, & ſic abſtracta. Ibidem etiam clare id defenſat Scotus à verſ. *Per idem*, ubi ait, : *Verum eſt* quidem quod magis videtur Filium Dei poſſe eſſe realiter filium hominis, quam filium hominis per gratiam poſſe eſſe Filium Dei, & ideo ſi illud ſit poſſibile, magis iſtud: *non tamen neceſſe eſt, quod ſi Filius Dei eſt filius hominis, quod ille idem filius hominis ſit per gratiam Filius Dei.* En Chriſtum qui eſt, & qui potuit eſſe.

142 Probatur ergo reſolutio, & maximè probata ſubſiſtet ſi contrariantium inconvenientia repellamus. Si repugnaret in humanitate ſic poſita peccatum, vel quia neceſſaria erat gratia habitualis expellens, vel quia neceſſaria erat expulſio ex gratia unionis; ſed ex neutro capite repugnaret; ergo. Prob. min. quoad primam partem, quia gratia habitualis ſupponitur abſtracta; deinde quia ut diximus contra Enrieum in *Art.* 2. non fuit neceſſarium medium pro natura aſſumpta; & denique, quia gratię habitus non habet reddere ſubiectum proximè impeccabile; ergo. Prob. min. quoad ſecundam, quia gratia unionis (veris Thomiſtis alloquor in omnibus) nō valet ex natura rei magis opponi peccato, quam gratia habitualis; ſed dato quod in ſenſu compoſito non poſſit eſſe cum peccato, valet in ſenſu diviſo; ergo & unionis gratia, quamtumvis cum peccato oppoſita. Maior huius, examinabitur infra.

143 Illuſtriſſ. Godoy *tom.* 3. *Trac.* 11. *dp.* 41. *quæſt.* 15. §. 11. dicit, Quod claſſis unionis eſt ante omnem operationem, prout exponebamus cum Scoto contra Enrieum, ac proinde media operatione nec poterit unio cauſari, nec deſtrui. Deinde, ſecundo inquit, quod cum unio ex natura rei præcedat operationem humanitatis, omnis operatio erit poſterior humanitate unita, ac proinde pro inſtanti reali coexiſteret, ſicque cum unione coniungeret operationem peccaminoſam,

Contra, & vſque adhuc non reſpondetur formalitati argumenti ex paritate incompatibilitatis repugnantis ęquè gratiæ, ſeu dilectioni Dei ſuper omnia, quam vnioni hypoſtaticę in vno ſenſu, & ex hoc æquali, cur nō in alio? Equidem quia non ex natura rei impeccabilitas proxima in vnione, ſed ex pacto &c. Si namque ex natura rei parem oppoſitionem habeant penes actus, etiam penes poſſe, ſicuti enim contrariorum, eadem eſt ratio; igitur clare occurrit, quod dum vni manet poſſe, & non alteri, non ex natura rei, ſed aliunde, id eſt ab intrinſeco. Hoc enim principalius excitarat Scotum. Sed de hoc infra.

144 Contra in primum Godoy. Claſſis enim gratiæ noſtræ etiam de per ſe eſt ante operationem; tum quia habetur vt radix & per modum naturæ reſpectu habituum operantium, & de per ſe non ſtabiliatur ad potentias, ſed ad animam; tum quia etiam ſi ſit ad operationem vt habitus ipſi, nil iuvat Godoy, nam habitus ad peccatum actuale præcedunt, & de potentia ordinata ſunt de per ſe ante operationem noſtram, virtute meritorum Chriſti; & quomodolibet ſit, datur ſtatus in quo habitus eſt ante peccatum; ſed licet ſic præcedat, & deinde ſic, quod operatione noſtra crcari non minus repugnet, ac vnionem hypoſtaticam, tamen adeſt in nobis proximum poſſe cum illis, vt deficere valeamus, tametſi deſtructiva ſit; ergo & cum vnione. Confirmatur, quia ſi benè attendatur, vt per altum non tangeretur ab operatione noſtra, ſatis ſuperna erit gratia & quivis ſupra naturam habitus, & tamen poſſe retinet; ergo ſimiliter tametſi altior foret vnio.

145 Deinde, quia vel vnio hypoſtatica eſt talis conditionis quod dum ſecundum ſe eſt ab intrinſeco defectibilis, & deſtruibilis (ſic pręcavetur evaſio imminēs) poſſit deſtrui peccato, vel non deſtrui? Si deſtrui; igitur clare deducetur poſſe proximum in humanitate cum vnione; non enim minus ac in anima cum gratia. Si non; igitur ex motivo illo deſtruendi non repugnabit peccati proximè poſſibilis, ſuppoſitio.

146 Contra etiam in ſecundum. Quia quod ſubſiſtentia de per ſe ſit prior, non videtur obſtare, vt deſtrui poſſit, quin in inſtanti reali coexiſtat, vt patet in principijs in fieri entis naturalis, privatio namque de per ſe eſt prior ad formę poſitionem, & licet vere principium ſit, compatitur quod poſita forma recedat privatio. Tum in generatione vnius, & corruptione alterius, percipitur, quod vna forma deſtruat in eadem materia aliam, dum etiam æquè difficile ſit, quod id poſſit expēdi quin appareat quod vtraque coexiſtat in reali inſtanti, cum tamen vtramque inſimul non exiſtere ſit certius. Si ergo velint dicere, quod vtraque debet coexiſtere in reali inſtanti, dicetur, quod etiam dicetur idem de gratia & peccato abſque inconvenienti, quia ſi in exercitio expellendi talis coexiſtentia non obſtet de illis formis, quæ nec divinitus apud plures poſſunt exiſtere in eodem ſubiecto, dum de conſimiliter repugnantibus conſimile diceretur, non obſtabit.

147 Deinde, quia licet regulariter natura non ſit accidentata niſi prius ſuppoſitata, tamen apud Divum Bonaventuram ſupra traditum à Gaudentio *in Art.* 2. in caſu naturæ aſſumendæ, potuit in priori ad aſſumptionem habere habitus ſupernos, vt habuit, necnon operationem in ſententia aliorum; igitur licet regulariter etiam poſt operationem ſubſiſtat, poſſet tamen deſini in ſubſiſtendo, dum primo male inciperet in operando. Tum ipſe D. Godoy increpans ſolutiones Vazquez, & Diſcipulorum eius, vrget eos *nu.* 288. dicens, Quod ſicuti Deus libere conſervat voluntate abſoluta vnionem hypoſtaticam, & poſſet libere libertate cōdicionata, S, ſub conditione alicuius actus eliciti ab humanitate, & ſic etiam poſſet ſub conditione actus pravi, vnde vult id fieri poſſe, niſi aliunde ſumatur peccandi impotentia.

148 Nec quidquam obſtabat aliud, S, non poſſe quidquam agere in vnionem hypoſtaticam; voluit enim Deus vniri ad ſolum hominem in concreto poſitum, hoc eſt ad totum hominis, vel ad tertiam entitatem ex partibus vnitis reſultantem, vt Subtiles defenſant, in vno enim vel altero modo, qui peccando poſſet occidere hominem, & peccando poſſet deſtruere Chriſtum; ex hoc igitur motivo, non contradiceret quod & ipſe vnitus homo poſſet ſe Chriſtiferum deſtruere. Inſiſtet D. Godoy in eo, quod ſemper Chriſtus, ſeu humanitas vnita diceretur peccans. Contra, quia licet peccatum non minus pugnet cum gratia, non obſtat vt homo gratus ſit deficiens, vſque enim non defecit, gratus eſt, poſito in facto eſſe defectu, inſimul in facto deponitur gratia; ergo à ſimili, dū Chriſtus deficiendo incipiat, & poſito defectu deſinat. Dices, quod agere de per ſe foret ſuppoſiti in Chriſto, at non foret hominis vt grati. Contra, quia quod factum pravum non foret ab habitu gratiæ, nil minus obſtaret vt ipſa gratia maneret incompatibile & oppoſitum, ac ſi foret ſuppoſitum, ſeu ratio ſuppoſitandi, vt Angelici concedent, &

infra

infra ſuadebimus ; igitur nil , ex hoc quod ſit ſuppoſiti , obſtabit in fieri Chriſto , dum in facto non inſit. Quod enim gratia non poſſet influere , nil obſtaret vt plus ex eo imputaretur , dum perſeveraret ; imputatio enim facti eſt , ſicuti ingratum eſſe. Dum enim fit peccatum,non eſt ablata gratia, ſed auferetur, non enim actio , ſed terminus qui actus repellit. Sed de iſto poſſe, inferius fiet exactè, præterquam hinc Godoy loquitur dum actiones ſint ſuppoſitorum modo Thomiſtico, de quibus infra.

149 Et tam pro dictis, quam pro dicendis, maximè adverto, quod circa Chriſti ſuppoſitam ſtructuram, intendo loqui in caſu cuiuſvis opinionis probabilitatis chatholicæ, quia ſi in talibus nil temerum fit ſtabilitum, nec aliquid ex ipſis temere ſuadebimus circa Chriſtiferæ ſphæræ poſſibilitatem , vt patere videtur. His ita pro nunc

150 Illuſt. Godoy cum reſponſiones ad primum tam Lugui , quam Vazquez,& aliorum, vt in Nos inſufficientes expulerit, ſignat rationem , & motivum, vt nec divinitus poſſit adhuc deſtruendo vnionem , peccare humanitas.Et ipſi principalior fundatur in eo, quod ſi peccato etiam deſtruente vnionem poſſet peccare , non poſſet dici impeccabilis abſolute, vt ob idem non dicitur iuſtus nunc abſolutè impeccabilis , & ſancti Patres humanitatem ex vi vnionis impeccabilem manſiſſe dicunt. Alias deinde addit rationes de quibus deinceps.

151 Contra, & in primis SS. Patres loquuntur de rebus poſt tempus ortis, vt Auguſt.13. *de Trin.c.19.In rebus per tempus ortis illa ſumma gratia &c* videatur Aug.etiam 10. *Civ. c.* 29. quem ſic genuine Scotus habuit *quæſt.*1. Adducantur nobis aliqui Patres,qui de Chriſto vt hic ſuppoſito alloquantur,quin omnes de Chriſto vt nunc orto; ſed Chriſtus vt nunc ortus ſivè virtute vnionis ſit impeccabilis formaliter & ex natura rei , ſivè radicaliter & ex decentia &c,ſic fuit pro adæquato ſuo ſtatu impeccabilis , quod nec peccato deſtruente vnionem poſſet per vllam potentiam proxime peccare ; igitur cum id Scotus admittat,& ſivè ſic,ſivè ſic, in vnionem reſolvat , dum ſic nullus iuſtus impeccabilis maneat,nunquâ ſpecialis impeccabilitas à Patribus poſita , opponetur humanitati iuxta ſuppoſitionem noſtram,nec à Patribus ſic attactam.

152 Confirmatur ab exemplari. Decuit enim quod nunquam dimitteret Deus, quod ſibi intimiori modo ſemel aſſumpſit , vt Chriſtus maneret in æternum , ita vt virtute vnionis cōgrueret talis humanitatis ſtabilire permanentiam,ſecus autem ex eo motivo decernere eam pro cęteris.Subiaceret nunc controverſię , Chriſti permanentia , vel Chriſti beatitudo ; Scotiſtæ reſolveremus,Chriſtum potuiſſe non eſſe beatum , vt poſitum in prima ſuppoſitione,quia ſtabiliremus talem humanitatem Chriſtiferam,quæ potuiſſet libere à Deo diſſolvi etiam ſine peccato , & perpetuitas eſt beatitudinis irrefragrabilis conditio; nunc ſic, hæc propoſitio: *Chriſtus poteſt iuxta aliquam potentiam non habere beatitudinem*,temeraria foret, quia nunc ſancti PP.incunctanter dicant,Chriſtum non potuiſſe ammitere beatitudinem pęrogativa vnionis? necnon temerarium, *beatitudinem potuiſſe deficere, deficiente Chriſto*, quia Patres abſolute nunc dicunt indefectibilem, necnon, quia ſi deficiente Chriſto deficere poſſet , non eſſet abſolutior alijs , quibus deficientibus poſſet etiam beatitudo deficere ? Equidem extra cordis Scholam, pulſet libera & docta mens, & id poſſibile ſupra elatiorem Patrum ſenſum abſque levi contradictione intuebitur.

153 Nec obſtabit ſi inſtes,Patres dixiſſe quod ex vnionis prærogativa humanitas erat abſolute impeccabilis;igitur cum etiâ in humanitate ſuppoſita,vnio daretur,& daretur ex prærogativa impeccabilitas.Non obſtat revera,nâ dum Deus ex decentia vnionis decernere voluiſſet,vt libere voluit, manutenerē humanitatem , bene ſalvaretur quod humanitas erat abſque potentia expedita ad peccatum, quam impeccabilitatē iam infallibilem cum non haberet niſi ex eo quod vnioni decebat, etiam bene ſalvaretur quod ex prærogativa vnionis ſiſtebat impeccabilis , tametſi congruentia prærogaret,id, quod tamen non habuiſſet,ſi talem congruam prærogativam non teneret. Neque enim prærogativę,& cæteraſ quæ favori congruût, neceſſario præmiunt libere largientem,quin ſolum leniter movent; & ſine obligatione ſuadent,ita vt licet deceat motivum , vt huic præ alio faveat , veruntamen ſemper favor ; ſupra quem fundatum decretum,vrget inde neceſſitas. Vide impeccabilitatem revera infallibilem , & ex pęrogativa vnicam. His ita

154 Deinde ad Patres addit D. Godoy rationem ſibi fundamentalem , qua evertere intendet maiorem propoſitionem diſcurſus noſtri In initio huius Subart. poſiti, S, quod ex natura rei ſic opponitur gratia, & charitatis actus,vel habitus cum peccato,ac hypoſtatica vnio.Aiet enim ex doctrina quam tradit in *num.*295.non tenere , quia ſanctitas ex conceptu ſuo dicit oppoſitionem,diſtātiam,& elonga-

elongationem à peccato, ac proinde ſumma ſanctitas maiorem elongationem ab eo; igitur cū gratia vnionis ſumma ſit, ſummā dicet elōgationē; ſed elōgatio nedū ab actuali peccato, ſed etiam à potentia peccandi maior eſt; igitur ex vnionis gratia, hæc etiam elongatio ponenda erit in humanitate. Summam, & infinitam hanc ſanctitatem vult ab humanitate participari à Deitatis ſanctitate, quæ talis eſt ex ſe, quod in nullo ſenſu potentiam peccandi relinquat, ac proinde nec in ſenſu diviſo.

155 Sed contra, quia dum in ſenſu diviſo, modo ſuppoſito, vel ſuppoſibili ſolummodo admitteretur peccatum, ſemper ſplenderet maior elongatio à peccato in Chriſti humanitate, quam in alijs; ſed dum ſupra ſanctitatis noſtræ elongationem, humanitatis ſanctitas ſplenderet, ſupra nos haberetur, & haberi ſic ſufficeret; ergo. Maior in qua eſt difficultas, ſuadetur. Quia dum Chriſtus peccaret, deſtrueretur Chriſtus ad peccati præſentiam, necnon ſic elongaretur humanitas à peccato per omnium vnionum diſſolutionem, quod nil eius maneret, & etiam nec maneret peccatum, cum nullum maneret in quo maneret, quo pacto nimis ſplendeſceret talis ſanctitatis vigor præ ceteris, cum è virtute ſuæ perfectiſſimæ conditionis ab omnibus elongaretur, & eodum à peccati forma, ſed & à ſubiectis in quibus incepit fieri &c. Deus enim ipſe maioris ſanctitatis ſplendet, quia ex ſuppoſitione peccati deſtrueretur, dum non deſtruitur homo; ergo.

156 Contra deinde (& hoc mihi principaliſſimum) quia ſi benè attendatur non minus opponitur gratia ex ſe peccato, quam vnionis gratia (omnem poſſibilem ſuppoſitionem præ oculis habeo). Suadetur, quia ſicuti implicat quod exiſtente ſeu perſeverante vnione poſſit eſſe peccatum, etiam in veriori ſententia Thomiſtarum, vt teſtatur Godoy, implicat eſſe peccatum dum ſit gratia, deinde non minus repugnat quod habitus gratiæ influat in operationem peccaminoſam, quam quod ipſa gratia vnionis, & ſic, non minus à potentia gratioſi habitus diſtat actus malus, quam ab vnionis potentia; igitur quia poſſe proximum, penes quod vnio excellit gratiam, non ſtat penes maiorem oppoſitionem cum peccato in poſſe vel non poſſe illud, ſed ſolum ſtat in eo quod vnio exiſtat, dum poſſit non exiſtere gratia; ſed ſic eſt, quod poſſet Deus, vt retigimus, ſub contingenti ęquè ac gratię decernere vnionis exiſtentiam, prout potuit iura gratiæ noſtræ, ſtabilire in vnione corporis ad infuſionem animæ; igitur quia poſſe, non eſt maius ex oppoſitione ad peccatum ſecundum ſe in vnione, ſed ſecundum liberam Auctoris naturæ, & gratiæ voluntatem.

157 Confirmatur, & exponitur intentum, quia ſi Deus decreviſſet, vt potuit, quod in homine iuſto peccatum non deſtrueret gratiam, niſi deſtruendo hominem, & alias Deus vitæ hominis ſtatum huius noſtri firmitate decreviſſet, vt nunc decretum eſt, manifeſtè homo haberet ſic gratiam, quod poſſe proximum ad peccandum non relinqueret; ſed formaliſſimè non differret, nec foret illa gratia maioris vis ac eſt, nec peccato ſecundum ſe maiorem diceret oppoſitionem; igitur quod nunc compatibile ſit poſſe cum ipſiſſima, & compatibile non ſit cum gratia vnionis, non ſtat formaliſſimè ex maiori oppoſitione ſecundum ipſa, ſed aliunde ſic, quod iuxta providentiarum libertatem divinam, poſſet gratia penes non poſſe, habere ſtatum gratiæ hypoſtaticæ, & hæc habere ſtatum gratiæ habitualis.

158 Confirmatur, & vrgetur, quia vſque adhuc vis & norma contradictionis non metitur ex conſiſtentia extremorum, quia quod difficilius deficere poſſit calor ab igne, quam frigus ab aqua non elevat oppoſitionem, vt non elevaret, ſi ſic difficile deficeret frigus ab aqua, ac calor ab igne; ſic enim exigentię ſtricta formalitas ex contrario non minuitur, ob maiorem propriorum actuum ſtabilitatem, vt patet in aqua quæ ſic fortiter exigit defectibilem frigiditatem, ac ignis indefectibilem calorem, quod enim ignis poſſe proximum non relinquat, nil iuvat vt oppoſitius habeatur, ac haberetur non relinquens, vt patet in aqua, & pateret ſi defectibilem calorem haberet in contrarium; non enim minus opponitur peccatū Deo, ac Deus peccato, quia iſtud defectibilius habeatur; ſic amor vnius diei, & odium alterius intrinſecè ęquè opponuntur ac amor & odium totius æternitatis, ita quod conſiſtentia aliunde ſumatur, vt ſumebat Scotus beatitudinem penes conceptum formę, & ſtabilitatis; igitur penes maiorem oppoſitionem & elongationem à peccato intrinſecè & formaliter, non aliter theologizandum de vnionis gratia, & de alia, & maximè *dum materiale ex quo reſultat maior vel minor ſtabilitas, æquè accidere valuit* reſpectu vniformis principij, S. divina voluntas à qua derivatur.

159 Deinde contra rationem ex Deitate deſſumptam ſi arguatur, quod ſi quia eſſentialiter Deitas opponitur nedum actui, ſed & potentiæ peccandi, humanitas manet etiam pe-

penes poſſe impeccabilis; igitur cum Deitas nedum opponatur potentię proximæ, ſed & remotæ, etiam remotè manebit humanitas impeccabilis: reſpondet Godoy, non teneri, quia potentia remota eſt humanitati eſſentialis, & ſic non poteſt tolli; potentia autem proxima poteſt tolli, quia humanitati eſſentialis non eſt.

160 Contra, & in primis poſſet ex tali dicto Godoy inferri, quod nec de facto Chriſtus Dominus ſit ab intrinſeco impeccabilis; igitur ſi abſolutè poſſit dici de aliquo, quod intrinſecè poteſt de ipſo dici, dici Chriſtum ſic nō fore impeccabilem, nec foret ſcandaloſum, nec erroneum, ſed de hoc poſtea. Deinde licet humanitas ſit peccabilis ab intrinſeco, dum ei, licet ab extrinſeco impeccabilitas ponatur, ſi firmiter ponatur, optima methodo ſtabilietur impeccabilis, vt apud Godoy; ſed Chriſtus nunc exiſtens à primo ſui eſſe, licet peccabilis ab intrinſeco, apud Scotum ab extrinſeco tametſi ſolum impeccabilis, verùm ſic firmiter, quod non poſſit ab extrinſeco firmius, cum nil efficaci decreto valeat ad extra eſſe efficacius; ergo.

161 Dices ita eſſe, ſemel poſito decreto ſupra peccabilitatem intrinſecam humanitatis, at ponere decretum cum foret contingens, poſſet, eo non poſito, humanitas proximè peccare. Contra, quia etiam fuit contingens ponere vnionem, ſicuti apud nos ponere decretum; igitur ſaltim deducetur, quod eidem numero humanitati, quæ nunc eſt Verbi, potuit convenire poſſe proximè peccare, ac proinde quod impeccabilitas proxima ſit ex contingenti conveniens, ex contingenti ſiquidem fuit vnita.

162 Dices, non poſſe id negari, dum non poſſit negari, quod non minus contingens ſit apud eos decretum vniendi, ac apud nos decretum manutenendi, at apud eos nunquam foret contingēs Chriſto poſſe peccare, quin ſolum humanitati; apud nos vero etiam Chriſto contingens foret, cum Chriſto contingenter cōveniret noſtrum decretum. Contra, quia peccabilitas nunquam potuit convenire Chriſto niſi ratione ſolius humanitatis; igitur ſicuti eamdem numero humanitatem, quę nunc eſt in Chriſto, potuiſſe peccare non inconvenit, quia peccare non poteſt humanitas eadem prout eſt, potuiſſe peccare Chriſtum qui potuit eſſe, non inconveniet, dum peccare æquè non poſſit Chriſtus qui eſt.

163 Dices ſemper horrere magis, dicere Chriſtum ex aliqua ſuppoſitione potuiſſe peccare. Contra, quia ignaris non minus aborrebit audire, potuiſſe peccare, eamdem humanitatem quæ eſt in Chriſto; & fuiſſe in ſtatu (in priori etiam ad ſubſiſtentiam Verbi) in quo potuit in ęternum damnari eadem humanitas Chriſti, quę nunc glorioſa ſemper exultat; doctis vero nulla ex hoc erit pavoris occaſio, cum iuxta varios ſtatus, quæ evenire potuiſſent, diſtinguant. Itaque radix in quam apud eos reducenda eſt impeccabilitas, ſemper eſt contingens, quia reducenda eſt in contingentem vnionis poſitionem; igitur in contingens peccabilitatis impedimentum.

164 Dices ſemper, quod nunquam foret apud eos peccatum in Chriſto. Bene eſt; prout nunc defenſamus, nec vnquam foret apud nos. Suadetur, quia ex eo quod contingens fuerit humanitatem eſſe vnitam, potuit in ſenſu hoc contingenter diviſibili ab vnione habere peccatum, quia ſcilicet potuit non produci vnio; igitur cum ſic humanitas vnita, contingenter ſit continuata, potuit in ſenſu diviſo ab ea poni peccatum. Si namque, potuit eſſe peccatum in ea, ex quo potuit non eſſe in Chriſtiferis incipiens, & potuiſſet eſſe ex quo non foret in Chriſto deſinens prætérquam aliter dicendum de Chriſto non manutento, ſicuti & de humanitate non vnita. Si dicas, quæ in initio Subart. ea quæ ibi, opponam. Sed de his infra.

165 Dices adhuc, quod cum Chriſti, qui potuit in alio ſtatu eſſe, omne quod pertinet ad ſubſtantialem ſtructuram, habeat Chriſtus qui nunc eſt, ſemper ſequeretur, quod dum poſſet peccare ille qui eſſe potuit, ex pura ſtructura & abſque addito competeret huic. Non obſtat, quia ſi bene attendatur, idem, vel conſimile de hac Chriſti humanitate dicetur, cui nil nocet, quod ei competat iuxta puram ſtructuram humanitatis, quidquid abſque addito ſubſtantialiter competeret prout potuit eſſe in alio ſtatu. Neque nocere debet non conſtruere Verbo aliam humanitatem vltra poſſibilem, ſi enim poſſibilis foret, indecens foret eam in eo intimam non ponere; ſic enim ſi poſſibilem in quovis nudo ſtatu, alterius conditionis inveniremus Chriſtum, eum ſic non percipere odioſum; ſed non eſt vltra poſſibilitatem pietas. Præterquam quod, non eſt impius favor ex divino amore, & apud nos ſi Chriſto non faveat plus Deitas, quia non poteſt; favet, quidquid poteſt, divina voluntas.

166 Dices, non poſſe negari, quod Chriſtus, prout ab Angelicis in omni ſtatu poſitus ſit perfectioris numinis, tametſi Chriſtus vt poſitus à Subtilibus, in hoc ſtatu tanti ſit, ſed

non

non in omni. Neque id obſtet Subtilibus. Cõvincitur, non obſtandos. Quia ſic, Chriſtus vt poſitus ab Enrico, & ab Alenſi deberet potius poni ab Angelicis, quam qui ponitur; ergo. Prob. quia talis ponitur, quod ex ipſa gratia vnionis neceſſariſſimè habeat vim phyſicam omnium habituum ſupernorum, necnon viſionem & fruitionem ſupernam, ita vt ſemel Chriſto, non poſſint hæc ei deficere; necnon apud alios huius temporis Auctores, Chriſtus ſic ponitur, quod ipſa perſonalitas nedum moraliter, ſed phyſicè eum ſanctificet, ſummeque perficiat &c. quę Chriſtiferæ ſtructuræ, maioris perfectionis forent, ac quæ reſolvitur ab Angelicis, tam ex perſonalitate, quam ex modo perficiendi, cum Angelici nec ex vi vnionis neceſſario *beatum*, nec ex perſonalitate *bonum* erigant, quin nec *adorabilem* apud Godoy *tom.2.tract.5.dp.21.q.7.num.240. necnon* §.2. *num.39.* erigit Chriſtum, qui de potentia abſoluta poſſet in ęternum puniri; igitur cum modi de Chriſto vt ſupra poſiti perfectionis numinis profectò ſint, ipſi deberent venerari potius ab Angelicis, dum poſitum ab Angelicis, velint potius venerari à Subtilibus; & maxime dum Godoy *num.240. nec veneratione dignum*, in aliquo vero ſenſu teneat pro viribus.

167 Dicent ſtatim, ad eos quę ſtatim nos dicemus ad ipſos. Dicent enim, perfectius numen non poſſe negari ex poſſibilitatis ſuppoſitione, ſed tamen talia fore impoſſibilia reſpectu humanitatis neceſſario; ſat enim eſt, quod prædicti favores &c. ſint ex voluntate libera Dei, à quo nil debet auferri, vt quę non debentur ſic, humanitati pręſtentur &c. Bene eſt, videte tamen ſi paſſu quo reſpondere debetis pro Chriſtiferis ſtructuris perfectiſſimis ad dicta aliorum, poſſimus & reſpondere vobis pro illa à vobis formato. Etenim nil amplius dico hinc, quia nil dicetis, quæ dicere non poſſim.

168 Tum etiam dum inſiſtere velitis, quod ſivè ſic, ſivè ſic Chriſtus ex propria ſtructura poteſt apud nos habere peccatum, videte quod perfectio foret Chriſti ſtructura qui nullo modo poſſet habere peccatum, & dum ſtructura vnitæ humanitatis ſalvetur in natura humana, vnione, & perſonalitate Verbi formaliſſimè captis, ſicque nil vltra dicens, cum ſic Deitatem non involuat, D. Godoy ſupra in §. 8. *num.* 195. permittit, quod perſonalitas Verbi non pugnet eſſentialiter cum peccato actuali, & apertè concedit non pugnare cum habituali; & ibi non recurrens ad ſenſum diviſum, vt videri poteſt. Attendite, quo pacto valeatis impugnari, dum ſenſus verus, & realis conſideratio vrgeat, vt Chriſtus ſivè ſic ſivè ſic non valeat repellere peccatum. Perfectius ne non foret? Piæ vbi ſunt aures! &c. ſic. Sed, vt dicebat Tiberius, *in convitijs nemo citius reſpondet, quam qui nil.* His ita

169 Venio deinde ad rationem fundamentalem Godoy, ex qua reſpondere volebat, potentiam remotam ex Deitatis participatione non auferendam, etiamſi proximam removendam. Contra arguo ſic: licet Deitas ab intrinſeco ſit indefectibilis, tamen humanitatem ab intrinſeco defectibilem (defectibile hic ſumitur pro eſſe ex nihilo, deſtruibili &c. ſic) nedum remote, verum nec proximè indefectibilem formaliter relinquit, etiamſi Deitas ſecundum ſe elongetur à potentia proxima, & remota deficiendi; igitur & ſi ſecundum ſe ſit ab intrinſeco impeccabilis, nec proximè impeccabilem humanitatem relinquet, etiamſi ſecũdum ſe elongetur à potentia remota, & proxima peccandi.

170 Neque valebit hinc commune effugium Godoy, S, ex incapacitate humanitatis, ad vnum & non ad aliud, vt inquit ad paritatem immenſitatis, infinitatis &c. quibus à Deitate, non minus immenſa, quam impeccabili, non afficitur. Non enim valet hinc, quia ex parte humanitatis datur capacitas vt proximè & ab extrinſeco ſit indeficiens, cum iam non poſſit amittere Deus, quę ſemel aſſumpſit, deinde Deitas eſt indefectibilis, ſicuti & impeccabilis; ergo ex nullo incapacitas. Ex alia parte humanitatis ſtabilitas formaliter & extrinſecè non eſt ab vnione cum Deitate, niſi de congruo, cum abſolutè ſit à divina voluntate conſervante; igitur nunquam conſonantius theologizavit Scotus, quam dum ſimiliter extrinſecam & proximam impeccabilitatem tribuit de congruo Deitati, & abſolutè & formaliter voluntati divinę.

171 Dices quod impeccabilitas communicatur humanitati ad modum formæ, ſecus vero indefectibilitas, quæ tribuitur effectivè, ſicque non poterit à Deitate, ſed à divina voluntate. Contra, quia ſi impeccabilitas per modum formæ genuine & ex ſe diceret eſſe participabilis, etiam creatis licet per formam creatam, & minus perfectam participaretur; ſanctificare enim quoad ſcopum formalitatis fit à ſanctitate Deitatis, vel perſonalitatis iuxta mentum formæ creatæ, vt defectu proportionis cum gratia habituali D. Godoy repellit à perſonalitate divina ſanctitatis effectum; ſed impeccabilitas nulli creato tribuitur ex forma, ſed ex divina volitione

ne decernente, non enim gratia, vt fatebatur Godoy tollit poſſe proxime peccare;igitur ſimiliter licet ſanctificatio ad modum formæ præſtaretur à Deitate, ſecus autem peccandi impotentia.

172 Dices ita fore,ſi aliàs ſanctitas Deitatis non foret ſumma, vt ſupra reſpondebat Godoy. In primis,vt ſupra, inſto,quod ſi,ſcilicet,indefectibilis & ſtabilis conſervaretur à voluntate divina gratia, impeccabile efficaciter maneret ſubiectum,ſed ita vt licet incompatibilitas ei competeret ex ſe,at perpetuitas ex divina volũtate;igitur cum ex perpetuitate ſumatur non poſſe deficere ſubiecto, dum ſanctitas,& ſi ſumma ei deficere poſſet, impeccabilitas ſeu perennis peccandi remotio, vno aut altero medio, concernit Omnipotentiam.

173 Contra deinde; ex eo quod ſanctitas Deitatis ſit ſumma,vltra metrum aliarum ſanctitatum, valet repellere potentiam peccandi, quæ in alijs nunquam per modum formę, ſed per modum virtutis repellitur; igitur cum non minus ſumma ſit indefectibilitas, deberet etiam vltra metrum indefectibilitatis aliarum formarum exiſtentium, & durantium, per modum formæ, vtpote non minus vnitę, repellere potentiam deficiendi.

174 Dantis itaque & auferentis vis in eodem videtur eſſe reſpectivé, ſi namque vim operandi supernè, à divina voluntate medijs donis ſupernis præſtatur, vis ſic operandi per illorum ablationem aufertur; igitur cum ſolius Dei (quo pacto permiſſivè dicitur) nos libere deſinentis ſit relinquere potentes ad malum, & ipſius libere volentis erit impotentes relinquere. Deitatis enim nunquam fuit dare virtutem, ac proinde nec auferre. Licet enim etiam phyſicè ſancta ſit, talis tamen perfectiſſimæ conditionis, quod phyſicè, nec extrinſecè & proximè faciat ſanctam humanitatem, vt reſolvit D. Godoy vbi ſupra *quæſt.* 7. §. 10. *num.* 232. quin phyſicè recurrit ad divinam virtutem,habitus ſupernos derivantem; igitur licet phyſicè impotens ſit ad peccatum,talis tamen perfectiſſimæ impotentiæ,quod ſit impatticipabilis à limitato ſubiecto, quin vt impotens iſtud,debeamus recurrere ad idem, à quo & potens. Quod enim aliquid moraliter fundet Deitas, benè erit vt ſtabiliat decentiam, ſecus autem neceſſitatem, Deus enim extra ſe, nec ab eadem ſua Eſſentia motus,quidquam operatur neceſſario; igitur nec hinc, quia licet concernens Deum, omne divinum ſit ad intra, concernens humanitatem, attendetur ad extra, & potius dum potius hinc ad extra ſit.

§. I.

In ſenſu compoſito examinatur impeccabilitas.

175 IN prędictis reſoluta manet Chriſti impeccabilitas, & ex maiori parte ex poſſibili ſuppoſitione ſenſus diviſi, iuxta aliam providentiam ſatis probabilis, vel quia ad poſitionem cuiuſvis operationis poſſet Deus decernere ruinam totius naturæ operantis, vt evenit in concreto grato, cuius vna pars diſolvitur, & vtraque poſſet,vel quia poſſet Deus decernere abſentiam termini hypoſtatici dumtaxat, derelinquendo naturam à qua ſtatim propria ſubſiſtẽtia dimanaret, & ex alijs ſic poſſibilibus. Venit nunc examinandum in ſenſu compoſito, an, ſi, Chriſtifera humanitas perſeverans,ſic ſit impeccabilis,quod abſtracta ab omni dono maximè decreti præſervantis & manutenentis nõ retineat poſſe proximum ad peccandum.

176 Reſolvendum Chriſti humanitatem ſic conſideratam, potentiam proximam peccandi non habere de omni potentia impeditam. Hæc reſolutio ſicuti antecedens, conſonans Scoto, & diſſonans alijs, vbi ſupra. Prob. 1. quia ſi extra divinam voluntatem aliquid impediret potentiam proximam peccandi, maximè ſanctitas Deitatis ibi perſeverans; ſed Deitas nil formaliter ſanctificare valuit, quin ſolum effectivè, ſicque opus fuit productionis gratiæ habitualis; ergo. Maior eſt Godoy, & elegantis Thomiſtici. Minor eſt clariſſima litera Solis Scholaſtici *in* 3. *d.*13.*quæſt.*1.*art.* 1. vbi ait: *Gratia principaliter* duo facit in anima. Primum enim perficit ipſam formaliter in eſſe ſpirituali, ſecundum quam Deo ſimilatur, vnde & vita animę dicitur. Secundo perficit eam ad opus, ſecundum quod à gratia emanant virtutes (& paucis interiectis addit) & propter hæc duo, oportet ponere gratiam habitualem in anima Chriſti; quia cum ſit perfectiſſima in eſſe ſpirituali,oportet, quod ſit aliquid illam perficiens formaliter in eſſe illo; Deitas autem non eſt formaliter,ſed effectivè perficiens ipſam; vnde oportet aliam formam creatam in ipſa ponere, qua formaliter perficiatur, *& hæc eſt gratia.* Hæc Angelicus M. apud Godoy ſupra §. 11. *num.* 244. cui textui vndequaque affinis adeſt Scoti doctrina.

177 Illuſt. Godoy poſtquam aliquorum Diſcipulorum D. Thomæ expoſitiones, vt

vt menti Angelicæ contrarias reiecit, reſpondet, ſequi ex adductis verbis animam Chriſti ratione Deitatis non eſſe ſpiritualem ſpiritualitate diuina ſubſtantivè, per identitatem, aut phyſicam informationem ; ſecus autem adiectivè, & ſpiritualitate exiſtentiæ, & per terminationem mediatam. Licet enim humanitas ex vnione ad diuinitatem non ſit Dea, eſt tamen deificata, iuxta phraſim Patrum. Itaque, licet non fiat per diuinitatem Dea, exiſtit tamen per exiſtentiam diuinam iuxta D. Thomam ; vnde tametſi non ſit ratione diuinitatis ſpiritualis ſpiritualitate diuina ſubſtantivè, & quoad eſſentiam, & per phyſicam informationem, ſit autem ſpiritualis ſpiritualitate diuina adiectivè. Ut autem eſſet ſpiritualis ſpiritualitate formæ phyſicæ illam informantis, neceſſaria fuit habitualis gratia in Chriſto, quæ conſtitueret eius animam viventem radicaliter phyſicè vita ſpirituali, de qua verùm eſt non præſtari à Deitate formaliter, ſed prout gratiam producit.

178 Sed, ni fallor, nec ſatisfacit Dom. Godoy. Tum, quia Godoy expoſitior educitur ad id, quod Deitas non ſit ſanctificans formaliter informativè, ſed formaliter terminativè; ſed incredibile eſt Angelicum M. ignoraſſe terminos propriſſimos, & nimis tritos, vt non poneret *terminativè*, quin loco huius poneret magis improprium, & terminanti plus diſſonum, vpote *effectivè*; igitur quia locutus fuit, vt tantus Doctor alloqui ſolebat, necne prout ipſe ſatis mentem ſuam ibi expoſuit. Tum, quia ſi quia non formaliter informativè Deitas ſanctificavit, addidit gratiam habitualem, cum perſonalitas Verbi non perſonaret perſonalitate recepta in natura humana, & nec ſic exiſtentia modo ipſo ac propria, ſed purè terminando, addere deberet ad modum exiſtendi, & perſonandi, propriſſimum naturæ propriæ. Nec bene diceret, quod effectivè perſonaret Verbum, ac proinde alio perſonandi modo egere, ſi hinc loqueretur, vt ibi.

179 Contra deinde, quia terminativè aliquid ſolum præſtare ex perfectiſſima conditione præſtantis, vtpote puriſſimi, non minnit modum perficiendi, quin auger, vt in Lorcam reſpondet D. Godoy ſupra §. 10. *n.* 216. igitur dum apud D. Thomam ex defectu perfectionis in anima Chriſti, oporteat pœne quo, retardata imperfectione, formaliter perficiatur, ſi Deitas, vt exponit Godoy, Chriſti animam etiam formaliter perfectiſſimè præoccupatã haberet, nõ ſic oporteret quo perficeretur, cũ longe, vtpote ſũmè perfecto habito, non ſit opus aliquo, quo perficiatur.

180 Probatur etiam, & in primis præcipua fundamenta pro Angelicis ſimiliter enervare intendens, ſacris alijs oraculis conſtructa ab eis. Arguo ſic, ſi potentiã proximã ad peccandũ Chriſto cõpoſitam aſtrui repugnaret iuxta Concilia, maximè quia Conciliũ Conſtantinopol. *in 6 Synod. pag.* 31. ait: *Impoſſibile enim eſt in vno, eodemque Chriſto Deo noſtro, duas ſimul, & adinvicem contrarias, ſeu diſſimiles exiſtere voluntates*; ſed verba Concilij non contradicunt Scoto ; ergo. Prob. min. quia Concilia non definiunt quæ forent, aut eſſe potuiſſent iuxta aliam providentiam, ſed facta oſtendunt vt Scriptura ſolet ; ſed Chriſto vt de facto exiſtenti, vtpote manutento ex vnionis prærogativa repugnavit duas diſſimiles habere voluntates, cum foret impoſſibile creatam deficere, non minus ac diuinę decretum; igitur quod in alio ſtatu potuiſſet deficere iuxta Scotum, ipſi in ſtatu in quo loquitur non contradixit Concilium.

181 Dices inſtanter cum Godoy *Tom.* 3. *Tract.* 11. *dp.* 41. *q.* 15. §. 6. quod impoſſibilitas abſolute & in omni ſenſu comprehendit duas Chriſti voluntates penes omnem diſſimilitudinis repugnantiam ; igitur ſi poſſibile fuerit in aliquo ſenſu diſſimiles voluntates in Chriſto componere, iam Scotus contradicet Concilio.

182 Contra, quia ſi quælibet diſſimilitudo voluntatis iuxta ſenſum aliquem contradicet Concilio, Dominum Godoy, etiam contradicere dicam. Prob. quia, vt ſupra vidimus, apud ipſum etiam in Chriſto diuina voluntas eſt ab intrinſeco impeccabilis, humana voluntas eſt ab intrinſeco peccabilis ; ſed nil diſſimilius, quã impeccabile, & peccabile ab intrinſeco; ergo. Deinde diuina volũtas nullo extraneo, neque accidẽtali, & realiter ſeparabili eget vt ſuperne operetur, ſit beata &c. ſed illis omnibus eget voluntas humana etiam in Chriſto; ergo. Deinde humana volũtas, quę eſt in Chriſto, potuit de abſoluta potẽtia æterna pœna dolere, cum apud Godoy ſupra, poſſet in æternum cruciari, ſecus autem diuina; ſed poſſe gaudere, & poſſe cruciari non minus diſſimilia, ac poſſe peccare & non peccare, non enim minus diſſimilis eſt pœna gloriæ, ac peccatum gratiæ ; ergo.

183 Igitur quo pacto D. Godoy has diſſimilitudines bono ſenſu componat, hoc vel illud addendo vel limitando, & quamvis diſſimilitudinem componemus nos. Si enim ad illud de potentia ad peccandum dicat, quod poſita vnione hypoſtatica, ſeu Chriſto iam intellecto, non manet proxima, ſed remota voluntas, ſtatim dicent Scoti Diſcipuli, quod

poſita

poſita manutenentia, ſeu Chriſto manutento iam habito,non manebit proxima,ſed voluntas remota. Etſi cupiat Godoy , Concilium in vnione, ſeu ex vnione voluiſſe diſſimilitudinis abſentiam , ſtatim Scotiſtæ dicent , ita eſſe radicaliter, & ex congruentiæ prærogativa , ſecus vero formaliter. Hunc itaque textum , quia difficilimum & principaliſſimum ex ſacris Oraculis à D. Godoy Scotiſtis oppoſitum,adduxi,vt ad inſtar huius,& aliorum ſupra *in Art.3.Subart:5.*cæteri facile exponantur, vt ibi expoſuimus illum Anſelmi, S, *Si primus homo erat peccabilis,quia non erat Deus* &c.ſic.

184 Repugnabis ſemper,& dices inſtanter cum Godoy , Chriſtum,iuxta Alexandrinum, & alios,fuiſſe alienum à poteſtare peccandi,& id,quia Deus;ſed ſi quia Deus , ſeu ratione vnionis,id ſolum haberet debito congruentiæ, S , quia congrueret ex decentia ei dare fruitionem &c. quibus formaliter foret impeccabilis , impeccabilis non foret quia Deus,nam ſic beati etiam ſunt alieni à poteſtate peccandi;ergo.Tum Patres impeccabilitatem vnioni tribuentes diminute proceſſiſſent, vnio ſiquidem non ſufficit, quin requiruntur præfata dona.Tum,quia ſi humanitati ratione vnionis debeantur ex natura rei fruitio &c.quibús repugnat peccatũ,etiam ratione vnionis debebitur , quod Deus ad peccatum non concurrat. Non enim , inquit Godoy,eſt maior ratio , cur vnioni ad Verbum debeantur bona poſitiva,quam carentia mali; igitur ſi ratione vnionis debeatur humanitati beatitudo,quæ eſt omne bonum,etiam debebitur ei omnis mali carentia.

185 Sed contra, intendens neque ex dictis obſtare repugnantiam. Suadetur à primo: quia quod Chriſtus ſic fuerit beatus , quod potuerit non eſſe beatus de abſoluto poſſe, nõ aliter ac cæteri in gratia decedentes nõ eſſe beati, non obſtat,vt dicatur,quod præ cęteris ex prærogativa vnionis decernebatur beati; igitur quod Chriſtus foret impeccabilis ex quo & cæteri, non obſtabit,vt dicatur, quod ex prærogativa vnionis erat impeccabilis,S,decernebatur manutentio,quæ cum non decerneretur niſi qua Deus,nec niſi qua Deus foret formaliter impeccabilis. Tum , quod Virgo Maria in primo inſtanti fuiſſet grata, ita quod non eſſe poſſet , non obſtat vt dum Chriſtus ſit gratus(puta gratia habituali)in primo inſtanti quia Chriſtus , quod non potuerit non eſſe gratus in primo inſtanti; & è contra, quod potuerit non eſſe gratus in primo inſtanti(puta,nec gratus,nec ingratus, ſat eſt hoc pro nũc)nõ obſtat,vt in eo ſit gratus,

quia Deus,& ex propriori Deitatis motivo; ergo à ſimili,dum ſic ſit impeccabilis, quod ſi non foret Deus , non daretur ei forma ex qua cęteri ſunt impeccabiles.Sic D.Hierony. ait in *ſerm.* de B. Virg. quod in B. Maria fuit omnis gratię plenitudo quę in Chriſto,*quamquam aliter*,S,etiam ſumma,& vna formaliter & quoad ſpeciem , ſed ex diverſo & maiori motivo,S,vnionis. Si enim vnio etiam formaliter gratia foret,non poſſet ſalvari , quod in B. Maria foret omnis gratiæ plenitudo , quæ in Chriſto. Dumnamque in Chriſto foret etiam formaliter , & extra motivum de congruo,gratia ſubſtantialis vnionis, in B. Maria non ſolum foret *aliter* gratia quæ in Chriſto, ſed ſummè *alia*,vt eſt gratia vnionis præ cæteris; ſufficit enim quod eadem aliter ſit , vt præ cæteris excelſé deſignetur. Pariter theologiza in B. Mariæ gratia,ex talibus prærogativis ei data,quod tametſi Deus omnem eam à primo inſtanti daret alijs mulieribus,vt potuit,ſemper vero ex prærogativa foret Benedicta inter mulieres,*& ideo*(nota Verba Hieronym. & etiam cauſalem, vt ex ſimili cauſali Deitatis non vrgeantur Scotiſtæ,) inquit Angelus,*plus Benedicta,quam omnes mulieres;* à ſimili ergo.

186 Suadetur à ſecundo non repugnantia , & ex eodem puritatis exemplo. Quod enim Patres dixiſſent B. V. Mariam fuiſſe à culpa præſervatam,Deo dilectam &c. quia Mater Dei,nõ proceſſiſſent diminute,rametſi formaliter Maternitas , nec foret forma ipſa immaculandi,nec ſanctificandi &c. quin talis formaliter eſſet ex decreto præſervatio,ex habitu gratię ſanctificatio &c. igitur quod Patres dixiſſent Chriſti humanitatem fuiſſe impeccabilem, vel quia Filius Dei, vel ratione vnionis &c. non diminutè locuti,quia impeccabilitas ex decreto, & omnis formalis gratitudo ex ſupernis habituum donis. Etenim eſt veriſſimum, quod licet illa ita forent,tamen ſi B.V.Maria non fuiſſet Dei genitrix,ea non habuiſſet , quin Maternitati licet ex cauſali, aliter quam de congruo tribuantur; ergo ſimiliter , tametſi dicatur Chriſtum fuiſſe impeccabilem, quia Dei genitum &c.

187 Suadetur à tertio non repugnantia in eodem exemplari puriſſimo. Beatiſſima Virgo ratione Maternitatis habet de congruo beatitudinem cui ab intrinſeco repugnat formaliſſime peccatum;igitur & ratione Maternitatis formaliter & de condigno habebit quo ab intrinſeco & de omni potentia repugnet peccatum? Reſpondebunt Subtiles,quidquid Angelici reſpondeant. Profectò in hoc ex malo capru vim patitur Scotus,

188 Tam enim Angelica, & germana mea familia, quam exteræ velociter capere volunt illud debitum, prout à Subtili præſtatur humanitati qua vnitæ. Inſiſtunt enim in eo, quod ei debeatur ex natura rei. Ex natura enim rei debetur, prout prærogativæ ex natura ſua plus ſuadent, quam vulgaria & nuda ſubiecta, & prout naturale, & non peregrinum, & violentum eſt aliquid ex decentia dare, tametſi non neceſſario, & ex abſoluta obligatione alicui, quod neque ex decentia alteri dari deberetur. Sic enim Eccleſia Minorum canit in Veſperis illud Anſelmi: *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequeat intelligi.* Inſpecta Dei Maternitate decuit habere ſummam gratiam, ita vt decere naturale foret, aliquid enim dicet in aliquibus rebus, quod non videtur ex natura ipſarum decere in alijs. Prærogativæ enim & decentiæ ordinem habent & ſtatum moraliter naturalem. Igitur ex hoc quod decuit Virginem habere, neceſſariſſimè debuit habere? Necne ex hoc quod ex decentia habere fuit iuxta ſtatum naturalem, non potuit in primo inſtanti habere peccatum? Etſi quia ſupra tale debitum haberet, vt potuit, Deo iam ſpecialiter tribuendum? Ergo à ſimili in ſimiliori ſibi.

189 Deinde, quia illuſtriſ. Godoy ex tertio motivo, pluries vrgere intendit repugnantiam in Scotiſtas, eam amplius enervare conabor. Contra arguo ſic, licet decedenti in gratia, quin & hinc exiſtenti in ea debeatur ex natura rei beatitudo, ius ſiquidem tenet ad hæreditatem, cui beatitudini ex natura rei ſit debita impeccabilitas, tamen inde conſequitur quod debeat habere impeccabilitatem, ex præciſo ſtatu gratiæ, ſed ex formali ſtatu beatitudinis, ita vt prius debeat eſſe beatus, quam impeccabilis, ac proinde compatitur cum debito beatitudinis potentia proxima ad peccandum, vnde deducitur, quod licet gratiæ beatitudo ſeu gloria debeatur ex natura rei tale debitum eſſe proximum beatitudini, & remotum gratiæ; ergo licet vnioni hypoſtaticæ ex natura rei debeatur fruitio, cui impeccabilitas debita eſt, non ſequitur, quod eam debeat habere vnio, niſi dum intelligatur iam habere fruitionem, ac proinde ſic, quod vt aiebat Scotus, vnioni debeatur virtualiter & remotè, cum debeatur ratione beatitudinis cui ſolum proximè debetur.

190 Deinde arguam aliter iuxta doctrinam Godoy *in tom.* 2. *dp.* 21. *quæſt.* 7. *à* §. 8. vbi pugnaciſſimè defenſat perſonalitatem Verbi non fore ſanctificativam, tametſi conceedat poſſe dici negativè impeccabilem, ac proinde habere reddere naturam humanam immunem à peccato: & ſi ei obijciant, quod forma, ratione cuius humanitas conſtituitur impeccabilis, facit ei debita omnia dona requiſita ad rectitudinem moralem; igitur ſi ratione perſonalitatis debeatur impeccabilitas, & poterit deberi ſanctitas: Hinc iam tergà vertit D. Godoy, cum non deberet iuxta metrum quo ſupra vrgebat Scotiſtas; forma enim ex qua ſubiecto debetur carentia omnis mali, non dat motivum apud ipſum vt ex eadem debeatur poſitio alicuius boni, vt in *num.* 207. ergo à ſimili.

191 Probamus 3. enervando repugnantiam ex impuiabilitate in Verbum. Ex eo principaliſſimè D.Godoy iuxta Scholam D. Thomæ elevat repugnantiam, quia cum ex natura rei debeatur humanitati carentia concurſus Dei ad peccatum, Deus concurrens, ſpeciali concurſu vteretur, & concurſus ſpecialis refunderetur in ipſum; ſed dum humanitas habere poſſet proximè peccatum, nil per locum intrinſecum repugnans Deo ſequeretur; igitur nil obſtabit ex repugnantia in Deum, etiamſi ex vna, aut altera ſuppoſitione poſſit in humanitate adeſſe proximè peccatum. Maior eſt Angelica. Minor debet eſſe Subtilis.

192 Suadetur 1. ex eo, quod dum humanitas poſſet proximè peccare, ſolum deduceretur humanitatem derelictam à Deo in illo ſtatu in quo anima iuſti derelinquitur; ſed quod poſitio huius ſtatus ſit Deo imputabilis, nil per locum intrinſecum repugnans Deo ſequeretur; ergo. Prob. min. quia quod inſtus poſſit proximè habere peccatum, nil obſtat vt ſit dignus divinæ dilectionis, & habilis ad beatitudinem, & actu Deo chare vnitus; ſed ſtatus habilitans ad hæc bona, nil inconvenit quod tribuatur ſpecialiſſimè Deo, quinimo potius non tribui ipſi ſpecialius inconveniret; ergo.

193 Dicent cum D.Godoy (*tom.* 3. *quæſt.* 15. *num.* 304.) quod ſanctitas infinita opponitur cum quavis imperfectione morali, potentia autem proxima ad peccandum imperfectionem moralem dixit, id eſt imperfectionem aliquam in genere moris. Contra, quia vel ex ſtatu gratiæ habet proximè poſſe peccare, vel ex phyſico eſſe naturæ? Sed ex quovis habeat, nulla ſequitur moralis imperfectio; ergo. Prob. quoad primum, quia ex gratia non poteſt aliter habere proximè peccare, niſi dum habet poſſe deficere, ſeu abeſſe, ſed quod poſſit abeſſe vnio hypoſtatica, non eſt imperfectio moralis in Chriſto; ergo minus quod gratia. Prob. quoad

quoad ſecundum, quia quod voluntas ſit libera non eſt imperfectio moralis, ſicuti nec quod habeat phyſica prædicata naturæ humanę Chriſtifera, aliter enim imperfectus foret moraliter, dum verus homo, & dum moreretur vt homo, & ab intrinſeco defectibilis, necnon dum ſaltim remotè peccabilis, aliquid deficeret ſummæ perfectionis, quod iuxta ſtillum Godoy ad aliquam imperfectionem in genere moris ſufficeret, cum licet id non diſpliceret Deo, nec poſitivè complaceret.

194 Contra etiam, quia quod laude & præmio digniſſimè compenſatur, & correſpondetur, non videtur dicere imperfectionem; ſed quod non ſit tranſgreſus, dum potuit tranſgredi, & dum potuit facere mala, non fecit, non ſolum eſt dignum viri beati in voce divini Spiritus, quinimo *ideo* ſtabilitus ſibi bonus Dominus; ergo. Tum, quia vſque adhuc ſemper habui, quod ſi aliquis in nulla culpa cadens è vivis decederet abſque purgatione aliqua foret raptus ad ſtatum perfectiorem, & imperfectione aliqua licet levi, non ſic foret ſerenus. Tum, ſaltim imperfecta in genere moris foret B. Virgo, dum proximè non habens originale, potuit tamen habere, potentia enim proxima fuit ad præſervandum, & nō pręſervandum, ac proinde vt paſſivè foret vel non foret pręſervata. Tum & ipſe Chriſtus, quia potuit proximè nō habere gratiā habitualē, & habitus, quibus poſſet diligere, & redamare Deum, in quo completur gratię ſcopus; ſic enim aliqua perfectione careret ſivè ſic, ſivè ſic; aliter otioſa poſitio; igitur moraliter imperfectus.

195 Et quidquid de his ſit ſemper infero, quod licet Chriſtus potentiam proximam haberet ad peccandum, talis foret, quod foret iuſtiſſimus, & habilis ad ſummam gloriam, cum ſumma gratia noſtra ſummæ gloriæ ſit digna, & apud Godoy *tom.* 3. *quæſt.* 15. *num.* 63. nec infinita gratia tollet potentiam proximam peccandi, quin etiam addit eſſe compatibilem cum veniali.

196 Dices, quod licet hæc ita forent, ſemper implicaret relinquere Chriſtum in tanta peccandi contingentia. Contra, quia rectiſſimus foret, dum licet poſſet proximè peccare, vt cæteri iuſti, non peccaturum foret infallibile; ſed ſic poſſet componi, dum ei præſtaremus ſtatum cæterorum, vt cum phyſica præmotione cęteri conſtruuntur; ergo. Exiſtimo enim, quod cæteri iuſti ſtatum habeant proximè peccandi, ſivè ſic, ſivè ſic præmoti. Conſtruam Chriſtum, ſicuti cæteros iuſtos conſtruunt. Sed ne ab ſtullo ſenſus compoſiti recedamus.

197 Suadetur 2. minor probationis tertiæ. Dum humanitas haberet actu peccatum, nulla ſequeretur repugnantia per locum intrinſecum in vnionem ad Verbum; ergo. Prob. quia elicito peccato ab humanitate ſi repugnaret Verbo, vel quia ſancto, vel quia infinitè ſancto; ſed Verbum vt terminat humanitatem, neutrum habet; ergo.

198 Dices ſat eſſe, quod negativè ſanctum ſit. Contra, quia non minus negativè dicit eſſe divinum, & ſic non humanum, quam negativè eſſe ſanctum; ſed licet vt hypoſtaſis formaliter eſt, non minus dicat non habere divinam naturam, quam humanam (id enim exprimere negativè ex ſenſu præciſionis, in Diſt. de Trin. late expoſui) non repugnat ex vnione habere naturam poſitivè humanam; ergo licet negativè ſanctum ſit, ex hoc pręciſe, non repugnabit ex vnióne, naturam habere poſitivè peccantem.

199 Dices, quod eſſe negativè ſanctum ſufficeret ad imputandum nocivè ei peccatum (de imputabilitate principaliter obiecta, vtpote erga Deum permittentem, loquar infra) Contra, quia imputabilitas ſequitur metrum perfectionū ſimpliciter ſimplicium, ſicuti ſanctitas & impeccabilitas; igitur ſic proportionatè theologizando, poſſet ad ſummum deduci, quod foret peccatum Verbo negativè imputabile, ac proinde cum talis conditionis foret, quod ex intrinſeco perſonalis rationis nec foret imputabile, necnon imputabile, ſi in hoc inſiſtant, iuxta modum ſanctitatis negativè; nil dicent, ex quo peccante humanitate, repugnet nocivè peccatum Verbo imputabile.

200 Confirmatur intentum, quia vt D. Godoy *tom.*2.*q.*7.*n.*202. reſpondet ex ſuppoſitione perſonalitatis ab attributis extractæ, & abſolutius *n.* 240. offenſa ſi fieri poſſet in Verbi perſonalitatem ſecundum expreſſum conceptum talis, tunc infinitæ gravitatis non foret, & ſic nec infinite offenſus ille homo prout pręciſa perſonalitatē Verbi perſonatus; igitur nec caſu quo humanitas Verbo vnita peccaret, ex nudo perſonalitatis conceptu (ſolus notionaliſſimus conceptus terminat, vt nobiſcum fatebatur) nil noceret, quod Verbo noceret, nec enim infinito, nec infinitè offenderet, ac proinde in Schola Angelica alibi deſumenda eſt repugnantia.

201 Dices, quod actiones ſunt ſuppoſitorū, & quod ita ſint, nimis oportet etiā pro divino ſuppoſito redimente nos, aliter nil influēs, nil verè pro nobis egiſſet &c. Sed cōtra hoc proloquiū, prout communiter captū plures

iam

iam relinquo *in Met. Diſt. de Subſiſt. quæſt.* 5. quare vel hinc ab his abſtineam, vel ſolum infra propugnare intendam, quod denominativè & idiomaticè nulla humana denominatio obſtare poteſt Verbo. Breviter tamen opponam, quæ Subtiles circa ſubiectam inſtantiam. Suppoſitum divinum non ſolum nos redemit agens, quin potius patiens, (ex hoc Seraph P. Franc. defenſat vitam activam excellere contemplativam, ſiquidem ſicuti Redemptor fuit perfectius individuum, & redemptio debuit poni in perfectiori opere, & Chriſtus non orando, (inquit *Coll.* 14.) ſed patiendo nos redemit) paſſus ſiquidem fuit pro nobis &c; ſed vt Chriſtus pro nobis ſatisfaceret patiendo, non fuit opus quod ſuppoſitum ſtrictè pateretur, ſed denominative, ſola ſiquidem humanitas vere recepit dolores noſtros; igitur nec plus vltra pure terminare fuit opus, vt pro nobis diceretur agens.

202 Dices itaque repugnantiam peccati in Chriſto vnice deſumendam ex Deitate, vtpote mediatè humanitatem vnitam terminante, quæ cum infinite ſancta, & perfecta ſit, omnem imaginabilem poſitionem peccati intrinſece repellit, & vitat. Sed contra hæc adduci poſſunt, quæ diximus in *Subart.* 3. necnon, quæ in *hoc Subart.* diximus à paritate indefectibilitatis &c. ſic. Contra deinde, (ſuppono Deum poſſe vniri lapidi) non minus Deitas eſt per locum intrinſecum infinite perfecta & impeccabilis, ac lapis incapax perfectionis perſonalis; ſed quia incapax lapis perſonalis perfectionis, vt ſit affectus in linea perſonandi, parum favet vniri perfecto & perſonæ; igitur cum non minus ſit Deitas incapax peccandi, nil faciet Verbum vniri naturæ peccanti, vt ſit affecta in linea peccandi.

203 Dices, quod vt moraliter refunderetur, ſat foret eſſe vbi prope erat peccatum. Contra, quia licet Deitas intimè foret vbi lapis, necnon iſte capax ad perſonandum in genere, cum à perſonalitate divina redderetur ſubſiſtens, tamen nec moraliter, nec vllo imaginabili modo lapis reputaretur perſona, quia nec vicinitas naturę intellectualis, nec participatio ſubſiſtendi à perſonalitatis indiviſa formalitate, neque in ſe, neque in mente prudenti alicuius, prævaleret contra ſummam incapacitatem perſonandi; igitur cum non minus ſumma ſit in Deitate tam in ſe, quam imaginabiliter incapacitas imperficiendi, & peccandi, nil vnionis ad peccantem naturam &c. prævalebit, vt ſordibus peccati maculata, & infecta reputetur. Deinde vide dicta *Subart.* 3. vbi propugnatur de Verbo ex ſe non impeccante, & de Deitate dum mediante Verbo influat. Obſtat enim velut in medio improportionatus paries, vtpote non pefectus &c. quæ ibi. Vide etiam quæ in *Subart.* 2. *à.* §. *Arguo deinde.*

204 Contra deinde in illud infinitatis. Licet ſtabilis foret habitus ſummus, & infinitus gratię, poſſet apud Godoy compati ad minus veniale peccatum, quin inde ſumma perfectio gratiæ aboleretur, aliter cũ ſumma compatibile non foret; igitur licet ſumma foret Deitatis impeccabilitas, & perfectio, ſaltim veniale compati ex ſummitatis obſtaculo non repugnaret. Dices ſtatim quod Deitatis impeccabilitas foret ſumma ſimpliciter, & ſubſtantialiter, ſecus autem ſummitas gratiæ, quæ ſolum foret in linea accidentis.

205 Contra, quia culpa venialis eſt imperfectio in linea accidentis, ſed ſummum in aliqua linea, nil contrarium relinquit ex natura ſua, vt patet in ſummo calore, qui etiam ſi leve & remiſſum frigus, vel aliquid tępidum relinqueret, & ſic imperfectè calidum, iam ſummum non foret, ſiquidem ſi prædicta repelleret, ſummior foret, vt ita inquam, vel melius inquam, quod prędicta repellens, ſummum dum foret, plus dici, aut eſſe, contradiceret; igitur dum ſumma ſit gratia habitualis in linea perfectionis tametſi accidentalis, repugnanſque ex hoc ſummè ab intrinſeco accidentalem imperfectionem, valet nihilominus apud Godoy aliqualem retinere in ſubiecto culpam, non erit cur eam gratia ſubſtantialis tametſi ſumma retinere non valeat.

206 Deinde arguo hinc (de hoc infra fiet) non videtur poſſe negari, quod ſicuti perfectio ex natura rei repellit imperfectionem, quod ſumma, totalis, & vndequaque perfectio tollat, ſeu exigat tollere ex natura rei totalem, & vndequaque imperfectionem; igitur dum cum ſumma vndequaque perfectione, aliqua vndequaque ponatur, vel relinquatur imperfectio, tunc fiet non iuxta curſum generalem, ſed contra id quod ex natura rei exigebatur: Nunc ſic, ſed potiſſima ratio D. Godoy ex Angelica Schola in Subtilem elevatur ex eo quod exigente gratia vnionis ex natura rei ablationem cuiuſvis culpæ, in illa etiam permiſſivè retenta Deo imputaretur, & diceretur Auctor illius; igitur ex inde dictis ſaltim enervatur talis repugnantia, culpæ ſiquidem venialis Deus ſtabiliretur Auctor.

207 His ita præiactis Angelicæ Scholæ eruditiſſimus ſectator Godoy, erigit repugnantiam in Scholam Subtilem, & principaliter ex imputabilitate in Deum, & ſic alia,

alia, quorum principalius enervare conabor.

§. II.

Propugnatur aliter Scoticum aſſumptum, & Thomiſticum enervatur.

208 Probatur amplius minor illa principalioris diſcurſus in §. 1. retardando facie ad faciem Thomiſtica media in Scoticum finem, prout fecimus ex alijs medijs vſque adhuc. Prob. ergo: quia peccatum manere in humanitate vnita repugnaret ex eo, quod dum naturę vnitæ debeatur regulariter & ex decentia ordinati, carentia omnis mali, ipſius poſitio, cum non naturæ, Deo tribui, foret neceſſarium; ſed conceſo quod ſic & de potentia ordinata debeatur, nil per locum intrinſecum, peccante natura humana, ſequeretur repugnans Deo; ergo.

209 Suadetur minor, & in primis ex his, quæ D. Godoy concedit *tom.* 2. vbi ſupra, *num.* 39. vbi ait, quod licet gratiæ ex natura rei, & in iure debeatur gloria, valet tamen Deus de abſoluta potentia etiam in ſenſu compoſito gratiæ, vitam æternam negare, quin & æternaliter punire &c. pariter, inquit, poſſet Deus de abſoluta potentia facere reſpectu humanitatis vnitæ; tunc enim ex vi gratiæ vnionis licet non acceptata humanitas in re, & quoad efficaciam, maneret tamen in iure, & quoad exigentiam, quod, inquit, ſufficit vt gratia vnionis(hinc pro gratia vnionis, non tenet vnionem, cum hæc apud Godoy ſanctificativa non ſit, ſed tenet gratiam myſterij, S, vel à Deitate vel à perſonalitate) formalis ſanctitas ſit. Arguo ſic: Licet ex natura rei debeatur ex vnionis gratia glorificatio &c. nil per locum intrinſecum repugnat in Deum, vt ex ſpeciali & abſoluta providentia velit contrarium; igitur quod ex natura rei ratione vnionis debeatur impeccabilitas, nil ex abſoluta providentia repugnabit in ipſum, ex quo ſaltim contrarium permittat.

210 Dices ſtatim cum Illuſtriſ. Godoy *tom.* 3. *q.* 15. *à num.* 308. imparem eſſe rationem, quia quod Deus omnia ea debita ex natura rei ſuſpendat, vel vertat in oppoſitum, nunquam id ſufficit, vt fiat Auctor peccati, ſin autem ſi contra exigentiam gratiæ vnionis illud in humanitate permittat. Conſimiliter etiam reſponderet Godoy *à nu.* 238. vt mortuus denominari & eſſe poſſet, qui per eſſentiam vivus, quia ſcilicet, mors eſt malum phyſicum, & ad Deum ordinabile, peccatum autem eſt malum morale, quod ad Deum nullatenus poteſt referri. Hoc eſt maximum inter Angelicos, in quo, extra vſſitati modeſtiam, revera petitur principium, vt in ſequentibus proponetur.

211 Contra arguo ſic: ex eo præciſè repugnaret Deo permiſſio peccati contra exigentiam gratiæ vnionis, quia reputaretur Auctor peccati, & ex eo præciſè repugnaret Deo talis conceptus, quia ipſius rectitudo offenderetur, & ſiſteret in pura ęquitatis ſummæ contradictione; ſed hæc omnia evenirent Deo ex illis omnibus, quę de rigore potentiæ divinæ concedit Godoy; ergo dum Thomiſtica non repugnent, nec repugnabunt Scotica. Prob. miu. quia revera nil aliud mali habet ſtatus peccatoris, quam fore incapacem diligendi à Deo, inhabilem diligendi ipſum, alienum à laude conditoris, diſtantem ab amicis ſuis, perpetuo agone cruciari, etenim hic ſtatus, ſtatus eſt Diaboli, & condemnatorum; ſed hunc ſtatum quem ſolus Diabolus, & condemnati habere debent *ex peccato & malitia ſatore* haberet Chriſti humanitas contra exigentiæ debitum *ex divina volitione*; ergo haberet ſtatum, quo non minus macularetur ſumma rectitudo haberet enim ex ſpeciali voluntate Dei, quod ex natura rei ſolum poteſt, ſeu debet haberi ex malitia peccati. Tum clare deduci. Ex eo enim contradicię Deo ex rectitudine eſſe Auctorem peccati, quia interpretaretuc, Deum ſumme bonum velle ſibi ſtatum, quem ſolum poteſt velle ſummè malus; ſed ſi Deus contra exigentiam illam poneret in humanitate Chriſti, quę ſolum poſſet in ſua ponere Judas, idem poſſet contra rectitudinem & bonitatem interpretari; ergo.

212 Comprobatur ex omnibus prima, & principalis minor. Quia revera Chriſti humanitas quoad efficaciam, ſemel poſito pœnæ ęternę decreto, incapax foret proximè diligendi à Deo, ſicuti & diligendi ſuper omnia ipſum, eam ſiquidem ad omnem pœnam damnamus, & ſumma pœna amore repugnat; igitur ſumma Dei rectitudo offenderetur. Prob. ſub alio conceptu; ex eo repugnat Deo velle peccatū, quia influeret in deſtructivè & ſummè oppoſitum alicui divino prædicato, S, ſumma bonitas; ſed dum ſummæ rectitudini & æquitati poſſit eſſe aliquid ab intrinſeco & ex natura rei oppoſitum (nil enim eſt in Deo, cui contrarium non correſpondeat) nil aliud videtur, quam dare pœnam,

nam, cui debetur gloria, exigenti ex iure amare Deum, illum perpetuare incapacem &c. igitur ſicuti repugnaret Deo ibi influere in peccatum, quia contra exigentiam peccantis, ex rectitudine offenderetur ſumma bonitas, & repugnaret influere in pœnam æternam, quia contra exigentiam diligentis, offenderetur ex rectitudine ſumma æquitas.

213 Neque valet illa diſtinctio de malo phyſico, & morali. Quia revera bonum punire, perfectiſſimum imperficere, & ſuperne habenti ius eo privare, abſque dubio malum inhoneſtum, & indecens eſt; igitur ſi Deo non repugnet eſſe Auctorem inhoneſti,& iniuſti, neſcio ex quo repugnet eſſe Auctorem peccati. Vel enim ex natura rei eſt iuſtum, operari contra id quod ex natura rei iuſtum in natura exigente eſt, vel non eſt iuſtum? Si ex natura rei iuſtum ſit;igitur dum Deus contra operans ſit iuſtè operans etiam in linea morali iuſtitiæ, non eſt cur contra omne iuſtum operans, operetur iniuſtè. Si iuſtum non ſit; igitur dum tunc operetur, non erit cur operatio vnius lineę ſit mala moraliter,& non alterius, vel è converſo, ſi moraliter mala non ſit.

214 Inſiſtes ſemper in eo,quod ius habere ad beatitudinem,& exigere divinam dilectionem &c. bona ſunt, & Deus Dominus omnium eſt:necnon fuit liberum Deo creare naturam cui deberentur. Contra, quia etiam fore impeccabilem naturam &c. bonum eſt; igitur habebit Deus ex dominio poſſe dare, vel auferre tale bonum. Deinde,quia ex natura rei ius etiam & dominium habet natura ad beatitudinem,& tamen licet ex natura rei ſub dominio Dei non ſit,valet eſſe ſub dominio Dei abſoluto tollere amicitiam ſupernam; ergo licet ex natura rei fore inimicam non ſic ſub dominio Dei, erit tamen ſub abſoluto inimicitiam permittere. Deinde,quia plus diſtat ex natura rei amicus à non amico, quam diſtet iam ſtatus non amici ab inimici ſtatu, cum adhuc moraliter qui non eſt mecum contra me ſit; ſed de abſoluto dominio valet Deus de amico non amicum facere, quia ſine mutuo amore amicitia ceſſat;igitur extra amicitię ſtatum poſita humanitas,facilius iam de abſoluto dominio poſſet à Deo relinqui in ſtatu inimicitiæ.

215 Deinde contra libere dictum; quia non minus fuit liberum Deo creare humanitatem cui eidem non deberetur impeccabilitas ac cui non deberetur carentia omnis mali,& ſic cui non deberetur beatitudo, dilectio &c. ſed libertas ſic creandi non relinquit deinde libertatem ad impeccabilitatem; ergo nec ad cætera,ſemel creata,æquè debita. Vel ſic: licet fuit liberum Deo creare humanitatem, ſemel creata, non fuit liberum deberi plus ei impeccabilitas,quam cętera;ſed cætera ei non minus debita,potuit auferre; ergo & impeccabilitatem.

216 Dices,humanitatem Chriſti honeſte reputandam,quia licet Deum non amaret, ſtatumque diabolicum haberet, at ex ſe & quoad ſufficientiam diligēs,& quoad exigentiam beatorum haberet ſtatum. Contra,quia idem poſſet dici dum Deus permitteret peccatum, cum ex ſe peteret expelli, & attenta ipſius exigentia, gratiſſima, & impeccabilis foret,ſicque honeſtaremus eam,quia Chriſtiſeram. His ita

217 Suadetur ex alio medio primus ille, & principalis diſcurſus. Iuxta Anſelmum,& alios Patres in noſtro Conceptionis officio adducto, decuit Virginem culpa carere, ac proinde ſic, quod etiam ex hoc motivo decentiæ, S, ex ratione veræ Dei genitricis ex natura Maternitatis impeccabilitas proxima deberetur,ſed etiam ſi hoc ita ſit,potuit Deus permittere peccatum,ſivè originale, ſivè actuale de potentia abſoluta,quin per locum intrinſecum repugnaret Deo, tametſi contra vnam aut alteram exigentiam ſive phyſicam ſive moralem operaretur;ergo.

218 Suadetur etiam ex alio medio. Quia homini iuſto prout in anima gratia elevato,& in potentijs intrinſeca inhærentia habituum, revera videtur deberi non permittere quod peccet; tum quia eſt in ſtatu amicitiæ; tum quia habet ius ad beatitudinem ad quam humanitas vnita; tum quia ipſi connaturale eſt operari bene in linea ſuperna, ſicuti elevato habitibus glorioſis operari glorioſè, non minus enim videtur quod debeatur ipſi operari gratioſe, ſemel informato habitibus gratioſis; tum quia ſi in aliquibus debeat vrgere *contrariorum ratio* videtur hinc, ac proinde ſi homini quia à gratia deſtituto nil ſupernum iam debeatur,nec quo vnquam elevetur dum cecidit, homini in gratia conſtituto ſupernum omne debebitur, ac proinde ſicuti beatitudo & perpetuitas finis,etiam medij,& ſic quo nunquam cadat dum elevatus; ſed omnibus his non obſtantibus, valet Deus permittere, peccatum &c. quin Deitati per locum intrinſecum repugnet, tametſi tot expoſitæ exigentiæ, & congruentiæ ſupernæ præceſſiſſent; ergo & in Chriſti humanitate.

219 Vrgetur intentum. Quia ex eo principaliter debetur humanitati vnitæ non peccare, neque decidere,quia habet formam Dei

parti-

participē, & ex natura rei peccato contrariā, eiuſque ab intrinſeco ſui expulſivam; ſed etiam homo iuſtus talē formam habet, quod ex natura rei ſit Deitatis particeps, ab intrinſeco ſui expulſiva peccati, & apud Godoy non minus divinitus peccato incompati exigens; igitur dum Deus permitteret ſubiecti ruinam &c. operaretur etiam contra debitum & exigentiam illius. Etſi dum ſit in illo ſtatu ei non debeatur permiſſio peccati, ſicuti nec peccatum ipſum, *imperceptibile erit, quod vnquam poſſit eſſe peccatum*, cum ſemel in ſtatu gratiæ, iam exigere incipiat, & non ſit ibi aliquid contrarians formaliter; ſed nihilominus Deo non repugnat peccatum permittere, ante exiſtentiam peccati, cum non peccatum nec malum aliquod, ſed exigentia cum cæteris bonis contrariantibus præcedat; ergo.

220 Dices, quod in homine gratia informato attenditur ex conditione gratię ex qua conſtituitur in ſtatu amicitiæ, qui ex natura rei exigit conſervari ab amico qui potens eſt, iuxta quem ſi Deus permitteret peccatum, ei tribui deberet, cum gratię ratione cuius eſt ſtatus ille, tribui non poſſit; at ſi attendatur ratione liberi arbitrij cum iuxta iſtius ſtatum poſſit deficere, & aliàs Deus hinc debeat concurrere vt generalis naturę Auctor, ei peccatum non tribuetur ex ſpeciali permiſſionis concurſu. Si hæc reſpondere velint, revera non ſatisfacient.

221 Contra arguo ſic: licet homo iuſtus poſſideat ſtatum cui ratione gratiæ ab intrinſeco debeatur finis ſuperni conſecutio, ac proinde omnia media ſuperne iuvantia, & ex natura rei peccato impedienti & contrarianti oppoſita, & ex ipſis ex natura rei nec ad permiſſionem allicientia, quin contrarium ex natura ipſorum exigentia, iuxta quod ſi attendatur Deus eſſet peccati ex permiſſione ſpecialis Auctor, tamen quia poteſt attendi alia pars cui peccatum poſſet attribui, non Deo, ſed voluntati tribuitur; ergo licet homo Verbum habeat ſtatum, cui ratione vnionis debeatur finis ſupernus, & ſic impeccabilitas &c. dona gratiam vnionis ſequentia, iuxta quę ſi attendatur Deus ei tribuetur peccatum ex permiſſione derivatum, dum poſſet attendi alia pars cui peccatum poſſet attribui, ei & non Deo tribuendum.

222 Dices, quod in concreto humanitatis & Verbi non manet libera Voluntas cui tribui poſſet, ac proinde Deo tribuendum. Contra, hoc enim opus hic labor eſt. Non enim minus concreto ex gratia & anima rationali debetur gloria (ſolum ſervatis ſervandis, modus, quo debetur & habet ius supernum gratia ad intentum argumenti ſufficit) & ſic media, quam humanitati quoad ius, necne non minus contradicit concretum gratiæ dum eſt, præſentiæ peccati, ac contradicet Chriſtus dum ſit, &c. Vellem ergo ſcire ex quo Chriſtus dum ſit manet ratione gratiæ vnionis ſubſtancialiter incompatibilis cum libera permiſſione peccati, & homo dum gratus eſt ratione gratiæ habitualis nō manet accidentaliter incōpatibilis cum illa? Et cur pro cōcreto grato debet correſpōdere Auctor naturę naturę, & Auctor gratiæ gratiæ, & pro cōcreto Chriſto non debeat correſpondere Auctor naturæ naturę, & noſtrę vnivocę (vt inquiebat Scotus *hinc d. 2. q. 1.*) ſicuti correſpondet Auctor gratiæ, vnionis gratię.

223 Nec valet ſi dicas, ex eo eſſe, quod illa ſit gratia vnionis ſubſtantialis, & iuſti accidentalis. Non valet profecto, quia ipſa vnio hypoſtatica accidens eſt in probatiſſima ſententia (ſufficiat Subtilis) tum quia quidquid ſit, accidentaliter fuit penes poſſe adeſſe, & abeſſe; tum quia revera iuſtorum perpetuitas beata extrinſecum accidens eſt; tum quia non minus ſubeſt contingenti corruptioni vnio ſubſtantialis animę, ac ſi foret levius accidens, quin facilius diſſolvitur vita corporis, quam vita gratiæ; tum, quia revera quidquid perpetuo habent beati, ratione gratiæ habetur; tum quia poſſunt aliqua eſſe accidentia naturaliter non corruptibilia, & ſi alicui ſupernè competere debeat, nulli potiori iure quam gratię; & tandem quia ſivè ſic, ſivè ſic, ſtabilitas vnionis, & cuiuſvis rei libere poſitæ à Deo, etiam ab ipſius libera voluntate conſervationem mendicat; ex quo ergo?

224 Contra deinde vice verſa, eo quod pręciſa liberrima Dei voluntate non ſit facile deſignare medium ex quo phyſica Chriſtiferæ humanitatis deperdatur libertas. Tum quia in hoc ſtatu nil Chriſtiferam voluntatem immediate attingit; tum quia Deitas, quę eſt, quæ ſanctificat apud Godoy, præterquam quod ſolum moraliter, adeſt poſt ſuppoſitum humanitatis, & mihi prope imperceptibile quod aliquid ſic phyſicè remotum poſſit ad phyſicam potentiam evertere; tum quia ſi præocupanda libertas ad normam Deitatis ſanctificantis, nedum pręocupanda vt odio non poſſet proſequi Deum, quin vt necnon amare poſſet; tum nimis diſſonum quod ſic libertatem immuter, id quod inſimul immutando non perficit, & immutata à Deitate ne faciat malum, non valet immutari vt ſic poſſit facere bonum; inhabilis quo pacto ad peccatum, eo quo inhabilis ad diligen-

dum Deum? Videtur enim, quod dum extra Deitatem egeat habitibus & alijs à divina voluntate derivatis vt Deo converſa ſit, quod etiam egeat extra illam ne ſic averſa. Et tandem ob hucuſque dicta, etiam ex Verbi perſonalitate, cuius, parum obſtaret iam, quod etiam foret actio; tum quia vt diximus, non perfectivis, obſtaret nil volenti; tum, quia etiam ſi ſuppoſitalitas perfecta foret, vt ſupra dicebamus de gratia, tribui poſſet alteri comparti, & maxime dum abſque illa poſſet velle.

225 Dices tādem, quod ſemper inſiſtent in eo, quod divinæ volūtati repugnet permittere peccatū contra humanitatis exigentiā; & dato quod permiſſio ex aliquo ex prædictis modis non repugnaret Deo, repugnaret tamen quod ſpeciali ſuo & ſuperno influxu conſervaret peccatum, quod ſic conſervare deberet, aliter non poſſet ſubſiſtere & permanere ibi deificata natura.

226 Sed neque hæc, licet principaliora, repugnantiam enervatam diſſolvunt. Non primum, quia divina voluntas non minus eſt libere ſuper omnia libera, infinita penes permittere, quam ſit infinita penes poſitive influere & conſervare; igitur ſi quia infinite potens & agens, poteſt contra omnem exigentiam perfecti abſque ſui imperfectione agere, conſervare, & deſtruere, quia infinita non minus penes permittere, abſque ſui imperfectione poterit contra exigentiam quamcunque ſpecialiter non manutenere.

227 Neque obſtat ſecundum; tum quia nobis ſatis eſt alloqui in his iuxta probatiſſimam opinionem recentium quaslibet formas quamtumvis phyſicè oppoſitas poſſe divinitus inſimul compati, & ſic gratiam & peccatum; tum quia de abſoluta potentia poſſet Deus per extrinſecam condonationem contra culpæ exigentiam ſe offenſum impedire, & non reputari, vt alibi non renuebat Godoy; igitur multo melius dum permittere ſpecialiter peccatum exigere maculare Deum connaturaliter, poſſet Deus iuxta vim potentiæ ſuæ vim maculantem enervare, & ſibi offendere impedire.

228 Deinde ſuadetur, quia conſervatio & poſitio peccati poterat non eſſe ex ſuperno influxu. Prob. quia introduci peccatum in ſubiecto grato, ſupernè non cenſetur, vt patet, aliter nemo peccaret ſine miraculoſo Dei influxu, ſolum enim cenſetur ex ſuperno influxu introducere vel permittere peccatum in ſubiecto grato, & gratiam non expelli impedire; ſed abſque ſpeciali influxu peccati poſſet peccatum manere; ergo. Suadetur minor; quia vt peccatum introduceretur nil ſuperne requireretur, cum expellendo gratiam connaturaliter introduceatur; igitur cum ſolum foret ſpeciale & miraculoſum quod gratia non expelleretur (idem dic de gratia vnionis) & aliàs nil aliud requiratur miraculoſe niſi quod gratia fugiens detineatur, quidquid ſupernū & ſpeciale, ſolū terminaretur ad gratiæ ſiſtētiam, ſecus autē ad peccati poſitionē.

229 Prob. denique ex alibi iam poſitis media principalis illa minor. Manet enim in prædictis propugnatum, Chriſti voluntatem peccato compati iuxta vnam aut aliam potentiam non repugnare ratione vnionis, nec perſonalitatis, nec Deitatis; igitur nec ratione volūtatis divinæ. Prob. conſeq. quia quod non minus affixum vnis, ac alijs eiuſdē cōditionis prædicatis nō repugnat ratione vnius, nec ipſi repugnare debet ratione cæterorū, quod namque Deitati, aut Verbi perſonalitati non repugnet extra lineā boni, nec divinæ voluntati repugnabit; igitur quod humanitati immediate vnitæ Verbo, & mediatè Deitati non repugnet ratione Deitatis, & Verbi, non repugnabit ratione volitatis. Quapropter omnis ſiſtam ſemper in eo, quod ſi ratione Deitatis vt ab æquali radicante præfatas omnes exigentias haberet humanitas, & ratione voluntatis divinæ æque neceſſarias deberet haberet. Illuſ. Godoy tenebat, vim manere in voluntate ad impediendum vnas quoad efficaciam; videtur quod & maneat quoad omnes, cum ſi Deitas efficaciam daret, & daret omnibus; igitur quia Deitatis participatio in nullo ex omnibus bonis nec efficax, nec neceſſaria.

§. III.

Propugnatur aliter Scoticum aſſumptum, & Thomiſticum enervatur.

230 TAmetſi nonnulla ad occurſum variarum rationum de non repugnantia peccati in Chriſti humanitate eo quod actiones ſint vel dicantur ſuppoſitorum adduxerimus, verum enim vero cum ex hoc etiam in Subtiles pugnaciſſimè Illuſt. Godoy cuncta Angelicorum acie inſurgat, iam prout brevius poſſimus, quæ principalioris momenti ſint, vel propugnantes propria, vel enervantes aliena, examinare conabimur. Præſentis ergo propugnaculi argumentum, ſic formatur: ſi improbabile foret, humanitati Verbo vnitæ non repugnare peccatum, maximè quia actiones ſunt ſuppoſitorum; ſed ex hoc Scotica ſentētia improbabilitatem

bilitatem non ſumit; ergo. Maior eſt vndequaque Thomiſtica. Minor eſſe debet vndequaque Scotica.

231 Prob. quia non eſt improbabile, ſuppoſitū neque vt quo, neque vt quod eſſe operans, quin abſque ſuppoſito poſſe naturā plenè operari, probabile cenſet Godoy *tom.* 3. *dp.* 41. *quaſt.* 15. *n.* 255. igitur quidquid inde inferri poſſet de potentia abſoluta in Chiſto penes actiones non eſſe influxivè ſuppoſiti, improbabile non foret. Dices, quod D. Godoy tenet divinitus naturam abſque ſuppoſito operativam, probabile eſſe, ſecus autem eſſe id probabile in natura cum ſuppoſito. Contra quia quod per locum intrinſecum alicui non convenit ratione ſubiecti, ſivè in ſubiecto, etiam preciſo, quod nec extra ſubiectum, nec in ſubiecto conveniat, ſemper ſalvabitur locus intrinſecus in conveniendo; ergo dum locum intrinſecum, & neceſſarium non ponat ſuppoſitum operanti naturæ, quo pacto divinitus poſſit extra locum intrinſecum competere ei operari ſinè ſuppoſito, & poterit competere cum illo. Prob. antec. in anima abſque corpore influxivè diſcurrente & amante, in accidentibus Euchariſticis penes omnes effectus diſgregandi viſum, &c. & è contra, quæ animæ intra locum intrinſecum competunt in corpore, vt informare, ſenſare &c. nec divinitus poſſunt competere extra illud; ergo.

232 Dices, quod ſic diſcurrendo ſolum denominativè competeret Verbo peccare, quia, S, competeret naturæ ſuppoſitatæ in Verbo; igitur & cætera opera ſolum ſic convenirent; ſed eſt improbabile, quod Verbo ſic denominativè competant, quod propriè, & in rigore ſermonis non competant; igitur erit improbabile quod Verbo in rigore & proprietate ſermonis non competat peccare, peccante humanitate. Min. prob. Godoy, quia hæc propoſitio: *Verbum vt in humanitate ſubſiſtens pro nobis meruit & ſatisfecit*, eſt vera in proprietate ſermonis, non minus quā hæc: *Chriſtus nos redemit &c.* ergo eſt improbabile &c. Si namque *peccare* ſolum denominativè competeret Verbo, & ſic denominativè ſolum competeret *redimere*; & ſi improprie illud, & impropriè iſtud, quod repugnat; & ſi propriè iſtud, propriè illud, quod indecet.

233 Sed contra, quia neque hæc, improbabilitatem ſtabiliunt; ergo. Suadetur primo, quia tunc probabiliter alloqueretur de ſuppoſito divino, dum de eo alloqueretur ac valet probatiſſimè alloqui de humano; ſed ſic valet alloqui probatiſſimè de humano, quod influxivè & effectivè non ſint actiones ipſius; igitur dum ſic alloqueretur, probatiſſimè alloqueretur de divino. Maior videtur conſonans, quia nil plus poteſt dari humanitati ex ſuppoſito divino divinè, (ſervatis ſervandis) quam daretur ex humano humanè. Minor etiam admitti poſſe videtur, cum extra Scotiſtas eam teneant plures cum Durando & Vazquez (apud Godoy *num.* 197. & 205.) qui reſpondet ad illud de *Florent. ſeſſ.* 18. *S*, *Quod actiones ſunt ſuppoſitorum*, aiens ipſe Vazquez, à Joanne Theologo fore adductam, vt probet Spiritum S. procedere à Filio; at Concilium non approbare talem propoſitionem, ſed ſolum, *Spiritum S. procedere à Filio*; rationes enim Conciliorum (inquit Vazquez) non ſunt de fide, imo aliquando principijs falſis nituntur, vt *in* 7. *Sinod. Generali*, vbi quidam Pater, vt probaret contra hæreticos poſſe Angelos depingi, ſumpſit in medium, eſſe corporeos. Sed de his forſan infra, nunc ſolum dico, quod Concilia, & ſæpe Patres, cauſales diffinitorum, Theologis relinquunt, vt in numera poſſem adducere exemplaria.

234 Igitur, quo pacto dicatur in rigore proprietatis de ſuppoſito creato quidquid de natura ſibi propria dicitur, benè diceretur de Verbo, tametſi de proprio creato ſic dicatur, quod ſolum dicatur denominativè, ac proinde quod tunc propriè non dicatur, niſi quia influxivè, ſolum impropriè valet dici. Deinde, quia dato, quod etiam ſuppoſitum influxivè poſſit dici operans, & ita quod id foret ipſi connaturale, dum neceſſario & per locum intrinſecum non competeret ei, non apparet improbabile, quin mihi probabiliſſimum, quod poſſet volente Deo influere in opera bona naturæ, ſecus autem in prava, Deo nollente; eo pacto quo inſimul cum lumine, dum poſſibilis foret ſpecies Deitatis in beatis, ea poſita connaturale foret influxivè ſe habere ad opera ſuperna, & tamen nollente Deo, abſque eius influxu eliceretur opus. Necnon melius in ipſo lumine, cui foret connaturale elicere in actus ſuperne perfectos, ſecus autem in ſuperna perfectione carentes, vt in naturales, necnon in actus amoris, quia alterius ſphæræ à principio; igitur ſimiliter, cum reſpectu divini ſuppoſiti alterius conditionis forent actus pravi, à ſola natura defectibili elicibiles, ita vt etiam moraliter à Verbi perſona diſtantes.

235 Contra deinde, quia ſi proprietati ſermonis ſiſtat D. Godoy, & ſic dicat Verbum ſic propriè paſſum pro nobis, vt non aliter de ipſo ac de Chriſto dicatur, ac proinde

de quia propriè, ſuppoſiti debet eſſe quod naturę, in hoc ſiſtendo maiori vrgebitur difficultate, ac nos; nam in ſermonis proprietate, vt ſupra Scotiſtæ dicebant, repugnat quod *pati* de Verbi perſonalitate dicatur; igitur dum non magis propriè dicatur de Verbo plura pro uobis egiſſe, quam plura fuiſſe paſſum, ſi vt propriè paſſum dicatur, ſat fuit pati naturam ab ipſo perſonatam, & ſat erit pro nobis actis, quod ageret natura, quæ perſonata per ipſum.

236 Dices quod vt apparet in creatis, ſuppoſitum non minus eſt naturæ recipientis, quam operantis, ſed cum ad pati non requiratur natura ipſa niſi per modum ſubiecti, dum ſuppoſitum inſtar ſubiecti vel ſubiectati ſit in ipſa, nil amplius requiret, vt vere & propriè denominetur patiens, ſuppoſitum enim etiam *quod* patiens eſt; agere autem ſine actione impropriè dicetur de aliquo. Sed contra, quia revera non ſatisfit Scotiſtis, quia ſivè pati ſit ſubiecti, ſivè quomodo velint, certum eſt, quod propriè pati, eſt propriè recipere, vt patet diſcurrendo per quæcunque, & ſic certum eſt quod natura humana Chriſti, *licet etiam agendo paſſa foret*, tamen vere paſſa fuit ſecundum totam, cum paſſa fuiſſet in potentijs tam animæ, quam corporis; nihilominus; etiam fuit certum, Verbum ſic nil pati, nec potuiſſe; igitur ſi dū nil paſſum rigore proprietatis, velit D. Godoy Verbum paſſum rigore ſermonis, etiam concedemus quod dum proprietatis rigore nil agens, dicatur rigore ſermonis, omnia egiſſe.

237 Neque quidquam obſtare videtur quod dicebat dicendū de Verbo, ac de Chriſto. Non enim poſſumus negare quod cum quoad ſubſtantiam Myſterij, idem facere videatur Verbū vt perſonans humanitatem, ac Chriſtus, & ſic nil curæ moraliter, & etiam phyſicè in aliquibus locutionibus penes diſtinctionem Verbi & Chriſti ponatur; at ſi ſcholaſtico, & ſic theologico rigore loquendū ſit, aliter theologizabitur de Verbo, ac de Chriſto. Suadetur clarè, quia theologico rigore hæc eſt vera: *Verbum aſſumpſit humanitatem, Verbum vnitum nil recipit*, & nonnullæ aliæ propoſitiones, quæ iuxta rigorem *recti, & obliqui*, poſſunt verè conflari iuxta diverſas poſitiones; ſed ſic eſt, quod theologico, & ſcholaſtico rigore non ſic rectè alloqueretur, cum Chriſtus non ſit aſſumens, nam Chriſtus conflatur æquè ex natura aſſumpta, nec poteſt dici, quod rigore theologico non ſit recipiens, cum æquè dicat naturam dolorum ſuſceptivam &c. ſic; igitur ſimiliter poſſet D. Godoy theologizare in alijs propoſitionibus, ex quibus vrgere cupit Subtiles. His ita

238 Prob. aliter minor illa principalis diſcurſus. Non repugnat honeſtæ probabilitati, quod Verbum inhoneſte, & indecenter, turpique morte denominativè foret affectum ratione humanitatis turpiter & indecoroſè morientis; igitur neque quod Verbum denominativè diceretur peccans ratione humanitatis peccantis. Suadetur, quia non minus honeſtæ & decoroſæ vitæ opponitur turpis, & inhoneſta mors, quam naturæ ſanctæ peccatum; ſed etiam extra communicationem, rigore proprietatis, turpiter moriente humanitate, non repugnavit Verbum denominari mortuum; igitur nec repugnaret peccante humanitate denominari peccans. Suadetur & comprobatur totum: ex eo Verbo ſummè viventi non repugnaret verè denominari mortuum, quia denominari tale, non foret, quia ipſum moreretur in ſe, ſed quia moreretur humanitas quā terminabat; ſed etiam dum peccante humanitate denominaretur peccans, nō denominaretur tale, quia peccaret in ſe, ſed quia peccaret humanitas quam terminabat; ergo non aliter ei repugnaret denominari peccans, quam moriens.

239 Reſpondet plura D. Godoy ad argumentum, & primo inquit *num.* 235. quod non vrget contra rationem illam, S, ſanctitate Deitatis manere ſanctam humanitatem, ac proinde hinc dicendum, quod cum Verbum non ſolum ſit ſanctum in ſe, quin etiam humanitatē ſanctificet, præcludit in ſe & in humanitate peccatum; ſecus autem mortem in humanitate, quia licet ſummè vivens ſit in ſe, vita increata non vivificat humanitatem. Solum ergo, inquit, habet difficultatem contra illam rationem, qua ex proprietate ſuppoſitorū probabat, quod ſi ſuppoſitū verò & rigoroſè non denominaretur, & ſic vt *quod* mortuum diceretur, impropriè Chriſtus eſſet mortuus, ſed propriè, ſola humanitas: vnde, argumentum, inquit Godoy, amplius vrgere valet ſic: Verbo in ſe ipſo non minus repugnat mors, quam peccatum; ſed poteſt in humanitate mori, & apud Thomiſtas, ſic propriè mortuum denominari; igitur & in humanitate aſſumpta poterit peccare, & ſic propriè denominari.

240 Reſpondet, & inſtat argumentum Godoy in primis reſpondet diſtin. mai non minus intenſivè, eſt verùm; extenſivè, falſum. Et conceſſa min. negat conſeq. ſuppoſito nāque ſummè ſancto, ratione ſummę ſanctitatis, non ſolum in ſe, ſed & in alio repugnat denominari peccans; ſuppoſito verò viventi vitam per eſſentiam, ſolum opponitur mori in ſe ipſo,

ſo, non autem in natura aliena quam terminat: vnde, & ſi æquè opponantur intenſivè, & reſpectu eiuſdem ſuppoſiti, non tamen æquè extenſivè, & reſpectu eiuſdem ſuppoſiti in aliena natura.

241 Inſtat deinde argumentum. Non minus opponitur mors vitæ, quam peccatum ſanctitati; ſed licet mors repugnet ſummæ vitæ in ſubiecto ſummè viventi, non repugnat ſummæ vitæ, vt ab illa in alio ſubiecto cauſata; ergo licet peccatum repugnet ſummę ſanctitati in proprio ſubiecto, non tamen repugnabit ſummæ ſanctitati, vt ab illa cauſatum in alio. Et poſt inſtantiam dat rationis diſcrimen; primo, quia peccatum eſt malum morale, quod ſicut nec à Deo in ſe ipſo, nec in alio poteſt cauſari, nec in ſe nec in alio poterit Deum denominari; at mors eſt malum phyſicum, & ad Deum ordinabile &c. Secundo, quia non poteſt Verbum denominari peccans, quin vt cauſa ſpecialis influat in peccatum &c. quorum principaliora ſupra iam enervata reliquimus.

242 Sed licet fatear, quod D. Godoy difficultatis vires elevarit, ſic tamē quod proprijs revera non ſatisfecerit. Et in primis contra primam ſolutionem ex paritate vitæ non participatæ, & ſanctitatis participatæ ab humanitate, videantur dicta ante §. 1. vbi à paritate indefectibilitatis Deitatis quæ ibi opponimus, poſſint & hinc opponi circa vitam ſummam Deitatis &c. ſed illis ibi, ſuadendum eſt, Godoy revera non ſatisfacere.

243 Suadetur 1; tum, quia Verbum denominari mortuum apud Thomiſtas, non eſt ſolum quia ſola humanitas moriatur, ſicuti nec denominari Redemptorem, quia ſola humanitas vere redimat, ſed quia revera ſuppoſito influxivè convenit, ſeu eo pacto quo ſuppoſitis convenit apud Thomiſtas; igitur dum ſummé vivens in ſe, non ſolum valeat dici mori, quia moriatur humanitas, ſed quia moriatur vt *quod*, quod humanitati præbeat vel non præbeat vitam, nil faciet, vt ei modo quo moritur, æquè non deberet, ac peccatum repugnari & mors. Exponitur, vt comprobetur. Si Verbum poſſet vniti humanitati ſic quod ſummam ſanctitatem non extenderet, in ſententia Thomiſtica, etiam peccare repugnaret, non quia ſanctificaret, vel non foret humanitas, ſed quia operari male cum foret ſuppoſiti etiam, dum Verbo ſecundum ſe repugnaret peccatum, æquè ei repugnaret non repugnante ac ſecundum ſe repugnante humanitate; igitur cum mori ſecundum ſe non minus Verbo ac peccare repugnet, dum Verbi non ſit minus denominari moriens, ac eſſet denominari ex influxu ſuppoſitalitatis peccans, non minus ei ſic mori repugnabit ſivè mortalis humanitas, ſivè immortalis foret.

244 Exponitur, & comprobatur aliter. Apud Thomiſtas revera, ſicuti verè in quovis munere exercetur humanitas, & in ipſo verè exercetur Verbum, ſit vt *quod* iſtud, & vt *quo* illa, quod nil obſtat veritati & proprietati rigoroſæ eſſendi vel ſtrictè denominandi; ſed vt *quod* ſummè vivens Verbum, quia incapax ex ſe humanitas ſummè vivificandi, neque Verbum vnitum poteſt ad eam verè & propriè extendere ſummam vitam, neque vt *quo*, neque vt *quod*; igitur cum Verbum non minus ex ſe ſit incapax moriendi, etiam ei vnita humanitas non poterit vllo modo extendere ad ipſum verè & propriè ſummam mortem. Idem enim eſt medium, vtpote vnio hypoſtatica; eadem eſt contrariorum ratio, cum æquè vita opponatur morti, ac mors vitæ; idem eſt concreti ſcopus, cum Verbum pro vita & morte ſit ſuppoſitum, *& quod*, & humanitas ſit ſubiectum, & *quo*; eadem debet eſſe proprietas denominandi cum in quovis actiones debeat eſſe ſuppoſitorū, dum ſimul naturarum; his non obſtantibus poſſet extendi ex morte humanitatis ad mortem; ergo & ad peccatum.

245 Contra deinde ad illud de morte, quæ foret malum phyſicum, & ordinabile. Eadem enim inſtar & vrget ratio; nam ſumma vita phyſicè nunquam poteſt eſſe ſubiectum cui phyſicè attribuatur mors; quod enim ſummè ex natura phyſica & reali repellit aliud, nunquam poteſt eſſe centrum illius, nec bene tale repulſum ordinabitur ad ipſum, ſed non minus phyſicè repellitur mors à ſumma vita, quam malum phyſicum & morale à bono ſimpliciter tali; ergo dum malum mortis poſſet in proprietatis rigore ordinari ad Verbum ſummè vivens, & mala mors ſeu vita poſſet ordinari ad Verbum ſummè bonum. Mors itaque tribui debet formaliter formę expellenti vitam, & efficienter divinæ Omnipotentiæ, à qua influxivè ſumus, movemur, & vivimus; ſecus autem propriè Deitati, aut Verbi perſonæ, cum ſimpliciter ſimus ſic vivendi incapaces; & ſi non liberè, ſed per modum naturæ viventi, aliquid deberet ordinari, potius vitæ omnes, quam vllius mors.

246 Neque obſtat illud de morali indecentia penes denominari peccans, & non penes denominari moriens; non obſtat, quin potius ſemper petitur principium, vt patebit inſtando rationem. Deum mori (percipe divinam

vinam Eſſentiam, &c. ſic) ſecundum ſe, non minus indecet, ac Deum deficere, & conſequenter peccare; neque enim maior indecentia poſſet Deo appingi, quam ipſum anichilabilem, & corruptibilem etiam leviter imaginare; ſed nilhominus moriente humanitate quia Verbo voita, abſque indecentia valet Verbum denominari moriens; igitur & peccante humanitate dum Verbo vnita, valeret abſque indecentia denominari peccans. Quæ omnia per ſolutionem inſtati argumenti à Godoy corroborabontur.

247 Igitur deinde inſtantię ſupra oppoſitę reſpondeotes, concedimus maiorem, negamus vero minorem, quin & miramur Dominum Godoy ſic appretiaſſe inſtantiam. Non enim ſolum repugnat mors ſummę vitę in ſubiecto viventi, quin etiam repugnat quod à vita ſumma per modum naturalis, & formalis principij, vt eſt vita Deitatis, poſſit cauſari mors in quovis alio ſubiecto. Hoc enim reſtabat probandum, cum ſit vnicus præſentis puncti ſcopus. Præterquam quod breviter id ſuadere intendā. Tum, quia mortem non poteſt Deitas nec perſona Verbi cauſare efficienter in vllo, cum id ſolius Omnipotentiæ ſit vſque adhuc; deinde nec poteſt cauſari mors ab illis dimanative, quia à ſumma vita impliceat ſic oppoſita proprietas; tum nec per ſumet formalem aut virtualem communicationem, quia prout ſupra defendebat Dominus Godoy, implicavit vitam ſuam humanitati participare, ob huius incapacitatem. Nunquam ergo potius peccatum repugnat ſummæ bonitati, quam mors ſummæ vitæ.

248 A quo enim libere derivatur mors, & libere (loquor doctis phyſicas entitates penettantibus) peccatum; hoc eſt, phyſicè concurtit Deus, dum aliquis moritur, & phyſicè concurrit Deus, dum aliquis peccat; nec minus habet phyſicum peccati divini concurſus, ac habeat phyſicum mortis. Et ſi privativum peccati Dei nil habeat, erit quia nullius quidquam habere poteſt. Et dum inſtes, quod quomodolibet ſit, non repugnat quod à ſolo Deo ſit mors, dum ſimpliciter repugnat, quod à ſolo Deo ſit peccatum; ergo aliter. Dicam, non vrgere in dicta, quia mors ſolum requirit potentiam divinam; peccatum vero requirit etiam libertatem humanam, & ſic cum repugnet per locum intrinſecum aliquid libertate noſtra cauſari, & à ſolo Deo cauſari, inde eſt, quod ea hoc repugnet à ſolo Deo cauſari peccatum. His ita.

249 Probatur tandem prius ille noſter diſcurſus ex maiori improbabilitate de eo quod actiones debeant eſſe ſuppoſitorum. Et id, dumtaxat ſperans, quo pacto Verbi propriſſima perſonalitatis ratio poſſit influaivè in vera & rigoroſa proprietate dici & eſſe operaos? Quo enim pacto ad extra? Nuda enim ternunatio inſudare facit, vt noſtræ naturæ accomodetur, neſcio quomodo rigoroſé in paritate agentis influere. Et revera, dum tanta neceſſitas, vt ponderant, non appareat, potius ponderari deberet neceſſitas alterius proloquij, ex rigoroſo ſtillo Thomiſtici, non leviter confuſi, S, quod actiones ad extra non alicuius, ſed Trini ſuppoſiti æque dicantur & ſint.

Cædant tamen hæc, & omnia mea Summo Petto, & Eccleſiæ Romanæ.

SVBART. II.

Chriſtus D. in ſecundo ſtatu exponitur.

250 Circa Chriſtum in ſecundo ſtatu, levis inſtat iam difficultas. In ſecundo namque ſtatu proponitur Chriſtus, nedum vt humanitas vnita Verbo, & aliquibus ſufficienter, vt cæteri viatores illuſtrata, quin in ſecundo ſtatu ſtabilitur Chriſtifera humanitas gratiarum, & donorum plenitudine circumamicta, ac proinde ſic, quod decreto manutenentiæ excepto, haberet, quæcumque nunc habet, tam ea gratia vnionis, quam ex gratia accidentis. His ita breviter expoſitis, inquiritur, an Chriſti humanitas in hoc ſecūdo ſtatu poſita foret proximè impeccabilis.

251 Reſolvendum Chriſti humanitatem neque in hoc ſecundo ſtatu manere proximè impeccabilem. Ita clarè deducitur ex Scoto tam in locis citatis infra amplius exponendis, quam *in 4. d. 49. q. 6.* vbi hæc ſubtiliter, & abundè docet, ſuadens perpetuitatem & neceſſitatem fruitionis beatificæ, non excellere ex natura rei liberam vim voluntatis. Suadetur intentum, & primo ex Subtili. Habitus, inquit, non poteſt eſſe prior cauſa operationis, quam potentia, ſed ſemper debet eſſe ſecunda, illud ſiquidem eſt potentia, quo ſimpliciter poſſumus, quare habitus non vtitur potentia, ſed potentia habitu, ſicuti cauſa ſecunda; ſed cauſa prior non determinatur ad agendum (puta determinationem dominij) nec neceſſitatur per cauſam ſecundam; igitur nec inter ſecundas prima cauſa voluntas, ex nullo habitu neceſſitabitur.

252 Suadet & in B. Virgine Maria, quæ habuit in via maiorē charitatē charitate alicuius beati inferioris gradus; ſed illa charitas nō neceſ-

neceſſitavit eam ad fruendum, etiam quando contemplabatur Deum(ſi decretum manutenens hinc abſtrahas,conſequentiam reſolutioni propriam penes poſſe inferes) igitur nec Chriſti animam fruitione neceſſitatam relinqueret,& ſic non expeditè libetam.

253 Suadet aliter comprobans,quod non benè ex perfectione nudè capta deducitur ſtabilitatis argumentum. Anima,inquit,rationalis perfectior forma eſt,quam ſit cæleſtis, & tamen licet hæc abſolutè non ſit ab intrinſeco incorruptibilis,(hinc ſtabilitatem concreti diſputamus) animam in hoc excellit,ſiquidem anima non conſtituit incorruptibile cõcretum ; igitur quod gratia perfectiſſima ſit, non obſtabit, vt per contrarium corruptibile relinquat ſubiectum.

254 Suadet aliter ex ipſo exemplari comparans indifferẽtem & inſatiabilem vim materiæ cum conſimili indifferentia , & inſubijcibili vi libertatis noſtræ.Etiam ſi inter cunctas ſubſtantialis ſphæræ formas,anima ſic excelſa & ſupereminens , tamen ſolutam vim materiæ non coarctat,nec tollit ab ea expedibilem retinere privationem cæterarum formarum ; ergo erit multo minus in quo eſt multo magis,vtpote noſtra libertas.

255 Suadet aliter ſic: Beatitudo creata eſt accidens; ergo non minus dependens, quam ſubiectum ſuum; ſed ſubiectum dependet ex conſervatione Dei contingenter ipſum conſervantis,ac per conſequens non habet neceſſe eſſe formaliter ; ergo multo magis ſic contingenter erit quod accidit ſubiecto.

256 Deinde breviter aliqua proponam, vt prædicta comprobentur. Impeccabilitas namque , vel formaliter & intrinſece derivatur,vel extrinſece,& efficienter derivari dicẽt. Si extrinſece; non videtur ab alio, quam ab extrinſeca voluntate Dei , vt cupit ſuadere Scotus per decretum manutenens. Si verò ab intrinſeco dono eſſe cupiant ; videtur id non facile percipi. Quia vel eſt deſumenda, vt eſt attributum gratiæ, vel vt eſt medium ad gloriam.Si primo modo ſit,videtur, quod revera habena gratiam, revera habere debeat impeccabilitatem;& ſic ſi ſecundo modo ſit, revera babens ius ad gloriam,revera & impeccabilitas ei deberetur ex iure.

257 Unde exiſtimo , quod impeccabilitas non ab intrinſeco , ſed ab extrinſeco dono eſt capienda. Suadetur,quia licet vno gradu gloriæ qui beatus , eſt formaliter beatus, & tamen compatitur quod alter beatior ſit, vtpote plures gradus habens; necnõ qui gratiam remiſſam habet , eſt verè & formaliter amicus Dei,ſic tamen quod Dei amicitior valeat eſſe alter ; at non ſic metitur penes impeccabilitatẽ, quia quilibet beatus eſt æquè, & in ſummo impeccabilis,& tamẽ non æquè & in ſummo beatus; necnon aliquis ſummã, vel maiorem gratiam alio habens, valet manere cum potentia expedita ad peccandum,& tamen ex divino placito alij valent manere iam proximè impeccabiles, & nec ſummam, nec tantam gratiam , ac alij habentes ; ergo quia impeccabilitas nec ſequitur ex natura rei normam gratiæ,nec gloriæ.

258 Et id confirmatur ex oppoſitione etiam. Quia revera non minus remiſſa gratia expellit peccatum , quam ſumma, ſi namque divinitus gratia vt quatuor poſſet compati peccatum , & compati poſſet gratia vt octo: vnde & Illuſt. Godoy ſupra expẽdebat,quod remiſſus ſuper omnia amor non minus expellet multa & intenſa peccata; igitur hoc quod eſt ex incompatibilitate repellere peccatum, nõ inferet ex oppoſitione ſummæ gratiæ proximè impeccabile reddere phyſicè,& abſolute ſubiectum.

259 Contra huius Subart. reſolutionem, quæ principalius opponi poſſent,in ſupra poſito enervata manent , vel à paritate vnionis hypoſtaticæ cuius gratia abſolutè foret compatibile peccatum, vel etiam , quia hinc minus vrget repugnantia,eo quod poſſe peccare cum plenitudine donorum , non requirat donis compati peccatum,ſed poſſe dona recedere contingentet, ſicuti contingenter acceſſerũt,quæ accedere,& recedere poſſent, quin Chriſtiferæ ſtructuræ diſſolutio foret neceſſaria , vt alibi ; hinc etenim facilioris negotij eſſet difficultas, vt & in iuſtis plenè informatis, Necnon,quæ obſtare poſſent, quia Chriſtus beatificè amans , hinc non obſtant ; tum, quia hoc punctum ad aliam de per ſe ſpectat materiam; tum,quia ex dictis hinc,ſatis valet reſponderi ; & tum , quia in ſubſequenti Subart.ſufficienter inſinuabitur,dum norma impeccabilitatis ipſius reſolvatur.

SVBART. III.

Chriſtus D. in tertio ſtatu exponitur.

260 CHriſtus D. in tertio ſtatu conſideratur cum omnibus donis tam intrinſecis, quam extrinſecis, ac proinde ſic, vt non ſolum humanitas vnita Verbo foret ſubiectum omnem poſſibilem gratiam recipiens , quin ſummam divinæ voluntatis dilectionem terminans, ſicque terminavit efficacious-

fica-

ficacem, ex qua haberet ſuperne videre Deũ, eoque taliter frui, vt non haberet ex quo proximè poſſet ad malum diverti, quin ex continuo efficacique Dei decreto, deberet iam continuè fruitionem beatificam elicere, quæ cum intrinſece, formaliter & proximè, vtpote recta, bona, & ſancta expellat omne malum, intrinſecè & formaliter, vtpote forma inhærens, reddere habet, dum inſit, incompatibile cum peccato ſubiectum, & cum aliàs talem formam ſemper, & perpetuo in eſſe decreverit Deus, firma, ſtabilis, continua, & perpetua impeccabilitas coexigebat divinam manutenentiam, à cuius extrinſeca, intrinſeca fruitionis forma perpetuo duraret. Sicque theologizandum eſt dando Chriſtiferæ humanitati in via, quod ex maiori favore dumtaxat datur beatificis in patria.

261 Reſolvenda ergo venit Chriſtiferæ humanitatis impeccabilitas, prout reſolvitur beatifica, cum ad huius veritatem, quæcunque hucuſque propugnata duxerimus, & Subtilis Magiſter ſic eam comparaverit, citatus in initio *Subart.* 1. *ex* 3. *Sent.* *& in* 4. *d.* 19. *quæſt.* 6. non aliter impeccabilitatis beatificæ ſcopum ex perpetuitate beatitudinis exponat, ſic aiens in *vers.* *Dico ergo* : *Cauſa* huius perpetuitatis, nec eſt forma beatitudinis quaſi per ipſam beatitudo ſit formaliter neceſſaria, nec natura potentiarum illarum, quaſi circa obiectum neceſſariò perpetuo operentur, nec habitus in potentijs quaſi neceſſario determinans potentias ad perpetuo operandum, ſed eſt ex ſola voluntate divina, quæ ſicut perficit naturam (puta efficienter per habitum, qui per ſe formaliter) intenſivè, ita conſervat eam in tali perfectione *perpetuo.*

262 Suadet deinde Scotus ſummam, & ſic perpetuam impotentiam ad peccandum derivandam non ab intrinſeco potentiæ peccatricis, ſed ab extrinſeco potentię impedientis, ita vt Beatum Michaelem non poſſe peccare in ſenſu compoſito cum beatitudine, procedat ex beatitudine, quam habet, vtpote ſecundum ſe peccato formaliter incompatibilem; habere vero ſemper beatitudinem, ac proinde non poſſe peccato, à ſe beatitudinem ſeparari, & dividi, non provenit iam à beatitudine, *ſed ab habente vim æternizandi*, quę licet potentiam defectibilem non evacuet, ſic tamen impedit & enervat, quod proximè deficere, non ſit minus impoſſibile, ac deficere decretum indefectibile. Huius enim gratioſæ poſitioni, impeccabilitas abſoluta debetur, vt ex Auguſtino 3. *de Trin.* *Contra Maximum*, refert hinc Scotus. Dicebat enim Aug. *Cuicunque natura præſtatur, vt peccare non poſſit, non eſt hoc naturę propriæ, ſed Dei gratię.*

263 Exemplicat Scotus potentiam ex natura, & impotentiam ex extrinſeco perpetuante in oculo v. g: *Nam,* inquit, *Etſi habens viſum* habeat potentiam intrinſecam videndi quodcunque corpus, tamẽ per aliquam cauſam extrinſecam fieri poteſt perpetuo impoſſibilis ad videndum de potentia propinqua, vtpote ſi illa cauſa ponat perpetuam diſtantiam viſus ab illo corpore, ſicuti ſi eſſet perpetuum obſtaculum inter Cœlum Empyreum, & oculum damnati, ille oculus non poſſet videre Empyreum loquendo de potentia propinqua, & hoc per cauſam extrinſecam prohibentem potentiam perpetuo; poſſet tamen videre potentia remota & intrinſeca, ac proinde ita quod nulla eſſet cauſa intrinſeca impoſſibilitatis. Sic dico (inquit Scotus) Quod nulla eſt cauſa intrinſeca in voluntate Michaelis nũc beati per quam excludatur potentia ad peccandum, vt aliàs in ſenſu diviſionis; ſed per cauſam extrinſecam eſt etiam in tali ſenſu impoſſibilis potentia illa ad peccandum, S, per volũtatem Dei prævenientem illam voluntatem, vt ſemper continuet actum fruendi, & ſic nunquam poſſit potentiam ſuam remotam non fruendi, & deinde non peccandi reducere ad actum; nũquam ſiquidem cauſa ſecunda præventa à cauſa ſuperiori agente ad vnum oppoſitum, poteſt potentia propinqua exire in aliud *oppoſitum.* Hæc Subtilis, in quibus tota huius noſtra eruditio principalius manifeſtatur.

264 Vim itaque perpetuandi ſtatum à nulla forma creata poteſt eſſe, quia licet hæc ſit æternę veritatis penes quidditativè eſſe, ſecus autem penes extrinſecè durare; ac proinde impediẽs, ſeu ab impediẽti forma erectio perpetui ſtatus, à vi perpetua, debet derivari. Albedo namque quamtumvis intenſa, licet ex formæ quidditate æternè ſit oppoſita nigredini, & ſic in quovis ſtatu ſit, impediat oppoſitę intimitatem, at cum ex quidditativa ratione non habeat ſemper ineſſe ſubiecto, quia vt inquit Subtilis, Impoſſibile eſt quod illud quod ineſt alicui per accidens, ſit immutabilius illo cui ineſt (ſic ſuadet Scotus, quod beatitudo ab accidenti derivata non ſit immutabilior animæ ſubſtantia) inde eſt, quod non habeat perpetuare ſubiectum. Et rationem ſubdit Scotus à *verſ.* *De tertio dubio*, quia duratio eſt extra rationẽ formalem perfectionis durantis, nam quęcunque perfectio permanens, & quantacunque eadem, & ęqualis poteſt eſſe per inſtans, ac per æternitatem;

æquè

æquè enim perfecta eſt albedo vnius diei (inquit *Ariſt.*1. *Ethic. cap.* 8.) ſicut vnius anni. Idem percipe de beatifica forma circa eſſe, & circa durare.

265 Deinde licet alibi de his tractari debeat, tamen vt hæc exactius firmentur, nonnulla Scoti proponam, vt ſtatus firmus impeccabilitatis, non formæ etiam perfectiſſimæ, ſed extrinſecè impedienti tribuendus ſit. Dat igitur erudite rationem Scotus à *verſ. Ad rationes*; quia nulla forma poteſt auferre à ſuſceptivo indifferenti privationem omnẽ quam ex ſuo modo dicit, niſi talis ſuſceptivi terminos iuxta omnes ſui modos eminẽtiſſimè contineat, quare cum in beatis ſuſceptivũ ſit voluntas iuxta (voluntas vt etiam ait Scotus, etiam intellectui imperare valet, & hic ei ſubiacet, & ad eam ordinatur, quia, vt ait Auguſt. *de Trin.* apud Scotum ſupra; in gignitione Verbi perfecti concurrit voluntas ſic copulans) libertatis modum, & hunc nulla forma tametſi perfecta continere poſſit, inde eſt quod ex natura rei nec ipſam ſecum perpetuare.

266 Sola igitur divina libertas, vtpote ſuperior voluntas poterit perfectè perpetuare ſtatum, cum ſola ſuperior poſſit eminenter inferiorem continere, ac proinde ſic quod ab illa manutenta, & ſic perpetuata non ſit in dominio volitivi beatifici imperfectio ex divina præventione interpretanda. Suadet ſubtiliter Scotus aiens à *verſ. Aliter ponitur*: hoc eſt proprium huius cauſæ, quod ex parte eius requirat contingentiam omnium aliorum inferiorum concurrẽtium ad effectũ; repugnat enim libertati eius, quod contingentia, quæ neceſſario eſt ex parte ipſius, non ponat contingentiam ſimpliciter quãtum eſt ex parte omnium inferiorum, quia tollit ipſam cauſam eſſe in ordine ſuperiori (ſic habitus etiam superni & beatifici ei ſunt inferiores, cũ eis prout vult, vtatur) ſed non repugnat ei quod ipſius contingentia non ponat contingentiam effectus ſimpliciter, quantum eſt ex parte cauſę ſuperioris, quia cauſa ſuperior nõ determinatur ab ipſa (nimis favet Thomiſtis) non eſt ergo ſimpliciter cõtra naturam eius, quod determinetur à cauſa ſuperiori, & perfectionis naturæ, hoc eſt, quod non poſſit contra naturam eius oppoſitũ agere, quia cũ hoc ſtat quod ſit ipſa in ſuo ordine ſuperior. Repugnaret vero ſibi determinari à cauſa inferiori, quia tunc in ſuo ordine non eſſet ſuperior.

267 Prædicta ſubtiliter Scotus, iuxta quem voluntas (ibi immediate proſequitur) contingẽter in ſuo ordine ſe determinat, cum ſic ex parte omnium in ſuo ordine determinantium voluntas ſe determinet, quod ex ſe in illo ordine, & attenta inferiori illorum determinatione, potuerit contrarium determinare, vel eorum determinationem ſuſpendere. Itaque, inquit Scotus, quod in voluntate propter determinationem eius in ſuo ordine æqualis eſt contingentia, & dum non omnino contingenter proveniat, hoc eſt, quia alia cauſa prior eſt determinata ad illum effectum. Laudabilis tamen ſemper eſt, pro quanto ipſa voluntas in ſuo ordine contingenter ſe determinat.

268 Aliter poteſt dici (inquit ſubtiliter, miſcens contingentiam ſui ordinis cum ſupremi ordinis præſervatione) quod contingentia voluntatis in ſuo ordine concludit contingentiam ſimpliciter effectus, quia cuiuſcunque ſit contingentia concludit contingentem effectum; ac per conſequens ſimpliciter contingens eſt quod voluntas non peccet, tamen nunquam eveniet, quia cauſa ſuperior ſemper prȩſervat.

269 Deinde perpetuitatem peccati impeditivam amplius exponentes, videtur examinanda, an ſit aliqua perpetuitas ex beatitudine ipſa, an ve dum beatitudo rationem prȩmij tenet, ex hoc conceptu ſecundum ſe perpetua debeat eſſe. Reſpondentes ad vltimum dicimus cum Scoto à *verſ. Breviter tamen*, quod loquendo de ſtricta iuſtitia, Deus nulli noſtrum ob quæcunque merita eſt debitor perfectionis reddendæ tã intenſé ob immoderatum exceſſum illius perfectionis, vltra illa merita; ſed eſto quod ex liberalitate ſua determinaſſet meritis actũ tam perfectum tanquam prȩmium, etiam tali iuſtitia qualis decet eum, S, ſupererogantis in prȩmijs, adhuc non ſequeretur ex hoc, quod iuxta talem iuſtitiam eſſet reddenda perfectio illa perennis tanquam præmium, quinimò abundans ſemper foret retributio in beatitudine vnius momenti. Itaque dum voluerit aliter ſtatuere, quaſi non ex iuſtitia, ſed ex mera liberalitate addidit perpetuitatem.

270 Perennem tamen ordinavit, quo ſic ſtabilito, iam de potentia ordinata neceſſariſſima, & infallibilis eſt divina retributio, quo pacto manet impoſſibile, quod voluntas poſſit peccare, cum maneat impoſſibile quod Deus auferat beatitudinem peccati impeditivam, ſicque iuxta potentiam ordinatam non eſt poſſibile quod impediens poſſit ceſſare, quo non ceſſante, non poteſt fruitio non continuari, qua continuante non poteſt peccatum incipere, quo impoſſibiliter incipiente, impeccabilitas dominatur.

271 Verùm, vt inquit Scotus, tametſi

nec ſimpliciter, nec neceſſario(reſpondemus ad primũ)impeccabilitas perennis alicui tametſi habitui ſuperno non debeatur, ſin autem ſecundum quid,& iuxta aliqualem congruentiam,& non ex alio motivo,quam ab ipſo breviter inſinuato à *verſ.Præterea B.Virgo*, vbi ait:*Non eſt perpetuitas* neceſſaria ex habitibus determinantibus potentias ad actus,ſed tantummodo ex habitu gloriæ eſt neceſſitas ſecundum quid, quia habitus eſt naturaliter inclinativus (en ſecundum quid congruentiam) nec ex charitate talis neceſſitas eſt in voluntate, quia talis libere poteſt charitate vti,vel non vti.

VLTIMA RESOLVTIO.

272 Reſolvendum firmiter Chriſtum D. fuiſſe de facto,& iuxta potẽtiam proximã impeccabilẽ,vtpote ſanctum,gratũ, dilectũ,plenum gratia gloria,& ſuper opera manuum divinarum conſtitutum. Necnon conſequenter reſolvimus Chriſtiferam impeccabilitatem vt nedum actu formæ contrariæ,quin & proximæ potẽtiæ impeditivam, derivatam fuiſſe ex firma,efficaci,& infallibili voluntate Dei, iuxta quam voluit ſic præſervare humanitatem ab omni malo,eamque continuari in gratia, & omni bono, ac ſupra de beatitudinis perpetuitate expoſuimus.

273 Prædicta reſolutio eſt Scoti propriſſima, prout ſatis manifeſtatur in locis hucuſque adductis. Nec iam quidquam vrgere valent rationes in contrarium pugnaciſſimè poſitæ, ni fallor exactè tam dictis SS. Patrum, quam Conciliorum,& Scripturarum ſatisfit, ſicuti & clarent quæcunque obnubilantia, ſi attendãtur ſenſus,& ſtatus in quibus Chriſtus Dominus verè & poſſibiliter iuxta providentiarum ſtatus diſcernitur, & manifeſtatur.

274 Breviter dumtaxat dicam humanitatem Chriſti Domini, ſic, ſummè manere exaltatã,tametſi impeccabilitas non derivetur ſimpliciter ex alio principio, quam ex perpetuante beatos.Tum quia quod ab eadem Omnipotentia à qua vnio hypoſtatica,& perfectior habitus derivatur,derivetur & vnio corporea,leonina &c.non minuit illorum excellentiam; igitur nec quod ab eadem voluntate,dum divina,à qua derivatur Chriſtifera impeccabilitas,derivetur & beatifica. Tum,quia revera ſumme cæteras exceller humanitas, dum ab initio habeat,quæ ex ſumma liberalitate præmiantis,ſolum in fine alijs præſtatur. Tum, quia connaturalem eſſe beatitudinem paſſim Theologi repugnant etiam maiori poſſibilitate inſpecta, & tamẽ omnia bona Chriſtiferæ humanitati congruere vt diximus, ſapit connaturalitatis ſphæram. Videatur dicta.

275 Reſtat ſolum declarare, an dum Chriſto in vltimo ſtatu poſito ſic ſit impoſſibile peccatum,quod nulli potentiæ relinquatur locus,debeat dici impeccabilis intrinſecè, vel abſolute,vel ſimpliciter?Circa hoc fateor, nominis fore quæſitum,eiuſque reſolutionem ſumendam iuxta decreta Philoſophantium, penes modum denominandi potentias & impotentias. Ex vna enim parte humanitati ab intrinſeco ſolum competit potentia ad peccandum, deficiendum &c. ita vt ei accidat decretum,eo pacto quo accidit accidens ſubſtantiæ;ex alia parte poſito decreto non minus eſt impoſſibile peccatum proximæ humanitati, ac ſi potentiam remotam non haberet. Itaque ſi quæ poſito addito,ratione additi ſeu cum addito,abſolute,& ſimpliciter talia,dici valeant, quia licet additum habeant contingenter & extrinſecè, cum addito denominatio neceſſario habetur,ſic poterit dici abſolute,ſimpliciter,& ab intrinſeco neceſſaria,cum addito enim,paſſiones, accidentia, & quævis conditionantia æquè vrgent in concretis; ſi vero ſolum dici debeant abſolute,ſimpliciter, & intrinſecè de ſubiectis & naturis, quæ eis ſolum conveniunt ſecundum ſe,ex natura rei, & iuxta normam intrinſeci contractivi, non videtur ſic ſimpliciter,& intrinſecè poſſe dici neceſſario impeccabilem.

Et hæc ſufficiant, & cedant in leve obſequium Sacratiſſimi Prothomartyris Stephani, in cuius diei Veſperis vtinam completa, ſicuti libenter finita.

QVÆSTIO II.

An Verbum primò, & immediatè aſſumpſerit totam naturam humanam.

1 CUm Chriſtus D. vere, & integrè foret homo, venit examinandum de partibus quibus homo conſtituitur, & integratur,an cunctas aſſumpſiſſet,& quo ordine. Iuxta quem, primo, inquiretur de partibus primis, vtpote eſſentialibus, & deinceps de integralibus quibuſcunque.

(.·.)

ART.

ART. I.

De partibus eſſentialibus aſſumptum dilucidatur.

2 Circa præſentem difficultatem, nedum cæteri quin & noſtri diviſi ſunt Auctores. Ex Noſtris ergo Baſſolius, Faber, Rada, Centinus, Poncius, Gallus & alij apud P. Maſtrium hinc *dp.* 1. *quaſt.* 4. *n.* 148. defenſant partes eſſentiales, S, corpus & animam, vnitas non fuiſſe Verbo primò, & immediatè, ſed totum, ratione cuius immediatè, & primò vniti, mediatè partes vnitæ extiterunt. Et ſic in triduo, duas novas dari vniones, quibus tunc immediatè anima & corpus vnita manſerunt, ſed reſurrectione inchoante, & primus vniendi modus reſurrexit, ac proinde illæ duæ novæ vniones ceſſarunt, & illa prima & immediata ad totum fuit ſtabilita.

3 Politiores vero alij Scotiſtæ, inquit Maſtrius, cum Maironе, Vulpe, Belluto, & Ferchio, exponunt, & propugnant, partes etiam immediatè fuiſſe vnitas, ita vt naturali ordine, prius vnirentur corpus & anima, & deinceps totum humanum ex eis reſultans, tribus expeditis vnionibus, quarum duæ ad corpus & animam, iſtæque indiſſolubiles ſemper, & altera, ad totam humanitatem, quæ in triduo ceſſavit, ſicuti & in humanitate totalitas, quouſque poſt triduum reſtaurato toto homine, & reſtaurata fuit totius vnio.

4 Prædictum defenſandi modum tenent eſſe Subtilis Doctoris proprium, inſimulque reſolventes iuxta ipſum, quod ordine executionis primo & immediatè fuerunt aſſumptæ partes, è converſo vero ordine intentionis, necnon & perſonationis. Dicunt enim, vnionem poſſe capi per modum ſimplicis ſuſtentationis, & etiam per modum perſonationis. Primo modo capitur, quando Verbo vnitur aliquid quod nōdum eſt capax perſonandi, ita vt talis vnio non pendeat ab aſſumptione alicuius ad perſonalitatem, vt nuda pars v.g. Secundo modo capitur vnio, quando res aſſumitur ad perſonam, cum perſonabilis ſit; quare cum nec anima ſecundum ſe, nec corpus ſint nata perſonari, cum vt quo non ſint incommunicabilia, ſed nata ſit ſolum tota humanitas, exponunt, quod dum dicitur partes primo & immediatè fore vnitas, debet percipi ordine executionis, & etiam de vnione ſimplicis ſuſtentationis; de vnione namque perſonationis primo & immediatè tota humanitas intendit, & vnionem exercet, cum tota ſola ſit nata perſonari.

5 Suadent deinde intentum tam Noſtri, quam Exteri (vide Gonet hinc *dp.*10. *art.* 1. qui ſic eam ſuadet, prout de mente Angelici M.) ex illo Commentatoris 1. *Phyſ.* (id iam adduxerat Scotus *in* 3. *d.* 2. *quæſt.* 2.) quod S, *Pars eſt prior toto, via generationis, ſicut incompletum completo; ergo ſimiliter in aſſumptione, quia eo ordine aſſumebantur* (recitat Scotus) quo natæ *erant aſſumi.* Unde Maſtrius cum alijs reſolvit, quod partes modo illo ſimplicis vnionis prius fuerunt aſſumptæ in executione, cum talis modus aſſumendi foret eis proportionatus, ac proinde in illo priori naturæ ad totum perſonandum poterant exerceri, vt diſcurrebat Bellutus, P. Maſtrio libenter approbante.

6 Suadent è converſo penes aſſumptionem ad perſonationem tam ordine intentionis, quam executionis. Ordine intentionis, quia prout tuetur ab omnibus, ſemper debet eſſe prius in intentione, quod eſt primum principale in ſerie, vt de ordinate volente dicitur circa finem, & ea, quæ non eſſent, niſi quia ſunt ad finem; ſed quod principaliter eſt in ſerie humana reſpectu perſonationis eſt homo, & ſubſtantia completa; ergo & quod primo intenditur in aſſumptione per perſonationem divinam. Suadet intentum Scotus tam impugnando ſententiam Varronis tenentis aſſumpſiſſe corpus mediante anima, à. §. *Quantum ad primum*, quam reſpondendo ad argumenta opinionis prædictæ à §. *Ad ſecundum dico.*

7 Deinde confirmant propriam, & aliotum opinionem refutant, eo quod præfatis omnibus vnionibus ſic poſitis, probabiliorem relinquant doctrinam Damaſceni de nunquam dimiſo ſemel aſſumpto, dum difficile poſſit ſalvari apud vnicam vnionem ad totum ſtabilientes. Neque ſatiſfacit Faber, inquit Maſtrius, reſpondens, dictum Damaſceni ſemper verificari, cum Verbum mediatè, vel immediatè ſemper maneat vnitum. Non ſatisfacit, quia Scotus tale dictum explicat de partibus principalibus corporis & animæ, tenens iſtas ſemper fuiſſe vnitas, quod verificari non poſſet, cum ſaltim pro aliquo momento diſſolutas fuiſſe iam verificaretur, ac proinde nunquam dictum Damaſceni poſſet penitus manere inconcuſſum, etiam dum ad diſſolutionem vnionis totalis, ſuccederent vniones illæ duæ, corporis ſcilicet, & animæ ad Verbum. Gratis necne id videtur dici, maximè

maximè dum vnione ſimplicis ſuſtentationis, partes ſecundum ſe ſint immediatè aſſumptibiles à Verbo.

8 Guillelmus Varro aliter diſcurrere videtur, vt recitat Scotus ſupra. Ait enim ibi Verbum aſſumpſiſſe corpus mediante anima; ita exponens, quod in primo inſtanti anima fuit aſſumpta à Verbo, & in ſecundo inſtanti naturæ vnitur corpori, & ex hoc in eodem ſecundo inſtanti Verbum vnivit ſibi corpus perſonaliter mediante anima, quam primo ſibi vnivit. Et de partibus comparatis ad totum, tenet, prius fuiſſe aſſumptas ordine executionis, ordine vero intentionis totius aſſumptio, eiuſque creatio prius intendebatur. Ab hoc dicendi modo, nihil diſcrepare videtur Angelicus M. apud Gonet *dp.* 10. *num.* 6. ſic iuxta Angelicum probantem intentum, quia, S, illud fuit prius natura aſſumptum à Verbo, quod prius habuit per illud ſubſiſtere, & exiſtere; ſed anima prius natura habuit à Verbo, quod ſubſiſteret, & exiſteret, quam corpus; ergo prius aſſumpta. Suadet, eo quod ſic evenit cum Verbo, ac eveniret cum propria ſubſiſtentia; ſed in generatione hominis anima prius ſubſiſtit, quam corpus; ergo.

9 Contra Varronem arguit Scotus, quia videtur inconvenire, quod Chriſtus non ſit primò homo; ſed dum primò aſſumeret non naturam humanam, ſed partem, Verbum primò non foret homo; ergo. Probat min. quia ex eo Varro probat contra Magiſtrum, quod Chriſtus in triduo non fuit homo, quia aſſumens non poteſt eſſe homo, niſi homo ſit aſſumptus; ſed probat aſſumptum non fuiſſe hominem, quia anima diſtabat à corpore penes vnionem ad Verbum; igitur dum in priori ad corpus foret vnita, etiam ante Triduum aſſumptum non foret homo, ac proinde nec Chriſtus quod primò foret, foret homo. De quo infra.

10 Deinde, quia iſti Auctores in nullo ſenſu concedunt novam aſſumptionem; ſed iuxta hanc opinionem, in morte fuiſſet nova aſſumptio, quia (inquit Scotus) tunc corpus fuit immediatè vnitum Verbo, & non per animam; ergo in priori etiam per ſe immediatè deberet vniri. Reſpondet Gonet ex D. Thoma, quod aliqua in fieri pendent ab aliquo, quæ in facto eſſe iam non dependent, quin recedente perſeverant, v. g. qui ducit mulierem in matrimonium ob pulchritudinem, quæ facit congruitatem ad copulam, & tamen pulchritudine ceſſante, adhuc durat copula coniugalis.

11 Sed revera, ſemper ſtat difficultas, quia Deus, quæ ex aliquo motivo ſemel facit, ſemper facit, nec enim augetur voluntas, aut minuitur vt in coniugatis, nec augetur vel minuitur integri eventus comprehenſio; igitur ſi anima foret motivum aſſumendi corpus, recedente anima, recedere deberet pro illo tunc corporis aſſumptio, ac proinde in Triduo ſola anima non deberet dimitti, ita vt corpus, quouſque non foret anima in eo non deberet aſſumi. Et confirmat exemplar, quia ſi in coniugatis idem poſſet eſſe, velle, ac diſſolvi, dum vellet ob pulchritudinem coniugari, ea ceſſante diſſolveretur coniugium, ſicuti volitio; igitur cum Deus non aliter faciat, quam velit, dum vellet vniri corpus ob animam, iſta recedente, & velle recederet ad corpus. Ex alio ergo motivo, voluit vniri corpori, quod nec exanime reliquit.

12 Deinde, quia prout exiſtimo, id ſemper vrgendum, quod, S, revera corpus ſit immediatè vnibile Verbo, vt Triduum probat; & etiam quod corpus ſecundum ſe vnitum manere, oporteret iuxta voluntatis divinæ intentum, vt probat etiam illud non dimiſiſſe, adhuc abſque anima; igitur dum vltra vnionem totius requirantur alias partium vniones, non eſt cur, corpori etiam ab initio immediatè & primo non vniatur, quin anima ſit requiſitum.

13 Contra 3. ex Scoto. Quia dum corpus mediantè anima aſſumatur, ſtat ſemper quod ſit in ſe immediatè aſſumptibile; igitur cum ex eo quod præciſè anima aſſumatur immediatè, immediatè primo non aſſumatur corpus, poterit, anima immediatè aſſumpta à Verbo, retinere corpus immediatè poſſe aſſumi à Patre; & ita idem homo aſſumptus foret à duplici perſona, quin neutra foret homo, dum ex illis partibus eſt homo, quando vniuntur; igitur eſſet homo, & non perſona. Unde arguitur aliter, quod eum eſſe perſonam, totius hominis ſit, perſonalitas Verbi, quæ perfecta & completa eſt, prius natura debuit vniri toti humanitati, vtpote ſubſtantiæ completæ, quam incompletæ, vtpote animæ.

14 Ultimo dicto reſpondet Gonet, quod licet ita ſit de alijs perſonalitatibus, ſecus de divina, quę infinita eſt, & ſic cum aliarum perfectiones contineat, valet vniri ſubſtantiæ incompletę; ac ſi propria eius ſubſiſtentia foret, vt evenit in Triduo. Sed licet penes Triduum ita evenit penes vniri, ſed non videtur ex motivo Gonet, quia perſonalitas Verbi apud ipſum non eſt infinita &c. prout eſt terminans vnionem. Deinde, quia in Triduo

duo

duo conſulitur & intenditur deſtructio totius, & ſic nil mirum quod immediatè vniatur Verbum partibus, vbi nec mediatè, nec immediatè vult vniri toti; igitur è converſo, vbi dabatur contrarium destructioni in totum, & aliàs totum erigebatur perfectum, non illæ, ſed iſtud deberet primo vniri. Sed de his infra.

RESOLVTIO.

15 Reſolvendum, dumtaxat dandam fore vnicam totius humanitatis aſſumptionem. Hac reſolutione clarè decernitur primo non fuiſſe partes aſſumptas, totum ſiquidem de per ſe aſſumptum fuit. Eſt conformis Subtili Magiſtro, ita vt mirari poſſem P. Maſtrium, de contrario apud Scotum ſuperſedere ſereniſſimum, cum nec levem viderim probabilitatem, prout ſtatim patebit ex locis ab ipſo Scotizatis. Probat in primis Scotus *in quæſt.* 2. qui vt moris habet, poſtquam opinionem contrariam primo proponit, ſic eam primo impugnat: ſi hæc vnio primo fieret per partem, vel partes, non eſſet vnica aſſumptio; ſed vbi perfectiſſima aſſumptio danda eſt, vt omnes concedunt, vnica ſufficit; ergo.

16 Probat 2. quia ſi talis vnio primo fieret per partem, tunc Verbum prius fuiſſet animal, quam homo; ſed Verbum prius non fuiſſe animal quam homo, rationabilius; ergo. Suadetur, quia tanto perfectius dum poſſit, debet conſiderari, quod debet aſſumi, quanto perfectius iam eſt aſſumens; igitur dum aſſumens ſit perſona, & divina dum aſſumit, dum aſſumitur, quod aſſumitur, congruet, quod ſit natura, vtpote in totum aſſumenti proportionata, ac proinde homo.

17 Probat 3. & confirmat dicta. Propter illas duas vniones non fuit homo, ſicut oſtenſum eſt in ſecunda ratione; ergo requiritur tertia, quę ſit totius primo, propter quam tertiam Verbum ſit homo; ſed dum Verbum ſit homo, ſicuti cætera, ſuperfluunt & cęteræ; ergo. Fateor hanc rationem Scoti nimis vrgere. Quia revera, quidquid ad eſſe Deum hominem præcederet, ſicuti præter hominem, & præter Deum deberet percipi iuxta Myſterij internam perfectionem.

18 Dices ſtatim, quod ſic, etiam quod poſt Deum & hominem ſubſequeretur, & extra Deum & hominem deberet percipi, & tamen certiſſimè tenent quod homine dimiſo non dimiſerit Deus poſt illum partes; igitur etiamſi hominem non admiſerit, deberet ante illum partes admittere. Non tenet, & probè, ni fallor, Damaſcenum exponam. Dum in triduo dimiſit hominem, iam dum totum, quęcumque hominis fuerat ſit aſſumpta, ac proinde natura humana ſemel divinizata, decebat eam vtpote Deo iam affinem, & veluti conſanguineam, ſemper diſtinguere & honore conſervare, quare dum aliunde oportebat hominis deſtructio, decebat quod haberent, quæ homo habuit, illa quæ de eſſentia hominis erant; at antequam Deus foret homo, nil præcedebat, quod ex decentiæ, & affinitatis vinculo deberet præ cęteris altius elevari.

19 Probatur deinde in Scotiſtas quos ſequitur Maſtrius, quia poſtquam Scotus hoc punctum *in quæſt.* 2. complevit, dubium ex ea reſultans fatetur, ait enim, *Sed reſtat vnum dubium, quia videtur quod in morte fuerit nova aſſumptio partis in ſe, quæ prius nō fuit vnita.* Cuius difficultas à Maſtrio & alijs opponitur in cæteros Scotiſtas, & revera, quia ſequētes quę Scotus, & opponetur eis, quæ Scotus ſibi.

20 Confirmatur intentum, quia Scoticum ex §. *Ad propoſitum*, vbi ait, Quod in iſta paſſiva aſſumptione humanitatis ad Verbum nullum fuit medium quod (percontarat Scotus ſupra à §. *In iſta quæſtione*, an pars aliqua fuerit media inter Verbum, & partem aliam, vel partes; vel an pars, vel partes fuerint medium inter Verbum, & totum) inter Verbum, & ipſam naturam ſed tota natura fuit, ſic immediatè aſſumpta. Probat, quia quod eſt in ſe primo perſonabile ſi ſibi dimitteretur, etiam in alio primo perſonatur, quando aſſumitur, quia perſonalitas divina ſupplet perſonalitatem propriam; ſed tota natura eſt primo, & immediatè hoc modo perſonabilis in ſe, ſi ſibi dimittatur; ergo. Probat mai. quia ante illud inſtans in quo perſonaretur in ſe non eſt natum aſſumi, quia ante illud non fuit natura ſingularis; nec poſt illud inſtans aſſumitur, quia poſt illud iam eſſet perſona in ſe. Min. probat. Quia in eodem inſtanti naturę, in quo materia præceſſit totum, vel forma, neutrum natum eſt eſſe perſona; ſed tunc primo, quando ex iſtis vnitis eſt tota natura, tunc ipſa tota eſſet perſona in ſe, & eſt natura humana Chriſti; ergo tunc, & nō ante aſſumitur.

SOLVUNTUR OPPOSITA.

21 In primis adducent Noſtri, partem eſſe vnibilem iuxta Scotum, & tunc per ſimplicem ſuſtentationem; igitur talis aſſumptio cum independens eſſet ab aſſumptione ad perſonalitatem poterat exerceri. Sic Maſtrius, & Bellutus (nota, hanc reſolutionem defenſaſſe, dum ſupponant, totum etiam à partibus ſimul ſumptis eſſe diſtinctum, prout in Phyſicis,

cis,

cis,pro viribus propugnavi) Reſpondendum totum dictum eſſe verum de poſſibili, nunquam enim ita repugnare defenſavi; ſciebam namque partem aſſumptibilem, necnon probam fore doctrinam de ſimplici ſuſtentatione,& ſimiliter iuxta ambitum rerum aſſumptibilium,iuxta quod P. Gaudentius proponit probabilitati,an ſicuti accidens, & ens rationis in intellectu exiſtens poſſet à divino Verbo aſſumi.

22 Verum exiſtimo non eveniſſe quidquid potuit, vt fateri tenentur. Dicendum itaque,id non eveniſſe; tum quia ſuperfluum, cum revera non poſſit negari quod dum Chriſtus debeat vniri toto, & deinde ſic, homo ſimpliciter & rigoroſius ſit, ſuperfluet vt pleniſſimè Verbum ſit Incarnatum,addere ad quālibet partem,vnionē ſeorſim.Qui enim capit totum, nil relinquit quod melius non capiat. Quin capere totum, eſt proprius infinitè-capientis modus. Si enim, & in nobis fruſtra fiunt per plura,quæ per pauciora poſſunt, potius apud Deum, apud quem nil fruſtra eſt. Preterquam quod virtus vnita, non minuit,ſed auger, quin & divinitatis proprior ſimplicitas, quam oportebat imitari humanam naturam, cum in totum intenderetur Deitatis conſortium. Tum etiam, quia debemus dare quod perfectius, & nullum fateri vnionis ad Deum inſtans, in quo Deus non foret homo, dum homo fieri vellet, laudabilius, & perfectius, vt intuenti patet.

23 Dices (exiſtimo hoc eſſe alterius opinionis integrum motivum) verùm eſſe, ſi aliàs Verbum nunquam poſſet dimittere, quæ ſemel aſſumpſit; vt enim contrarium Patribus non poſſit verificari, videtur congruum, quin & neceſſarium vltra aſſumptionem ad perſonationem, ſtabilire aliam ad partes per modum ſimplicis ſuſtentationis; vt enim verificetur dimiſiſſe,ſat eſſet vnicum inſtans, tametſi vniones ad partes ſuccederent in Triduo. Reſpondendum, & in primis dico, quod ſaltim ſalvabitur, quod Chriſtus nunc & ſemper, vtpote tranſacto Triduo & à primo inſtanti reſurrectionis, vnionibus partialibus non egebit, quin iam erunt ſuperfluæ; cum Chriſtus iam non moritur, nec mors illi vltra dominatur, ſicque Chriſtus manet in æternum; ac proinde licet ante mortem non forent otioſæ, ſecus autem poſtea, tum aſſumpto toto, ſat ſit, vt nil reſtet quod aſſumat, ſicuti nec quod dimittat,vt dicebam, quia licet dimiſſerit poſt Triduū vniones ad partes, ſecus autem partes, quia partes aſſumit qui totum ex eis reſultans aſſumit.

24 Reſpondendum deinde,Verbum aſſumpſiſſe partes ſeorſim in Triduo vel in immediato poſteriori naturæ (ſemper intra idem temporis inſtans) ad diviſionem corporis & animę, vel melius, dum reſolvamus aſſumpſiſſe partes, quanto citius & immediatius potuit introduci aſſumptio earum ſeorſim, ad deſitionem earum coniunctim. Hoc modo, nunquam poteſt dici quod dimiſſerit partes, ſed quod dimiſſerit coniunctas; non enim valet dici quod dimiſſerit partes, quia dimiſſio partium coniunctarum fuit aſſumptio partium diviſarum. Neque Verbum vt in illo inſtanti temporis non dimitteret partes, deberet ſine neceſſitate triginta ad illinc annis aſſumere, maximè dum nulla perfectio ad aſſumptionem naturæ aſſumptæ ſequeretur, nil enim haberet ex partibus aſſumptis, quod ex natura humana aſſumpta non haberet.

25 Nec dictum Damaſceni ſtrictius capiendum (præterquam quod ſtrictiſſimè capitur) aliter enim, omnes ęquè reſpondere debent. Dixerat enim, nunquam dimiſiſſe, quæ ſemel aſſumpſit, quod ſi abſolutiſſimè retinendum ſit, difficile ſalvabitur, quia revera hominem aſſumpſit, & revera hominem dimiſſit; igitur dum principaliſſimus ſcopus aſſumptionis ſit homo, & tamen ſivè ſic, ſivè ſic, ſalvant quod non dimiſſit, quod aſſumpſit, etiam ſalvabitur, dum ſivè ſic, ſivè ſic teneamus quod abſolutè nunquam partes fuerunt dimiſſæ, quin ſolum partes vt coniunctæ, ita vt in nullo tempore verificari valeat abſoluta dimiſſio.

26 Obijc. aliter ex eo quod partes ſint toto priores in executione, & totum in intentione prius; igitur ſi ſtandum ſit communi axiomati priuſquam totum debuit aſſumere partes. Hoc argumentum in quo tam Maſtrius, quàm Gonet nimis fidunt, difficultatem neſcit. Quid enim Verbum intendit, aſſumere præciſè, vel perſonare humanitatem? Hoc vltimum profecto dicendum. Igitur prius debuit in executione perſonare partes diviſim, vel materiam, aut formam (prout velint) quam perſonare, ſeu exercere perſonationem circa naturam humanam completam? Improba omnimodo cōſequentia. Prout enim Verbum intendit aſſumere, non habuit prius, quia Verbum ſolum intendit hominem facere perſonam divinam, circa quod nec partes ſunt prius,nec poſterius, cum nullo modo ſint perſonabiles. Quod ſubtiliter prævidit Scotus aiens §. Ad Argument: *Et ratio eſt (inquit ipſe) quia in illo inſtanti naturæ, in quo totum eſt totum, ipſum eſt perſonabile in ſe, vel in alio, & ideo quidquid præcedit ipſum naturaliter, non præcedit ipſum in*

perſo-

perſonalitate , quia vt prius non eſt perſonabile.

27 Partes igitur(reſpondebat ibi Scotus) ſunt priores tota natura mea quoad ordinem generationis, vel executionis, non tamen in cõparatione ad perſonationẽ, quia partes non perſonantur priuſquã tota natura mea,& ſimiliter in extranea. Neque obſtabit ſi dicas eſſe aſſumptibiles; ergo prius. Non obſtat,quia id poſſet eſſe caſu in quo non aſſumeret perſonando; at in hoc caſu non datur aſſumptibile, niſi quod perſonabile, ſicuti aſſumptum quod perſona. Deinde,quia ex poſſibilitate aſſumptibilis nil præfigitur ad partem , nam ſicuti potuit iſta ſola aſſumi, & non fuit aſſumpta, ſic licet poſſet prius aſſumi, & deinde totum, nil obſtabit vt ſic non foret aſſumptio facta; maximè dum non aſſumpta prius parte , potuiſſet aſſumi totum, idque perfectius iuxta diuinam normam aſſumpti. Tandem , quidquid in alia via prius debeat eſſe in partibus reſpectu totius,in via ad Verbi vnionem, nil eſt Verbo immediatius , niſi quod perſonæ. Et circa poſſibilitatem aſſumptibilis, natura eſt proportionatior ; abſolutè vero , neutra ſunt in ſe omnia, & pro libito diuinę voluntatis determinanda.

ART. II.

De cæteris corporis partibus ſit reſolutio.

28 Circa partium integrantium aſſumptionem varios dicendi modos recitat Maſtrius vbi ſupra *quæſt.* 5. conueniunt igitur omnes Verbum aſſumpſiſſe, quidquid animatum, quare cum de ſanguine dubitetur animatio , pariter dubitatur & aſſumptio. Durandus, Gabriel , Gallus, Poncius , & Vulpes abſolutè negant ſanguinem, cæteroſque humores fuiſſe à Verbo immediatè aſſumptos, cum non ſint pars corporis humani. Valentia, Centinus, & Meracius abſolutè affirmant contrarium , quin & de guttis alibi derelictis, & corpori non reunitis. Caietanus,Silueſter, & alij tenent ſanguinem nutrimentalem, & animatum nunquam fuiſſe Verbo vnitum , ſemper vero animatum & quem vitalem diſtinguunt. Riccardus Mairon & alij prædictam diſtinctionem non ſuſtinentes dicunt, ante ſeparationem hypoſtaticè vnitum , & ſic poſt reſurrectionem, ſecus autem dum ſeparatum. Suarez , Vazquez , Lugo , Amicus , Aversa , Arriaga , Caſpenſis, Beccanus,& Bellutus tenent etiam in Triduo fuiſſe Verbo immediatè vnitum, ſed non omnem , ſed qui erat reaſſumendus, ac proinde ſi aliquid ſanguinis manſit in terra , talem non fuiſſe vnitum.

29 Priuſquam noſtram reſolutionem formemus, aduertendum eſt, quod hinc principalius reſolvenda pendent ab alijs *in lib. de Generat.* & Anima dilucidatis, quæ omittam, cum dixerim plura *in lib. de Gen. diſt.* 4. *& maximè in quæſt.* 2. vbi difficillima exponuntur reſolvendo modum iuxta quem quilibet homo ſeruet eſſe numero vnum , & præcipue in reſurgendo, cum ipſe , & non alius Deum videre oporteat : cuius difficultatis deciſio conbinanda venit cum humanitatis partibus, vtpote eiſdem perſeverandis, ex illo quod,S. nunquam dimiſit. Pendent etiam ab expoſitis *in lib. de Anim. Diſt.* 1. *quæſt.* 7. vbi plura reſoluimus impugnantes animationem fluidorum , & ſanguinum differentias &c. ſic. Hinc ergo , de principali ſolum attendemus ad ea quæ in Theologicis potius vrgent ; & circa hæc , cum Subtilis D. ex inſtituto non tractet, inde, inquit Maſtrius, varij ſunt Scotiſtarum ſenſus. Reſolventes itaque, quæ digniora venerando aſſumpto videamus.

30 Diſplicent in primis tenentes vitalem ſanguinem aſſumptum , ſecus nutrimentalem, & deinceps reſolventes nec vitalitium in Triduo manſiſſe aſſumptum. Prima pars impugnata manet *in lib. de Anim.* vbi ſupra. Secunda pars ſuadetur, quia difficile poſſet conciliari illud verum, de non dimiſiſſe quod ſemel aſſumpſit,aſſumpſit ſiquidem ſanguinem, eumque dimiſit; ergo. Dices ſtatim , quod aſſumpſit ſanguinem vitalem, & hunc nunquam dimiſit, quia ſanguis dimiſſus,nec erat vitalis , nec animatus. Contra , quia pari licẽtia poſſemus dicere dimiſiſſe in Triduo cęteras æterogeneas partes corporis, quia eas dimiſit non animatas , dum animatas tetinuit.

31 Diſplicent etiam tenentes , totum ſanguinem fuiſſe aſſumptum , & etiam poſt ſeparationem , at ita quod ſolum manſerit vnitus , qui poſtea reaſſumendus. Diſplicet ergo & in primis , quia realitate loquentes, difficile ſalvabunt præfatum dictum Patrum, nam revera totum ſanguinem aſſumpſit , revera aliquem aſſumptum dimiſit ; ergo revera non eſt verum quod quidquid ſemel aſſumpſit , nunquam dimiſit. Deinde , quia præfati Auctores ea reſolvunt nitentes in eo, quod debuit vniri ad omne illud quod ad corporis integritatem , amplamque ſtructuram, & perfectionem ſpectabat ; vel ergo ſic ſpectabat ſanguis dimiſſus, vel non? Si ſi; igitur

tur vel debet ſemper manere aſſumptus, vel manere corpus ſine plena eius ſtructura. Si non; igitur ſicuti quia non ſpectabat ad plenam ſtructuram, non fuit immediatè vnitus ſeparatus, neque fuit immediatè vnitus dum coniunctus; præterquam quod ſemper infertur, Chriſtum habuiſſe quidquam extra perfectam naturę ſtructuram, quod mihi aſperriſſimum, quibuſcunque interpoſitis interpretationibus.

32 Deinde, quia ſanguis ille, vel videbit corruptionem, vel non? Si videat; equidem indecens, præterquam quod, & impium. Indecens, quia quod divinum fuit ſemel, nunquam ſic deſpiciendum, quod tranſire queat in deteriores formas, quæcunque ſint, & maximè cum ſordeſcentes poſſent eſſe. Omnia enim mire ad hominem illum fuerunt proviſa, cum vt lactaret ſola Virgo, & vbere de Cælo pleno. Quid ergo divinizatum poſſe corrumpi in ſtercora? Hæc profecto nimis attendenda, cum etiam in ſervos millia milliũ habuiſſet ex purioribus ſpiritibus. Impiũ etiã, quia improbe, & aſpere ſalvabitur ille ſacer textus de iuſto non videndo corruptionem, quem ſi verum credimus de infimioribus ſervis quoad cunctas corporis partes vt experimur, quid non tenendum de cunctorum Domino,& vivorum & mortuorum Primogenito? Si nunquam corrumpendum, ſed ſemper perſeverandum, violentum præterquam quod inutiliſſimũ, ſanguinem illum abſque Chriſto ſtandum. In quo enim ſanguis ille defecit, & ex quo non ęquè meritorius, vt ęquè non foret glorificandus? Sicuti enim per quæ quis peccat, puniendus, & per quæ quis meretur præmiandus. Aliter enim manens, potius quam innocentius effuſus, è terra clamare poſſet.

33 Placent vero Auctores ſecundæ ſententię tenentes vniverſum Chriſti ſanguinem fuiſſe in vniverſo tempore vnitum, ſcilicet tam ante ſeparationem, quam deinceps. Iſti enim Auctores loquuntur profecto conſonanter ad dicta Patrum, Chriſti ſanguinem ſummopere apretiantes, & ad ſacros textus retinentes in Chriſto quidquid ſemel ponentes,& Myſterio divinizatam naturam integre venerantes. Solum reſtat quid vltra addere, & exponere,necnon hinc dicenda dictis in articulo antecedenti conbinare. Quæ omnia per ſequentes reſolutiones exponemus.

34 Reſolvendum ergo Verbum divinum tunc & ſemper immediatè vnitum nedum ſanguini,cæteriſque humoribus, verùm & cuicunque parti, quæ quomodolibet ſit ſpectet ad integritatem,& ornatum viri perfecti.Reſtat vero declarare,ãn immediatè, & quo pacto talis immediatio percipienda ſit. Diximus namque in antec. art. Verbum ſolũ aſſumpſiſſe partes eſſentiales,qui- aſſumpſit totum; quare opponent aliqui, eumdem ſcopum in cæteris partibus aſſumptis ſervandum;qui ſi ſervetur,non facile ſalvabitur ſanguinem immediatè vnitum; necnon cum ſanguis non ſit pars eſſentialis naturæ humanæ,non videtur poſſe dici de eo poſt ſeparationem à toto,quod tunc ponatur immediata vnio ad Verbum, vt dicebatur de partibus principalibus ſeparatis, eo quod totum non conſervabat vnionem, ſicque decebat eſſe in totius partibus.

35 Vt ergo nunc, non moleſte agamus iterum tractantes, an totum etiam homogeneum vtpote ſanguineum ſit realiter diſtinctum à ſuis partibus, (negativam partem defenſavi de tali toto in phyſicis)vnico Verbo dicimus, quod dum Verbum fuit vnitum vnica vnione ad totum hominis realiter diſtinctum à partibus de per ſe illum conflantibus,vel cæteræ partes (extra eſſentiales intellige)illum de per ſe conflabant ſic,quod illa tertia entitas Verbo vnice vnita, ex illis etiam reſultaret, vel ſic quod ex iſtis illa tertia entitas non reſultaret? Si velint dicere,illam tertiam entitatem etiam reſultare ex his homogeneis,& quibuſcunque alijs integrantibus,in tali caſu,reſolvemus de omnibus his partibus, quæ reſolvimus ſupra de corpore & anima, ac proinde dicemus, quod dum dabatur totum naturæ humanæ, ſat erat vnica illa vnio immediata pro toto &c.vt ſupra,& ſimiliter quod in Triduo decuit immediata vnio ad omnia illa, quæ ante Triduum fuerant illius totius immediate vniti. Vide illa, eadem enim militanda doctrina; ſi eadem decernenda conditio.

36 Si vero ſanguis,cæteræque partes illam tertiam entitatem vnice vnitam, ſic non conflent,quod vnita entitate non maneat ſuffragans motivum, vt dicantur vnitæ partes, quia totum ex eis reſultans vnitum eſt &c. in tali caſu firmiter reſolvemus cum præfatis Auctoribus, Verbum etiam ante Triduum immediatè vnitum talibus partibus, & poſt Triduum ſic remanſiſſe, cum ſemper debeamus ſalvare nunquam aſſumptum ſemel divinizatum dimiſiſſe.

37 Dices quod ſic,plus damus ignobilioribus,quam nobilioribus, cum demus ſanguini & conſimilibus vnionem ad Verbum, eamque negemus partibus eſſentialiter ſtructuram entis phyſici humani conſtituentibus; igitur abſque proportione reſolvimus. Non

obſtat

obſtat dictum. Eſt ratio, quia partes illæ vtpote eſſentiales toti, ſic intrinſece & de per ſe totum conſtituunt, quod nil aliud ſit niſi quod reſultet ex quidditatibus talium partium, ac proinde ſic eſſentialiſſimè pendens ab eis, quod illis quomodolibet variatis totum deſtruatur. Quare cum vnito immediatè toto, conſervet eſſentialem partium connexionem, & aliàs circa lineam humanam, totum ſit perfectius, & partes nil in illa hominis linea potius dicant, inde vnito toto, otioſum manet aliter percipere vnitas partes, dum totum quod dicere poſſunt vnitum ſit in eorum toto quod nunquam poteſt intelligi ſine ipſis; ſicque ęquivalenter, necnon formaliter aſſumptæ reputādæ, cum terminus idem formalis, & intrinſecus earum aſſumptus ſit. At autem, cum ſanguis, & *cæteræ* partes, eo quod alterius & inferioris ordinis ſint, à toto eſſentialiter non coexigantur, nec illo poſito ipſæ in illa linea eſſentiæ poſitæ percipiantur, & aliàs Chriſtus deberet habere, quidquid ad hominis plenā vndequaque ſtructuram ſpectabat, inde decuit Verbum eas aſſumere immediate ſecundum ſe, quia ſecundum ſe non aſſumptę, nec aſſumptæ penes totum, ac proinde nullatenus.

38 Dices, in Art. antec. dixiſſe Verbū ex eo nō aſſumpſiſſe partes per modum ſimplicis ſuſtētationis, quia Verbū in aſſumptione intēdit fore hominē, ac proinde, quod foret aſſūptibile quod perſonabile, ſed id etiā probat & melius aſſumptū de partibus nō eſſentialibus, vt ſanguis &c. ergo. Reſpondemus ſemper ſtare in dictis; diximus enim partes eſſentiales aſſumptibiles fore, nec Maſtrij & Belluti doctrinam negavimus. Reſolvimus tamen, Verbum primo aſſumpſiſſe totum, (vel partes coniunctas ſi velis, in opinione totum ab eis non diſtinguente, iuxta quam iſtæ inſtantiæ non vrgent pro nunc; ſed eas ſuſtinemus vt illam Scoti doctrinam penes totum defendamus) quia nil debuit eſſe Verbum, priuſquam homo Verbi perſona, & id non ſequeretur ſi prius partes ſecundum ſe aſſumpſiſſet; & deinde totaliter homine in eſſentia facto, cum nil iam eſſētiale ex partibus deficeret, inde otioſum & inutile per ſimplicem vnionem vniri partibus, formaliori ſiquidem eſſentialitati & perfectioni earum vnitum erat. At cum cæteræ partes talis eſſentialitatis non forent participes, & aliàs iam Verbum homo foret, congruebat, quod ſicuti iam erat totaliter homo quoad eſſentiam, & foret totaliter homo quoad plenam integritatem, ac proinde quod haberet conſequenter cunctam hominis ſtructuram, quam habent homines habentes aliam, vtpote eſſentialem, vt ſic *accederet ad omnes paſſiones, quæ in illo nil valerent, niſi eſſet homo ſic* (ſic capio Auguſt. ex ſequenti) *obijcens aſpectibus humanis hominem* vide *expoſ. ſuper Pſal. 63. v. 7.*

39 Et etiam congruit percipere ſic Verbum cuncta hominis aſſumpſiſſe, vt dicta tot Scripturarum, & Patrum circa Chriſti ſanguinem loquentium plenè & ſuavius ſalventur, quia revera nimis confluere videntur, vt videri poteſt apud Maſtrium Poncij, Vulpis, & aliorum inſtantem expoſitiones. Deinde valet eſſe motivum, quia pręfati Auctores ex eo principaliter moventur, quia ſanguinem, cæteraſque huiuſmodi partes in comparatione principalium, parum prodeſſe videantur, & infimè habendas ad humanitatis eſſentialem & ſuperiorem ſtructuram. Sed revera, nil id iuvat in caſu Myſterij. Ratio eſt, quia licet tales partes infimius videantur inter ſe, at non ſic pro Verbo iam homine ſemel facto, cum reſpectu Verbi æquè omnia diſtent, quia omnis caro fœnum, nec Deus plus corpore habet, quam haberet Angelo; igitur dum ex divino genio iam foret ex ſtercore elevare pauperem, cunctaque hominis ſuper opera manuum ſuarum conſtituere, nulla pro quibuslibet infimis tametſi partibus apponenda penes Deum difficultas. Exceſſivè enim diſtabat homo, quam ab homine diſtarent quę aliquomodo ſua, quin obſtet, iſta eſſe de conſtitutione ſecundaria.

40 Diſplicent itaque innumerabiles Auctores tenentes Chriſtum in curſu humano vitę per nutritionem, necnon per naturę pſtibilitatem plura deperdiſſe, vt ſolent cæteri in vitæ curſibus diminuendo, vel augmentando. Quin reſolvimus Chriſtum Dominum omnia ea, quæ ſemel habuit, ſemper retinuiſſe, quin levior pars deperderetur vnquam. Ni fallor, hoc præterquam quod decentiſſimum partibus ſemel deificatis, propriſſimum ad celebre illud Damaſceni. Dictum enim Damaſceni, non ſolum in vna temporis differentia verificandum, quia vt falſificetur, non potius facit mors, quam vita; igitur ſi quia ſemel ſumpſit ea in vita, non decuit dimittere in morte, vbi cuncta dimittere erat congruentius in caſu dimittendi, nec decuit dimittere in vita, vbi quæcunque conſervare naturalius, præterquam quod perfectiſſimum.

41 Perfectiſſimum equidem, quia malū ex quocunque defectu, & quidquam deperdere non eſt bonum, deficere enim non eſt abſque defectu, cum perfectior foret natura ſic vigens, quod ex perfecta ſymetria, & com-

K plexione

plexione nunquam diminuens non videret finem, prout de Adamo defenſant aliqui, ſi in perfectiſſimo ſtatu conſervaretur. Deinde, quia non habere ſcrementa perfectiſſimum, cum ſit imbecillioris naturæ, quare præ cæteris hominibus Chriſtum ea non habuiſſe proportionatius. Deinde, quia, vt inquiebat alibi Scotus, quidquid bona ratione tibi perfectius occurrar, id eveniſſe in Chriſto tene; ſed ſic conſtruere ſpecioſum forma præ filijs hominum, occurrit, & non contra rationem ſpecioſius; ergo. Et etiam, quia id ſpecialiſſime providentiæ digniſſimum, cum ad aliam non ſic ex aſſumpto ſublimem *minutiſſima* ſpectarent, vt de recto iuſti capite ſic curaret, quod nec capillus periret. Tum maxime, quia ſi in corporibus exanimibus conſervantur omnia in filijs adoptivis ne quidquam per corruptionem deperdant, quomodo debet filio naturali etiam in vita videre corruptionem? Nil enim ibi parvum, quin quæcunque maiora noſtra, nec corrigiam calceamenti ſupetabant.

42 Dices, quod Chriſti humanitas fuit mortalis, apta doloribus &c. ſic. Ergo iuxta circunſtãciam ſtatus diſſipabilis, & deperdibilis. Reſpondẽdum, nil hæc obſtare, noſtræ reſolutioni. Chriſtus nãque D. ſolũ ex diſpenſatione fuit viator, ac proinde ſolũ debemus diſpẽſare quæ paſſus, ſervatis ſemper quæ paſſione ſunt compatibilia. Potuit enim ſummos habere dolores, quin tamen quidquam per corruptionem naturalem deperderet, quia cauſa naturalis non dabatur ex ſumma perfectione elementorum, & cæterorum. Solum enim paſſus per violentiam per quam ſanguis ſeparatus, & aliqua alia integrantia à corpore diviſa, eximium cauſabant dolorem, verumtamen nunquam illa, nec alia deperdita, ſed incorrupta, & integre conſervata, & Verbo ſemper vnita. Conſimiliter iuxta Bernardum, B. Virginis dolore omnes mundi creaturæ perirent, & tamen ſic doluit, quod nil deperderet, prout ſæpius defenſavimus.

43 Dices, quod ſic vniverſaliter defenſantes, quæcunque etiam ſecundario integrantia naturam humanam Verbo fuiſſe vnita, non concedemus aliquid ſanguinis mãſiſſe in terris. Reſpondendum, & in primis permittimus nonnullos tenentes iuxta doctrinam Angelici M. ſanguinem quem in aliquibus locis retinent fideles non eſſe eum, quem Chriſtus Dominus effudit. Deinde adhærentes quam plurimis alijs ex pia Pontificum declaratione fatentibus verum ſanguinẽ in aliquibus paſſionis inſtrumentis manſiſſe, dicemus nec fidei, nec pietati, nec rationi opponi, quod ſicuti Deus voluit, quod ſacrum eius corpus nobiſcum foret per Triduum, Verbo tamen ſemper vnitum, ſic etiam, quod eiuſdem corporis aliquæ reliquiæ manerent ad devotionis incrementum, ad fidei ſuffragium, & ad humanitatis cultum, quin tamen vnionem deperdant, ſed ſic conſervanda vſque dum per fidelium omnium finem illo eſſendi nobiſcum ceſſante fine, corpori glorioſo integre reſtituantur.

44 Nec quidquam mirandum, vbi nil adeſt quod mirabile non ſit. Non enim mirandum quod exanimis reliquia maneat vnita Verbo, cum exanimis in communi ſententias ſanguis ante Triduum vnitus foret, & in Triduo apud aliquos, & poſt Triduum apud alios. Nec mirandum quod vſque ad finis finem ſerventur ſine influxu animæ leves reliquiæ, totum ſiquidem corpus abſque influxu gloriæ quandiu vixit Chriſtus manſit, & non ſine eximio miraculo. Necnon paſſim tenent plures Crucem ex ſolo extrinſeco & materiali contactu, etiam poſt finem mundi in Cœlo collocandam in perpetuum; vbi nota extrinſecam valde vnionem per clavos. Nec tandem mirandum quod quæcunque fuiſſe Chriſti, quamtumvis minuta, & levis fateamur immediatè deificata, dum ſivè ſic, ſivè ſic forent integrantia, ſi vertamus oculos ad præſepium, ad ſpinas, necnon & ad pullum aſinæ.

QVÆSTIO III.

De organizatione corporis, Incarnatione, & Deipara comparata.

1 DUo hinc veniunt inquirenda. Primum eſt de organizatione corporis Chriſtiferi, & ſecundum de Virgine Maria, vt Chriſti genitrice. Primum tractat Scotus *hinc d. 2. Tractat ſecundum d. 4. queſt. 1.* Quæ iam breviter reſolvere intendam.

ART. I.

Chriſtifera organizatio reſolvitur.

2 QUæſtio (inquit Scotus, quo hine dumtaxat alloqui decernimus) poteſt intelligi de prioritate temporis, vel

vel naturæ. De prioritate temporis ſunt duo articuli. Primus de ordine quem habuit animatio reſpectu Incarnationis. Secundus de ordine, quem habuit organizatio reſpectu animationis.

3 Reſolvit 1. Scotus, quod animatio non præceſſit tempore Incarnationem. Dat rationem, quia ſi tempore animatum corpus præceſſiſſet, tunc natura hęc iam humana, ſuiſſet aliquando in ſe perſonata, & non in Verbo, fuiſſet ſiquidem caro animata, & non aſſumpta; ſed id contradiceret veritati, quam aliter credimus; ergo. Probat Scotus rationem maioris. Quia corpus animatum ſi aliquo tempore ſit ſiſtens in ſe adæquatè, erit perſona, duplicem enim illam negationem dicet; ergo. Probat min. quia tunc Beata Virgo non fuiſſet vera Mater Dei, nam non genuiſſet Deum, ſed illum hominem purum cuius tota natura fuiſſet poſtea vnita Deo; ergo contradiceret animationem præceſſiſſé tempore.ad vnionem. Probat antec. quia tota ratio Maternitatis Mariæ ternata, & finita fuiſſet in productione illius naturę, ita vt nil efficeret,quãdo vnio efficiebatur ad Verbum; igitur nil reſtaret efficere ex quo foret Mater Dei; adeſſe ſiquidem Deum hominem, nil faceret hominis ad Deum.

4 Circa ſecundum, S, de organizatione comparata ad animationem, inquit Scotus, quod organizatio poteſt intelligi vel vltima inductio formæ diſponentis immediatè ad animam intellectivam, prout dicunt formam corporeitatis defenſantes, aut ipſa inductio animę intellectivæ, prout dicunt tenentes ipſam animam eſſe id, quo corpus formaliter eſt organicum; vel poteſt intelligi organizatio, transmutatio illa pręcedens ad vltimam inductionem formę diſponentis ad animam intellectivam, vt primo dictum eſt.

5 Et vt vltimo dictum capiatur, explicat & recitat Scotus, pro vltimo & ſecundo hoc dicẽdi modo, quod præcedũt duę transmutationes, S, motus localis, quo materia defertur ad locum convenientem generationi, & alteratio, qua materia in loco debito alteratur, & diſponitur ad formam corporis organici ponendam. Iuxta quem dicendi modum, cum etiam teneant aliqui, partes ætherogeneas corporis organici differre ſpecie,& teneri poſſet ibi dari multas generationes,& trãſmutationes.Nam ſi partes illæ habeãt formas ſubſtantiales alias, & alias, ita & cuiuslibet formæ generatio poterit eſſe altera, & altera, & ad cuiuslibet generationem dari præviam alterationem. Necnon vlterius poteſt dici,quod non omnes iſtæ generationes ſunt ſimul, quin vna præcedet tempore aliam, & conſimiliter vna alteratio diſponens ad alteram generationem præcedet naturaliter alteram alterationem.

6 Qualitercunque ſit de iſtis expoſitionibus (reſolvit ſic Scotus) poteſt dici, quod organizatio primo modo dicta, S, quæ immediatè diſponit ad animam intellectivam non pręcedit tempore animationem, adhuc in nobis. Probat, quia ſi præcederet, pater nullo modo generaret hominem; ergo non pręcedit tempore. Probat antec. Quia completa eſſet tota actio patris prius tempore quam eſſet homo, completa ſiquidem foret prius tempore quam eſſet anima; ſed ille non generat hominem,cuius tota actio completa eſt, prius tempore quam ſit homo; igitur ſi præcederet, pater nullo modo generaret hominem.

7 Si autem fiat ſermo ſecundo modo, S, iuxta transmutationes illas, plures partiales formarum differentium generationes ponentes, tenendum eſt (Scotus ſic) quod omnes inductiones formarum ſubſtantialium partialium, etiamſi quam plurimę eſſent, in eodem inſtanti forent in caſu Myſterij Incarnationis. Dat Scotus rationem, eo quod ex partibus à Verbo aſſumptis, nulla pars prius tempore alia præfuit in ſuppoſito; ſed id contigiſſet ſi vna fuiſſet prius tempore alia; ergo.

8 Expoſuimus ad Scoti literam de inductione formę ſubſtantialis immediatæ ad animationem,ſivè totalis,ſivè plures partiales ſint, nunc dubitatur adhuc de transmutatione materiæ ad locum convenientem generationi (ſic dubitat Scotus) & de alteratione præcedente generationem totius, vel generationes partium,an ſcilicet iſtæ præceſſerint tempore, vel fuerint in eodem inſtanti cum Incarnatione? Si enim ponantur in tempore fuiſſe (inquit Scotus) *Magis videtur poſſe ſalvari, Virginem Mariam cooperatam fuiſſe ad illos motus, ſed de hoc in diſt.*4. in qua nulla inſtantaneitas videtur obſtare Scoto, vt comite divina virtute, poſſet B. Virgo verè influere generans.

9. Si autem totum ponatur in inſtanti (Scotus ſic) ita vt nullus ibi fuerit motus localis, neque mutatio cum ſucceſſione, magis ſalvatur,quod in vltimo inſtanti conſenſus expreſſi Virginis, fuit in vtero Virginis Verbum homo;& ita,ante illud inſtans non videtur fuiſſe aliqua operatio ſpecialis ante Incarnationem; & in his videtur tota fuiſſe completa.His ita.

10 De prioritate naturæ (reſolvit Scotus) videtur

videtur eſſe dicendum, quod fundamentum relationis naturaliter præcedit relationem, quia ſecundum Philoſophum 5. Met. & Auguſtinum *de Trin.7. Quod nil eſt in ſe, nil eſt ad aliud*; ſed prout *in Diſt.*1. expoſuimus, totalis natura eſt fundamentum illius vnionis hypoſtaticæ; ergo entitas totalis naturæ naturaliter præcedit Incarnationem. Conſimiliter etiam totius organizatio præcedit naturaliter animationem, ſecundum opinionem ponentes formam organizantem diſtinctam ab anima intellectiva; & ſecundum opinantes ipſam animam eſſe organicam formam, ſaltim eſſe ſimul organizationem & animationem, deducetur.

11 Oppones, quod corpus Chriſti erat generatum ex puriſſimis ſanguinibus B. Virginis ſecundum Damaſc.*lib.*3.*cap.*2. ſed corpus generatum eſt denſius ſanguinibus ex quibus generatur ſecundum Dsmaſc.*cap.* 28; ergo minorem locum occupat; ac pec conſequens formationem, vel conceptionem, vel generationem neceſſario concomitabitur motus localis; ſed iſte non eſt in inſtanti; igitur nec erit cum Incarnatione, quę fuit in inſtanti; non poſt illam; ergo ante, ſicque tempore pręcedens eam humanitatis organizatio, & conceptio.

12 Sub duplici ſenſu reſpondet Scotus. Et primo dicens, quod ſi alteratio pręcedat tempore Incarnationem, ac proinde in hoc ſenſu detur motus localis in tranſmutatione materię ad locum convenientem generationi, necnon detur occupatio minoris loci ex generatione corporis denſioris, tamen ſemper ſalvatur intentum reſolutionum, nam in vltimo inſtanti condenſationis inducerentur omnea formæ partiales, & forma totalis corporis organizati, in quo ipſo inſtanti cum totum aſſumeretur à Verbo, nil quod formæ geniti foret, tempore præcedetet ad Incarnationem.

13 Reſpondet deinde in alio ſenſu, S, ſi ponatur alterationem non præceſſiſſe tempore, tunc poteſt dici, quod occupatio minoris loci erat ſubita, cum ſic eſſe potuerit per divinam potentiam, maximè dum poſſet fieri divinitus ſic, quod vim Genitricis etiam concurrere faceret. Sed de hoc in ſequenti.

ART. II.

Reſolvitur Sanctiſſimæ Virginis Maternitas.

14 REſolvimus firmiter cum Catholico, & Subtili D. Beatiſſimam Virginem, verè Dei genitricem fore. Suadet Scotus ex illo Luc.1. *Concipies in vtero, & paries filiũ.* Et ex illo Matth.1. *De qua natus eſt Ieſus.* Et hæc luculenter applicat, & manifeſtat per Damaſc. *cap.*59. vbi ait: *Dei genitricem verè Sanctam Mariam prædicamus. Non enim hominem nudum* (proſequitur cum Damaſceno) *genuit Beata Virgo, ſed Deum verum, non nudum, ſed incarnatum.* Vbi videtur dicere (ait Scotus) quod genuit ſuppoſitum, ſicut ipſe determinat, quia infra *cap.*82. addit: Quia generatio eſt hypoſtaſis, ſed genuit illud ſuppoſitum, non ſecundum naturam divinam, ſed humanam.

15 Reſtat vero præſtabilitam reſolutionem, tametſi catholicam, applicare & fundare ſupra terminos Philoſophiæ, & generationum proprietatem, cum revera tunc Virgo Maria erit verè Mater, & illius hominis hypoſtatici verè genitrix, quando exercuerit id, quo cæteræ mulieres dum exercent, verè matres ſunt, ſervatis ex perfectione ſervandis. Duplex itaque eſt opinio. Prima tenet, quod ſolus pater habet rationem activi, & mater rationem paſſivi, ita vt ipſa ſolum miniſtret materiam prolis, & in ſolo ſemine patris ſit vis activa formativa prolis. Hæc fuit Ariſtot. 15. de animalibus, comparantis virtutem in ſemine patris artifici, & materiam miniſtratam à matre ligno, de quo artifex facit ſcamnum. Secunda tenet, matrem etiam eſſe cauſam activam tametſi minus principalem, & ſecundariam, & cum patre integrantem vnam cauſam totalem. Hæc fuit Galen. ſicut recitat Avic. apud Scotum hinc *diſt.* 4.

16 Secundum vnam, & alteram opinionem ſalvari valet B. Virginem, vt innui, verè Dei genitricem eſſe, cum divina virtute adiutrice, dum faceret, quæ cęteræ mulieres facientes, veræ matres ſunt iuxta quamlibet opinionem, & iuxta quamlibet verè Mater deberet eſſe Virgo Maria. Verùm cum nimis proſſit, quæ verius habeantur examinare circa Matris vim & influxum, & etiam iuxta probabiliorem opinionem aliqua quæ ſemper obſtabunt exponere, quæ horum Scotus proponit adducam, plura ſiquidem ſubtiliter indicit, vnam & alteram opinionem recitans.

17 Recitat in primis opinionem Matri activitatem negantem (dixi ab initio, quod in B. Virginis diſputationibus, ſolum Subtilem, & Marianum adducere Doctorem, ſat) Contra ſic arguit Scotus: Ad formas eiuſdem ſpeciei conſequuntur potentiæ naturales eiuſdem ſpeciei; ſed mas, & fœmina ſunt eiuſdem ſpeciei ex 10. Met. igitur ſi ad formam

vnius

vnius conſequatur naturaliter vegetativa activa (ſignat Scotus potentiam in vegetativa, quia generativa actio, principaliter convenit virtuti vegetativæ) & vegetativa activa ſimiliter ſequetur ad formam alterius.

18 Contra 2. arguit ; Pater naturaliter plus diligit filium ſuum , quam diligatur ab eo, ſicut vnuſquiſque naturaliter plus diligit ſuum opus, quam è converſo, ex 8. Ethic. & 9. Pro quo aſſignatur ratio , quod benefaciens plus afficitur beneficiato , quam è converſo; ſed mater plus diligit filium ſuum, quam pater, ſicut patet per ipſum Philoſ. 9. & 8. Ethic. igitur adminus deducetur , quod filius eius etiam ſit opus eius.

19 Contra 3. Filius quandoque aſſimilatur magis matri, quam patri ; ergo quia in matre eſt aliqua virtus activa. Deducitur conſequentis ratio, quia agens intendit aſſimilare ſibi effectum, ita quod effectus nulli aſſimiletur, niſi propter aliquam actionem eius; ergo.

20 Contra 4. & ſubtiliſſimè profectò. Si mater tantum eſſet quaſi vas, in quo ſicuti in loco convenienti generaretur proles , ita vt dum hæc ſit de aliquo matris vt de materia, matri non attribuatur plus, quam terræ in generatione mineræ, dum minera de aliquo terræ generatur, tunc terra continens illud aliquid ſicut locus conveniens generationi talis corporis, erit mater illius ; ergo vel terra mater eſt, vel mulier vltra terram erit mater. Confirmat intentum Scotus , quia prædicto modo Philoſophus non videtur dare matri pluſquam homini reſpectu generationis vermis ex homine, dum generatur ex aliquo humore putrefacto , & in loco convenienti generationi ſuæ; igitur dum nil vltra det matri, nil deficeret homini, vt eſſet mater illius vermis. Si dicas quod vermis non eſt eiuſdem ſpeciei , id forte non obſtabit, ſi equus dicatur pater mulæ, & aſina mater.

21 Præterea Subtilis D. arguit , & iam circa ſubiectam materiam Dei genitricis, adducens Damaſcenum in 48. tribuentem Virgini Mariæ virtutem ſuſceptivam, ſimul autem & generativam; ſed ſi Sanctiſſima Virgo tantum eſſet principium paſſivum, non appareret quomodo virtuti ſuſceptivæ copularet virtutem generativam; ergo quia vltra recipere habuit & agere. Et hæc de difficultatibus circa primam opinionem matris activitatem negantem.

22 Poſtquam Subtilis opinionem negantem propoſuit & impugnavit, proponit activitatis affirmativam, in quam tametſi vt in probabiliorem inclinatus, non tamen abſque difficultate modum tenendi eam adipiſcens, maximè circa ſubiectam materiam præcelſæ Dei genitricis Mariæ. Dum itaque (inquit Scotus) teneatur activè etiam matrem cum patre integrare vnam cauſam totalem, difficilius videtur ſalvari , quomodo Maria fuit mater, quam ponendo primam opinionem. Patet enim, quod ipſa miniſtravit totam materiam corpori Chriſti, ſed non ita patet, quomodo potuit cooperari Spiritu Sancto ad formationem illius corporis.

23 Exponunt aliqui , Virginem Mariam iuxta ſecundam opinionem fuiſſe matrem, quia ipſa miniſtravit materiam , in qua erat vis activa , ſed tamen illa vis non habuit actionem aliquam , quia actionem eius ſubito prævenit Spiritus S. formans corpus illud de materia ſibi miniſtrata. Erat igitur Virgo mater tenendo opinionem de actione matris, eo quod præbuerit materiam , in qua quantum erat ex parte ſui erat vnde ageret , niſi aliud agens fortius prævenisſet eam in agendo corpus. Exemplificant in virga Aaron cui data erat fœcunditas per quam poſſet activè producere ſucceſſivè flores , & fructus, ſed non produxit , quia illam fœcunditatem prævenit virtus divina ſubito producens illa.

24 Contra hanc expoſitionem arguit Scotus , quia nullus homo fuit Pater Ieſu, tametſi aliquis habuerit virtutem activam, iuxta quam ad formationem talis corporis non egit, Spiritu S. præveniente, tametſi egiſſe potuerit vt patet ; ergo à ſimili in ſimile. Confirmatur in exemplo virgæ. Si enim arbor diceretur pater , vel mater illius fructus quem produxit , tamen illa virga licet fœcunda fuiſſet, & ſic potens producere fructum, & non produceret, quia præventa, non diceretur pater, vel mater illius fructus ; ergo & ab exemplo exemplariter diſcurrendum.

25 Exponunt & dicunt aliter cum Varrone *in 3. quæſt.* 13. quod collata fuit Virgini vis ſupernaturalis ſecundum quam potuit cooperari Spiritu Sancto in inſtanti.

26 Contra hanc expoſitionem multiformiter arguit Scotus. Primo, quia illa vis ſuperna foret accidens, & de per accidens illius naturæ generativæ; igitur dum ſolo accidenti egiſſet Virgo ad formationem corporis, nunquam fuiſſet verè mater, ſicuti ceteræ, quæ ex natura ſua agunt ad corporis formationem.

27 Præterea, quia difficile accidens poterit eſſe ratio formalis producendi ſubſtantiam, quæ ſit terminus generationis. Si dicas virtutem illam ſupernaturalem fore tanquam perfectionem intrinſecam collatam virtuti

vege-

vegetativæ matris. Hoc videtur nimis mirabile, quia ſic, illa vis facta fuiſſet intenſior, quam ſi naturaliter genuiſſet, ac proinde ſic eſſet plus Mater, quam mater.

28 Præterea, quia illa vis intrinſeca foret eiuſdem ſpeciei, ſiquidem vis generans redderetur intenſior; quomodo ergo illa intenſa poterit agerę in inſtanti, & illa remiſſa non poterit? Formæ enim eiuſdem rationis, licet vna ſit alia perfectior, tamen penes tempus agendi ſimiliter ſe habere videntur, etiamſi vna aliquid perfectius producat, quam altera, vt patet de luce perfectiori & minus perfecta, quarum vtraque æquè inſtantaneè illuminat, licet vna perfectius alia illuminet; ergo. His ita circa aliorum mentes.

29 Subtilis Doctor, in caſu opinionis matri activitatem cauſæ minus principalis tribuentis, tenet, Virginem Mariam verè fuiſſe matrem, quia in ea data fuit tota illa actio, quę veræ matri debetur. Et pro maternitatis Marianæ captu tradit Scotus, quæ fiunt in formatione corporis noſtri, & quæ fieri poſſunt divinitus, & facta fuerunt in formatione corporis Chriſti. Quorum ſtatim referam, quæ Scotus præadducit.

30 Ad hoc ergo intelligendum (inquit Scotus) ſciendum eſt, quod tres ſequentes motus expenduntur in formatione corporis noſtri. In primis pręcedit motus localis à loco ipſius corporis corrumpendi ad locum convenientem generationi ipſius corporis organici faciendæ ex corrumpendo. Deinde ad hunc motum localem ſequitur figuratio corporis, quę figuratio non fit ſine motu locali. Sequitur deinceps condenſatio illius corporis corrumpendi, quæ eſt quædam alteratio pręcedens generationem corporis denſioris ex iſto corpore rariori; quæ alteratio non eſt ſine loci mutatione, non quia novus locus acquiratur, ſed quia poſt condenſationem occupatur minor. Et vlterius in vltimo inſtanti talis alterationis inducitur forma, qua corpus eſt complete organicum, ſivè talis forma ſit anima apud quoſdam, ſivè illa corporeitatis apud alios. Et id, ſivè vna ſit forma totius organici corporis, & partium ethereogenearum, ſivè alia ſit forma totius à formis ſpecialibus partium, ſivè nulla ſit forma totius præter ſpeciales ethereogenearum. Quomodolibet enim, ſtandum in eo, quod ſivè alteratio vnius partis ad alterius præcedat vel non, tamen aliquid eſt in vltimo inſtanti, quod non præfuit, & ſine quo corpus non eſt completè organizatum.

31 His ita, iuxta duplicem opinandi modum, dupliciter ſentit Scotus poſſe circa Virginem Mariam formari reſolutionem. Si enim opinari valeat B. Virginem tribus illis motibus expendiſſe concurſum, tametſi brevius habitis, quam in cæteris matribus, tunc licet dicatur in inſtanti non cooperatam ad præambula corporis organici cum Spiritu Sãcto, quin ſucceſive, licet brevius, ſemper tamen ſalvari valet, quod nulla pars ex aſſumptis, ſeu aſſumendis à Verbo, præfuiſſet in ſuppoſito creato, omnia enim aſſumpta fuere dum complete, & in inſtanti in quo perfectè organica, ac proinde quod præfuit, nec fuit aſsũptum, nec in ſuppoſito proprio, cum non fuiſſet completum. Dum ergo aliquid præfuiſſet, non in ſuppoſito, quin illud quod præfuit, ſolũ haberet corrumpere ſe in aliquod aſſumendum. Videtur hanc expoſitionem purè permiſſam ab Scoto, cum ſequenti potius videatur innixus.

32 Si vero opinetur, ibi non fuiſſe illos tres motus, ſed quod totum fuit in vnico inſtanti, S, ſic, quod licet antea fuiſſent diſperſi ſanguines in corpore Mariæ, quin nunquam in tempore moti ad matricem, nec tempore figurati & condenſari, ſed in vltimo inſtanti illius temporis (puta vltimum inſtans, comparatum ad tempus requiſitum pro alijs matribus) fuit in loco illo corpus figuratum, & denſum, ſicuti ſi eſſet in termino illorum trium motuum, ſi tres illi motus pręceſſiſſent; ſic ergo, adhuc dico (inquit Scotus) quod B. Virgo potuit cooperari Spiritu Sancto in tali actione inſtantanea, & quantum ad formam ſubſtantialem termini talis actionis, & quantum ad vbi, & ad figuram, & denſitatem, tametſi omnia hæc ſubito inducta.

33 Suadet & comprobat Scotus præformatam reſolutionem. Si namque non potuiſſet cooperari, id oriri deberet ex vna trium cauſarum, S, vel quia non habuit cauſalitatem activam minus principalem reſpectu termini inducti, vel reſpectu pręfatorum omnium terminorum inductorum; vel quia ſecundum illam vim activam non potuit agere ad terminos hoc modo inductos; vel quia & ſi potuit, præventa tamen fuit à virtute maiori, totum & totaliter operante; ſed nulla ex tribus cauſis obſtat, vt probetur contrarium; ergo.

34 Non obſtat prima, quia B. Virgo habuit virtutem activam ſicut aliæ matres; ergo ad eoſdem terminos ad quos, & aliæ; ſed aliæ habent vim activam reſpectu vbi, figuræ, condenſationis, & formæ ſubſtantialis; ergo &c. Dices ſtatim iuxta vnũ ex modis ſupra recitatis, quod in toto ſunt multæ formę ſubſtãtiales partium ethereogenearũ ſpecie differẽtes, ad quas ſimul in ducendas non habet aliqua

mater

mater vim activam ſufficientem, ſed oportet vnam prius tempore quam aliam inducere.

35 Contra inſtat Scotus,& tam ſubtiliter, quam efficaciter. Dum aliqua virtus non habet in terminum quidquid ſuum terminum adęquat, poteſt ſimul agere reſpectu alterius termini, primo ſiquidem non adæquatur virtus, quare dum terminus adęquatus ponitur,non valet inſimul agere in alterum,& ex contrario, valet inſimul in plures inadæquatos,& maximè ſi illi includantur in primo termino adæquato ſibi; ſed nulla forma partialis ex præformatis eſt terminus adæquatus præfatæ potentiæ activæ matris, ſed forma totius corporis organici, aliàs mater non poſſet agere in formam totius;igitur cum omnes illæ formæ partiales includantur in toto, quod eſt terminus adæquatus,in omnes illas ſimul poſſe,ex parte virtutis non obſtabit.Ex quo obſtet alijs de facto,dicetur infra.

36 Non obſtat ſecunda.Quia aliqua media (puta hinc modos illos ſucceſſivè figurantes,& diſponentes) ſunt neceſſario media virtuti imperfectiori, quæ media neceſſario non ſunt virtuti perfectiori; igitur cum Maria SS, & Spiritus S, forent agentia virtutis perfectioris,quam foret B.Virgo & Vir ſuus, licet talia media forent neceſſario Virgini & Viro,ſecus autem perfectioris virtutis,vtpote Virgini, & Spiritui Sancto. Antec. probat Scotus. Nam agens naturale neceſſario debet nũc procedere per media determinata à ſuperiori, cum huius ordinis ſubſit, ſecus autem agens ſupremum, cum non ſubſit ordini in agendo, quia talem ordinem præfixit voluntariè, ac proinde non eſt ei neceſſarium procedere per media,quæ naturali agenti voluntariè præfixit.

37 Dices, quod talis non neceſſitas mediorum, tantum eſt ob infinitatem virtutis Spiritus S, at ſemper manet æqualis neceſſitas mediorum reſpectu virtutis creatę, cum hæc non poſſit agere reſpectu termini, niſi procedat per media illa ſibi neceſſaria. Contra arguit Scotus,quia ſi per illa media de per ſe,ſeu in virtute illorum mediorum deveniri deberet ad terminum, agens non produceret terminum ratione mediorum, quia iſta non ſunt, dum eum producit; igitur præciſè tunc producet, quia habet virtutem activam reſpectu termini: igitur ſi aliqua ſit virtus activa quod faciat non procedere per media, & aliàs ſubito agens ſe habeat ad terminum, ſicuti in termino ſe haberet ſi per media proceſſiſſet, talis, idem erit agens non tranſiens, ac ſi tranſiſſet per ea; ſed Spiritus S,potuit facere quod ibi non foret tranſitus per illa media,& deinde eum hoc ſtare poteſt quod virtus activa matris eadem ſit, ac fuiſſet in termino ſi tranſiſſet; ergo.

38 Non obſtat tertia. Quia Spiritus S, cum libere agat,non agit neceſſario iuxta vltimũ ſuæ potentiæ; igitur poterit ad aliquid ſe extendere ſic vt cauſa ſecunda ipſo valeat operari;ac proinde poterit ſupplere defectum patris naturalis,& perfectius. Deinde B. Virgo poterit cooperari ſecundum cauſalitatem ſuam, quia nil ab ea aufertur per hoc quod Spiritus S, præveniendo cauſalitatem alterius cauſæ, S,Patris, ſupplet vicem eius;ac proinde præventio nil tollit Virginis, ſed Virginis cum D. Ioſeph.

39 Tribus his cauſis à Subtili D. retardatis, epilogat reſolutionem hoc diſcurſu: Omnis cauſa activa habens virtutem reſpectu alicuius effectus, & non præventa ab alio totaliter cauſante talem effectum, in eo inſtãti, in quo producitur, poteſt agere ad productionem eius: B.V.Maria fuit talis, ſi tales ſint omnes aliæ matres; ergo.

40 Reſtant tamen pro complemento, nonnulla cum Scoto exponere. Et in primis dictum Damaſceni 48. dicentis, *Spiritum S, dediſſe Virgini potentiam ſuſceptivam, necnon generativam.* Generativam revera non dedit ei, quia Virgo non fuit ſterilis, ſed fœcunda vt cęteræ. Verùm dicitur ei datã, quia virtus mulieris, licet activa, minus tamen principalis cauſa. Cauſa enim minus principalis,& inferior,dicitur remota,quia ipſa non eſt in potentia propinquã ad agendum, niſi cauſa ſuperiori agente, quia ſuperior primo determinatur,ac proinde eã mediet ſuperioris determinatio, mediata ſic dicitur vis naturalis inferior. Itaque cum ſecundum communem ordinem vis activa matris nata ſit ſubordinari vi activæ patris,& ſic potentiam remotam vt ſupra dixi, propinquam reddat pater, inde Spiritus S, patrem ſupplens,dedit ei potentiam propinquam generativam, ſicque Damaſcenus.

41 Suſceptivam verò dedit ei (inquit,& exponit Scotus) in quantum erat generativa Verbi. Exponit à paritate naturæ vnitę, quia ſicut natura,ad quam vt ad formalem terminum erat B. Virginis generatio tantum erat in potentia obedientiali, vt vniretur Verbo; ita hæc B. Mater tantum habuit potentiam obedientialem, vt eſſet ſic Mater Verbi.Ex eo namque erat Mater Verbi,quia Verbum ſubſiſtebat in illa natura ſibi vnita.

42 Ex dictis verò (dubitat Scotus) eſt ne concedendum, quod Maria Virgo fuerit Mater naturalis Chriſti,vel quod miraculoſé

gene-

generavit Chriſtum? Reſpondet Scotus, poſſe dici miraculoſam & naturalem generationem à Virgine. Poteſt dici miraculoſa, vt dicitur ab Anſelm. de Conceptu virginali *cap.* 2. S, quantum ad modum reducendi potentiam naturalem activam Mariæ ad actum, quæ naturaliter non reducitur ad actum, niſi à cauſa activa determinata naturali, S, vi activa patris naturalis, & B. Virgo reducta fuit à potentia divina. Dicenda etiam miraculoſa quãtum ad modum procedendi in illa generatione, vel quia fuit omnino ſubita, qualis non eſt proceſſus naturalis in generatione cæterorum hominum, vel quia, & ſi fuiſſet ſucceſſiva, ſed ſic, quod illi motus, qui præceſſerunt generationem, ita in brevi tempore fuerunt expediti, in quanto non ſunt nati fieri naturaliter.

43 Dici tamen poteſt naturalis ex parte ipſius potentiæ activæ B. Mariæ, quia iſta potentia ei erat naturalis, ſecundum quã enim erat naturaliter fœcunda, & potuiſſet concipere à patre naturali, & naturaliter agere valuiſſet ad productionem prolis &c. ſic.

44 Aliud dubium circa rationem ſeminalem, & quo pacto etiam corrupto ſemine pater dicatur talis, necnon quo pacto cõgruat vt potius dicatur quod mater terminum genitum ex proceſſu conditionum attingat, vide in Subtili Magiſtro hinc *diſt.* 4. *à* 5. *Sed hic eſt vnum dubium.*

DISTINCTIO III.

De Adoptione.

1 PRæſentem diſtinc. hinc tractare decrevimus, in præcedentibus ſiquidem manet actum de gratia, & ſanctificatione, & de generatione Chriſti è Sanctiſſima Virgine, igitur cum adoptio ſit gratuita filiatio, nullibi melius de adoptivis agere oportebat. Inquirendum itaque venit de Chriſto D. an in aliquo vero ſenſu dici poſſit filius adoptivus, vel in omni ſenſu debeat dici filius naturalis. Circa quæ ingenuè dicam, quidquid ſcholaſticè verùm ſentiam. Verùm ſemper Sanctorum Patrum veſtigia ſic venerans, quod ſi in aliquo minus rectè ire videar, quæcunque abolere mea deſiderem.

(∴)

QVÆST. VN.

Quo pacto de Chriſto D. ſentiendum ſit.

2 CIrca adoptionem ergà Chriſtum D. nonnulli Exterorum, & ex proprijs P. Maſtrius, multum habere de nomine quæſitum exiſtimant. Et prout advertere potui, non aliunde id deſumitur, quam ex varijs ſenſibus, quibus filiationis gradus exponunt, quibus ſic vel ſic expoſitis, ſic vel ſic formant reſolutiones, quin iuxta ſuppoſitum in expoſitione putent apparere temerarium, quod ſecundum ſe & abſque expoſitionis præambulo temerè à pluribus audiretur. Sĩ namque aliquis poſſet ex probabilibus alijs principijs ſupponere, quod de albo v. g. ſecundum partem, abſolutè poterat prędicari albedo, nil deinceps vt ſingulare mirãdum, ſi reſolveret, quod æthiops abſolutè erat albus. Cõſimiliter enim circa Chriſti adoptionem, & naturalitatem aliquorum noto percipiendas reſolutiones, dum alij aliter explicant filiationis naturalitatem, & alij aliter filiationis adoptionem, contra quos parum debet argui in illis quæ reſolvunt, niſi prius evertantur illa quæ ſupponunt, quod evertere, revera non eſt facile, cum quilibet circa generationis, & filiationis gradus ſpecialia relinquat fundamenta in philoſophicis, & aliàs etiam filiatio Chriſti ſit in modo vnica, & prę omnibus ſingularis cum partim ſimilis, & cęteris diſſimilis partim, ſicque nil mirandũ quod in tot placita Theologi dividantur, difficilè namque habet regulis noſtris comprehendi, prout alte Concilium Toletanum 11. cenſuit, dum dixit: *Si ratione oſtendi poſſet, non eſſet mirabile; ſi exemplo, non eſſet ſingulare.*

3 Verùm ſuavioris rationis attendentes veſtigia, Sanctorumque Patrum non diſſona, iuxta noſtrum captum principaliora dilucidare opus erit. Principaliora namque ad duo tendunt, S, an Chriſtus dici poſſit filius adoptivus, an verò dumtaxat dici debeat filius naturalis, quæ per ſubſequentes articulos reſolventur.

ART. I.

An Chriſtus dici poſſit Filius adoptivus.

4 COmmunioribus ſtantes, prout P. Maſtrius recitat hinc *dp.* 2. *quæſt.* 4.

dum

dum adoptio de Chriſto diſputatur,capienda venit de eo prout homo indicitur, in eo, S, ſenſu, in quo dicitur incepiſſe, creaturam eſſe,prædeſtinatum &c. In hoc ergo ſenſu tres refert opiniones, duas extremas,& aliam mediam. Prima tenet, Chriſtum vt hominem eſſe filium Dei adoptivum,ita Nominales, & nonnulli Scotiſtæ, cum quibus citatur etiam Durandus, Rubion, Gabriel, Maior, Almainus, Baſſolius, Tartaretus,& Scotus ipſe *in* 3. *d*.10. Altera huic extrema Chriſtū fore adoptivum filium negat, prout tenet Schola Angelica,& communius Subtilis, etiam Recentior, vt Lichetus, Faber, Poncius, Aretinus, Vulpes, Centinus, Rada, Bellutus,Gallus,& alij cum Maſtrio, qui iuxta aliquorum mentem prout de fide recitat. Tertia, quę media videtur, diſtinguit duplicem adoptionem, & ſic duplicem extraneitatem. Prima, & maior extraneitas eſt, quando non ſolum excludit à filio debitum filio naturali cōveniens, quin etiam omnem congruentiam, iuxta quam adoptati petat, quo pacto habetur in eo, qui adoptatur, dum omnibus modis erat adoptanti extraneus. Et iuxta hanc dicunt Chriſtum non fuiſſe adoptivum, cum ex vnione ſubſtantiali hypoſtatica præ cæteris congrueret glorificari. Secunda iam eſt levior, cum ſolum dicat hanc extraneitatem, qui non dicit naturalitatē in filiatione,quo pacto Chriſtus valet dici adoptivus, prout S, hoc pacto non valet dici filius Dei naturalis.

5 Exiſtimo ſemper, præſens quæſitum nullo potius, quā expoſitionibus egere, quapropter filiationis gradus diſtinguere opus erit, vt ſic aptius hinc prętenſus eluceat. In primis,ergo primum filiationis gradum invenimus derivatum à generatione naturali,cum ſit origo viventis à viventi à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ. In hac enim filiationis ſphæra tres alios invenio gradus, inter quos datur exceſſus in generationis proprietate. Primus dicendus ille,ex quo filius, qui eſt terminus genitus, ſimilior,ſeu ſummè ſimilis manet cum natura generantis, & hic eſt ille qui eſt ſimilis in natura numerica, cū ſimilior eſſe non poſſit, necnon vis infinitè perfecta requiratur ad communicandum non ſolum formam ſpeciei,quin & formam individuam. Hic itaque ſolum poteſt competi filio per æternam, & infinitè perfectam generationem derivato. Secundus dicendus ille, qui naturaliter productus communicat cum generante in forma ſpeciei infimæ,v.g. homo ex homine. Tertius dicendus ille, qui in genere infimo communicat, vt eſt generatio muli ex aſino,& equa. Et hic gradus eſt infimus inter filiationis gradus, cum in ſimilitudine naturæ generantis ſit remotior.

6 Poſt hos filiationis gradus veniunt alij, in quibus iam hæc ſimilitudo vnivocè non repetitur, nec naturaliter ex principio coniuncto,ſed liberè,& iuxta vnam,aut aliam imitationem; qui gradus tametſi omnes non debeant dici gratioſi,vtpote ex pręciſa forma gratiæ,omnes tamen valent dici liberi,& præternaturales; quos vt clarius procedamus diſtinguemus, lineam adoptionum deſignantes.

7 Principium namque omnium ſolum eſt voluntas,ſive divina pro liberis Dei filijs, ſivè humana pro filijs hominis voluntarijs. Non enim facile extra primos tres filiationis gradus aliud principium à quo vivens ſpirituale, & gratioſum derivetur,invenietur. Similitudo vero etiam gratioſe poſita debet eſſe iuxta ea quæ à volente, ſeu voluntariè generante participantur. Coniunctio vero conſimiliter capienda eſt iuxta illud vinculum,iuxta quod voluntariè filius voluntario patri intimatur. Si enim extra naturæ curſum, & generantis innatam vim proportionatè alloqui debeamus,hic videtur hinc proportionatior ſcopus.

8 Incipientes ergo ab huiuſmodi filijs, plures etiam in eis inveniemus filiationis gradus. Et in primis homo v.g.reſpectu Dei dupliciter valet dici filius,S,per aliquam ſimilitudinem naturę,& per aliquam ſimilitudinem gratiæ. Per naturam ipſam humanam,cum ſit derivata ſeu producta à virtute Dei,& aliàs ſimilis naturæ talis virtutis producentis, ſeu creantis,ſiquidem penes animam habet naturam,cum potentijs intellectualibus, quibus valet producere actus, quibus perfruatur bonis divinæ hæreditatis naturaliter,valet ſiquidem ſic naturaliter eum cognoſcere, & ſuper omnia amare,prout cum Seraphico D.de Angelis in naturalibus conſtitutis defenſavimus.

9 Verumtamen hęc ſimilitudo tametſi ex natura cum nimis ęquivoca ſit reſpectu divinę, & aliàs in modo communicandi impar ſit naturalitati generationum,ideo de alia loquendum venit. Hinc tamen notando, quod hæc filiatio ſi comparetur cum ſuperna gratia, ſolum indirectè excedentur, vt diximus de vnione ſubſtantiali hypoſtatica,& de accidentali gratiæ. Filiatio enim ex natura,habebit exceſſum penes materiam, cum ſit ſimilis ex ſubſtantia,& ex potentijs conſubſtantialibus. Filiatio ex gratia habebit exceſſum penes ſtatum,cum tametſi accidētaliter ex natura & ex habitibus, vti potentijs ſuis,ſuperno modo participet ſimilitudinem divinę Naturæ. Notandum etiam,quod in vna & in alia,licet eſ-

L ſe,

ſe, libere à Deo habeatur, attamen gradum ſimilitudinis ex natura rei habent,quicunque ille ſit, ſemel in rerum natura poſitis; ſicuti homo genitus ex natura rei ſimilis manet generanti, tametſi huic voluntarium fuiſſet illum genuiſſe,& harum diſtinctionem, tetigerat iam Scotus *in 3. d.* 10.

10 Cùm igitur ſimilitudo prædicta ex natura, generationis naturalis gradum non participet, ac proinde in ſphæra naturalium non ſit ponenda, ideo dum de gratioſis agentes, & perfectius & elevatius per eas, quæ ſunt gratiæ, divina Natura cum bonis ſuis participetur, de iſtis agere hinc proprius; earum gradus etiam ſecernentes, vt præintenta Chriſti filiatio exactius prævideatur.

11 Voluntate igitur efficiuntur filij, qui in natura diſſimiles non deſumunt naturaliter aliquid patris, ex quo habeant fieri hæredes eorum bonorum, quorum ex ſe, ſeu ex ſubſtantiali natura ſua pater erat Dominus, vnde naturaliter ab eo geniti hęredes fiunt, quia ſi pater ius habebat,& ius trãsfundi naturale eſt in illis,in quibus eadem patris ſubſtantia naturaliſſimè transfunditur;nam vt refert Scotus citatus ſupra, ſicut manent naturæ, ita & proprietates naturarum. Igitur nil aliud eſt adoptare, quam per liberam alterius voluntatem habere, quod per aliquid ex natura illius derivatum, nunquam haberet, neque habere exigeret, quin nec iuxta aliquam naturæ congruentiam. In genere ergo adoptivi ſunt omnes,qui ex affectu,patris naturam conſequentes, veluti origo voliti à volente, inde accipiunt ius ad hæreditatem. In ſpecie verò multipliciter habendæ ſunt filiationes, quas à remotioribus deſignavimus, vſque ad Chriſtum.

12 In primo adoptionis gradu ſtatuimus inimicum, quia hic vndequaque magis diſtans & remotus eſt tam à ſimilitudine adoptatoris, quam ab ipſius bonis. Suadetur,quia id magis videtur habere adoptionis, ſeu ex adoptione, quod minus videtur habere ex proportione, & coniunctione adoptatoris; ſed nemo minus habere videtur quã qui magis diſtans, extraneus, & ſummè diſſimilis; ergo.Amicitia namque ſecundum ſe,eſt aliud vinculum,cum amicus ſit alter ego,ac proinde ſic amicorum bona ſunt communia; igitur quo magis ex inimicitia diſtet aliquis,vtpote contraria quæ in omnibus mutuo ſe expellũt, tanto magis ab ſcopo filij naturaliſſimi diſtabit, ac proinde ex liberaliori motivo erit habilis vt propinquetur,ſeu propinquari poſſit, ſicque magis adoptionis vim exercebit. Hoc enim pacto nos efficimur adoptivi, dum naſcimur filij irę, & ſic diabolus ſi adoptaretur modo, necnon ille,qui in mortali exiſtẽs, vel inſimul cum peccato,vt putant aliqui,vel per extrinſecam condonationem purus adoptaretur. Itaque in hoc adoptionis gradu,alios ſubdiſtingues iuxta maiores vel minores inimicitię gradus, necnon iuxta maiores amicitiæ ad quos poſſent transferri, ſi Deus vellet, prout valet.

13 In ſecundo gradu ſtatuimus omnes illos,qui ex prima conditione ipſorum,nec amici,nec inimici extant,vt ſæpe contingit in humanis,& potuit ex natura indiferenter contingi reſpectu Dei, prout iuxta Seraphicum D. & alios probabiliter nonnulli deſenſant circa primam conditionem, ſeu creationem Angelorum, qui in naturalibus exiſtentes fuerunt habiles ſine peccati reſiſtentia,& ſine ſuperno habituum adiuvamine ad diligi, & diligendum Deum vt ſuper omnia bonum. Prædictum namque ſtatum retinentes, nec erant filij & amici Dei,nec erant inimici,nec filij iræ, ac proinde minus diſtãtes à naturali proprietate filiorum, & à iure bonorum valentis ea dare minus extranei, ſicque vim adoptionis in ſummo primorum rigore non exercentes.

14 In tertio gradu ſtatuimus eos,qui in nullo inſtanti habuerunt naturam abſque gratia,ita vt nec præciſive extitiſſent filij iræ, ſicuti & filij affectus, quin ſemper habuerunt eſſe filij Dei,ipſiuſque naturæ ſimilitudinem ſupernè participantes, ac proinde non prius creati, quam tempore filij & hæredes bonorum divinorum. Iſti enim de facto iam propinquius habentur ad ſcopum nativæ generationis,cum nunquam forẽt habentes naturam à creante vel producente, quin producentis bona participarent, ac illi, qui in ſubſtantia communicantis bona præextiterunt,ac proinde iuxta factum nunquam extranei, ſeu diſtantes. In hoc ergo gradu ſtabilimus omnes illos, qui innocenter fuerunt creati, vt Adamus,& iuxta probatiſſimam opinionem omnes Angeli, vtpote inſimul gratia habentes naturam, & perfecti in vijs ſuis à die conditionis, vt de Lucifero deſcribebat Ezequiel cap. 28.

15 In quarto gradu ſtatuimus SS.Virginem Mariam, vtpote in omni inſtanti phyſico,& reali ſui eſſe naturalis habentem ſimilitudinem Naturæ divinæ per ſummam, & inter cæteros exceſſivam gratiam, titulo intimiori in naturæ proprijs tametſi remotè, & de congruo iam fundato. In hoc enim gradu, ſaltim quoad aliquam circunſtantiam naturæ rationabilia ſapientem, Virgo Maria leviorem præ cæteris habere videtur adoptionis

nis gradum. Quia Virgo Maria verè & realiter fuit hominis Dei genitrix,ita vt prout ſupra expoſuimus cum Scoto inſimul naturaliter,& miraculoſè foret mater; ſed ex natura rei congruit quod mater de congruo ſaltim habeat ius ad bona filij,ac proinde quod ſpecialiori titulo ſit intima filiationi perſonam divinam includente; igitur radicaliter aliquomodo habuit proprius dici gloriæ, & gratiæ hæres, ita vt præ cæteris adoptionis gradibus Virginis Mariæ ſtabiliẽdus ſit.Nulli enim creaturæ ſimili proprietatis titulo fuit ad bona prędeſtinata, ac proinde levius terminavit adoptionem, dum levius terminavit extraneitatem. Tunc enim magis exercetur adoptiva vis, quanto magis diſtare fecit à bonis adoptatoris adoptandi extraneitas.

16 Devenimus iam ad quintum & vltimum gradum, in quo dumtaxat invenitur Chriſtus D. cum inter omnes extraneos, videlicet inter omnes extra rigoroſè naturales filios,ſit immediatior, ac proinde primus vt reſpiciens naturalitatis immediationem, & ſic vltimus vt reſpiciens extraneitatis diſtantiam,prout hæc ſumitur iuxta omnem latitudinem ſuam, prout ſupra nõnulli Noſtratum exponebant.Et vt Chriſtum in gradu ſibi debito ſtatuamus, oportet prius diſtinguere ſenſum iuxta quem de eo alloqui debeamus.

17 Chriſtus enim, prout omnes Catholici fatemur, eſt quoddam ſubſtantiale complexum duplici natura, & vna indiviſa Verbi perſona compactum. Natura enim divina, non minus ac humana in tali complexo ente invenitur, ita vt perſona ſit individuum centrum in quod linea divina,& linea humana penes conſtituere Chriſtum, æquè confluunt,ac proinde ſic,quod Verbi perſona ſit terminus per formalitatem ſuam immediatè terminans vtramque lineam; quo pacto ſicuti Chriſtus verè & realiter eſt homo,non minus verè & realiter eſt Deus. At Verbi perſonalitas prout ſecernit lineam ſuam,diverſimodè tangit & terminat divinam naturam, ac ſecernens lineam humanam tangit & terminat lineã noſtram,diverſitate non deſumpta ex termino,qui idẽ indiviſè eſt, ſed ex modo terminandi, ſeu ex medio quo terminat; nam perſonalitas Verbi Deitatem terminat per realem, & metaphyſicam identitatem, ita vt Verbi perſona metaphyſicè ſit Deus, dum humanitatem terminat per realem & phyſicam vnionem,ita vt ſeparabiliter ſit homo: quo pacto perſona Verbi non eſt homo, ſicuti eſt Deus, aliter in puro & formali hoc concreto *Verbum*, ſeu *perſona Verbi*,etiam ante Incarnationem diceret perſonalitatem, & naturam humanam,ſicuti & ante dicebat perſonalitatem,& naturam divinam,quod hæreticum eſt.

18 Deinde oportet etiam notare, quod dum dicitur perſona Verbi prout in Chriſto, tunc Verbum nõ ſolum dicit notionem perſonæ,ſeu perſonalitatem, quin etiam dicit totum divinum concretum ex Natura divina,& perſonalitate conflatum, ac proinde Deitatem, & perſonalitatem, quia cum Chriſtus vnam & aliam diverſam lineam æquè concernat cum indiviſo perſonalitatis termino,nunquam prout in ipſo eſt perſonalitas abſque linea divina, ac proinde abſque concreto ex Deitate & perſonalitate, quod formaliter eſt perſona: Dixi quod Chriſtus vnam & aliam lineam æquè concernit, ſeu conflatur, quia quacunque ablata, Chriſtus non minus auferetur, ſiquidem non manebit Chriſtus, ſeu complexum ex duplici linea & perſonalitate compactum; quod æquè non eveniet de perſona Verbi, vt patet, ſemper ſiquidem perſeverabit, non perſeverante Chriſto.

19 In præſenti ergo ſumitur Chriſtus Dominus prout dumtaxat vertitur ad lineam humanam, ita vt tunc licet nunquam humanitas capiatur ſine vnione (quia vt ſtatim dicam, talis captus foret improbus, & phyſicè erroneus) verumtamen ſic, quod veritas in oratione & denominatione,non ſiſtat in Verbo vt præciſè terminus eſt, ſed vt vim applicat, & reduplicat ſupra omne additum ad ipſum, videlicet, prout terminans phyſicè homo eſt. Si namque ſic formalitatis reduplicatio non vertatur ſupra additum lineam humanam ſpecialiſſimè erigens, etiam dum Verbum capiatur terminans humanitatem, capi poteſt, vt eſt ipſa perſona iuxta concretum divinum, ac proinde Filius naturalis Patris ęterni, v. g. dicendo: *Id quod terminat naturam humanam per phyſicam vnionem eſt divina perſona*; & etiam talis veritas ſubſiſtet,ſi dicatur, *prout terminat*, ita vt ly, *prout* maneat in terminante, vt in ſe tali, ſeu indicens rationem formalem iuxta quam terminat, quæ eſt ipſa formalitas perſonalitatis; nõ autem, prout ly prout indicit medium vnionis, quo terminat, & ſic cadens ſupra formale additum ad entitatem puram perſonæ terminantis.

20 Dixi, improbe capi aliquo ſenſu humanitatem ſinè vnione, quia licet hæc aut illa reduplicatio faciat reſpicere humanitatẽ iuxta formaliſſima ipſius, ac proinde ſic quod Verbi non capiatur niſi abſtractum perſonæ, etiam vt ex natura rei, vel virtualiter Deitatem non exprimit, attamen ſi non debeamus

L 2 allo-

alloqui pro veritate facti ex his quæ fieri potuerunt, quomodolibet diminute, & in obliquo eſſe velint, irrationabile manet circa ſubiectam humanitatem eam capere abſque vnione, ſeu eam intelligere non habentem, quod revera habet. Aliter enim, ſi ſolius ſpeculationis obſervatores phyloſophare velint, ita expendentes reduplicationes, quod vnio in ſenſu vero & reali non intelligatur, quæcunque dicant defendere poſſunt; nam, ſi v. g. humanitatem præſcindant ſic, quod invnitam intelligant, dicere poterunt de humanitate quæ nunc eſt vnita, quidquid de ipſa dicere poſſent, ſi non vnita foret, de qua dicent eunċti eſſe ſimpliciter, & vndequaque extraneam. Sed non ſic.

21 Principale fundamentum deſumi debet ex his, quę iam expoſuimus ex Scoto *diſt.* 2. *quaſt.* 2. hinc: Videlicet, quod licet iuxta aliam providentiam, iuxta quam modus connaturalis eſſendi ſubſtantialiter non attenderetur, poſſet natura in priori ad ſubſiſtentiam habere gratiam, & cætera ſuperna dona, ſecus autem iuxta debitam, & ordinatam, iuxta quam contra Seraphici D. Commentatorem defenſavimus humanitatem nedum neceſſario, ſed nec de congruo habuiſſe aliquam gratiam in priori ad hypoſtaſim, eo quod nil debuit habere de linea accidentis, quin prius completum foret quod prius, S, linea ſubſtantiæ; ac proinde non percipienda accidentia, niſi in eo inſtanti in quo natura habuiſſet illa, ſi propria ſubſiſtentia relinqueretur &c.

22 Igitur iuxta iam Scoti præfixam doctrinam duo principaliter videntur inferenda. Primum, quod caſu quo Deus vt poſſet, poſuiſſet gratiam in priori ad ſubſiſtentiam, tunc licet poſſet dici adoptata humanitas, cum aſſumpta foret ad hæreditatem ſimpliciter ipſi non debitam, & adoptanti extraneam (id adhuc negabit Seraphici Commentator, cum teneat iuxta D. Seraphicum, quod adoptio reſpicere debeat perſonam) at ſtatim ac poneretur hypoſtatica vnio aboleretur adoptio, ita vt licet maneret gratia, ſed tamen ex alio titulo perfectiſſimo, data ita vt proprietate non foret extraneus, qui abſque ea eſſet antea, ſicuti non foret diſtans, qui redderetur propinquus, eo pacto quo circa eadem bona quæ data forent alicui vt ſervo, darentur ei vt filio. Quę enim perfectiora ſunt, imperfectiora expellunt.

23 Secundum quod videtur inferendum eſt, quod ſicuti connaturaliter non debet ſpeculari accidens, quin ſubiectum præſupponi, & eſſe intelligatur, ſic nec debet ſpeculari quæ eſſendo, vel denominando ſunt de linea accidentis, quin præſupponātur quæ in eſſendo & denominando ſunt de linea ſubſtantiæ; igitur circa Chriſti humanitatem nulla ſpeculatio erit provida, & rationalis, dum aliquid ſpeculetur circa lineam accidentis gratiæ, quin tota ſubſtantialitas vnionis ad hypoſtaſim præintelligatur. Quo pacto ſtandum eſt in eo, quod, S, licet Chriſti humanitas in hoc vel illo ſigno ante hypoſtaſim, vel in ſigno ipſo hypoſtaſiandi, non foret grata, ſed in immediatiſſimè poſt, nil iubaret, vt diceretur extranea, adoptata &c. quia hæc non denominant, niſi dum debent eſſe, S, in ſuppoſitato, ac proinde quouſque ſuppoſitatum non intelligatur, nec debetur proprietas, nec extraneitas, ſed de his infra in reſolutione.

24 Nunquam enim naturam humanam Chriſti poſſum abſque vnione percipere, ſi phyſicè, & realiter loquendum ſit, prout alloqui vidatur, dum de adoptandis alloquitur. Dū enim de filiationibus ſivè naturalibus, ſivè adoptivis & gratuitis tractatur, tractari debet, vt ſunt, fiunt, & exercentur; ſed iſtæ tales ſunt, fiunt, & exercentur phyſicè, cum principia phyſica ſint, vt patet in generatione, necnon quia hic filius potuit habere alium patrem. Metaphiſicè ergo nullus datur filius, nec generatur, nec eſt origo viventis à vivente &c. phyſicè igitur capienda eſt quæcunque filiatio, ſivè ex principio, ſivè ex actione, ſivè ex vnione; igitur dicet & imbibet quęcunque phyſicè concernant, vt phyſicè ſubſtantialiter vndequaque completus ſit, ac proinde cum illa linea ſubſtantiæ phyſicæ non pōſſit abſque ſubſtantiali modo ſubſiſtētię integrè haberi, cum filiatio debeat dici & eſſe ſicuti & natura illius, qui filius iuxta eam eſt, natura humana Chriſti phyſicè ſi capta, non poterit abſque vnione ſubſtantiali ad hypoſtaſim integrè ex phyſicis lineæ haberi. Phyſicè ergo, & iuxta lineæ talis conditionem, nunquam abſque vnione aliqua ſubſtantialiter ſpectanti, ſpeculanda pro his. His ita

25 Reſolvendum ſentio, Chriſtum vt hominem non fore filium adoptivum Dei. Pro SS. Patribus ſufficiat S. Leo Papa in Homil. Transfigur. aiens: *Proprius eſt non adoptivus.* Et quia iuxta ea, quæ variè circa conditiones adoptionis proprias ſupponunt aliqui, vnuſquiſque fore vel non fore adoptivum reſolvit, ſtatuo non fore adoptivum, prout adoptio dumtaxat dicit dare alicui ius ex gratia habituali. Hæc expoſitio videtur pro adoptivis ſupponenda, quia dum humanitati Chriſti aliquo iure, quo nulli hominum, debeatur hæredi-

hæreditas, & aliis ſolum adoptivi ſint illi, qui modo quo omnis creatura rationalis, habent ius, videtur, quod adoptivus non ſit ille, qui vltra talem modum ius habeat; ſed talis eſt in Chriſto humanitas; ergo. Prob. min. ex Scoto *diſt.* 10. *verſ. Si hoc non placet*, vbi tenet, quod extraneitas ſequitur vel concomitatur normam adoptionis, ac proinde quod vt detur adoptio requiritur talis extraneitas in inſtāti priori temporis, vel naturæ talis, quod neceſſario non concomitetur aliquid generationem naturalem, veluti diſpoſitio de congruo conferens ius ad hereditatem; ſed generationem naturalem humanitatis concomitabatur vnio conferens naturæ geniuæ tale ius de congruo diſpoſitivè; igitur talis fuit in Chriſto humanitas, quod vltra omnes non extranea, habuit ius vltra modum cæterarum.

26 Obijciēs quod ſicut manent naturæ, ita & manent naturatum proprietates; ſed adoptari eſt proprietas naturæ habentis gratiam; igitur cum de Chriſto poſſit dici habere talem naturam, & poterit dici habere talem proprietatem. Et auget vim Scotus, qui argumentum ſibi oppoſuerat, eo quod de Chriſto poſſit dici filius naturalis Dei ratione Naturæ divinæ; igitur ratione naturæ humanæ poterit dici filius Dei adoptivus, ſicuti & filius naturalis Virginis. Reſpondeo ad primum ex Subtili; quod de Chriſto dicitur proprietas conſequens naturam humanam; eſt enim naturalis filius Mariæ, non vero dicit quidquid requiritur ſequi ad omnem proprietatem adoptandi, cum non dicat extraneitatem, quæ vel ſolum ſequitur ad proprietates naturę depravatæ, vel ſolum ſequitur ad naturam humanam omnes proprietates naturæ humanę, etiam phyſicè habentem, vtpote in ſe ſubſiſtere, quin vllum modum ſubſtantialem alterius claſſis dicat, vt evenit in natura humana Chriſti, in qua ablata principali proprietate pro adoptando, loco illius talis ſupplens modus fuit [illegible], quod ei licet diſpoſitivè, præ cæteris [illegible] carentibus, in ſua lineam ſubſtantiæ radicaret ius.

27 Ad ſecundum dicimus etiam, verùm eſſe fuiſſe filium naturalem Virginis, ex quo præciſè, non haberet vnde non foret filius Dei adoptivus; at ſic fuit filius naturalis Virginis, quod inſimul foret miraculosè habitus, & ita, quod remaneret locus Virgini, vt foret inſimul Mater vera Dei, idque ex eo, quod dum illa natura potuit complerè habere quidquid etiam ex modo ſubſtantiali quæcunque alia, non habuit, cum modum ſubſtantialem vnionis ſupra omnes haberet, ac proinde habuit quod ſat fuit, vt foret filius naturalis Virginis, & non habuit vndequaque, & ex completo lineæ ſubſtantialis, quidquid cæteri filij mulierum, vtpote naturam in ſe non ſiſtentem. Deinde dicimus, quod ratione naturæ humanæ licet non deberetur hæreditas, vt ex nulla parte diceretur adoptivus, ſat foret quod deberetur ex aliquo modo ſubſtantialiter innitenti naturæ humanæ. Ratio eſt, quia vt aliquis non habeat ex adoptione, & ſummè gratis aliquam hæreditatem, non requiritur quod ei debeatur per omnes partes & cunctas lineas, vt patet in eo, cui per partem patris debetur, licet nō per partem matris, & è converſo, de quo abundant exempla; non enim diceretur extraneus ratione vnius partis, dum abſolutè ius haberet ad hæreditatem, vt ſua diceretur &c. igitur ſimiliter dū humanitati vnitæ deberetur; quin aliquid obſtaret, quod debebatur ratione vnionis, & non ratione humanitatis, dum modus ſubſtantialis humanitatis foret, qui ſubſtantialiter vnificans, & ſic dans ius.

28 Elevat Scotus vires argumenti. Negatio extraneitatis in Chriſto non eſt niſi propter gratiam habitualem Chriſti, quia propter illam ſolam habet ius in hæreditatem æternam, non autem per ſolam vnionem perſonalem, quia ſi illa fuiſſet ſine gratia habituali, poſſet Chriſtus ſecundum naturam humanam non habere ius in hereditatem illam; ſed licet iſta gratia habitualis fuiſſet collata illi naturæ in primo inſtanti exiſtenti, tamen in proprio ſuppoſito, illud ſuppoſitum verè diceretur filius adoptivus; ergo & modo, cum modo ſiue gratia non haberet ius, & ius habere ex gratia non tollit extraneitatem, quin eam probat.

29 Ad hanc rationem, inquit Scotus, *Reſponſionem quære*; vnde aliqui minus in Scoti litera verſati, putarunt Scotum contrariam partem ſaltim problematice voluiſſe. Verùm, revera decepti; tum quia Scotus ſæpe id habet, etiam in opinionibus defenſatis pro viribus, vt ſat eſſe poſſet pro omnibus, in libro Prędicabilium, prout ibi cum eo quinque defenſauus, opponens tamen vniverſaliter argumentum omnem prædicationem evertens, illudque indiſſolutum relinquens. Tum, quia, præſentem quæſtionem more ſolito exagitat, ab initio proponens partem adoptionem affirmantem, & tamen ſemper negare ſolet, quod in recitandis primo inſcribit. Tum quia, in quæſtione præſenti, *verſ. Si hoc non placet*, reliquit ſufficientem reſponſionem, quam *quærere*, eſt ad eam ſe citare. Tum maximè, quia in præcedentibus de ſancti-

ſanctificante humanitatem, prout late expoſuimus, non aliter reſpondet ad argumenta ex diſpoſitivo vnionis, quam reſpondebimus ſtatim.

30 Reſpondetur ergo iuxta Scotum ſupra, & iuxta Additioniſtam etiā in fine quæſtionis, quod negatio extraneitatis, ac proinde adoptionis in humanitate vnita non eſt ob gratiam habitualem, quam habuit in inſtanti ſecundo(& licet in ipſo inſtanti naturæ habuiſſet vnionem & gratiam, nunquam negatio extraneitatis foret à gratia) ſed ob diſpoſitionem de congruo ſequentem generationem naturę humanæ, S, ex vi vnionis ad Verbum, quę diſpoſitio cum non fuiſſet conſecuta humanitatem de cōgruo in ſuppoſito proprio, in eo habens gratiam, ſemper ex iure ipſius probaret extraneitatem habuiſſe, habendo adoptionem.

31 Inſtabis, ius proximum habet humanitas Chriſti ex gratia habituali proximè, & formaliter; ſed ab eo, à quo habetur ius, habetur & filiatio; ergo à gratia aliquam ſaltim filiationem habebit, ſcilicet, proximam & formalem. Noſtri reſpondent, veram eſſe maiorem, cum ex vnione hypoſtatica ſolum habeat ius remotum humanitas. Deinde dicunt ad minorem, quod habetur filiatio dum habetur ius, iuxta conditionem ſubiecti, & ſuppoſiti, ac proinde minorem non eſſe veram in omnibus, ſed in aliquibus ex ſe ad vtrumque æquè capacibus, quod non invenitur in Chriſto. Et ſic conſequentiam negant, quia cum adoptio non reſpiciat ſuppoſitum vtcunque, ſed extraneum, eo quod adoptio non ſit proprietas naturę humanę vt naturæ, ſed vt extraneæ, & humanitas Chriſti nunquam à gratia extranea inveniatur, inde eſt, quod ex incapacitate naturæ, licet ei præbeat ius proximum, non prębebit filiationem proximam, nunquā ſiquidem prębebit adoptivā.

32 Veneror doctrinam, nec eam impugnare vellem, quin ſolum difficultati ſatisfacere. Itaque in illo priori in quo humanitas Chriſti intelligitur hypoſtaſiata ante gratiā (non loquor in illo priori, in quo humanitas percipitur ad ipſam vnionem, vt inſtat Auctor cōtroverſiarum eam ponens tunc extraneam; ad hoc enim benè ſatisfacit Bellutus dicens, nec eſſe in eo priori propriam, nec eſſe extraneam adoptanti, quia extraneitas non poteſt ei competere, niſi quando poteſt adoptio, & adoptio non poteſt competere in ſigno priori ad eſſe ſubſtantiam completam, ſed poſt) vel eſt iuxta eam Chriſtus filius proprius, vel nō? Si non; igitur ſicuti poſtea eſt filius, & filius erit à quo poſtea. Si ſi; vel proximè erit filius proprius, vel remotè? Si proximè; ergo proximè habebit ius in priori ad gratiam. Si remotè; ergo ab aliquo fieri proximè filium reſtabit ei, & hoc erit à gratia.

33 Cum Auctor controverſiarum arægueret, quod Chriſtus iuxta Scoti doctrinam potuit peccare; igitur dato quod peccaverit, vel quod naturam peccatricem aſſumpſerit, tunc ſi vnio hypoſtatica impediret adoptionem, ſequeretur Deum non poſſe peccatorem adoptare ſibi in filium: Reſpondebat P. Maſtrius, negando conſequentiam, quia humanitas Chriſti ante gratiæ infuſionem habebat diſpoſitionem de cōgruo ad recipiendum ius per gratiam habitualem, quæ diſpoſitio ſtante decreto Dei, quod noluit aſſumere naturam peccatricem, ſed ſanctam, inducebat neceſſitatem ad infuſionem gratiæ, & conſequenter eodem modo excludebat extraneitatem, at vnio hypoſtatica in caſu poſito talem vim diſpoſitivam non habuiſſet nec talem neceſſitatem induxiſſet.

34 Fateor, me non ſcire, quid tantus Scotiſta hac reſponſione vellet, maximè iuxta formam, & intentum arguentis. Sed quidquid de hoc ſit, contra Maſtrium plus vrget ſupra poſita difficultas, dum ipſe affectivè hanc opinionem amplectitur. Vis enim diſpoſitiva ex parte vnionis nil aliud eſt, quam vis expulſiva extraneitatis, ex hoc enim habet humanitas illud radicale & remotum ius præ cæteris; igitur nunquam peccato, nec pacti remotione, dum vnio non tollatur, tolletur vis illa ex ſe diſpoſitiva, & expulſiva extraneitatis; ſi namque peccato maneret extranea, nunquam vnio, ſed gratia tolleret extraneitatem. Idem dic de pacto, ſemel ſuppoſita vnione. Unde potius vrgebit ſcire, quo pacto in priori ad gratiam ſit dicendus filius, qui in priori ad eam, videtur non debere eſſe extraneus?

35 Reſpondentes itaque difficultati, partim iuxta Noſtrarum eruditionem, partim forſan aliter, in primis advertimus, quod dum hinc monſtruosè circa filiationem aliquid dicamus prę cęterarum norma, nil miraudum, cum Chriſtus tam ex filiationibus, quam ex entitatum compage, divinum, & mirabile monſtrum ſit. Statuimus ergo primitus, quod nulla proxima, vel quęcunque gratię habitualis diſpoſitio, vel informatio poteſt in Chriſti humanitate præbere adoptionem, quia nil quod gratiæ accidentalis ſit valet auferre pręcedens aliud ius ex modo ſubſtantiali, & nil valet ponere vllo modo adoptionis denominationem, quod omnimode ab omni iure ablatum non inveniat ſubiectum.

Dici-

36 Dicimus deinde Chriſtum eſſe radicaliter filium proprium in illo priori ad gratiam,& formaliter & proximè eſſe filium proprium ad gratiæ poſitionem. Sic concedimus quod proximitas filiationis propriæ ſit à gratia habituali. Et ad illud quod habitualis gratia non valet conſtituere niſi filium adoptivum , reſpondebat Maſtrius, quod effectus formalis gratię non eſt facere hominem adoptivum,ſed ſanctum, iuſtum, & Deo gratum, nam gratia eſt forma abſoluta,atque ideo conferens effectum formalem abſolutum;eſſe autem filium adoptivum non eſt quid abſolutum, ſed relativum , quod reſultat ex effectu formali gratię in ſubiecto capaci, & filiationis adoptivæ Chriſtus nunquam fuit capax.

37 Sed ſic prætermiſſa tali reſponſione, reſpondemus nos,verum eſſe,quod gratia habeat reddere formaliter filium; nullum namque ſubiectũ valet eſſe cũ gratia, quod ius nõ habeat ad hæreditatem , ac proinde quod filius non ſit,vt patet diſcurrendo per quæcunque. Verumtamen hoc quod eſt reddere formaliter filium adoptivum , non eſt eſſentiale & formaliſſimum gratię,quia adoptio vel nun adoptio reſultat ex conditione ſubiecti; gratia namque communicata ſubiecto reddit ipſum formaliter filium , at ſubiecto extraneo cõmunicata reſultat formaliter filiatio adoptiva,& non extraneo,reſultat formaliter filiatio propria ; ita vt iuxta diverſitatem fundamentorum , & terminorum varietur effectus & denominatio, prout ſubtiliter expoſuerat Scotus ſupra *in diſt.* 1. dum perſona Verbi vnita bruto redderet ſuppoſitatum , & vnita homini perſonatum , & ſic alia huiuſmodi. Vnico ergo verbo dicimus , quod erit gratia filius proprius proximè,& formaliter, qui ſine ea ſit filius proprius remotè & radicaliter.

38 Aliter,ſi dicta non placeant,dicimus, quod in eo priori Chriſtus vt homo eſt formaliter,& proximè filius. Et ſi obijcias,quod etiam erit proximè habens ius ad gloriam, reſpondemus ita eſſe illativè & conſequenter immediatè de potentia ordinata. Filius enim cum ſit id à quo derivatur ius ad hæreditatem, vel fundamentum iuris debet percipi in aliquo priori naturæ ad ius , ita vt habere ius non debeatur niſi iam complete filio intellecto,ac proinde proximè erit filius in inſtanti A,naturæ,qui in inſtanti B,proximè debeat habere ius. Itaque licet abſolutè dixerimus quod potuit Deus non dare gratiam Chriſto &c. cum tamen connaturaliter iuxta potentiam ordinatam deceret ei dare ſtatim gratiam poſt hypoſtaſim, ac proinde ſic debuiſſet habere illam in inſtanti B naturæ, ob filiationis proprietatem in inſtanti A, ſalvabitur benè, quod foret filius proximè proprius in priori ad gratiam, & quod ex tali filij excellenti occaſione haberet proximè ius in poſteriori cum gratia,cum hæc ad inſtantiam primi, deberet de ordinata potentia poni in ſecundo.

39 Dices in omnia,quod quomodolibet ſit , vt humanitas Chriſti ius proximum habeat requirit extrinſecam,& voluntariam decretionem Dei dantis hæreditatem,ita vt nollente Deo ius proximum non haberet Chriſti humanitas; ſed ſic & non aliter exhibetur ius hæreditatis filijs adoptivis ex voluntaria datione copulantis ; ergo ſemper in Chriſto invenietur penes hæreditatem norma adoptionis. Hoc argumentum non militat circa voluntariam poſitionem vnionis,vbi intendebant aliqui , quod cum libera foret aſſumptio humanitatis, ius ex vnione, ius adoptivè copulatorum debebat eſſe : Cui argumento rectè dicunt aliqui , nil obſtare vnionis liberam poſitionem , dum ſemel poſitæ in ipſa ſubſtantia genita reſultet ius ab omni accidenti gratiæ præciſa, vt patet in homine, qui etiam ſic eſt filius Joannis , quod potuerit libere volente Deo eſſe filius Petri , necnon Joanne ipſo nollente , filius Joannis non foret ; liberum enim fuit contrahere matrimonium , & liberum deinceps genuiſſe. Militat ergo argumentum, humanitatem Verbo vnitam ſupponens.

40 Reſpondendum,quod dum humanitas ſemel vnita, connaturaliter (vt toties expoſuimus) exigat habere hæreditatem,id ſufficit, vt præ adoptivis eam habeat , tametſi ex libera volitione Dei habeat eam, vel ex divina diſpoſitione hæreditas ei aproximetur.Naturarum enim iura penes terminos eis debitos, non minuuntur, quia aliunde ſumant & teneant expeditionem,vt patet in materia prima idem ius habente ad formas ex ipſa deducibiles , ac ad animam rationalem , ad quam nec in tota natura datur expeditiva vis. Deinde in proprijs terminis reſpondentes , claret exemplar in patre, qui vel de parte hæreditatis,vel de tota poteſt pro libito diſponere;vbi licet ſic det filio partem , vel vni filio plus alio, quod liberum ei foret , quin tamen ille dicatur præ alijs adoptivus. Conſimiliter dũ filius non habeat poſſe habere hæreditatem vivente patre,& pater vellet ante mortem ius proximum in re dare filio, non inde filius vt adoptivus haberet hæreditatem , & ſi voluntariè non minus id haberet.

41 Dices aliter , quod Chriſtus vt homo eſt filius proprius Dei; igitur tam hære-

ditas,

ditas, quam ius ad illam debent eſſe alterius conditionis, ac ius & hæreditas quæ revera ipſi filij alterius conditionis, vtpote adoptivi habent; aliàs ſi ad ipſum accidens gloriæ; & ex ipſo accidenti gratiæ ſumat ius, non videtur ex quo præ adoptivis reputandus. Reſpõdendum, & in primis dicimus, quod re vera, ſicuti filius eſt alterius, & altioris conditionis, etiam ius alterius, & altioris conditionis habet. Cæteri nãque habent ius ex ſola gratia habituali, Chriſtus verò vt homo etiam habet ius ex modo ſubſtantiali ſuæ humanitatis, eum iura gratiæ & gloriæ in eo ſubſtantiali iure radicentur, & iuxta potentiam ordinatam ei iam deberentur.

42 Deinde dicimus ad ſecundum, quod iam ab initio prænotavimus, Chriſtum divinum fuiſſe monſtrum, vtpote pro ſuppoſitalitate habens perſonalitatem divinam, & pro natura habens ſubſtantiam humanam; quare licet hæc ſubſtantia penes eſſe completivè ſit cæteris diſſonans, quod eſt quod ſpectat ad entitatem filij; at penes ea quæ ſunt naturæ vt proximè operantis per potentias, eſt cęteris conformis; cumque talis ſpecificę naturæ, & potentiarum hęreditas, ſit accidens gloriæ, dum iuxta naturam vt illis potentijs operantem Chriſtus menſurandus ſit, nil mirum quod aliam hæreditatem quam illi naturæ convenientem non habeat. Neque hæreditatis conformitas tollet eum nõ eſſe proprium, & faciet eum eſſe adoptivum, dum iura altius & proprius habeantur, vt patet in aliquo adoptante aliquem ad eamdem penitus hæreditatem, ad quam diverſo iure foret filius naturalis ſi fuiſſet.

ART. II.

An Chriſtus poſſit dici filius naturalis Dei.

43 Loquimur hinc in eodem ſenſu de filiatione naturali Chriſti, ac ſuperius de adoptiva, ita vt dum dicitur de Chriſto in quantum homo, nunquam vis reduplicans exprimat in recto ſuppoſitum Verbi, nam licet reduplicatio includat humanitatem, veruntamen de per ſe ſic Verbum concernens, quod ipſum poſſit in ſe capi, v.g. Chriſtus in quantum homo, id eſt, Chriſtus in quantum eſt ſuppoſitum naturæ humanæ, ſeu ſuppoſitum, quod eſt in Chriſto, etiam vt habet in ſe ſubſiſtentem naturam humanam; in hoc enim ſenſu, etiam in hac quæſtione tenentes partem negativam, eſſe filium Dei naturalem concedunt. Cupiunt enim, quod ſenſus illius propoſitionis ſit de per ſe, & formaliter ratione naturæ humanæ. Vide dicta in præcedenti art.

44 P. Maſtrius circa hoc punctum triplicem opinandi modum recitat. Primus eſt Alenſ. D. Bonav. Maior. & ex RR. Granad. Lug. Amic. Averſæ, & ex Scotiſtis Galli, Vulp. & aliorum tenentium Chriſtum vt hominem fore filium Dei naturalem, ita vt talis ſit ratione proprietatis perſonalis, ſeu relatione ad primam perſonam Trinitatis, ac proinde vt hominem eſſe filium naturalem ęterni Patris. Suarez vero, Vazquez, Tanner. Becean. Arriaga, & alij tenent eſſe filium Dei naturalem, non ratione filiationis æternæ, ſed ratione ſanctificationis per vnionem ſubſtantialem à divinitate derivatam, ac proinde nedum Patris, ſed totius Trinitatis fore filium. Secundus dicendi modus è contrario eſt Loteæ, Curiel, Baſilij, Poncij, Morand. & ex Scotiſtis Centini, Fabri, & aliorum, tenentium Chriſtum vt hominem non eſſe filium Dei naturalem. Tertius dicendi modus qui medius habetur, eſt Bernal, Belluti, Maſtrij, & nunc communior inter Noſtrates, qui triplicem filiationis gradum diſtinguentes, vt ſupra, tenent nec eſſe filium naturalem, nec adoptivum, ſed proprium, & talem eſſe reſpectu totius Trinitatis. Ita retulerat Maſtrius *hinc dp.2. quæſt.5.*

45 A præſenti enim diſputatione breviſſimè expediri cupior, nulla namque mihi hucuſque moleſtior, maximè dum attente vidi ſępè Auctores parum fixos, vel in probandis, vel in ſolvendis, quod non aliunde provenire nòtavi, quam ex incerta regula principiorum Philoſophiæ, & Theologiæ penes hanc individuam humanitatem, ex omnibus nec ſimilem habentem, nec ſequentem habituram. Cum igitur prout dicebam ſupra, licet veriſſimum & reale, divinum tamẽ eſt monſtrum, cum in vno Chriſtifero complexo, duplex detur natura, vnica detur perſona, iam iuxta vnam conſiderationem has habens paſſiones, iuxta aliam, ſummè diſtantes, per reſpectum vnius formalitatis reſpiciens vnam perſonam Paternitate divinam, per reſpectum alterius reſpiciens aliam perſonam Maternitate humanam, per alium reſpectum Paternitatem, & Maternitatem, per alium reſpectum triplicem inſimul divinam perſonam.

46 Inde enim omnia noſtra principia claudicant & Auctores. Claudicant principia, quia ſi philoſophicè ſumantur docent quòd ambit naturæ terminos, quare in Chriſ-

to

to æquivocanda ſunt, cum partim ſit iuxta quod docent, & partim ſupra, quod edocere potuerunt. Si ſint theologica, æquivocantur etiam, quia dum æternam generationem v.g. deſcribant, in Chriſto æternam inveniunt temporali permixtam. Si fidei principijs ſtandum, ſilere debent ſcientiarum principia. Sola ergo fides manet horum ſine ęquivocatione magiſtra.

47 Claudicant Auctores, quia iuxta ſcientiarũ determinatas regulas cupiunt formare lineas, quarum cum monſtruoſum ſit centrum, firmo tramite difficile ex principijs habent non confundere viam. Inde enim vel in probandis, vel in reſpondendis ſtatim variant in dictis, quia cum idem Chriſtiferum ens, inſimul perceptibile ſit iuxta varios ſenſus, & diſtantium principiorum ſuppoſitiones, ferè imperceptibilis eſt tranſitus doctrinę, cum tranſitus diverſi in ipſo Chriſtifero obiecto verè adeſſe credamus. Quare hinc ſtillus reduplicationum, ſuppoſitionum, &c ſic, nunquam firmiter & determinatè faciunt reſaltare proprietatem peculiarium ſenſuum, prout in alijs entibus paſſim pulſamus. En ex quo, meritò nonnulli Recentiores non levis acuminis, validè non potentes ſequi difficultatem, eam, vt nominis maiori ex parte, vocitarunt, prout Maſtrius fatetur cum alijs.

48 Breviſſimè ergo dicimus, & reſolvimus, quod Chriſtus in quantum homo eſt, non eſt filius naturalis Dei iuxta omnem ſenſum verum, & realem. Suadetur, quia SS. Virgo Maria, & Pater æternus non ſunt verè & realiter eiuſdem naturæ; ergo idem ſecundũ idem ſecundum quod eſt ſimilis naturę Virginis generantis, ex vi proceſſionis non poterit eſſe ſimilis naturę Patris æterni. Nec volui dicere quod non ſit idem (en iam diſtinctionis anxiam) cum vtrique ſit idem ſuppoſitum, ſed quod non ſit ſecundum idem, quod ſufficit, vt ſecundum aliquid in reali ſenſu captum non ſit, quod ſecundum non idem in ſenſu alio reali eſt.

49 En quo pacto loquimur in aliquo ſenſu vero, & reali, & quo pacto imperceptibile apparet, quod in tali ſenſu filius naturalis ſit ęterni Patris. Ad hæc enim cætera quæ melius adduci poſſunt reducuntur, vtpote, quod ſit filius naturalis per dictionẽ productus, quod iuxta ſuum completum eſſe ſpiret in Spiritum Sanctum, quod neceſſariſſimè procedat, quod ſit ante omne humanũ; ſed in omni vero ſenſu hæc & alia huiuſmodi ſunt imperceptibilia, cum in aliquo repugnet cuicunque homini vt tali eſſe ante omnem humanitatem, &c. ſic, ergo.

50 Et revera; non videntur ſatisfacere nonnulli per vnionem ſubſtantialem, explicantes principium coniunctum reſpectu naturalis generationis æterni Patris, ſicuti nonnulli etiam cupiunt adaptare ſufficientem ſimilitudinem in gradu illo in quo natura humana cum divina ſymbolizatur. Non enim ſatisfaciunt primi, tum, quia revera coniunctio eſt generantis, & in vnione hypoſtatica nil invenitur quod Pater producat, quin nec Verbum, cum ad extra nulla divina perſona poſſit plus exercere, quam nudiſſimè terminarè; tum quia coniunctio generationi peculiaris ad vnam aut alteram naturalem actionem ſequitur cum ſit origo naturalis, & ibi nil invenimus quod ſic naturaliter poſſit notari.

51 Neque ſatisfaciunt ſecundi, quia licet, vt diximus latius in *lib. de generat.* non poſſit facile determinatus gradus ſimilitudinis pro generandis, & filijs reputandis inveniri, tamen quævis linea iuxta quidditativam entitatem ſuam ſic determinatiſſimum gradum continens, quod variatus deperdatur. Unde reſolvimus, quod non quævis ſimilitudo eſt ſufficiens pro generatione divina, nec quęvis ſumma, requiſita pro generatione humana. Suadetur, quia non foret filius naturalis æterni Patris Verbum æternum ſi ſolum acciperet ſimilitudinem ſeu naturam ſpecificam, & non ſumeret ſimilitudinem ſeu naturam numericam. Nec foret filius naturalis hominis ille qui non ſolum ſumeret naturam ſpecificam hominis, quin etiam individuam, & numeralem. Exiſtimo enim, quod hęc ſic à diſſertis concedentur, dum protervire non intendant. Igitur ſicuti in aliquo verò ſenſu & reali acceptione, iuxta quęcunque hominis contradiceret quod filius naturalis foret hominis, qui ſumeret naturam númericam, & contradiceret quod foret filius naturalis Dei Patris, vel, vt alij, Dei Trini, qui ſolum ſumeret naturam ſpecificam. Præterquam quod, & difficilis apparebit adhuc ſpecificę naturæ ſimilitudo.

52 Conſimili metro valebis confirmare præfatum aſſumptum de coniunctione, probando quod non foret filius naturalis hominis qui foret à principio metaphyſicè connexo, ac proinde nec foret filius naturalis Dei qui foret dumtaxat à principio phyſicè & ſeparabiliter coniuncto.

53 Quam plurima alia hinc in probationibus & reſponſionibus conſumunt RR. Theologi, quæ libenter omitto propter iam dicta. Neque hinc dum in aliquo deficiatur,

leviter deficietur, cum declinantes in errorem vel auſferatur à Verbo quod eſt hominis, vel ab homine quod eſt Dei. Hæc ſufficiant, & cædant ſubiecta Eccleſię, & Patribus.

DISTINCTIO IV.

De ſatisfactione offenſæ.

1 STatuimus in præcedentibus Chriſtum D. ſubſtantialiter conſtinctum, & accidentaliter quibuſcunque imaginabilibus perfectionibus adæquatè ornatum; nunc igitur iam venit de operationibus eius dilucidandum, & cum ea quæ tendunt ad offenſæ primi, & cęterorum hominum deletionem ſint hinc principalioris controverſiæ, inde examinare oportet de ſatisfactione offenſæ. Vt itaque clarius in his procedamus, prius proponimus ſatisfactionem vt à puro homine iuxta aliam providentiam expedibilem, vt deinceps melius reſolvere poſſimus de ſatiſfactione ab homine Deo expedita.

QVÆSTIO I.

An pura creatura potuerit de condigno ſatisfacere.

2 COmmuniter hinc Theologi, dum purum hominem in diſputandis proponunt, cum non ſic purum capiunt, quod in naturalibus humanitatis prædicatis deſinant, quin habere ſupponunt, quæcunque habituum, & perfectionum habuit homo Deus, exceptis illis, quæ abſque vnionis hypoſtaſi imperceptibilea ſunt. Concordant etiam in eo, quod ſatisfactio ſolum debeat peti condigna, videlicet ad æqualitatem, cum id ſufficiat ad debitum delendum; de toto namque rigore iuſtitiæ, neque ſatiſfeciſſe Chriſtum, etiam communiſſimum. Nec minus communius ſtabiliunt, quod etiam intra condignum, nunquam puri hominis, vel cuiuſvis puræ creaturæ ſatisfactio ad pretioſos terminos Chriſtiferæ pervenire poſſet, cum hæc quidquam ſaltim impendat ex dignitate & circunſtantia hominis Verbi perſona completi, ſicque divinitati, ac proinde huius fuit ſuperabundans, & copioſa redemptio, dum puri hominis poſſet ad ſummum eſſe æqualis. His ita pro nunc vulgariter habitis

3 Angelica Schola, cum teneat peccatum eſſe infinitę gravitatis ratione offenſæ, tenet conſequenter, quod eſtò ad æqualitatem fieri debeat ſatisfactio, ſolum fieri poterit ab infinito Satisfactore. Ita etiam Schola Seraphica prout literaliter ex Seraphico Magiſtro probat Gaudentius *hinc dp.* 3. *q.*2. & 3. Schola Subtilis Angelicæ, & Seraphicæ contrarium reſolvit, tum cum teneat, peccati gravitatem nō forę ſic infinitam, tum cum etiam communiter teneat, ſatisfactionem completi formaliter ex divina acceptatione, ex parte operis ſatisfactorij ſuppoſitis proportionatè ſupponendis. Alia eſt ſententia, quæ inter Subtilem, & Angelicam mediare videtur. Reſolvit enim, quod etiam ſi offenſa non ſit ſimpliciter infinita, tamen cum ordine ſumma dicatur, etiā ſi purus homo poſſet ſatisfacere quoad æqualitatē rei ad rem, quin verò talis ſatiſfactio æqualis foret omninò divinæ offēſæ. Ita nonnulli Auctores apud Maſtrium, & Gonet.

4 Reſolvenda eſt itaque in præſuppoſito ſenſu præſens controverſia; verumtamen, cum penitus nō poſſit fieri reſolutio, quin prius de offenſæ gradibus examen expendatur, cuncta ſiquidem quæſtio ex eis principaliter pendēs, paſſim immiſcetur, ideo de peccati gravitate primitus reſolutionem tenere, opus erit.

ART. I.

De ſphæra peccati mortalis in ratione offenſæ.

5 PRo intelligentia quęſiti ſupponenda ſunt, quę ſupponit pro Thomiſtis P. Gonet *tom.*3. *dp.*9. *art.*6. ſcilicet, peccatū poſſe conſiderari prout eſt malū hominis peccantis, & prout eſt malū Dei offenſi. Eſt malum, inquit, hominis, quatenus illū privat recto ordine rationis, quæ eſt bonū proprium ipſius: Secundo, quatenus deordinat eius potentias, S, voluntatē ab vltimo fine, & inferiores potētias à ſubiectione erga voluntatē: Tertio, quatenus privat hominem gratia, & charitate, alijſque virtutibus, & donis ſupernaturalibus, vel etiam virtutibus naturalibus, quibus opponitur: Quarto, quatenus privat hominē ipſo Deo, tanquā obiecto propriæ beatitudinis, ipſūque obligat ad pœnā æternam. Dicitur verò malū Dei, quatenus eſt ipſius iniuria, ſeu offenſa; quæ ratio ſiſtit in hoc, quod peccans mortaliter, avertit ſe à Deo, & convertit ſe ad creaturā, in ea rationē vltimi finis conſtituens: in quo involvitur magnus contemptus divinæ Maieſtatis, cuius etiam legem homo peccans tranſgreditur, & in hoc contemptu ratio offenſæ mortalis conſiſtit.

Suppo-

6 Supponit 2. vt ab omnibus admiſſum, peccatum in quantum malum hominis eſt, non habere malitiam ſimpliciter, & intrinſecé infinitam; quia ſic tantum eſt malum, quantum eſt bonum quo privat, S. gratia, & cæteris habitibus ſupernis. Nec valet, quod privetur homo Deo; nam non eſt privatio Dei ſecundum ſe ſumpti, ſed vt participatur à nobis mediante gratia, & alijs ſupernis, quæ participatio cum ſit finita, per peccatum homo non privabitur bono infinito. Supponit 3. quod peccatum in ratione offenſę, & prout eſt malum Deo intentatum habere malitiam infinitam ſaltim ſecundum quid extrinſecè, S, & obiectivè prout talis dicitur quilibet actus ad obiectum infinitum terminatus. His ita

7 Difficultas ſolum militat de peccato in ratione offenſæ, an ſcilicet ſic, ſit gravitatis ſimpliciter, & intrinſecè infinitæ, an vero extrinſecè, & ſecundum quid. Circa quod communiter tenetur à Thomiſtis, peccatum in ratione offenſæ dicere aliquam infinitatem ſimpliciter in genere mali, prout offenſa ſe tenet ex parte Dei, & afficit ipſum; quo pacto veluti ab ipſo ſpecificatur, & deſumit gravitatem, ac proinde cum Deus ſit dignitatis ſimpliciter infinitæ, & offenſa infinitam ſumet gravitatem. Alij licet infinitatem in omni peccato non concedant, ſin autem in aliquo ſpeciali, v. g. in occiſione Chriſti, cum hæc deſtructiva foret alicuius ſimpliciter infiniti. Alij vero cum Amico, contendunt peccatum mortale in genere offenſę, & iniuriæ Deo illatæ eſſe infinitum in ratione ordinis, in quo conſtituitur, licet finitum intra eundem ordinem; in ratione autem offenſæ eſt ſimpliciter in ſupremo ordine, non habens ſupra ſe aliam ordine graviorem, ac proinde quoad ordinem gravitatis eſt infinita. Celebriores vero Thomiſtæ ſemper contendunt gravitatem ſimpliciter infinitam in eſſe moris eo proportionali modo, quo ſatisfactio Chriſti valore in eſſe moris ſimpliciter infinito gaudet. Vide Gonet ſupra, & ex Noſtris Maſtrium *tom.2. dp.6.quæſt.7. Art.* 1.

NOSTRA RESOLUTIO.

8 Reſolvendum firmiter, nullum peccatum ſub vlla ratione poſſe eſſe infinitum ſimpliciter, ita vt ſecluſa ratione infinitatis ex parte obiecti, quæ dicitur ſecundum quid etiam à Thomiſtis, nil ſit ex quo vltra poſſit infinitari. Pro hac reſolutione citantur quamplurimi, vnus pro omnibus ſit Subtilis Doctor pluribus in locis à Maſtrio, & alijs Scotiſtis citatus. Ego autem ad rem circa præſens aſſumptum ſatis eum invenio *in* 3. *diſt.* 20. vbi inquirit, & examinat, an foret neceſſarium genus humanum reparari per paſſionem Chriſti. Præſens ergo quæſitum exactè manet propugnatum ab aliquibus Scotiſtis Recentioribus, maximè à P. Belluto, qui quæſtionem ſic luculenter ſuadet, quod P. Maſtrio plura dicere videatur otioſum, dum P. Maſtrius, tametſi non diffuſé, ſic ſuadet, quod mihi large diſputare otioſius videatur. Veruntamen vnum aut aliud, prout brevius poſſim, movere intendam.

9 Suadetur 1. dum peccatum in ratione offenſæ ſic capiatur, quod reputetur dignum pœna æterna, & peccans reputetur indignum perpetuo amicitię Dei, & cunctis bonis tam divinis obiectivè, quam formaliter, ſic reputabitur malum, & Dei offenſivum, quod congruè & debite loquendo liberum videatur plus vltra augere ex malitia offenſam; ſed dum præciſé capiatur peccatum ſic, quod ſecundum quid ſit infinitum, vtpote ex tali obiecto, modo ſupra, & in reſolutione explicato, tale reputabitur; ergo libere, & ſine fundamento etiam in ratione offenſæ, vltra malum tenebitur. Maior conſonare videtur rationi, & divinæ æquitati, aliàs deduceretur, quod peccatum nunc non erat condigne punitum, cum pœna foret infra culpam, nec non quod non erat in Deo tanta vis ad vindictam, quanta in peccatore ad injuriam, nunc ſiquidem Deus ſolum modo prædicto punit, & prædicto modo puniretur etiam, quod ſolum obiectivè haberet infinitatem, ac proinde non magis ſimpliciter infinitum, ac ſecundum quid puniri poſſet, quod foret iniuſtum. Minor etiam conſonat, quia ſola infinitate obiectivè capta, maneret peccatum dignum pœna æterna, & quibuslibet bonis digne privatum, non minus ac actu bono ſecundum quid infinito omnibus & gloria maneret dignum &c. vnde poteſt corroborari aſſumptum.

10 Suadetur 2. & vt efficacius fiat, proponendo principalem doctrinam Thomiſtarum. Dum arguatur, quod perſona divina offenſa, etiam phyſicè infinita, peccatum in ratione offenſę etiam phyſicé infinitum conſtitueret, reſpondent apud Gonet, non tenere, quia vt aliquid phyſicè infinitum ſit, requiritur quod forma infinitâs vniatur ei phyſicè vt forma, & Deus dans, vt forma gravitatem offenſæ, vt forma, ſolum vnitur moraliter. Formam vero ſolum moraliter vniri, inquit, eſſe ſic vniri, quod licet phyſicè non informet, præbeat tamen fundamentum pru-

denti exiſtimationi ad iudicandum realiter ſe habere ad illam reſpectu effectuum moralium, ac ſi phyſicè vniretur.

11 Contra 1. quia revera, tunc aptius, & prudentius aliquid moraliter diſtare intelligitur, quando ab aliquo non ſolum phyſicè ſeparatur, & vt ſummè contrarium habetur, quin nec vult, ſed ſimpliciter non velle habet; igitur dum deſtructio non det prudenti fundamentum ad erectionem, & contraria forma ad informationem, & ſumma ſeparatio ad coniunctionem, & ſummum odium ad vnionem, nullus percipere poterit quod Dei bonitas vltra purè terminare (ſi enim alicuius actus erga Deum, non fore terminum, poſſibile foret, prudentes prudentius intelligerent, quod ſic Deus à peccato diſtans erat, quod ſi poſſet, nec terminare vellet; ſic namque prudentes, melius ſummi boni, & mali diſtinguerent conditionem) habere poſſit moraliter vniri & informari, & maximè dum non augere malitiam, vt Deo impropriſſimum debeant reputare prudentes. Unde auge vim, videlicet, nec cunctam peccatorum malitiam, eam ſic dare peccato, ac vt forma ipſius eam Deus dat.

12 Contra 2, & confirmatur ſpecialiter in Gonet, & Godoy. Maius fundamentum eſt, vt per bonitatis viam, & ſummi velle Dei, daretur naturæ vnitæ phyſicè Verbo aliquid moraliter à perſona divina, quam quod moraliter detur aliquid à phyſicè & moraliter reputata diſtantiſſimè; ſed quia perſonalitas Verbi vt phyſicè infinita non poteſt denominare ſanctam naturam humanam, prudentiores Thomiſtę nec moraliter reputant; quãto igitur minus reputabunt vnionem, vbi per locum intrinſecum, abſtractè, & concretè, identice, & ſimpliciter, nil ex natura rei percipitur repugnantius?

13 Contra 3. quia revèra Deus ſic foret offenſus, quod poſſet dici verè, ſibi offendere. Suadetur intentum, quia ab offenſa offenditur Deus; ſed formale principium offenſæ, Deitas ipſa eſſet; ergo eo pacto quo magis offenſa offenditur Deus, dum Deus ipſe ſit principium formalius offenſæ, Deus ipſe erit quo ſpecialius ſibi offendat Deus. Deinde quia dum magis dicant Thomiſtę de perſona Verbi reſpectu actionum humanitatis, vel paſſionis Chriſti, ſolum dicere poſſunt, quod ſit formalizans, & ſpecificans, & quod ſit earum forma; ſed dum hæc dicant, ſic de perſona Verbi loquuntur quod repugnent humanitati in quavis ſuppoſitione peccatum, ne divina perſonalitate formalizaretur; igitur cum nil minus habeat divina perſona dum ſit forma; non minus videtur repugnandum. Non enim peior eſt malitia, quam offenſa, nec melior eſt ibi, quam hinc divina perſona.

14 Contra 5. quia dum perſona divina ſit forma offenſę, equidem informans ipſam, profectò debet eſſe vt forma infinitè bona, vt forma namque infinitè mala nulla prudentia divina perſona conſiderabitur; ſed eo pacto, quo aliqua forma informat aliquid, tale aliquid debet denominare; igitur cum bonitate infinita informetur offenſa, offenſa infinitè bona cõſtitutivè & formaliter conſtituetur. Confirmatur, & exponitur diſcurſus. Supponamus, quod offenſa forma infinitè mala informetur, & conſtitutivè & integraliter formalizetur, tunc imperceptibile foret quod offenſa foret infinitè bona, ac proinde quod offenſa non foret infinitè mala; igitur conſimiliter dum per modum formæ infinita bonitate cõſtitutivè erigatur. Contrariorum enim eadem ratio eſt.

15 Neque invenio dici poſſe aliud, quam quod vt offenſa ſit infinitè mala requirit eo ipſo, quod habeat divinam bonitatem in ipſa intellectam, requiritur namque, quod infinitè bonum ſit offenſum. Contra, quia vel eſt idem ac dicere quod bonitas divina integrat per modum formæ offenſam, & tunc ſemper manebit in ſua vi præcedens diſcurſus; vel eſt idem ac quod Deus infinitè bonus debet eſſe offenſus, vt offenſa ſit infinitè mala, & id nil dicit, cum non dicatur aliud, quam quod terminus qui offenſus eſt, & iniuriatus infinitè bonus ſit, quod omnes fatemur, ſicuti quod terminus qui amatur bonus eſt nõ minus infinitè. Non enim datur medium inter eſſe purum terminum, vel inter eſſe formalitatem ipſius offenſæ conſtitutivè, & integraliter.

16 Explicatur, & confirmatur intentum. Vel enim eſt idem Deum eſſe offenſum, & eſſe offenſam ipſam, vel non? Si ſit idem; ergo Deus erit infinitè malus, dignus pœna æterna, & ſummo odio & ſic inter quęcunque ab offenſa valent inferri, omnibus namque illis offenſa digna eſt, & ei conveniunt, non aliter niſi quia apud eos infinitè mala eſt. Si non ſit idem; igitur Deus offenſus intelligetur extra offenſam formaliter, & non aliter intelligetur ac terminativè, ita vt eſſe offenſam Dei non ſit aliud, quam Deum eſſe purum terminum offenſæ. Quod omne explicatur à paritate actus vniformiter cõtrarij, dum ſcilicet non ſit idem eſſe dilectionem, & eſſe dilectum. His ita

17 Suadetur 3. ex ſic communi, ac principali ratione, S, quod ſi peccatum in ratione offenſæ eſſet ſimpliciter infinitum, vnum peccatum

catum

catum in ratione offenſę non eſſet maius alio, ac proinde omnia eſſent æqualia; quod contradicit, cum conſter Deum vno magis quam alio offendi; ergo. Reſpondent primo aliqui Thomiſtæ diſtinguentes duplex infinitum, vnum per eſſentiam, & in genere entis, & de hoc concedunt non poſſe habere exceſſum, quia infinitum formaliter in ratione infiniti, cum dicat negationem omnimodam termini, implicat in hoc excedi vnũ ab alio. Aliud eſt infinitum generis determinati, & hoc poteſt naturaliter excedi ab alio infinito. Unde cum peccatum nõ ſit Infinitum in genere entis, nec per eſſentiam, ſed in genere determinato, ſcilicet, in genere offenſæ, vnum peccatum in ratione offenſæ maius alio eſſe poterit.

18 Hæc ſolutio, inquit Gonet, probabilitate non caret. Melius tamen, & facilius, inquit ipſe, reſpondetur, gravitatem offenſæ, non ſolum ſumi à perſona lęſa, ſed etiam ab obiecto, ab intenſione actus, & alijs capitibus, ex quibus ſumitur peccatorum malitia. Unde licet gravitas perſonalis, quæ reperitur in offenſa contra Deum commiſſa, in cunctis peccatis æqualis ſit; illa tamen quæ ex obiecto, & alijs capitibus ſumitur, inęqualis eſt iuxta obiectorum, & circunſtantiarum inæqualitatem. Illuſtrat ſuam ſolutionem Gonet ex actionibus Chriſti, vbi diſtinguit duplicẽ bonitatem, & valorem; alterum ex obiecto, & circunſtantijs, qui inde vocatur *obiectivus*; alterum ex dignitate perſonæ, qui inde dicitur perſonalis: hũnc tenent infinitum, & in cunctis operibus æqualem, ſecus primum, cum foret maior, vel minor iuxta excellentiam obiecti. Sic pariter gravitas perſonalis ſimpliciter infinita erit, & ęqualis, ex perſona offenſa; ſecus autem gravitas ex alijs capitibus derivata &c.

19 Sed contra in primam ſolutionem, & in primis videtur obſtanda ipſa diſtinctio. Vel enim eſſe peccatum infinitum in genere determinato eſt eſſe infinitum in ratione offenſæ, vel non? Si extra rationem offenſæ; infero quod etiam in ratione malitiæ infinitum ſit, ac proinde quod attentis dumtaxat circunſtantijs ex parte peccantis habitis, poſſit eſſe infinitum, licet in genere determinato. Infero ſecundo, quod ſi extra rationem offenſæ, ſaltim in genere determinato infinitũ ſit peccatum, quod formaliter ſub conceptu offenſę, vltra genus determinatum erit infinitum, ac proinde ſimpliciter, & per eſſentiam.

20 Si verò eſſe peccatum in genere determinato infinitum, ſit eſſe infinitum in ratione offenſæ, implicat quod ſit ſic infinitum quod excedi poſſit. Prob. quia eo pacto offenſa debet eſſe infinita, quo eſt forma à qua ſumit eſſe infinita; ſed forma à qua ſumit eſſe infinita non poteſt excedi; ergo. Patet minor, quia non aliter conſideratur infinita, niſi quia habet in formam, & in ſpecificativum Deitatem, ſeu divinam bonitatem; hæc enim tota ratio eſt, aliter namque charitas infinita foret quia terminus etiam eſt ipſi infinitus; ſed repugnat quod divina bonitas ſit infinitior; ergo.

21 Deinde ſi ſub alijs dumtaxat vocibus velint dicere materialiter poſſe infinitatem offenſæ excedi, ſecus formaliter. Contra; quia ſic reſpondentes iam concedent quod peccatum in ratione offenſæ erit infinitum ſtrictiſſimè, ac proinde per eſſentiam, cum tale ſit illud quod dicit omnimodam negationem termini, & hanc dicit quidquid formaliter infinitum. Deinde, quia vt ex profeſſo examinatum manet in Phyſica, etiam imperceptibile eſt quod materiale infinitum excedatur in materia, ac quod formale excedatur in forma. Et vlterius quia vel materia peccati dicitur infinita, quia revera etiam eſt in ſe infinita, vel dicitur infinita, quia ſolum eſt infinita, quæ dicitur ab eis forma offenſæ? Primum videtur imperceptibile, aliàs ſignetur infinita materia in ſe. Contra deinde ſi ſecundum ſit; quia dum materia ſolum reputetur infinita, quia infinita eſt offenſæ forma, dum forma ſemper ſit æquè infinita, & ſic quod non poſſit dici infinitior, non dabitur ex quo dum materia dicitur infinita, poſſit eſſe nec reputari infinitior, ac proinde nunquam poterit eſſe exceſſa.

22 Contra deinde in ſecundam ſolutionem Gonet. Quia videtur ſatis arduum, quod offenſæ aliquę in ratione offenſę non ſint maiores alijs; ſed ex ipſius ſolutione nulla offenſa alia maior eſſe poteſt; ergo. Minor patat. Quia quodvis peccatum in ratione offenſæ eſt formaliter infinitum, cum non diſtinguant aliam rationem ſub qua infinitum ſimpliciter poſſit eſſe quam ſub ratione offenſæ. Maior, in qua eſt difficultas, ſuadetur. Quia ſub eo conceptu offenſa eſt maior in ratione offenſę, ſub quo Deus magis offenſus reputatur, & eſt; ſed arduum videtur, quod Deus non ſit magis offenſus in aliquibus; igitur & arduum erit quod offenſa ſecundum ſe & in ratione offenſæ non ſit maior,

23 Contra deinde in principale ab exemplari Chriſti. Si namque vim teneat Chriſti paritas, ſcilicet ex perſonalitate ad quaſlibet actiones, tametſi inter ſe ipſas diſtantes,

tantes, & nimis inæquales, tunc nimis vrgerent Thomiſtas Auctores arguentes à paritate peccati venialis, dum intendunt probare quod ſit infinitum in ratione offenſæ, ſpectantes ſemper rationem, cur non ſit infinita offenſa, cum veniale etiam ſit offenſa Dei, & perſonæ infinitæ. Quod enim vrgere poſſint ſuadetur, quia quodlibet Chriſti opus, tamerſi in ſe leve, & alijs inæqualiſſimum, tamen ex dignitate perſonæ ſummi & ſuperabundantis valoris, vt dicitur de ſudoris, vel ſanguinis gutta, de leviori ſuſpirio &c. ergo ſi ſimile vim habeat, eiuſdem ſumma vi vrgebuntur.

24 Suadetur tandem 4. noſtra reſolutio à paritate actus chari, qui licet quoad ſpheram cunctos excellat ex circunſtantia obiecti, tamen formaliter nunquam infinitatur, nedum phyſicè, ſed neque moraliter extrinſecè, dum id in æſtimatione prudentum aptius fieri debebat. Varijs ergo ſolutionibus ommiſſis breviter ſuadetur. Quia quilibet tam metaphyſicè doctus, quam philoſophicè prudens, dum divina bonitas poſſit aliquo modo aliquam infinitare lineam, potius facilitabit poſſe infinitare & informare lineam bonam, affiniorem, & intimius ſuimet participem, quam lineam malam, & ex diametro diſſonam; igitur prudentius eam moralitatem impinget prudens in lineam bonam actus recti, quam in lineam malam actus pravi.

25 Si dicas ſtatim, quod illa infinitatio, & infinitatis informatio non eſt reſpectu lineæ pravæ intrinſecè, neque phyſicè, ſed valde extrinſecè, & moraliter, cū ſolum ex exceſſu actus præ alijs qui non ſunt contra Deum, reputetur intra divinam lineam: Contra, quia revera petitur principium; quia neque pro linea bona quæritur infinitatio intrinſeca, & phyſica, ſed ſolum illa valde extrinſeca, & moralis, cum etiam ſic debeant reputare prudentes, cum præ omnibus actibus ſivè malis, ſivè bonis, ſolum ille charitatis ſit in comparabiliter iuxta Deum, ita vt intra divinam lineam debeat reputari.

26 Reſtabat hinc examinare Amicum, & alios apud Maſtrium tenētes peccatum eſſe infinitum ratione ordinis, quia in ratione offenſæ eſt ſimpliciter in ſupremo ordine, non habens ſupra ſe aliam graviorem, ac proinde quoad ordinem gravitatis eſſe infinitam. Sed contra hos rectè inſurgit Maſtrius, prout in promptu ſe offert, viſio & dilectio beata, quæ aliam perfectiorem ſe non habent, & tamen ex talis ordinis ſupremitate infinitæ ſimpliciter non dicuntur; ergo neque ob ſimile offenſa. Et dum reſpondet Amicus non eſſe ſimile, quia viſio in ratione formæ beantis non eſt ſimpliciter ſuprema, quia ſupra eam datur increata viſio, ſecus verò ſupra offenſam ſupra Deum, vlla gravior; & ad infinitum ſimpliciter nō ſufficere excedere infinita perfectiora ſe, quin & ab alio perfectiori ſe in eodem ordine nō excedi. Inſtat Maſtrius talem ſolutionem ſeipſam deſtruere; quia offenſa non erit ſimpliciter infinita, cum in ſupremo ordine mali, quod eſt mortale, detur vnum gravius alio, apud Amicum. Deinde, quia ſic Amicus, nedum infinitatem ordinis, ſed ſimpliciter iam videtur concedere. Tùm, quia quod ſupra viſionem & fruitionem detur increata, non tollit quod ſint ſupremæ in ordine actuum ſupernaturalium; & tamen ſimpliciter infinitæ nec in ordine actuum ſupernaturalium dicuntur; ergo & à ſimili circa ſupremum offenſæ ordinem. Hæc Maſtrius, quæ pro hac opinione ſufficere videntur.

ALIQVA EX OPPOSITIS SOLventur.

27 Objeciunt principaliter ex fundamentali ratione, quod, S, gravitas offenſæ creſcit ex dignitate perſonæ offenſæ, ac proinde offenſa irrogata equiti minor eſt quam irrogata Sacerdoti, & huic minor, quam Epiſcopo, Papæ, Deo; ſed ſic eſt quod perſona offenſa per peccatum mortale, S, Deus eſt ſimpliciter infinitæ dignitatis; ergo & gravitatis ſimpliciter infinitæ erit peccatum mortale. Reſpondetur communiter non creſcere arithmeticè, hoc eſt ad æqualitatem, ſed geometricè, hoc eſt ſecundum proportionem. Itaque ex dignitate perſonæ offenſæ non ſequitur in peccato infinitas ſimpliciter, quin ſolum quod excedat cæteras creaturis irrogatas offenſas, & ſit ſuperioris ordinis ad illas; eo enim pacto quo creſcit, & ex perfectione obiecti excedit actus charus cæteros, quin inde infinitus ſit, licet ſuperior.

28 Inſtat Gonet: quia Deus eſt in dignitate ordinis ſuperioris, reddit ordinis ſuperioris offenſam; igitur & infinitā cum in dignitate infinitus ſit. Tùm: Deus non minus ex ſe eſt potens dare infinitatem, ac ſuperioritatem, & offenſa poteſt vnum ſicuti aliud participare; ergo. Tùm à paritate operum Chriſti confirmat, quę licet ſecundum ſe ſint ordinis infimi, nil obſtat eorum limitatio phyſica, vt moraliter infinitentur ex dignitate perſonę; ergo & opera noſtra ex infinitate perſonæ offenſæ. His, & alijs ſolent Thomiſtæ de principaliori fundamento ſuam reſolutionem propugna-

pugna-

pugnare; quibus Noſtri etiam multipliciter ſolent ſatisfacere. Vide Maſtrium citatum ab *art.* 2.

29 Exiſtimo facilimè omnibus reſpondendum. Dicimus ad primum, in inſtantia, quod quia eſt ordinis ſuperioris Deus, vt purè terminans offenſam, eam reddit ordinis ſuperioris, eo pacto quo ſic terminativè ordinis ſuperioris eſt, & ſic ex hoc cunctas alias excellens; ſecus autem quia ordinis ſuperioris ſit vt informans, & per modum formæ ſpecificans. Ad ſecundum in inſtantia poſitum, dicimus, verùm eſſe, quod ſicuti Deus eſt potens dare ſuperioritatem, & potens eſt dare infinitatem, vtrumque enim dare poteſt terminativè, & non aliter, & ſic & non aliter offenſa noſtra, ſicuti quælibet alia operatio limitata poteſt participare ſuperioritatem, ſicuti & infinitatem, & vno, eodemque modo ab vtroque denominari. Deinde ad vltimum conſimiliter negant Scotiſtæ opera Chriſti infinitatem participare. Sed infinitate in eis permiſſa, non tenet paritas, quia perſona Chriſti eſt phyſicè, & realiter vnita operanti, & verè ſubſtat vim operantem, habetque ſe per modum principij, cum actiones vno aut altero modo ſint ſuppoſitorum; at hæc omnia deficiunt in offenſivo opere noſtro, reſpectu perſonę ad quam præciſé terminatur. Nec aliter theologizandum, ac dum opera noſtra bona ſunt erga perſonam infinitam, & dum opera Chriſti habent eſſe à perſona infinita.

30 Inſtabis, quod dum ſic reſpondeamus, debemus tenere, quod omnia peccata ſint ęqualis gravitatis, & quod magis vrgere videtur, quod etiam venialia, quod temerum eſt. Hæc inſtantia, prout innuimus, difficilius manet ab eis ſolvenda, cum nulla ſit offenſa Dei, quæ à dignitate ſimpliciter infinita Dei offenſi non informetur, & ab ea per modum formæ non erigatur. Reſpondemus conſimiliter, ita eſſe terminativè, cum nil aliud id importet, niſi quod omnium offenſarum terminus, terminus ſit infinitus, & indiviſè idem. Sic enim dicimus, quod terminativè omnes actus boni, ſivè intenſi, ſivè remiſſi ſunt ęquales, ac proinde omnes in obliquo infiniti. Vbi nota, quod ſicut non obſtat in ſententia Seraphici Magiſtri dari amorem Dei naturalem ſuper omnia, qui terminativè & in obliquo ſit idem, ac amor ſupernus ſuper omnia, ac proinde ſic, quod ſalvetur, quod vnus iuſtificet, ſecus alter, quod vni correſpondeat gloria ęterna, ſecus alteri, deſumpta dũtaxat differẽtia ex parte actus, & modi operantis, ſic pariter de actibus pravis gravibus, & levibus in obliquo, tametſi vnus condemnet, & non alter, vnus ſit æterna pœna dignus, alter non, deſumpta differentia ex parte actus, & modi operantis. Sic etiam theologizã de remiſſiori actu amoris Dei, & de intenſiori.

31 Et ſi dicas adhuc, quod culpa ſit mortalis ex eo quod ſit in offenſa infinita, & iuxta à nobis dicta venialis etiam infinita foret, ſi non aliter quam terminativè daretur infinitas: ſi hoc dicas, dicimus ſemper, quod culpa eſt mortalis ex parte actus, & prout hic talem terminum habet; requiritur enim talis actus circa talem terminum, quorum quolibet deficienti, deficit mortalitas. Idemque evenit in actu charo, qui vt talis requirit eſſe talem actum circa talem terminum. Ubi pro omnibus vnico verbo nota actum bonum amoris, quem ſi ex termino, ex conatu, & ſic ex alijs capitibus comprehendas, quamlibet difficultatem hinc evinces facile. Alia argumenta faciunt, ex æternitate pœnæ, ex intento deſtruẽdi legiſlatorem &c. ſic, quibus Maſtrius benè cũ Scoto occurrit. In fine adverte, quod ſæpe aliqui peccant ineefficaciter nollentes fore Dei offenſam, reſpectu quorum exceſſivè peccarent, qui etiam vellent offenſam fore, & vndequaque Deum deſtruere, vbi daretur ſummus exceſſus vnius offenſæ ſupra aliam iam apud Thomiſtas infinitam.

ART. II.

Principali intento quæſtionis reſpondetur, & nonnulla, iuxta Scoti doctrinam expenduntur.

32 DEvenimus ad punctum magis principale à quæſtionis initio, quod iam in forma diſputationis minus principale tenetur, ſiquidem prout vidi, apud Gonet, vnicum & principale fundamentum, ne purus homo quamtumvis gratia exornatus poſſit de condigno ſatisfacere nedum pro peccato proprio, verum nec pro alieno, ſiſtit in eo, quod gravitas offenſæ infinita ſimpliciter ſit, & omnis imaginabilis puri hominis condigna ſatisfactio, ſimpliciter finita eſt; igitur cum deciſum, & propugnatum relinquamus, gravitatẽ offenſæ finitam ſimpliciter eſſe, neque elevationem actus ſupremæ charitatis excellere, circa poſſe purum hominem condignè pro proprijs & alienis peccatis condignè ſatisfacere, devicta penitus difficultas manebit. Etenim revera ita eſt. Sed tamen quia diver-

ſus providentias,ſphęras,modos, & conditiones quæſitum involuat, vt exactius procedamus, aliquibus reſolutionibus iuxta Subtilis Doctoris ſcopum difficultatem exponemus.

33 Præſens quæſitum,quoad omnem latitudinem eius, pluribus in locis tractat Scotus, ſed meo videri, plenius *in* 3. *d.* 20. vbi quærit, *An genus humanum neceſſe fuerit reparari per paſſionem Chriſti.* Vbi controvertit quæſtionem cum D. Anſelmo,qui ob intelligentiam, & reſolutionem huiuſce quæſtionis dumtaxat,fecit librum, S, *Cur Deus homo*:& in hoc libro(vt recitat Scotus aiens, *Hæc veraciter, vt potui,ex dictis eius collegi*)inquirit, & reſolvit Anſelmus,*Quod neceſſarium fuit hominem redimi*.Secundo,*Quod non potuit redimi ſine ſatisfactione*.Tertio,*Quod facienda erat ſatisfactio ab homine Deo*. Quarto,*Quod convenientior modus fuit hic, ſcilicet , per paſſionem Chriſti*. Circa quæ, reſolutiones ad Scoti literam formabimus,quibus formatis, quæ pro pleno quæſiti captu reſtent expendemus.

34 Reſolvendum 1. quod non fuit neceſſitas redimendi hominem. Probat Scotus, quia non fuit neceſſitas reparandi genus humanum;ergo nec redimendi.Probat anteced. quia ſi aliqua foret neceſſitas, maximè quia homines prędeſtinati erant ad gloriam,& lapſi non poterant intrare niſi per ſatisfactionem;ſed inde non ſtabilitur neceſſitas abſolutè,cum prædeſtinatio hominis contingens ſit, & non neceſſaria , nam Deus contingenter prædeſtinavit homines , cum nihil neceſſario operetur reſpectu aliquorum extra ſe ordinando illud ad bonum; nec eſt inconveniens hominem fruſtrari à beatitudine, niſi ex ſuppoſitione liberè poſitę prędeſtinationis;igitur ſicuti nulla fuit penes hominem neceſſitas prædeſtinationis , nec vlla fuit neceſſitas redemptionis.

35 Reſolvendum 2. quod non fuit iuxta omnem providentiam neceſſarium hominem reſtaurari per condignam & ſupernam ſatisfactionem,cum poſſet homo reconciliari Deo abſque infuſione gratiæ.Deducitur ſatis clarè ex Scoto citato ſupra, dum ait: *Id tangetur in 4. tractatu de Pœnitentia , ſed dato, quod ſatisfactio requiratur*. Suadet *in* 4. *d.*16. *q.* 2. quia poteſt culpa remitti abſque hoc, quod gratia infundatur;ergo.Prob.antec.Scotus,quia poteſt Deus de potentia abſoluta hominem creare abſque culpa , & gratia in puris naturalibus;ergo & poſt lapſum talem reparare, & ita remittere culpam ſinè infuſione gratiæ.

36 Suadebat Scotus *in* 4. *d.* 1. *q.* 6. ſic: Quęcunque ſibi invicè repugnant circa idem, mutuo ſe excludunt circa illud ; igitur cui plura repugnant circa aliquod ſubiectum, illud poteſt excludi ab illo ſubiecto per quodlibet illorum: ſed culpæ originali nedum repugnat gratia,quin etiam ſine gratia repugnat rectitudo in puris naturalibus;ergo culpa per hanc rectitudinem excludetur. Idque, inquit Scotus , patet defacto ſecundum Magiſtrum ponentem hominem ſic conditum defacto à Deo. Tum in diſt.16.ſupra,ſuadet,quia poſſet in ſtatu innocentiæ in genere humano ita facere, & ita, inquit , factum eſt in Angelis, qui non peccaverunt,infundendo poſt conditionem gratiam abſque culpę remiſſione,cum culpa non foret in eis. Hoc vltimum adducit Scotus, vt ſuadeat,aliam eſſe abſolutè remiſſionem, à poſitione gratiæ.

37 Probat *in diſt.* 1. *quæſt.*6. ſupra, intentum de poſſibili ſic : quia ſi non poſſet natura fieri recta rectitudine naturali , & ſine gratia, tunc gratia eſſet naturalis , licet non naturæ lapſæ, tamen naturæ in rectitudine propria inſtitutæ ; illud namque eſt naturale, quod conſequitur naturam ſecundum ſe ; ergo ſequitur quod per ſolam rectitudinem naturalem , & ſine gratia poteſt culpa expelli.

38 Dices, quod rectitudo potuit eſſe abſolutè abſque gratia, at poſt culpam non poteſt reſtitui niſi collata gratia. Contra arguit Scotus: quia dum forma non habeat eſſe alterius rationis in ſubiecto, non habebit inſeparabilitatem diverſam, quia enim eſt talis forma, & tale eſſe habens , ideo eſt ſeparabilis, vel inſeparabilis à quocunque ; ſed forma non habet eſſe alterius rationis in ſubiecto, ex eo quod eius oppoſitum præceſſerit , vt patet in frigore, & calore circa aquam; igitur forma non habet aliam inſeparabilitatem à quocunque ex eo, quod eius oppoſitum præceſſerit in ſubiecto ; ſed rectitudo naturalis ſi non præceſſiſſet ſuum oppoſitum , vtpote culpa, poſſet ſeparari à gratia ; ergo & ſi pręceſſiſſet oppoſitum , poſſet iterum , S, deinceps ſeparari.

39 Confirmat Scotus, quia qualiter ſecundum formam abſolutam poteſt Deus hominem creare talem, & præciſè talem poteſt recuperare ſecundum formam abſolutam; ſed in pura rectitudine naturali poteſt hominem creare ; ergo & recuperare ſic. Probat mai. quia culpa non facit naturam eſſe aliam in ſe ; ergo nec quod non ſit capax eiuſdem, cuius fuit prius capax. Deinde agens divinum poteſt naturæ imprimere quodcunque cuius capax fuit, necnon hoc imprimere ſine quacunque forma, quæ non includatur in ra-

tione

tione formæ impreſſæ; igitur cum capax foret natura rectitudinis naturalis, & aliàs in huius ratione non includatur gratia, abſque iſta etiam deinceps poſſet illam imprimere in natura.

40 Dices, quod iuxta Hieronym. non poteſt Deus de nō virgine facere virginē, & tamē à principio poteſt creare virginē; ergo ruit doctrina de reſtauranda rectitudine, etiamſi rectam naturam potuiſſet ſecūdum ſe creare. Reſpōdet diſtinctione Scotus dicens, quod ſi virginitas ſumatur vt dicit eſſe forma abſoluta, nulla eſt inſtantia, nam prout abſolutum importat, ſivè virginitas ſit perfectio in mente, ſivè diſpoſitio in carne, eam valet Deus reparare. Secus autem ſi vltra prædicta, dicat vt dicit virginitas nunquam cecidiſſe mente, vel corpore; nam ex quo actus præterijt, non poteſt Deus facere quin præterijt: vnde Philoſophus *6. Ethic. c.3.* cōmendat dictum Agatonis rectè dicentis: *Hoc ſolo privatur Deus ingenita facere, quæ facta ſunt.* Et ratio eſt, inquit Scotus, quia nulla factio poteſt eſſe non entis de aliquo non ente, nam extendendo factionem, quælibet eſt, vel entis de non ente, vel non entis de ente, vt in anihilatione, vel entis de ente; præteritum autem non eſt ens, & ipſum non præterijſſe eſt aliud non ens; ergo non poterit ex præterito fieri quod non ſit præteritum. Synonyma idem. *5. Phyſ. Tex. Com.7.*

41 Et ſi circa hoc iterum inſtetur, quod dum Deus poſſet reſtituere illud abſolutum quod eſt in virginitate, poſſet & Aureolam reddere, nam Aureola videtur correſpondere alicui perfectioni abſolutè in virginitate: Poteſt reſponderi (Scotus ibi) quod Aureola Virginis eſt gaudium accidentale de ſua innocentia, id eſt de nunquam cecidiſſe in illud peccatum, ad quod natura communiter prona eſt, maximè in adoleſcentia.

42 Præfatam reſolutionem de homine reſtaurando, etiam abſque vlla ſatisfactione poſſes defenſare iuxta traditam doctrinam, & prout concernit omnem potentiam, & poſſibilem Dei providentiam. Id videtur ſatis deduci ex Scoti doctrinis *in* 4. *& in* 3. ſupra.

43 Reſolvendum 3. quod ex ſuppoſitione reparandi hominem per condignam ſatisfactionem, non fuit neceſſarium, quod per hominem Deum fieret. Probat Scotus *in* 3. ſupra, & maximè, mortem Chriſti non fuiſſe neceſſariam. Primo ex *Auguſt.* 13. *de Trinit. c.* 10. tenente: *Alius modus redimendi hominem Deo non defuit.* ergo. Præterea probat mortem, & paſſionem Chriſti fuiſſe contingentem, & ſolum adducere neceſſitatem conſequentiæ, videlicet, ſi curro, moveor &c.

44 Et dum dicebat Anſelmus, quod non ſatisfacit quis Deo, niſi offerat Deo aliquid maius formaliter, quam pro quo peccare non debuit, quod eſt maius tota creatura, credo ſalva reverentia ſua (inquit Scotus) quod hoc non eſt verum. Non enim oportuit ſatisfactionem pro peccato primi hominis excedere totam creaturam formaliter in magnitudine, & perfectione, ſuffeciſſet enim obtuliſſe Deo maius bonum, quam fuiſſet malum illud hominis peccatum.

45 Itaque ſi Adam per gratiam datam, & charitatem habuiſſet vnum, vel multos actus diligendi Deum (ſemper Scotus) ex maiori conatu liberi arbitrij, quam fuit conatus in peccando, talis dilectio ſuffeciſſet pro peccato ſuo remittendo, & fuiſſet ſatisfactum. Quo enim pacto falſum eſt ſupra dictum, quod, S, debuit offerre Deo aliquid maius omni pro eo, quo peccare non debuerat. Suadet, dum contrariorum ratio ſuadeat; quia ſicut pro amore creaturæ, vt obiecti diligibilis non debuit peccare, ita ſatisfaciendo debuit offerre Deo aliquid maius attingendo obiectivè, quam ſit creatura, ſcilicet amorem attingentem Deum propter ſe; & ille amor obiectivè, vt ſcilicet terminatur in Deū excedit amorem creaturę, ſicut Deus creaturam. Unde ſicut peccabit per amorem ignobilioris obiecti in infinitum, ita debuit ſatisfacere per amorem nobilioris obiecti in infinitum; & hoc ſuffeciſſet ſaltim de poſſibili. Hæc Scotus

46 Ubi nota, quod dum Scotus dicit requiri maius bonum in ſatisfactione, quam erat malum quod debebat, capiendus eſt Scotus, prout ipſe iam ſe exponit, videlicet ex parte obiecti, homo ſiquidem amando creaturam peccavit, & deinceps amando Deum, qui eſt bonus ſupra omnem creaturam, ac proinde ſupra omne noſtrum malum, ſatisfacit; & ſic, dum etiam ex parte actus requirat Scotus aliquid maius, capiendus eſt ex eo, quod obiecta ſint actuum menſura, ac proinde ſicuti Deus prout in ſe bonus eſt ſupra omne in ſe malum, & actus qui Deum propter ſe bonum attingere debeat, elevari videtur ſupra omnem actum cuiuſvis obiecti. Hęc dixi, quia revera ſatisfactio erit proportionata, dum reddat æquivalens, prout Scotus *in* 4. *d.* 15. *quæſt.* 1. ad hoc intentum tenet, dum ait: *Satisfactio* eſt redditio æquivalentis pro æquivalenti; ſed quantum malum fuit pec-

catum avertens à Deo, tantum bonum eſt converſio ad Deum ex charitate; quantum enim bonum natum fuit ineſſe actui meo, tantum bonum, & non plus abſtulit peccatum meum, & tantum bonum ineſſe poteſt actui meo: ſic ergo per illum omnino æquivalens redditur. Hæc Subtilis, quibus priora melius capiuntur.

47 Reſolvit ergo ex dictis conſequenter Scotus duo, S, quod aliquis, qui non fuiſſet debitor, poſſet ſatisfacere pro alijs, etiamſi non foret divinizatus. Suadet, quia ſicut Chriſtus homo innocens non debitor ſatisfecit, ſic *ſi placuiſſet Deo*, potuit vnus bonus Angelus ſatisfeciſſe, offerendo aliquid placitum Deo pro nobis quod ipſe acceptaſſet pro omnibus peccatis, *quia tantum valet omne creatum oblatum pro quanto Deus acceptat illud, & non plus.*

48 Reſolvit præterea, quod vnus purus homo potuiſſet ſatisfacere pro omnibus, ſi fuiſſet conceptus ſine peccato, ſicut potuiſſet fieri de poſſibili, operatione Spiritus S, & Matris, ſicut fuit Chriſtus, & ſi Deus dediſſet ei ſummam gratiam, quam potuiſſet recipere ſicuti dedit Chriſto ſine meritis præcedentibus ex liberalitate ſua. Talis enim homo potuiſſet mereri deletionem peccati, ſicuti & beatitudinem. Et dum opponitur, quod tunc tali homini obligaremur ei tantum, quantum Deo, falſum eſt, inquit Scotus, quinimo ſimpliciter Deo; obligaremur tamen multum illi homini, ſicut obligamur Beatæ Virgini, & alijs Sanctis, qui meruerunt pro nobis; at finaliter, & ſummè Deo tanquam ei à quo illius, & aliorum Sanctorum bona procedunt.

49 Præfatæ reſolutiones literaliſſimæ Scoto, ſi difficultatem afferre poterant, dumtaxat ex principijs, quæ ſupponere non contradicit iuxta omnem providentiam. Patet profecto. Quia vel ex principijs intrinſecis, vel ex extrinſecis. Non ex intrinſecis, cum ſupponat Scotus, quod ſupponere in eorum poſitione, non contradicit, videlicet, omne adiuvamen internum, quod foret exercitio ſatisfaciendi compatibile; & ſi eis dediſſe gratiam gratis, impediret poſſe pro alijs ſatisfacere, etiam id Chriſti ſatisfactionem impediret, prout ſupra *in 4. d.* 15. probat Scotus. Deinde, neque ab extrinſecis, cum id ſolum pendeat à voluntate divina, cui liberum fuit hoc, vel illo modo pacta ſtatuere, & ſemel poſitis operibus bonis, ea ad alia ordinare. Unde, inquit Scotus in 3. ſupra, Unus qui non eſt debitor poteſt ſatisfacere pro alio, ſicuti & pro alio orare. Et revera, contra hoc divinæ volitionis principium opponere difficultatem, præſumptuoſum videtur, cum extra turpia, omnia divino amori, & dominio cædant, maximè quę benevolentia & pietate immiſcentur.

50 Reſolvit præterea Scotus (de poſſibili dico, inquit ipſe) quod quilibet poteſt ſatisfacere pro ſe. Suadet, quia ſi data fuiſſet cuilibet homini prima gratia ſine meritis, ſicut & modo; licet enim quilibet homo ſit filius iræ nunc, cuilibet tamen ſine meritis proprijs dat primam gratiam, ita vt etiam tunc mereatur beatitudinem, vt hæreditatem, & poſſit mereri vt præmium; igitur & in caſu ſuppoſito potuit etiam meruiſſe deletionem culpæ.

51 Tandem reſolvit, & exponit Scotus circa factum, quod omnia, quę circa redemptionem noſtram facta ſunt per Chriſtum, non fuerunt neceſſaria niſi præſuppoſita ordinatione divina, quæ ſic & non aliter ordinabit fieri; ac proinde ſic, ſolum ſunt neceſſaria neceſſitate conſequentiæ. Strictè tamen, & radicem intuentes, totum fuit contingens ſimpliciter, tam antecedens, quam conſequens, contingenter enim dum poſitum fuit decretum, & contingenter præfuit, quidquid ex eo derivatum fuit. Quo pacto exponit D. Anſelmum capiendum fore, ita vt ſi in dictis ſuis ſalvandus, & ad proprium ſenſum redigendus ſit, debeamus dicere, quod omnes rationes ſuæ procedant præſuppoſita divina ordinatione, quæ ſic ordinavit hominem redimi, necnon quod noluit acceptare pro redemptione hominum, niſi mortem filij ſui, nulla tamen neceſſitas fuit, prout etiam *in Pſalm.* 129. *Copioſa apud eum redemptio.*

52 Circa convenientiam maiorem per mortem & paſſionem Chriſti, optima fuit quarta & vltima reſolutio Anſelmi; convenientius enim fuit, quod maiorem attulit generi humano convenientiam, & ſupremè, & abundantius eam ex homine Deo derivandam, nulli dubium videri poteſt.

53 Deinde ad vnum aut alterum Anſelmi dubium reſpondentes, breviter ipſo Scoto facimus. Dubitabatur enim, an ſcienter potuiſſent Iudæi occidere Chriſtum. Ad quod negativè reſponderat Anſelmus. Scotus vero affirmativè, tenens, quod licet ſciviſſent eum Deum, adhuc potuiſſent eum occidiſſe, & ſi hoc feciſſent, adhuc eorum peccatum fuiſſet remediabile per paſſionem Chriſti, quia plus dilexit Deus illam paſſionem acceptando, quam odiſſet eorum malum. Non enim potuerunt habere actum tam difformem in malitia, ſicut fuit bonus bonitate morali actus

volun

volūtatis quo Chriſtus voluit pati. Qui enim actus habuit bonitatem non ſolum ex potentia volitiva, ſed ex ſumma charitate, quia voluit mori, & aliquo modo ex illa perſona. Actus vero illorum malus, non habuit tantam malitiam ex habitu præcedente deordinato.

54 Neque obſtat Apoſt. 1. Corint. 2. dum dicit, Quod ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Ibi enim (exponit Scotus) non loquitur de Iudæis, ſed de Principibus mundi, S, de Dæmonibus; quia ſi ſciviſſent eſſe verum Deum non inſtigaſſent homines ad eius mortem, idque ob bonum ex morte ſecutum, S, hominis redemptionem, quod bonum accidere nollebant. Unde primo, quando ignoraverunt hoc, inſtigaverunt Iudæos ad mortem. Poſtquam vero ſciverunt ipſum eſſe verum Deum perſuaſerunt contrarium. Unde vxor Pilati miſſit ad eum dicens: *Nihil tibi, & iuſto illi. Multa enim paſſa ſunt iſta nocte in viſu propter eum.* Benè tamen voluiſſent ipſum mori ſine redemptione humani generis, ſi fieri potuiſſet. Hæc Scotus.

55 Dubitatur etiam, an redimiſſet homines, quia tentati ceciderunt, vel quia tota ſpecies cecidit? Circa primum Anſelmus tenet quod ſicut Angeli ceciderunt nullo alio nocente, ita ſurgere debent nullo alio adiuvante. Scotus opponit, quod factum fuit prælium magnum in Cœlo &c. igitur videtur quod ſicut draco pugnavit cum Michaele, ſic eum tentavit. Approbat deinde Scotus, poſſe valere, hominem cecidiſſe tentatione, non ex hoc præciſé, ſed quia tentatio fuit alterius rationis, necnon tentatione etiam mulieris; forte enim non ita efficaciter tentavit Angelus malus, quia licet aliqua tentatio fuit alijs ruina Luciferi, ſed non ſicut hominis à diabolo. Circa ſecundum miratur Scotus, ita reſolvere illos, qui tenent quemlibet Angelum eſſe alterius ſpeciei ab alio, ac proinde potius inconvenire tot ſpecies non reparari, quam vnam hominis. Deinde ait, quod ſi eſſent duo Cœli, & vnum anihilaretur; & eſſent multæ muſcæ & anihilarentur, dicere neceſſe eſſe reparari ſpeciem muſcarum, & non Cœlum, frivolum videtur cum Cœlum ſit multo nobilius: ſic hic de comparatione Angelorum cadentium, & hominum. Hæc Scotus ſupra *in* 3.

(***)

ART. III.

Oppoſito principaliori ſatisfit, & circa ſatisfactionis captum, aptius aperitur Scotus.

56 Circa tot reſoluta, tametſi non nulla poſſint opponi, attamen prout ſolicitè notare curavi, ſatisfieri poterunt non difficile iuxta eruditiones ſupramenti Scoticæ genuinas. Contra vltimo dictum, manet aliquid ſolvendum, S, dum dictum manet, quod homo poſſit etiam pro peccato proprio ſatisfacere. Contra hoc ſtat in hoc difficultas, quod, S, vel homo vt condigne ſatisfaciens eſt gratus ante actum ſatisfactorium, puta contritionem, vel eſt gratus in aliquo poſteriori? Si homo habeat in priori gratiam, videtur tunc quod iam per ipſam acceptam gratiam ſit iuſtificatus, cum iure ad gloriam, amicus &c. ac proinde quod ſit ei remiſſa culpa, ac proinde non ſatisfactione propria, ſed liberalitate divina, deleta. Si gratia detur ei in poſteriori ad contritionem, contritione condigne non ſatisfiet, cum ei deficeret dignitas ſatisfacientis, ac proinde culpæ deletio erit remotus & congruus effectus contritionis, proximus vero & condignus ſemper erit gratię.

57 Vt præfatæ difficultati ſatisfaciant varios dicendi modos excitarunt Auctores, prius videri poſſunt à P. Maſtrio *hinc dp.* 4. *q.* 5. *art.* 3. quos nunc nec approbo, nec reprobo; re enim vera ſi latius ſiſterem potius eos probatiſſimè invenirem defenſabiles. Solum referam beviter tenentes poſſe ſatisfieri per extrinſecam acceptationem Dei. Id enim nunquam cenſui approbandum. Quia aliud eſt, quod homo ſit condigne ſatisfaciens, & aliud quod Deus ſit liberaliter condonans; purè & ſimpliciter acceptans, nil aliud eſt quam condonare, vt intuenti patebit. Quod enim Deus velit manere ſatisfactus, nil aliud exprimit, quam velle acceptare quod revera nunquam ſatisfacit.

58 Vbi notare oportet, nonnullos etiam Scotiſtas non bene theologizatos ex Scoti doctrina *in* 3. *d.* 20. à §. *Contra*, dum ait: *Quia tantum valet omne creatum oblatum pro quanto Deus acceptat illud, & non plus.* Si enim amplè id capiant in ſatisfaciendis, improbè difficultatibus Scoto ſatisfacient. Quia prout rectius politiores Scotiſtę notarunt, ducti ex

illa divinæ acceptationis dilatatione poſſet ſuaderi, putum hominem cam omnem Chriſti ſatisfactionem poſſe exhibere; necnon per opera ordinis naturalis poſſe aliquem pro quolibet ſuperne condignificando ſatisfacere. Hæc enim non aliter fieri non poſſunt, niſi quia divina acceptatio non poſſit reddere opera puri hominis, condigna fore opera Chriſti etiam ex dignitate perſonæ, & ſic nec opera ordinis naturalis, condigne ad ſphæram entitatum ſupernarum transferre.

59 Dum igitur, vt ſupra alloquitur Scotus, capiendus eſt, cæteris paribus, & ſervatis in proportione ſervandis. Videlicet, quod opera ſecundum ſe contineant aliquod, quo iam Deo placere poſſint, vt ſi Deus velit, valeat acceptare illa; nil enim Deum obligare poteſt, nec quidquam abſque divina acceptatione habet *completivè* omnem valorem, etiam ſi ex parte & ex natura operis iam reſpectu operis ablati proportionatam retineat correſpondentiam, vt paſſim, & probius exponunt Scotiſtæ. Hic enim eſt Scoti ſenſus, prout ipſe ſatis ibidem prævenit, dum loquens de poſſibili ſatisfactione ab Angelo ſuperne ornato pro genere humano, ait: *Si placuiſſet Deo* potuit vnus bonus Angelus (aliter, & vnus malus poſſet) ſatisfeciſſe, offerendo aliquid placitum Deo pro nobis, quod ipſe acceptaſſet pro omnibus peccatis, quia tantum valet omne creatum oblatum, pro quanto Deus acceptat illud. Hęc & clarè Scotus.

60 Deinde ſic capiendus eſt Scotus de aliquibus operibus quæ licet determinata ſint quoad operis entitatem, & ſphęram, non vero ſic quoad aliqua extrinſecæ applicationis ſubiecta, circa quæ, operum indifferentia, vel obedientialis non repugnantia valet à Deo contrahi, & tunc tantum erunt pro quo acceptentur v. g. ipſa opera Chriſti Domini, quæ ad quodvis ex ſe proportionata, poſsēt à Deo acceptari in ſatisfactionem peccati Angelorum, necnon vt omnibus hominibus daret Deus quo ſic ſatisfaceremus, quod nullus peteret. Conſimiliter poſſet expendi circa ſatisfactionem puri hominis, qui haberet condignam & æqualem correſpondentiam operis ad opus, ſphęræ ad ſphæram, &c ſic. Dum Deus vellet acceptare etiam pro alijs, pro alijs finibus &c. ſic. Valerent enim pro quo acceptarentur. Quo pacto capiendus eſt Scotus *in* 3. *d.* 19. *q.* 1. *à* §. *Quantum ergo valuit illud meritum ad ſufficientiam.* Et ibi, in fine, §. *Ad quartum dico.*

61 Ad difficultatem igitur P. Maſtrius poſtquam cæteros reiecit reſpondet, quod de potentia abſoluta, nulla eſt anguſtia, quia cum actus contritionis procedens à gratia ſit adhuc prior natura, quam remiſſio peccati, nil obſtabit vt contritio ſic gratia informata valeat mereri remiſſionem culpæ. Ex vna enim parte non requiritur quod meritum præcedat tempore præmium, ſat eſt naturæ prioritas; ex alia ſupponitur actus contritionis gratia informatus; ergo ſic, nil deficit ad condignam ſatisfactionem culpæ de poſſibili, tametſi de facto res ita non ſe habeat, cum remiſſio peccatorum non cadat ſub merito de condigno. Neque obſtabit, culpam intelligi gratis remiſſam, ſicut gratis fuit data gratia, quia licet gratiæ infuſio gratuita ſit, tamen actus contritionis ab ea procedens valet eſſe de condigno ſatisfactorius, & meritorius remiſſionis peccati, quæ ſequitur in poſteriori ſigno naturæ ad infuſionem gratiæ.

62 Pręfatam doctrinam approbandam exiſtimo, cum ſit conformis alteri doctrinæ Scoti *in* 4. *d.* 15. *q.* 1. *Quantum ad iſtum art.* vbi ait: Poteſt dici, quod Deus de potentia abſoluta poſſet dediſſe peccatori poſt attritionem tanquam poſt diſpoſitionem congruam, & meritum de congruo gratiam, per quam motus eius fieret contritio, & ſic per ſatisfactionem deleviſſe peccatum, vtpote per actum illum reddentem Deo ęquivalens illi bono quod abſtulit peccatum. Poſſet etiam ille actus eſſe aliàs indebitus, quia licet Deus poſſet velle nos obligare ſibi, vt quidquid ſumus, & poſſumus teneamur Deo, tamen ex magna miſericordia ſua conſiderans fragilitatem noſtram, & difficultatem ad bonum, noluit nos regulariter obligare, niſi ad Decalogum; & ita potuiſſet ordinaſſe obligare hominem ad Decalogum tantum, S. Chriſto non incarnato. Poſſet ergo tunc homo aliqua opera ſupererogationis exercere, quæ aliàs ſibi eſſent indebita, & tunc ſalvaretur tota ratio ſatisfactionis. De facto vero Deus non diſpoſuit alicui dare primam gratiam, niſi in virtute hominis illius qui erat ſine peccato, S. Chriſti. Hęc Scotus.

63 Exiſtimo deinceps, poſſe difficultati reſponderi, dum iuxta poſſibilem providentiam loquendum ſit. Dicendum itaque, quod abſque infuſione gratiæ in priori ad contritionem, poſſet homo condigne ſatisfacere, prout condignitas non indicit dignitatem ſtantis in gratia, ſed æqualitatem operis vt ſatisfactorij. Actus enim contritionis foret æqualis, quia foret ſupernæ etiam lineę, productus vtpote à voluntate, & ab Omnipotentia extrinſecè applicata, vt dicitur ab alijs reſpectu ipſius vnionis ſupernæ &c. deinde ex parte obiecti cum foret Deus. Tum etiam ex

modo

modo, & conatu convertentis ad illum, ſicuti & ab eo averſi per amorem creaturæ, cum contritio ſupra cuncta creata Deum offendiſſe doleat, cunctaque tunc parvi pendat. Deinde adeſſet condignitas iuſtitiæ, cum Deus poſſet ſic pactare, & peccator ex animo tollendi debitum elicere. Quibus ita

64 Dumtaxat deficit gratia, & amicitia, quam non invenio hinc de formalitate actus ſatisfactorij. Ratio eſt, quia, vt cuncti ſupponunt meritum & ſatisfactio diſtinctæ normæ ſunt. Meritum namque dicit ordinem ad mercedẽ; ſatisfactio vero ad iniuriam compẽſandam. Iſta reſpicit honorem, & recompenſationem eius, cui fit & offertur; illud vero reſpicit commodum eius qui meretur. Et licet aliquando ratio meriti & ſatisfactionis in eodem includantur, vt in Chriſti actibus, per quos ſic meruit, vt impetraret aliquid per quod debitum extingueretur; ac proinde actiones Chriſti fuerunt meritoriæ & ſatisfactoriȩ reſpectu noſtri; meritoriȩ quia per eas meruit nobis gratiam ſanctificantem, & ſatisfactoriæ quia mediante gratia extinguit peccata noſtra; at ex ſe meritum & ſatisfactio ſeparari poſſunt, cum poſſit dari ſatisfactio, quæ nullam includat rationem meriti, ſed ſit ſatiſfactio pura, & eſt ea, quæ per ſe ipſam formaliter extinguit debitum, vt qui reſtituit rem ablatam, ſatisfacit, & nil meretur. Vide doctrinam ſubtiliſſimam Scoti *in 4. ſupra à verſ. Et ſi impleat eam in Charitate melius eſt, quia non tantum ſolvit pœnam, ſed meretur.*

65 Satisfactio ergo nõ prærequirit amicitiam, quin præciſé tollere impedimentum vt illa deinceps ſequatur. Non enim proprie ſatisfit quia eſt amicus, ſed vt ſit, vel vt non ſit inimicus. Neque ſatisfit de per ſe, vt recipiatur gratia, ſed vt auferatur iniuria. Satisſaciens enim non intendit recipere ex norma ſatisfactionis, ſed præſtare, vtpote reſtituere, & reddere. Igitur licet abſque gratia deficeret ratio, vt aliquid mereretur, ſecus vero vt totum quod debebat ſatisfacere? Sic enim diſtinctè theologizabis, iſta ita diſcernens, quibus ſolum pactum reſtare poterat, quod ſic diſtinctè percipere, non inconvenit, cum Deus ea potuiſſet ſic ordinare. Foret ergo hoc pacto, cõtritionis actus, meritum de congruo, ſatisfactio vero de condigno: qua expedita poſſet Deus decernere infuſionem gratiȩ, vt vltra poſſet condigne per alios actus mereri. Quod etiam more noſtro haberetur, cum prius alijs exhibeamus ſatisfactionem, vt deinceps mereri quidquam poſſimus.

66 Et ita videtur non habere vim, quod iuxta alios dicendi modos ex ſuppoſitione gratiæ adducebatur. Peccatum enim eſſe debet, dum poſita non ſit peccati remiſſio; deinde ponitur contritio informata gratia ante peccati remiſſionem; ergo ponitur ſatis verè & realiter inſimul gratia cum peccato; ac proinde quod ablatio ſeu remiſſio peccati ſubſequatur ad coexiſtentiam firmam peccati & gratiæ. Iam video naturȩ inſtantia, ſed ſatis tardè. Elige.

QVÆSTIO II.

De ſatisfactione Chriſti Domini.

1 DE ſatisfactione Chriſti D. diffuſum examen, pluresque quæſtiones movent Auctores, quarum Noſter Maſtrius abunde, & luculenter format reſolutiones. Diſputatur enim, an Chriſtus ſatisfecerit, & an ex rigoroſa, & ſtricta iuſtitia Patri divino pro reconciliatione generis humani obtulerit ſatisfactionem. Circa quȩ, prout nonnulli notarunt, & deinceps Maſtrius hinc *dp. 4. quæſt. 4. art.* 1. & alibi, plura in nomine ſunt quæſita, pendent ſiquidem ſic vel ſic de ſatisfactione reſolvenda, ex varijs ſatisfactionis principijs, quæ vniformiter non tenentur ab omnibus, vnde viget in nomine difficultas, dum in realitate obſervandæ normæ vniverſalis deficit vniformitas. Qua propter, ad celebrem quæſtionem magnitudinis valoris meriti, & ſatisfactionis Chriſti D. tranſire conabor, vno aut altero, circa nuper dicta ſatisfactionis, prius iuxta Scoti literam recitato.

2 De primo ſciendum (inquit Scotus *in 4. d. 15. q. 1. à §. Reſpondeo*) quod ſatisfactionis generaliter ſumptæ, hæc eſt ratio: Satisfactio eſt redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti. Primum, S, *redditio* patet, quia non eſt abſoluta datio. Nam hoc quod eſt *ſatis*, dicit commenſurationem ad aliquid præcedens correſpondentem. Quod dicitur *voluntaria* patet, quia ſi eſſet involuntaria, non eſſet ſatisfactio, ſed ſatis paſſio; & hoc modo ille, à quo exigitur in inferno pœna debita culpæ commiſſȩ ſatis patitur, & non ſatisfacit. Quod etiam ſit *æquivalentis* patet, quia hoc importat illa particula *ſatis*: hoc etiam requirit Iuſtitia reddens ſatisfactionem pro illo debito cui correſpondet. Quartum, S, aliàs *indebiti*, patet, quia ſi eſſet aliàs debitum, tum non ſatisfaceret pro iſto, cum debitum foret pro alio, pro quo non intendebat ſatisfactionem. Non enim eſſet correſpondens iſti debito ſecundum iuſtitiam, ſed alijs

& hȩc

& hęc ratio ſatisfactionis communis eſt ad contractus, & quaſcunque obligationes. Hęc Scotus, ibidem addens, quod compenſatio non ſolum valet inveniri in actibus neceſſarijs, vtpote contractibus, vbi eſt quædam obligatio quaſi neceſſitans ad redditionem, ſed etiam in actibus liberalibus voluntatis, cum recipiens beneficium poſſit benefacienti benefacere, & hoc modo dilectus diligenti recompenſando dilectionem æqualem.

3 Nunc Auctores veritatem ſatisfactionis Chriſto applicare cupientes, dividuntur, cum quidam teneant non ex propria virtute iuſtitiæ ſatisfeciſſe, ſed ex iuſtitia metaphoricè, & ſatis communiter, & verè & propriè ex alijs virtutibus, ac proinde Deum remittendo nobis iniuriam intuitu paſſionis Chriſti, id feciſſe ex iuſtitia metaphoricè dicta, prout coincidit cum fidelitate, & gratitudine; quatenus enim movebatur Deus propter obſequium factum, retributio remiſſionis, vel præmij, ſpectabat ad gratitudinem, & quatenus movebatur ex promiſſione facta, ſpectabat ad fidelitatem; quæ virtutes numerantur inter partes poteſtativas iuſtitiæ, prout gratitudo ſervat ęqualitatem quamdam ob obſequium factum, & fidelitas ad promiſſionem factam, & ſoluit debitum ex ipſamet promiſſione exortum; ac proinde ſic Deum eſſe redditorem, & debitorem ex iuſtitia, communi quadam ratione, prout, S, modo dicto ſervat menſuram, & æqualitatem; atque ita remunerare ex iuſtitia metaphoricè dicta.

4 Alij vero, & maximè Noſtri, exponunt duplicem ſatisfactionem, imperfectam vnam, quæ habetur, quando debitor exactè non reddit, ſed partim reddit, eo tamen creditor ſatisfit. Alia perfecta, per quam, S, adæquatè debitum compenſatur, ita vt condignè æquivaleat. Hanc vero ſubexponunt adhuc dicentes, aliam eſſe perfectam, eo quod per eam reddatur ęquivalens & adæquate debito condignum, tametſi æqualitas non coaleſcat ſimpliciter ex natura dati & accepti, prout rigoroſa iuſtitia exigit, quin magna ex parte fundetur in liberalitate & gratia creditoris, vt evenit in nobis auxiliatis à Deo ad bona opera, & in Chriſto D. ſivè formaliter, ſivè in vnione radicaliter. Alia eſt vndequaque perfecta, quę è converſo habetur, cum fiat ex proprijs ſimpliciter, ac proinde non ex alienis, nec à creditore acceptis, & aliàs ei indebitis, hancque vocant, ex hac, & alijs circunſtantijs ſtricto iure requiſitis, ſatisfactionem de toto rigore iuſtitię. Unde dicunt aliud eſſe Chriſtum ſatisfeciſſe condignè, & ad æqualitatem, aliud vero eſſe ex toto rigore iuſtitiæ.

5 Concedunt itaque primum huius ſecundæ expoſitionis Auctores, S, Chriſtum D. condignè ſatisfeciſſe, nam ſatisfactio Chriſti fuit vera, & propria ſatisfactio ad æqualitatem; per quam propriam, & æqualem ſatisfactionem conſtituitur æqualitas requiſita inter debitum, & ſolutionem, vnde cum talis æqualitas ſit proprium obiectum iuſtitiæ, tenent Chriſti Domini ſatisfactionem fore actum veræ, ac propriæ iuſtitiæ, prout hęc diſtinguitur à iuſtitia communiter, & metaphoricè dicta. Idque ex eo maximè ſuadent, quod Chriſtus ſatisfeciſſet Patri ex motivo reſarciendi iniuriam ei illatam; igitur cum talis actus, vtpote honeſtus & oneroſus, virtutis ſit ſpecialis, ſolius iuſtitiæ erit, cum ſolius iuſtitiæ ſit alteri illatam iniuriam reſarcire.

6 Negant vero ſecundum, videlicet, Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe de toto rigore iuſtitiæ condignam, cuius negativæ partis fundamentum in ſimplici propoſitione conditionum rigoroſæ iuſtitiæ penitus adaptant. *Primam* itaque conditionem ſtabiliunt in eo, quod ſatisfactio non fundetur in gratia, & liberalitate aliqua ipſius creditoris: *ſecundam* in eo, quod nō fiat ex bonis ipſius creditoris ſed ex bonis proprijs ipſius debitoris: *tertiā* in eo quod ſit ex bonis aliàs indebitis, hoc eſt alio titulo non debitis, vt ſupra expetebat Scotus: *quartam* in eo, quod detur iurium alteritas, quę, S, non datur inter Patrem, & filium, Dominum, & ſervum, cum iſti ſui iuris non ſint reſpectu illorum: *quintam* in eo, quod ſatisfactio fiat immediatè à perſona offendente; & *ſextam* in eo, quod non poſſit non acceptari ab offenſo.

7 Prędictis ergo conditionibus poſitis, ſtabiliunt imperceptibile videri poſſe componi Chriſtum Dominum elicuiſſe de toto rigore iuſtitię ſatisfactionem, etiamſi duæ vltimæ conditiones non requirantur ad iuſtitiæ rigorem; ſi namque ad iuſtitiæ rigorem requirantur, non ſatisfeciſſe de rigore clariſſimum eſt, cum in Chriſto non inveniatur quinta, nec in Deo poſſit abſolutè inveniri ſexta, cum pacto non poſito, vt potuit non poni, nil Deum obligare & neceſſitare poſſet ad acceptationem. Unde iam nominis controverſia oritur, & pro determinanda parte nimis moleſta.

8 Deinde etiam ex alijs quatuor conditionibus moleſta intuetur reſolutio, idque oritur ex mixto, & compage Chriſti Domini,

Licet

Licet enim de ſimplicibus creaturis facile Auctores forment reſolutiones, S, in eis reſpectu Dei rigoroſam & perfectam rationem iuſtitiæ deficere,at cum Christus non ſit tantum natura humana conſtans,quin ſit etiam perſonalitate diuina, inde obſcuratur ex oppoſitis extremis reſolutio determinanda,quidam ſiquidem ſatisfactionis vim tribuunt perſonę, quo pacto in rigore prędictarū quatuor conditionum non defeciſſe exponunt. Alij vero contrarium exponunt, & defenſant,tum ex plena ſtructura vnionis,quæ gratis data fuit,& qua non data nullus extaret in ſatisfactione valor;tū in liberi apice,qui formaliſſimè circunſtat meritoriam ſatisfactionem, & hic ſoli humanitati competens; tum in cæteris, quia licet ſatisfactio ratione perſonalitatis vno, aut alterò modo circunſtetur, at ſemper ratione naturæ humanæ effectivè expedientis, ſemper rigoroſis illis conditionibus inæqualis &c. Vnde,etiam ſi intendiſſem, præclaram,& legitimam formare reſolutionem non poſſe, prænotavi. Coincidit enim cum illa altera filiationis,an, S, ſit naturalis,an filius adoptivus ſit.

9 Inter hæc tamen placet & mihi nimis, quod Morandus, & alij cum P. Maſtrio *hinc dp.4.q.4.* provide & diſſerte firmarūt,ſcilicet, Christi ſatisfactionē fore vel nō fore iuxta rigorem præfatarum conditionum, non obſtare aut quidquam facere ad celebritatem meritorum,& ſatisfactionis Christi D. pro noſtra ſalute oblatorum.An ergo fuerit ſatisfactio ex rigoroſa iuſtitia commutativa, an ex vindicativa, an ex legali, an ſolum ex late ſumpta &c. ſic, vertantur quæſtiones, prout velint, nō minuunt eximium meritorum culmen,cuncti ſiquidem Theologi fateri tenentur fuiſſe Christi ſatisfactionem præ omnibus maximam,& in valore excellentiorem, à nullo hominum præſtabilem, nec primam ſimilem,nec habendam ſequentem, fuerit,vel non fuerit ex ſpeculatione rigoroſa iuſtitiæ. Neque Sancti Patres, & veteres Scholaſtici (inquit cum Morando P. Maſtrius) qui adeò Christi merita extollunt, aliud intendunt, niſi Christum pro nobis obtuliſſe, nedum ſufficienter ad Deum placandum, & hominibus reconciliandum, ſed ad abundantiam, taliter redundantem, quod fœlicem relinqueret & ipſam culpam.

10 Nunc etiam, & prę omnibus, ni fallor, audi Marianum Doctorem, qui circa paſſionis intentum, motivum, liberalitatem, & iuſtitiam, ſequentia habet præclariſſima verba. *Tunc ad quæſtionem dico* (*in 3.d.20.q.1. Subtilis*) quod omnia huiuſmodi quæ facta ſunt à Christo circa redemptionem noſtram, non fuerunt neceſſaria niſi præſuppoſita ordinatione divina, quæ ſic ordinavit fieri, & tunc tantum neceſſitate conſequentiæ neceſſarium fuit Christum pati; ſed tamen totum fuit contingens ſimpliciter, & antecedens & conſequens. Unde credendum eſt quod ille-homo paſſus eſt propter iuſtitiam. Vidit enim mala Iudęorum quæ facerant, & quomodo inordinata affectione, & diſtorta afficiebantur ad legem ſuam, nec permittebant hominem curari in Sabbato, & tamen extrahebant ovem, vel bovem de puteo in Sabbato, & multa alia. Christus igitur volens eos ab errore illo revocare per opera, & ſermones, maluit mori quam tacere, quia tunc erat veritas dicenda Iudæis, & ideo pro iuſtitia mortuus eſt: tamen de facto ſui gratia paſſionem ſuam ordinavit, & obtulit Patri pro nobis, & ideo multum tenemur ei.

11 *Ex quo enim* (proſequitur Scotus) aliter potuiſſet homo redimi, & tamen ex ſua libera voluntate ſic redemit, multum ei tenemur, & amplius, quam ſi ſic neceſſario, & non aliter potuiſſemus fuiſſe redempti; ideo ad alliciendum nos ad amorem ſuum, vt credo, hoc præcipue fecit. Et quia voluit hominem amplius teneri Deo, ſicut ſi aliquis primo genuiſſet hominem, & poſtea inſtruxiſſet eum in diſciplina & ſanctitate, amplius homo obligaretur ei, quam ſi tantum genuiſſet eum, & alius inſtruxiſſet; & hęc eſt congruitas, non neceſſitas.

12 *Si autem volumus ſalvare Anſelmum* (proſequitur Scotus exponens D. Anſelmum ſupra defenſantem *in libro Cur Deus homo*, Christi paſſionem neceſſariam fuiſſe ad noſtram redemptionem) dicamus quod omnes rationes ſuæ procedunt præſuppoſita ordinatione divina, quę ſic ordinavit hominem redimi; & ſic videtur procedere, ita quod Deus ex præordinatione non voluit acceptare pro redemptione hominum, niſi mortem filij ſui, nulla tamen neceſſitas abſoluta fuit: vnde in Pſalm. *Copioſa apud eum redemptio.*

13 En Subtiliſſimi Magiſtri textum, profecto diligentius venerandum, & ſaltim ab Scotiſtia memoriæ verbatim mandandū, ſcopus ſiquidem adeſt ad quaſcunque lineas pro captu finis operum Christi derivandas, vt attente legenti patebit. Quibus itaque, & non alijs propter de nomine notata ſuper, pręſentem quæſtionem claudere decrevi, ac proinde ad principaliorem de operum valore & magnitudine ingredi.

QVÆST.

QVÆSTIO III.

An ſatisfactio Criſti fuerit valoris ſimpliciter infiniti.

1 Circa præſentem queſtionem, cuncti Theologi Chriſtiferæ paſſionis tenentes zelum, ſummamque venerantes vim ſuppcnere cupiunt, adeò eximij fuiſſe valoris, quod nedum in bonitate humanam omnem excelleret malitiam, quin etiam quãcunque imaginabilem intra Orbis noſtri ſphæram, ac proinde ſic extitiſſe copioſam, quod valuiſſet Angelis in remediũ, ſi Chriſtus obtuliſſet, & Pater æternus acceptare voluiſſet. Inde ergo à poſteriori deducunt Thomiſtæ ſatisfactionem Chriſti Domini fuiſſe valoris ſimpliciter infiniti, quia ſolum meritum quod vim ſimpliciter infinitam imbibat, valet benè & exactè pro culpis ſyncategorematicè infinitis bonum in ſatisfactione cõpenſare. A priori iam Angelica ipſa Schola ſimpliciter infinitum ex perſona Verbi probarat valorem intrinſecè, ex natura rei, & ab extrinſeca Dei acceptatione independentem, cum ſaltim moraliter concurreret ad opera ſatisfactoria ſuppoſitum dignitatis infinitæ, ac proinde illa divinizantis, ſicuti & infinitantis.

2 Subtiles vero & Nominales ſatisfactionem Chriſti Domini tametſi ſupra omnes excellentiſſimam fateantur, ſecus autem in valore ſimplieiter infinitam, idque Scotiſtarum nonnulli ſuſtinentes, etiam ſi dicant meritum Chriſti extrinſecè ex circunſtantia perſonæ operantis maiorem habere infinitatem, quam peccatum ex ratione perſonæ offenſæ, prout reddit rationem Maſtrius hinc *dp*. 3. *q*. 8. *ab art*. 2. iuxta ab ipſo dicta de peccat. *dp*. 6. *q*. 7. *num*. 203. de quo infra vel ſolvendo, vel exponendo, rationem combinare forſan pulſavimus. Sed pro nunc, quidquid ſit de infinitate combinanda inter perſonam offenſam, & operantem, vt ſtatus controverſiæ melius innoteſcat, Scotiſtis & Scoto quæſitum præambulare opus erit, maximè cum hæc quæſtio ſit etiam ex mixtis & conflatis ab extremis diſtantibus, in quibus, vt iam notavi, nominis difficultas imminere videtur.

3 Scotiſtæ ergo reſolvunt Chriſti opera ſolum extrinſecè fuiſſe infiniti valoris, videlicet ex divina acceptatione ob congruitatem divini ſuppoſiti operantis, pro hoc citantes Scotum *in* 3. *diſt*. 19. *q*. 1. dum ibi fatetur Chriſti meritum ſecundum ſe fore finitum, & tanti valuiſſe pro quo acceptabatur; ita tamen, quod ex conditioue perſonæ operantis habuiſſet quamdam congruitatem, qua acceptaretur à Deo in infinitum, id eſt pro infinitis extenſivè, quin talem hanc congruitatem adducere poſſet aliqua natura niſi operans in divino ſuppoſito. Ita paſſim diſcurrunt Scotiſtæ, prout teſtatur Maſtrius politiores referens, eorumque reſolutionem ſic recitans.

4 Ex qua Scotiſtarum reſolutione, & Scoti litera incpte capta à contrariæ opinionis ſectatoribus, duriſſima derivantur dicteria, hinc Scotis ſplendorem, eiuſque aſſeclarum obnubilare intendentia, otioſé tamen, ſicuti & inſcie, prout *in Art* 1. *quæſtionis* 8. luculenter ſuadet P. Maſtrius. Contrariantis enim calumniç vis ſiſtit in eo, quod iam prçnotavimus ſupra hinc *quaſt*. 1. *Art*. 3. Scilicet, Scotum reducere quantitatem valoris operum Chriſti ad Dei acceptationem, quod Scoti dictum ſic nude captum inducit contrarios, vt iuxta Scoti mentem tenendum exiſtiment, quod acceptatio vnice augeat, vel minuat, quin etiam quod ponat vel auferat meriti & ſatisfactionis valorem, vnde vrgent, quod non plus datur merito Chriſti iuxta Scotum, quam merito cuiuſvis alterius individui, cum opera huius poſſent etiam acceptari prout Deus voluerit, & ſi non poſſit pro eo, neque pro Chriſto voluntaria erit acceptatio, ſicque valent inferre alia, prout iam ſupra in citatis locis annotare, & retardate curavimus, Scoti literam aperientes.

5 Necnon P. Maſtrius, vt Scoti literæ ſæpe familiaris, hinc *in q*. 8. *Art*. 1. dicteria, & improbam doctrinæ Scoticæ intelligentiam enervat, dum etiam ſenſum inter Scotiſtas tenendum illuſtrat, propugnans inde ab *Art*. 2. pugnaciſſimè reſolutionem quam Scoto germanam fore exiſtimat. Verùm enim verò, cum præſens punctum litera Scoti combinatum à quam pluribus paſſim obſcurè, vel noxiè intelligatur, illud ſigillatim recitare, & exponere, videtur ante reſolutionem proficuum.

ART. I.

Scoti proprius ſenſus manifeſtatur, & ſuadetur.

6 Qvantum ad ſufficientiam dico (*Scotus ad literam in* 3. *d*. 19. *q*. *vn*.) *quod meritum Chriſti fuit finitum, quia à principio*

cipio finito eſſentialiter dependens. In quibus verbis principia finita manifeſtat Scotus, à quibus eſſentialiter meritum infinitari, contradictionem ex ipſis terminis deſignat. Suadetur, quia in primis non poteſt negari quod opera Chriſti pendeanr eſſentialiter, & ab intrinſeco à voluntate eſſentialiter,& ab intrinſeco finita; ergo ex hac parte repugnat,quod non ſint eſſentialiter, & ab intrinſeco finita. Anteced certiſſimum eſt, aliàs ſi eſſentialiter non daretur voluntas finita, finiteque influens, nullus poſſet probare meritum in Chriſto, cum voluntas infinita infiniteque eſſeotialiter influens incapax ſit merendi apud Deum, foret ſiquidem eſſentialiter Deus ipſe. Conſequentia conſonare videtur; quia ſi voluntati alicui repugnet eſſentialiter actio eſſentialiter infinita, & eſſentialiter repugnabit actum eſſentialiter infinitum. Neque facile dabitur effectus ſpecificè, & determinatè eſſentialiter pendens à principio, cui non correſpondeat ex quo ab illo eſſentialiter pendens.

7 Dices, quod voluntas operatur inſimul cum ſuppoſito divino à quo iam vnitivè elevata, ſic influit in effectum, qui vt contigit in alijs, ſequitur conditionem elevantis, quod divinum, & eſſentialiter infinitum eſt. Contra, quia ſic, etiam deduceretur incapacitas meriri in operibus Chriſti. Suadetur, quia licet elevabilis voluntas ſit meriti capax, at elevans ſuppoſitale incapax eſt merendi; igitur ſicuti voluotas non elevata eſſentialiter derivaret actum finitum, ſecus autem translata ad ſphæram infiniti ſuppoſiti, ſic liceт noo elevata voluntas derivaret opus meritorium, ſecus autem elevata ad ſphæram ſuppoſiti divini.

8 Confirmantur dicta, & nonnulla præcabētur.Non minus voluntas inferior Chriſti iuxta quamlibet lineam eſt eſſentialiter, operativè, & derivativè finita ſecundum ſe, & ex ratione ſua intrinſeca, quam ſic ſit humana; ſed ſic eſt humana, quod nulla contractio divina impedire poſſit ex circunſtantia ſuppoſiti, quod eſſentialiter, operativè, & derivativè vſque ad vltimum operis, non foret humana; igitur nec quod ſic foret finita. Si oamque Verbum, quia infinitum, nil finitum relinquat, quin infinitum omne eſſentialiter, & ſimpliciter vltra idiomaticè dictum; etiam quia eſſentialiter, & ſimpliciter divinum, & increatum, nil relinquet creatum & humanum &c. ac proinde inepte Auguſtinus verteret expoſitionem Pſalmi, recitantis acceſum hominis ad cor altum, ibique ſentieotis quod probabit verum eſſe hominem, quia accedens ad omnes illas paſſiones, ad quas non accederet niſi homo.

9 Unde conformabat Scotus (ibidem) ex contraria parte reſolvens, quod *ſi foret infinitum, tunc non foret meritum plus ſecundum velle creatum, quam ſecundum velle Verbi increatum*; quod, ſi noo fidei, rationi ex ipſis terminis contradicit, prout ex incapacitate merendi ſupra ſuadebamus. Ubi etiam hæc ſe offert ratio: Nunquam conceptus infinitatis valet ſimpliciter competere velle creato humanitatis, ac velle increato Verbi; ſed dum ſimplicius competit velle divino Verbi, dicitur competere ſimpliciter; igitur dum ſicuti velle Verbi, non competat velle humanitatis, huiuſce velle oon poterit competere ſimpliciter.

10 *Etiam* (Scotus ibidem) *accipiendo ipſum cum omnibus reſpectibus, ſivè cum reſpectu ad ſuppoſitum Verbi, ſivè cum reſpectu ad finem, quia omnes reſpectus iſti erant finiti, & ideo quomodocunque circunſtantionatum finitum erat.* Quibus verbis Subtilis Doctor infinitatem ſimplicitet non capieudam ſuadet, etiã ſi meritum per quoſcunque reſpectus intueamur, ac proinde nec per lineam phyſicam, nec per lineam moralem.

11 Quod igitur ſimpliciter infinitum oon ſit ex quibuslibet reſpectibus phyſicè conſideratis ſuadetur. Quia meritum, ſi ex reſpectu phyſicè ad aliquid deberet ſimpliciter eſſe infinitum, vel ex reſpectu terminato ad Deum præmiantem, & condonantem peccata noſtra, vel ex reſpectu ad ipſum ſuppoſitum Verbi; ſed neutro modo infinitas intrinſecè deducitur; ergo. Prob. quoad primam partem, quia eo pacto Deus ſolum terminabar ſicuti meritorios, & ſatisfactorios actus noſtros terminat, aut ſicuti terminat actus ſupernos viſionis, & fruitionis; ſed ex hac, & quavis conſimili termioatione, ex reſpectu ad Deum nulla operatio noſtra redditur infinita, niſi extrinſecè, & ſecundũ quid, eo pacto quo ſpecies infiniti, repræſentativè dicitur infinita; ergo.

12 Deinde, quia conſtans, & maxima doctrina debet hæc eſſe, quod ſcilicet, excepto ipſo reſpectu ad Verbum ex gratia vnionis, nullum vltra dicebat Chriſti humanitas, quem non poſſet dicere pura humanitas abſque vnione, nullius enim fuit capax anima Chriſti, cuius, ex fine, obiecto, & habitibus non foret capax quæcunque pura humanitas; igitur dumtaxat reſtat infinitas reſpectus, ex reſpectu ad Verbum.

13 Probatur ergo quoad reſpectum ad Verbum, quæ erat ſecuoda pars. Quia nul-

lus reſpectus aptior, nec intimior ad Verbum, quam eum quem ipſa, vel ipſa vnione hypoſtatica percipimus; ſed hiccine ſimpliciter infinitus non eſt; ergo. Maior ſuadetur & explicatur. Suadetur, quia propter quod vnūquodque eſt tale, illud magis eſt; ſed quicunque reſpectus ſi divinizabilis, eſt propter divinizantem vnionem illam; ergo. Explicatur & ſuadetur, quia vnio immediatè fuit ad naturam ſecundum ſe, & exinde ad potentias & paſſiones dimanatas ab ea; igitur ex elevatione reſpectus, quod ipſi naturæ ſecundum ſe non competat, minus competet alicui derivato; igitur infinitudo quæ immediato reſpectui humanitatis ad Verbum non competat, nec competet reſpectui derivato ex aliquo actu derivato à potentia, iſta etiam derivata. Sic enim, ſi ſummam perfectionem non dicat humanitas ex vnione & reſpectu ad Verbum, cum nullatenus dicet vnio à corpore derivata ad animam; nec parti nec vnioni derivatæ ab ea competet quod naturæ ſecundum ſe. Ex his plura adaptare valebis.

14 Prob. min. quia vnio hypoſtatica ſimpliciter infinita non eſt; ergo nullus reſpectus ad Verbum. Suadetur antec. quia vnio hypoſtatica formaliter non eſt quod vnitum; igitur ipſa ſecundum ſe non erit ſimpliciter quod Verbum. Anteced. eſt certum, quia vnio ad hypoſtaſim hypoſtaſis non eſt; ergo. Deinde ſuadetur, etiamſi vnio nullum imbibat reſpectum, ſiſtens in ipſis entitatibus vnitis abſque aliquo ſuperaddito; quia ſic, partim & æquè erit finita; ergo ſic, ſimpliciter infinita non erit. Prob antec. quia æquè erit vnum ex duobus extremis, quod eſt humanitas; igitur repugnabit quod ſit ſimpliciter ab extremis infinita, repugnabit ſiquidem quod ſit vnum extremum, & duo extrema.

15 *Et ideo, quomodocunque circunſtantionatum finitum erat*, vt inquiebat ibi Scotus, ſicque nec admittenda expoſitio Auctorum pluriniorum ad lineam, & reſpectus moralitatis tendentium, vt ſaltim iuxta eam ſimpliciter infinita opera Chriſti ſuadeant. Exponitur & ſuadetur Scoticum intentum, quia revera non videtur negandum, quod opera Chriſti etiam ſecundum ſe, & prout derivantur à gratia, & alijs habitibus ſupernis ſint moraliter bona; ergo iam ex hac linea non erunt ſimpliciter infinita. Anteced. eſt certum. Quia ſi gratiam, cęteroſque habitus haberet humanitas in perſonalitate propria, vel ab omni perſonalitate præciſa, revera opera elicita prout ab eis etiam forent moraliter bona; igitur cum poſita quaecunque perſonalitate, non impediatur quod iuxta vim & ſpecialem normam influant, nec impedietur quod opera Chriſti, prout talia principia reſpiciunt, ſint moraliter bona.

16 Probatur nunc conſequentia. Quia implicat quod ſit ſimpliciter infinitum moraliter, quod iuxta lineam aliquam moralem ſumit finitatem; ſed opera Chriſti D, bonitatem moralem finitam ſumunt à prædictis principijs intrinſecè; ergo. Maior ſuadetur, quia ſi à talibus principijs bonitatem ſimpliciter infinitam ſumerent derivatam, non ſuperarent bonitatem ſimpliciter, & intrinſecè infinitam; ſed ad ſummum æquarent ſtatum ab omnibus principijs ſimpliciter infinitum; igitur dum à talibus principijs vtpote ſimpliciter nō infinitis bonitatem ſimpliciter infinitam non ſumant derivatam, ad ſtatum ſimpliciter infinitatis non pervenient.

17 Dices, & nimis inſiſtens in eo, quod vt bonitas operis ſit ſimpliciter infinita, ſat eſt quod vnum ex comprincipijs ſit ſimpliciter infinitum, eo pacto quo vt actus ſit ſupernus ſat eſt quod vnum ex comprincipijs ſupernum ſit, vt patet in viſione; cum ergo perſona Verbi ſit vnum ex comprincipijs, & maximè vt moraliter ſit opus ſimpliciter bonum, ſat erit quod perſona Verbi ſit ſimpliciter bona moraliter; operans enim verè dicitur etiam perſona Verbi. Hæc eſt ſumma ſublimioris vis huius opinionis, pro cuius impugnatione vide Maſtrium ſupra citatum *à num.*298. vbi contrarium ſuadet à paritate, propugnans deinde, quod etiam ſi vna pars concreti ſit infinita, concretum ſimpliciter infinitum non manebit, ſi ex alijs partibus, vtpote intrinſecè finitis limitandum ſit.

18 Contra etiam, & in primis obſtat contraria paritas ex infinita vel ſumma gratia ab Scotiſtis adducta; quia revera licet ſit comprincipium, & operans valeat dici, necnon non pendeat à voluntate, quod actus elicitus ab habente ſummam gratiam diſtinguat & deſignet ſublimitatem penes valorem reſpectu actus eliciti à ſummam non habente, tamen quilibet actus ſummus in valore non eſt, vtpote limitatus ab alijs; ergo à ſimili.

19 Dices, quod habitibus vtimur prout volumus, ſecus autem humanitas Chriſti Verbi perſonalitate. Contra, quia, vt nuper dixi, præfato ſublimitatis diſtinctivo, & præ alio exceſſivo non vtitur prout vult voluntas. Deinde, quia etiam ſi perſona Verbi ſit phyſicè valoris ſimpliciter infiniti, ita vt phyſicè dicatur etiam operans, tamen phyſicè non dicitur infinitum operatum; ex quo ergo mora-

liter

liter dicendum, dum in linea moris etiam intrinſecè concurrant limitata? Sic arguo; non minus morale habet ſtatum, ac phyſicum; ab intrinſeco enim hæc moralia principia derivant hanc bonitatem, & non aliam, maiorem, vel minorem; deinde ſicut valet comparari vis ad vim, ſic vis moralis ad vim moralem, vt vis phyſica ad vim phyſicam, creata ad creatam, creata ad increatam &c. ſtrictam ſervando proportionem; inſiſtam ergo, quin obſtent quæcunque vſque adeo reſponſa, vt ſemper non ſit reddenda ratio, cur vis infinita phyſica à phyſicè concurrentibus limitatis limitanda ſit, & non limitanda ſit vis infinita moralis à concurrentibus limitatis moraliter?

20 Nec ſatisfacit illa longa æſtimabilitas prudentium. Quia etiam prudentes notant, quod ſi humanitas divinizatur, non minus humanizatur Verbum, ita vt non plus percipiant Verbum imperfici, exhinaniri, & deterius haberi, quam humanitatem meliorari, prout Scripturæ vocitant; igitur quo pacto volunt, quod opera penes circunſtantiam divinę perſonæ moraliter illimitentur, velint etiam quod limitentur moraliter penes circunſtantiam naturę humanæ, & ſic, ac proinde ſecundum quid infinita, ſecundum quid limitata, ſicuti partim divina, partim humana, mixtum illud Chriſtiferum in hoc etiam exprimentes, & moraliter deſignantes; aliàs reddatur ratio, necnon cur *increata* ſimpliciter operum bonitas non ſit prudenter habenda, ſiquidem perſona operans eodem quo infinita, & eſt *increata*.

21 Contra etiam, & venio nunc ad ſolutionem ſupra poſitam. Deficit enim paritas ex viſione ſuperna, quia reſtat probare quod actus ille ſit ſimpliciter ſupernus, procedit ſiquidẽ à principio nõ ſuperno, ſed ſupernaturalizato, vtpote intellectivo. Suadetur, quia ſi intellectiva ſubſtantia ſecundũ ſe ſuperna foret, ſupernaturalior foret actus, ſupernaturalius ſiquidẽ foret adæquatũ eius principium; indeque non facile reperitur ſubſtãtia intellectiva ſuperna; ergo ſimpliciter ſupernus nõ erit præfatus actus. Igitur à ſimili actus meritorius Chriſti non erit moraliter ſimpliciter infinitus, cum à voluntate infinita, maioris æſtimabilitatis foret, ſed ad ſummũ, vel dicetur infinitatus, vel partim finitus, & infinitus partim, prout ducti ex poſita doctrina diſcurrunt aliqui de actu viſionis iuxta varios reſpectus quos dicit ex formalitate correſpondente intellectui, & ex correſpondente lumini.

22 Et quia paſſim de hoc audivi controverſiam, & toties alibi adhibui doctrinam, ex his, quæ de hoc puncto exactius ſuo loco dicturus ſum, breviter hinc aliquid innuam, iuxta alium ſingularem theologizandi modum. Intellectus ergo ex ſe nec eſt potentia naturalis, nec ſuperna, ſed potentia ex ſe ęquè habilis ad hos ſtatus, ſicuti ęquè neutra, ita vt iuxta rationẽ ſuã ſolum habeat eſſe potẽtiam intellectivã; quare intelligere naturaliter, vel intelligere ſuperne ſolũ determinatè procedit ex adiũctis ad potentiã, v.g. ex ſpecie naturali, vel ex ſpecie, vel habitu ſuperno, eo pacto quo ex ſe neuter eſt ad intelligendum lapidem, vel Deum, ſolumque ex adiunctis comprincipijs determinatur. Si namque ab intrinſeco, & ex natura rei intellectus foret potentia naturalis, nil poſſet vnquam impedire quod actum naturalem non produceret, ſicuti nil impedire poſſet quod potẽtia naturalis nõ foret, eo pacto quo actum vitalem & intellectualem nil poteſt impedire ab eo, eo quod ex natura rei & ab intrinſeco ſui potentia vitalis ſit; & ſi naturalitatem aliquid ab eo impediret, id nunquam fieri poſſet abſque violentia eius quod erat ex natura rei in virtute. His ita pro nunc

23 Enervatur ſuperior paritas viſionis. Ex eo intellectus valet producere viſionem ſupernam, quia ipſo ex ſe non determinato, ſed neutro, accedit principium quod ex ſe dat dumtaxat determinationem, ita vt actus nullum aliud comprincipium ſupponat, à quo poſſit ſumere determinationem verſum lineam naturalitatis, vel ſupernaturalitatis; ſed in exercitio morali operum Chriſti alius diſtinctus præhabetur ſcopus; ergo & longe alia erit paritas. Probatur, & maximè apud tenentes merita non fuiſſe, nec fore neutra penes valorem, vtpote elevandum, vel remittendum iuxta divinam acceptationem, ſed ex ſe determinatiſſimum habere valorem independẽter ab acceptante, ſecus ac in caſu intellectus iuxta poſitam doctrinam, cuius indifferentia reſolvitur & determinatur ex divino elevante; probatur ergo, quia in operibus Chriſti adeſt valor correſpondens limitatis principijs etiam, ita vt talia principia ab intrinſeco ſint determinantia talem valorem præ alio; ergo diſtinctus eſt ſcopus. Suadetur nunc totum intentum. Si intellectus aliqua formalitate naturali potentię, vel ſpeciei foret informatus, ita vt eis etiam proportionatè influeret, etiamſi poſſet etiam influere aliunde habitus ſupernus, repugnaret quod actus adæquatè, & ſimpliciter foret ſupernus; ergo dum opus meritorium ſit etiam moraliter cauſatum à principijs finitè

determinatis, etiamſi aliunde moraliter aliud influens intelligatur, repugnabit quod opus ſit adæquatè, vndequaque & ſimpliciter infinitum. Intuere paritatis vim, à potentia intellectiva dum ab intrinſeco naturali,ſic quod naturalitatem retineret, & applica ad principia moralia ab intrinſeco finita,& finitatem in ipſis retinentia.

24 Deinde, quia ſi prædictus valor ex Verbi perſonalitate in opera Chriſti derivatus, intrinſecè derivetur ſic, quod etiam moraliter, ſimpliciter infinita relinquant talia opera, prout Angelica Schola pro viribus intendit, non facile ſatisfaciet alteri reſolutioni etiam pro viribus à politioribus Thomiſtis propugnatæ, huicque adverſæ, prout videri poteſt ſupra,*in Diſt.de Impeccabilitate Chriſti*, vbi cum Illuſt. D. Godoy celebre Thomiſticum tradimus, anxie reprobans nonnullos Thomiſtas tenentes humanitatem moraliter à Verbo perfectam & ſanctificatam, contra eos arguens cum alijs Godoy ex eo quod perſonalitati Verbi repugnabat ex defectu perfectionis ſimpliciter humanitatem ſanctificare, & valorare &c. & dum Thomiſtæ contrariæ opinionis reſpondebant, repugnare perficere phyſicè,ſecus moraliter, inſtanter & pugnaciſſimè vrgebat Godoy, probans iuxta Thomiſticum, non minus contradicere moraliter perficere, &c. Ea vide, necnon nonnulla à nobis poſita, quibus ſuademus præſumptam illam moralitatem contradicere rectæ rationi, ſicuti & motivis fundantibus &c.

25 Deinde venimus ad vltimum ſupra in ſolutione poſitum, quod ſcilicet operans ſit infinitum, cum operans ſit perſona Verbi, quod ſufficit vt operatum ſit moraliter etiam infinitum. Contra, & arguam vna ex Subtilium rationibus, quam adducam, vt ſolutionem Thomiſtarum examinem, prout tradit, & ſequitur Gonet *dp*. 4. *Art*. 3. igitur Subtiles opponunt illud, quod, S, in vna actione Chriſti non foret maior valor quam in alia, nec in omnibus ſimul, pluſquam in quacunque ſeorſim &c. ſed id obſtat, vt patet in actu charitatis Chriſti comparato ad actum temperantiæ & humilitatis, qui etiam valorem ſimpliciter infinitum contineret; ergo.

26 Reſpondet Gonet, in actionibus Chriſti D. duplicem eſſe valorem non realiter, ſed formaliter diſtinctum: alterum ex obiecto, & circunſtantijs, qui ideo dicitur obiectivus, qui non erat infinitus, nec conſequenter æqualis in omnibus actionibus Chriſti, ſed maior, vel minor iuxta maiorem, vel minorem excellentiam obiecti. Alterum diſtinguit valorem perſonalem ex dignitate perſonæ, qui erat ſimpliciter infinitus, æqualis, & vnicus in omnibus actionibus Chriſti, de quo verùm eſt, quod intenſivè non eſt maior bonitas, aut valor in omnibus, ac in vna, eo pacto quo dicitur, quod Trinitas non eſt maior ſolo Patre, niſi ſolum extenſivè; quinimo extenſivè ſecundum quid, & impropriè &c.

27 Sed contra, quia licet abſtractè, & ſpeculativè poſſet admitti talis diſtinctio, ſecus autem practicè, & in vero rei facto; ergo prout revera Chriſti actiones fuerunt expeditæ, non ſatisfit difficultati. Suadetur nunc ex vltima ratione in ſolutione illa adducta. Quia ex eo Chriſti amor vere & practicè fuit valoris ſimpliciter infiniti, quia licet voluntas foret finita, & ſic abſtrahendo & diſtinguendo, poſſet ex parte voluntatis & habitus ſpeculari amor inæqualis, at revera infinita perſona erat operans, ac proinde amans; igitur etiamſi ex parte obiecti temperantia poſſet diſtingui, & ſic ſpeculari inæqualis, revera tamen indiſtinguibilis foret bonitas, cum non minus valorem practicè ſimpliciter haberet infinitum, infinita ſiquidem expedite foret perſona temperate operans, ſe humilians &c.

28 Conſimiliter reſpondebant alij cum Suario apud Maſtrium ſupra, quod licet bonitas,honeſtas & aliæ conditiones actus conferant ad valorem, tamen hanc inæqualitatem bonitatis intrinſecæ non obſtare, vt in genere moris dicantur æqualia opera Chriſti, eo quod infinita dignitas perſonæ valorem actus elevet ad infinitum gradum. Cum enim Verbi perſona infinita ſit in omni genere, contineatque eminenter alia bona dabit actui quidquid valoris cęteræ omnes circunſtantię darent. Contra, quia vel quilibet actus eſt ſimpliciter, & vndequaque æqualis cęteris omnibus, vel non? Si non; igitur iam quilibet ſimpliciter non erit infinitus, infinitior ſiquidem foret ſi vndequaque foret infinitus. Si ſi; igitur vndequaque æquè vno ac cæteris omnibus mereretur Chriſtus.

29 Inde P. Maſtrius arguit in Suarij ſolutionem, quia licet cuncta Chriſti opera dignificentur à Verbi infinita dignitate, & ex hoc æqualia ſint, at etiam ratione bonitatis intrinſecę, à qua etiam ſumitur dignitas, & valor moralis operum inæqualia ſunt; igitur abſolutè, & ſimpliciter ſunt inæqualia. Manifeſtat Maſtrius conſeq. quia licet ex vno capite ſint ęqualia, dum ex alio capite ſint inæqualia, ſimpliciter, & abſolutè inęqualia dicen-

dicenda erunt; vnde ſolet dici, ſi ęqualibus inæqualia addas, aut inæqualibus æqualia, ſemper manent inęqualia. Et ratio principalis ſemper vrget, quia ſi in inæqualibus ęqualia ponerentur, magis æqualia manere, videtur clarum; ſed vbi daretur ſimpliciter infinitus valor, contradiceret eſſe magis ęqualis; ergo. Et ne in his moleſti inſiſtamus, vide dicta ſupra *in quæſt.* 1. *Art.* 1. vbi in ratione 3. ſuademus, quod ſi peccatum in ratione offenſę foret infinitum ſimpliciter, vnum peccatum non eſſet alio maius &c. ea vide, eiuſdem ſiquidem normæ ſunt.

30 Alij vero, vt hæc & conſimilia evadant, reſpondent cum P. Vazquez apud Maſtrium ſupra, vnam Chriſti actionem ex ſe fuiſſe dignam, & meritoriam, ſicuti aliam. Fateor, quod ſi ſemel defenſarem infinitum valorem ſimpliciter in Chriſti operibus, dum ad obiecta reſpondere deberem, potius vt Vazquez, quam vt reſpondent eiuſdem opinionis ſectatores, reſponderem, verumtamen reſponſio Vazquez, etiam diſplicet noſtris Auctoribus, quibus videtur rationabilius Deum ſtrictè, & abſolutè loquendo potius complacuiſſe in vno Chriſti opere quam in alio, æſtimabilior ſiquidem fuit mors, quam nonnulli actus alij, prout iuxta Seraphicum Patrem Franciſcum alibi ſuadebamus eo quod ſicuti ad redemptionem fuit electum excellentius individuum, ſic & electum fuit excellentius opus, ſed non fuit redemptio applicata cunctis operibus Chriſti, ſed extremis in paſſione, cum nos non redimeret deābulando, comedendo, nec docendo, &c. igitur quia extrema paſſionis fuerunt excellentiora, ac proinde à Deo ordinatè volente diſpoſita, & acceptata, eo quod potius oporterent, iuxta illud, *Oportebat Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam, ſic*, id eſt, hac paſſione; aliter, inſipide Deus ſic decerneret, & otioſe Chriſtus iſta paſſus foret *ſic*. His ita iuxta Scoti genuina expoſitis, & propugnatis.

INDIVIDUATUR AMPLIUS SCOTI expoſitio, & quo pacto ſit in dictis ſuis habendus.

31 *Quantum ergo valuit illud meritum ad ſufficientiam* (proſequitur Scotus) *Dico*, quod ſicut omne aliud à Deo ideo eſt bonum, quia à Deo volitum, & non è converſo, *ſic meritum illud tantum bonum erat pro quanto acceptabatur*. Quæ verba Scoti, cum iuxta ipſius mentem non ab omnibus percipiantur, ab Exteris pugnaciſſimè repelluntur, dum non ab omnibus Domeſticis genuinè capiuntur.

32 Vulgariter ergo, ex prædictis verbis, & ex conſimiliter poſitis à Subtili Doctore in fine quæſtionis, quamplurimi exiſtimarunt Chriſti Domini meritum, cunctum & vndequaque perceptibilem valorem ex nuda Dei acceptatione habuiſſe, vnde in Scotum deducunt, Chriſti opera ante divinam acceptationem, nullam habuiſſe condignitatem, ac proinde quod quicunque potuiſſet ſatisfacere pro peccatis noſtris, & cętera quæ Chriſtus mereri, cum Deus poſſet ſic acceptare, & acceptatione poſita cuncta valorare, &c. ſic, prout ſuprà diſuadebamus contra deducentes, etiam opera naturalis ordinis ſatisfactoria eſſe poſſe, cum eo pacto quo acceptari poterant, poterant & valorari. Videantur hinc dicta *in quæſt.* 1. *Art.* 3. *à* 5. *vbi notare oportet*, vbi huiuſcemodi doctrinæ Scoti ſatis claram, & genuinam reliquimus expoſitionem.

33 *Tantum potuit acceptari paſſivè* (proſequitur Scotus) *quantum tota Trinitas potuit, & voluit acceptare activè, ſed ex formali ratione ſua, quam habuit, non potuit acceptari in infinitum, & pro infinitis. ſed pro finitis, tamen ex circunſtantia ſuppoſiti, & de congruo ratione ſuppoſiti habuit quamdam rationem extrinſecam, quare Deus potuit acceptare illud in infinitum, ſcilicet, extenſivè pro infinitis.*

34 Iuxta quæ verba Maſtrius & politiores Scotiſtæ exponunt diſtinguentes meriti dignitatem diverſimodè capiēdam. Vel enim meritum Chriſti capi debet ſecundum ſe, & ſic valoratum ab omnibus à quibus poteſt, non poſita, vel præciſa acceptatione, vel ea poſita? Si meritum capiatur ſecundum omnem ſuum proprium valorem, at non poſita divina acceptatione, tunc, inquiunt, habebit condignitatem reſpectu præmij, & vt eſt ſatisfactio reſpectu debiti in ſe, ita vt ſummum ſit in valore, vtpote à ſumma gratia, & cæteris principijs derivatum, & etiam proportionatum in conditione, vtpote ſupernum, &c. Verumtamen, non poſita acceptatione, ſeu divino pacto, non diceretur abſolutè condignum, quia licet vim ſufficientem haberet meritum ad præmium, & ſatisfactio ad debiti ſolutionem iuxta rei, & rei proportionem, nunquam tamen vim haberet, reſpectu præmiantis, & dimittentis, cum nil poſſit Deum ad hæc obligare, nam licet ex pacto obligatus neceſſario maneat Deus, at pacti poſitio voluntaria fuit ipſi.

35 Quo pacto Scotiſtę politiores, & ipſe

Maſtrius,

Maſtrius, tenet, quod acceptatio illa quam Scotus requirebat, erat ad vim obligandi actu Deum, vel inducendi debitum in Deo ad retribuendum pręmium; hæc enim vis eſt quę tantum ſumitur ab ipſa Dei acceptatione, & actuali promiſſione, & in hoc ſenſu Scotus dixit opera Chriſti eſſe infinito valore condigna ex Dei acceptatione, vtpote ſumendo condignum, vt idem importat ac debiti obligationem; *congruè* tamen ea circunſtantia perſonæ infinitæ, prout ſcilicet congruitas excludit condignitatem ab operibus, vt debitum involventibus, non autem valorem, & ſufficientem proportionem ad præmium, quia hoc vltimo modo, non ſolum congrua, ſed condigna fore Scotus capiebat.

36 Et prædicti, prout iam advertunt, in hiſce, Scotiſtarum dogmata ſequuntur, vt ſuadent ab exemplari gratiæ. Licet enim opera gratioſa ſint ſecundum ſe proportionata ad gloriam, & gratia ipſa ad iuſtificandum, at completè, & abſolutè divino pacto perficitur, quo pacto poſſet dici, quod tantum valebat, pro quanto acceptabatur, cum nulla vis poſſet inducere Deum abſque eo, neque ad præmium, neque ad iuſtificationem; itaque licet gratia & opera forent cōdigna quoad vim proportionis, ſecus autem quoad obligandi vim, ſic enim ſolum forent congrua, congruitatem ſiquidem & aptitudinem haberent, vt Deus acceptaret, & ſic pactando vltimo perficeret, & compleret. Sic pariter diſcutrunt prædicti Scotiſtæ circa Chriſti opera iuxta Scoti mentem, & ſic diſtinguentes reſpondent Sanctorum Patribus, & Scripturarum dictis, quibus aliqui volunt ſuadere condignitatem, in operibus Chriſti ſecundum ſe, & ante acceptationem. His ita; eligam, & prout aptius poſſim Scoti mentem proponam.

37 In primis ergo certiſſimum eſt, Chriſti Domini opus ſatisfactorium, Scotum non reduxiſſe ad amplam, & deſpoticam Dei acceptationem. Patet evidenter, quia ſic deſpoticè, & nude, etiam poſſet in opere pure humano ſtabilire ſatisfactionem, ac in opere Chriſtifero; ſed eſt clarum non ſic æquè penes ſatisfactionem contemplari ab Scoto opus pure humanum, ac Chriſtiferum; ergo. Minor in qua reſidet tota difficultas ſuadetur his verbis Scoti: *Si autem illud meritum fuiſſet alterius perſona, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuiſſet congruitas acceptationis illius pro infinitis*; ergo eſt clarum, non ſic æquè &c.

38 Deinde iuxta Scoti mentem, certum eſt, Chriſti D. paſſionem ſecundum ſe intrinſecè, & ex formali ratione ſua non potuiſſe acceptari in infinitum, & pro infinitis. Hæc propoſitio eſt Scoti ad literam, dum ibidem ait: *Sed ex formali ratione ſua, quam habuit, non potuit acceptari in infinitum, & pro infinitis.* Ubi pro nunc, ſic capiendus eſt Scotus, quod ly *in infinitum*, ſonet formalem infinitatem, quo pacto ſi infinitè capi poſſet malitia, ſatisfactio Chriſti Domini in ſe, & formaliter, non poſſet acceptari ex ſe, hoc eſt, *non habuiſſet in ſe ad tantam acceptationem proportionatum motivum, & eſſe formale medium.*

39 Suadetur Scotica noſtra expoſitio iuxta ipſius Scoti mentem *in* 4.*d.* 15.*q.*1.*§*. *De ſecundo dicitur*, vbi ſic arguit: *Paſſio Chriſti* fuit bonum finitum, etiam accepta ſecundum totam rationem meriti in ea, quia non erat bonum increatum, nec per conſequens acceptatur infinitè à Deo ex parte obiectā, quia non fuit Deus beatus amando illam paſſionem ſicut amando ſuam eſſentiam; igitur ſi infinitas in peccato prohiberet ſatisfactionem poſſibilem, etiam prohiberet eam poſita paſſione Chriſti. Hæc Scotus, in quibus capiendus eſt, caſu quo *in infinitum* daretur in ſatisfaciendo debitum. Necnon capi poteſt ſatisfactio Chriſti in tali caſu, iuxta omnem ambitum ſuum non potuiſſe acceptari in ſe, prout ſic indiceretur proportio intrinſeca, & formalis. Et ad id Scotiſtarum rationes confluebant, quia debitum ſimpliciter infinitum, non poteſt deleri formaliter niſi per bonitatem ſimpliciter infinitam; ſed nullum Chriſti opus fuit ſic ſimpliciter infinitum; ergo.

40 Reſtat nunc difficultas in adiunctis alijs Scoti verbis, S, *In infinitum, & pro infinitis, ſed pro finitis.* Vbi diſtinguenda eſt ſatisfactio Chriſti ex parte operis entitativè, intrinſecè, & formaliter, & præſcindendo à perſona Verbi; & ex parte perſonæ ſatisfacientis, & extrinſecè. Dum ergo, inquit Scotus, ſatisfactionem tantum pro finitis acceptabilem eſſe, puta proportionabiliter, tunc capiendus eſt ita, quod ſatisfactio ſiſtat in rigore operum ſecundum ſe, & iuxta formalem rationem ſuam, eo pacto quo ſic formaliter, & ſecundum ſe, eadem opera elici potuiſſent ab eadem ſola humanitate, cum eadem gratia, habitibus, auxilijs &c. ſic enim non fuit acceptabilis ſatisfactio ex formali ratione ſua pro infinitis, quia dum infinitę forēt culpæ finitæ, ſeu melius, dum infinita forent culpata ſuppoſita, opus finitè ſatisfactorium & ſi quia ſummè bonum pro ſummè finitis malis poſſet acceptari, ſecus autem pro debitis infinitis, ſeu pro infinitis debitoribus iuxta formalitatem ſuam; vno enim aut altero modo

do

do debitum exccederet claſem finitam.

41 Satisfecit tamen Chriſtus Dominus abunde,& ſatisfeciſſet etiam ſi infiniti forent debitores, ſi opera ſatisfactoria, non ſolum conſiderentur iuxta formalẽ rationem ſuam, ſed etiam iuxta circunſtantiam ſatisfacientis, quia licet iuxta formam intrinſecam vt ſumptam à potentijs limitatis, ſolum pro finitis adæquare poſſent, *Tamen*(inquit Scotus in 3.) *ex circunſtantia ſuppoſiti, & de congruo ratione ſuppoſiti habuit ſatisfactio quamdam rationem extrinſecam, quare Deus potuit acceptare illam in infinitum, id eſt, extenſivè pro infinitis.*

42 Potuit enim acceptari pro infinitis debitoribus, quia infinitus erat ſatisfactor, necnon infinita erat perſona,quare ſi pro infinitis debitoribus potuiſſet ex hoc capite ſatisfacere numerus infinitus perſonarum finitarum (id ſuppone ſic) multo melius pro infinitis ſatisfacere poſſet vnica in numero infinita perſona, perfectius ſiquidem foret infinitum, vis ſiquidem vnita fortior. Potuiſſet ſic concretivè acceptari ſatisfactio pro infinitis debitis, ſi darentur (ex hoc capite, & ex iam dicto copioſa apud eum ſatisfactio) quia opus ſatisfactorium plenè, & adæquatè conſideratum, ſcilicet inſimul ex ratione ſua formali & ex dignitate perſonæ conſtituebat bonam ſic ſatisfactionem, quod ad ipſius ſupernum ordinem, claſem,& ſphæram, nullũ opus creatum, nec cuncta inſimul creata pervenire poſſent, vt à paritate Angeli præ alijs creaturis &c. ſic, exponebat Maſtrius.

43 Neque mala opera ſic ſupremam claſem malitię erigere poterant, quia nullum opus, quamtumvis malum abſtulit, nec auferre poterat intimitatẽ phyſicam cum Deo, vt humanitas ſatisfaciens habebat ex vnione hypoſtatica, ſed ſolum poterat cunctum genus humanum auferre vnionem moralem ex accidenti gratiæ; igitur cum opera Chriſti D, talem phyſicam vnionem in ſubiecto Chriſtifero ſupponerent, dum ab eius principijs eo vnitis derivarentur, & deinde ſic ab eo participarent etiam valorem, quod manerent valorata in tali ſupremo & excellenti ordine, quod ſic ſupremè valorata de nullo creato poſſet dici, ſequitur,quod nulla opera creata, neque coniunctivè vt bona, neque diſiunctivè vt mala, ſupremam illam ſphæram poterant erigere; ac proinde licet ſimpliciter opera Chriſti non forent infinita, ſimpliciter tamen fuerunt præ cæteris excellentia.

44 Verumtamen in fine *diſt. 19. in 3.* Scotus ſemper inſiſtit in hoc,quod, *Quamvis Deus poſſet acceptare paſſionem illam pro infinitis, non tamen infinitè, quia non poteſt diligere aliquid creatum à parte diligibilis infinitè, quia non eſt infinitum; de facto tamen non fuit accepta niſi pro electis, quia pro eis tantum fuit oblata à Chriſto, efficaciter dico,* dicit Scotus.

45 Contra hinc expoſita, & in ipſo expoſitionis tramite reſoluta, quam pluſima opponunt argumenta, quæ non adducere decrevi, tum quia ſcio, poſſe ex hinc expoſitis quæcunque ſatis facile diſſolvi,tum quia vidi exactè cunctis à noſtris Recentioribus reſpõderi. Vide pro argumentorum ſolutione P. Maſtrium *dp.3.q.8.art.4. & 5.*

DISTINCTIO V.

De libertate in Chriſti D. operibus.

1 CHriſtum D. meruiſſe cuncti Catholici Doctores propugnant vt fide certum. Veruntamen cum ex conditionibus ad meritũ requiſitis ingens pro Chriſto derivetur difficultas, variè ſatisfaciunt. Multa namque ad meritum informandum & conſtruendum confluunt ,quorum ea , quæ præciſè bona, honeſta, & perfecta attenduntur , non defuiſſe in Chriſti operibus, nedum certum, ſed ita clarum , quod bonitatis abundantia maiorem inferat difficultatem, vt meriti ſcopus inveniatur, vt patet in cæteris iuſtis, in quibus meritorum linea abſque dubio reperitur, dum in eis deficit vnio hypoſtatica , manutenentia Chriſtifera, & gratiarum plenitudo, defectu quarum abundè perfectionum, libertatis, & contingentiæ vis non confunditur , ſed diſtinctiſſimè intuetur. Sic itaque boniſſima fuerunt Chriſti opera , & ipſi Deo intimius coniunctum operans, quod id ipſum arduum reddat meritorium inveniri opus. Plura,vt dixi,dixerunt Theologi,recitabo principaliora, & pro captu meo, quod proportionatius, eligam.

QVÆSTIO I.

Quo pacto qua liberum, Chriſti opus fuerit meritorium.

2 PRiuſquam vnam, aut aliam expoſitionem adaptemus (vſque adhuc fateor cunctas inveniſſe difficiles) Auctorum placita recitare, & examinare opus erit, vt ſic melius quid ſit potius reſolvendum videatur.

Art. I.

ART. I.

Varij dicendi modi examinantur.

3 TOta difficultas ſiſtit in libertate, in cæteris namque non inſtat, cum nedum placida, ſuperna, & recta in Chriſto forent, quin, vt in prologo innui, ſic fuerunt rectiſſima, quod liberi conditionem involvant. Stat ergo controverſia non in vno, aut altero circunſtantiarum accidenti, quin in ipſa volitivi ſubſtantia, vtpote libertas, quæ eſt huiuſce potentiæ ſpecificativa. Et licet cunctos Chriſti meritorios actus quæſitum tranſcendat, expenditur in mortis actu, cuius, pręcepto inſtante, habita reſolutione, cæterorum deducunt ad inſtat.

4 *Primus igitur dicendi modus*, mihi namque ſemper principalior, & ęſtimabilior, erit Angelicus, quem referam, prout refert P. Gonet hinc *dp.* 21. §, 3. Modus, inquit, vere conciliandi in Chriſto libertatem cum præcepto mortis, & abſque peccabilitate, in eo ſiſtit, quod licet non potuerit Chriſtus velle non mori in ſenſu compoſito, hoc eſt coniungere negationem mortis cum præcepto obligante ad mortem; bene tamen in ſenſu diviſo, id eſt velle negationem mortis, vt abſtractam à pręcepto.

5 Expoſuerat hunc modum §. antecedenti à paritate voluntatis elicientis amorem, quæ vt libere amet, non requirit, imo implicat, quod amando poſſit non amorem coniungere, ſed ſat eſſe, quod amando retineat poſſe ponere non amorem, ita vt tale poſſe ſit diviſim ab amoris actualis poſitione. Ita etiam, vt Chriſtus libere mortuus dicatur, etiam inſtantibus præcepto, & impeccabilitate, non erat opus, imo implicabat poſſe coniungere negationem mortis; ſed ſat erat quod volendo actualiter mortem ſub præcepto, retinuerit ſimul potentiam ad negationem mortis diviſim à pręcepto.

6 Neç prædictus potentiarum ſenſus, nomine Thomiſtici inquit hic Auctor, eſt cōſimilis Jeſuitarum intelligentiæ, dum exiſtimant, Thomiſtas tenere quod Chriſtus non habuerit potentiam ad non moriendum ſtantem, & compoſibilem ſimul cum pręcepto mortis, ſed ſolum ab eo diviſam, & ſolum eam, quæ in eo extitiſſet ablato mortis præcepto: hęc, inquit, expoſitio ab vllo Thomiſtarum vnquam fuit intenta; ſed iſta dumtaxat, quod etiamſi Chriſtus impeccabilitate ſuppoſita, non habuerit talem potentiam ſtantem ſimul cum præcepto mortis, qua poſſet cum eo coniungere negationem mortis, benè tamen talem potentiam ſtantem ſimul cum præcepto mortis, qua poſſet habere negationem mortis diviſam, ſivè abſtrahentem à præcepto.

7 Unde differentia veri ſenſus Thomiſtici ab eo qui Calviniſticus eſt in eo ſiſtit, quod Calvinus dividit potentiam ad non moriendum ab ipſo præcepto mortis; Thomiſtę vero illam à tali præcepto non ſeparant, ſed ſolum negationem ipſam mortis. Neque hoc ſingularius in difficultādo, quam quod omnes pulſare tenentur, ſi ſalvare velint libertatem actualem voluntatis in amando, etiam præſcindendo à quacunque præmotione, impeccabilitate, & præcepto: nimirum quod voluntas actualiter & liberè amās, eo ipſo quod liberè amet retinet talem potētiam ſtantem ſimul cum ſuo amore, non qua poſſit coniungere negationem amoris cum ipſo amore, ſed qua poſſit eam dividere ab amore, ſivè qua poſſit habere negationem amoris abſtrahentem ab amore. Hæc volui, vt tanti momenti in Thomiſtico, ad liberam adducere.

8 Contra hanc expoſitionem plurima iam relinquo in *Diſt.* de Divino intellectu, vbi maiori examine *in quæſt.* 5 eviſceratur ſtructura vis prædeterminantis, & increpatur intelligentia præfati ſenſus compoſiti, & diviſi, necnon repelluntur quæ in ipſo, & ex ipſo ad adſtruendam liberi conditionem pro Thomiſtica opinione firmantur; qua propter cum huiuſce puncti ſcopus conſimilimus ſit, vt patet ex paritatibus adductis à P. Gonet, ideo hinc breviter vnum aut aliud Verbum circa ſubiectam materiam habebimus.

9 Hinc ergo, ſicuti alibi iam, fere inſuperabilem ſentio difficultatem, vt Thomiſtico modo Chriſtus liberè fuerit mortuus. Et vt centrum ſtatim pertingamus, cuncta expoſitio Thomiſtica nuper poſita ad hoc reducitur, quod licet cum impeccabilitate & pręcepto Chriſtus non habuiſſet potentiam ad non moriendum ſimul cum præcepto, ſin autem cum impeccabilitate & præcepto habuiſſet potentiam ad non moriendum ſeparatim à præcepto; ſed id nunquam evacuat difficultatem; ergo.

10 Suadetur in primis, quia revera, & ſolidè inſpecta, de ea ſola potentia inquirendum eſt, & inquiritur quod debeat eſſe libera, de qua tunc inquiritur quod debeat eſſe potentia meritoria; ſed pręfato modo id ſic non invenitur, dum ſic ab omnibus hinc inquiri videtur; ergo. Suadetur min. propoſi-

tum

tum. Quia quod ſimul cum præcepto poſſit non mori diviſim à præcepto, revera nil aliud eſt, quam potuiſſe non habere præceptum, ſeu Chriſtum conſiderari in ſtatu in quo non poſito præcepto mortis potentiam ad non moriendum habuiſſet; id enim eſt, aliter ſi ſit, offerant talem potentiam ad non mori, dum ante vel poſt ſemper inſit præceptum. Sed potentia meritoria non ſic invenitur in Chriſto, neque in nobis in adimpletione præceptorum, quia dum in Chriſto v.g. percipiatur ſeparatum præceptum, proximè per mortem poſſe mereri evaneſcit; ita vt ante mortem potentiam proximè meritoriam habuiſſet in morte, non quia potuit non præcipi, ſed quia præcepta erat, ac proinde componibilis cum ea, & non quia diviſibilis, cum non quia non impetabilis, id enim extra meriti apicem eſt, ſicuti & extra facultatem obedientis, ſeu illius qui poteſt obedire, vel non obedire, eſt, quod poſſit imperari, vel non; ergo.

11 Suadetur & confirmatur, quia ſi talis conditionis foret Deus, quod non poſſet non præcipere Chriſto mortem, vel talis conditionis foret Chriſtus quod præceptum mortis à primo inſtanti habere foret neceſſariſſimum, tunc etiam diſputaremus de merito mortis, quia quod neceſſarium foret Deo ponere præceptum non augeret efficaciam decreti, prout nunc habet libere poſitum à Deo; ſed tunc libertas meritoria mortis non ſalvaretur, quia ſimul cum præcepto, haberet potentiam connotantem mortem diviſam à præcepto; ergo.

12 Suadetur & confirmatur in præcepto amandi Deum ſuper omnia, non mentiendi &c. quæ neceſſariſſimè & pro omni inſtanti quo Chriſtus, ei fuerunt impoſita, quin iſta forent maioris efficaciæ, nec altioris & fortioris conditionis penes actus meritorios noſtros; ſed in talibus actibus daretur meritum in Chriſto, ſaltim in dilectivo, quin ſalvaretur ex eo quod potuiſſet inſimul cum præcepto ſeparari amor quia potuit ſeparari præceptum; ergo. Re enim vera, etiam ſi Deus neceſſariſſimè imperaret, adeſſet meritum, quia licet non poſſet nō imperare, poſſemus vt poſſumus neceſſario imperatis non obedire. Meritoria libertas in obediendo, ſolum ſtare debet in eo quod obediamus præcepto, dum præcepto poſſimus non obedire, ſtante ſemper præcepto; dum namque conſideremus in ſtatu in quo præceptum non inſit, philoſophabimus ſtatum, extra ſtatum totius ambitus obedientialis.

13 Deinde refellenda expoſitio, quia ſalva pace, expoſitio Gonet non videtur adæquare, vt fugiat inductam Jeſuitarum vim. Suadetur, quia ipſo modo vel conſimili Calviniſtæ concedent præfatam potentiam; ergo. Prob. propoſitum. Quia nullus Calviniſta negabit, quod ante poſitionem præcepti Chriſtus habuerit potentiam ad non moriendum; igitur nec negabit quod etiam poſito præcepto habuerit potentiam prout connotativam ſtatus extra præceptum. Videtur manifeſta illatio. Quia ex eo Calviniſtæ ante poſitionem præcepti concederent potentiam ad non moriendum, quia potentia connotabat ſtatum diviſum à præcepto; igitur ſemper & quando ſic inſpiciatur & conditionetur potentia, quod etiam ſi ſit cum præcepto, ſumatur reſpectu termini mortalis, vt connotans ſtatum abſque præcepto, ſic ſumeretur quod à nullo poſſet negari. Calviniſta nāque non negabit quod poſito præcepto mortis ad inſtans B, & non ad inſtans A, neque ad C, quod in inſtanti B, dicat poſſe nō mori in C, ſicuti in A, quia ſicut in inſtanti B, conceder, quod potuit non mori in A, quia præceptum non erat poſitum; in inſtanti B, concedet quod poterit non mori in C, quia in C, erit præceptum ablatum.

14 Neque erat proportionata illa paritas actualis amoris comparati cum potentia ad non amandum in ſenſu actum amoris dividente. Ratio eſt manifeſta, quia in ambitu lineæ amatoriæ, erat voluntas æquè potens ad amorem, & non amorem, at in ambitu lineæ præceptoriæ, non erat voluntas Chriſti æquè potens ad obedire, & non obedire. Clariſſimum enim eſt quod inter nos obeditivos, & Chriſtum, datur magnum diſcrimen, cum Chriſtus non poſſet non obedire præcepto, & poſſimus nos, & tamen nos in ipſo obedientiæ actu non poſſumus iam inobedientiam coniungere; igitur paritas amoris actualis proportionata ſolum erit nobis, qui etiamſi actu obedientes inobedire iam non poſſimus, tamen intra lineam adæquatam præceptoriam ſtetimus in ſtatu in quo potuimus ponere inobedientiam; vbi obedientiam poſuimus.

15 Deinde, quia amor & non amor in noſtra poteſtate eſt, ac proinde nil mirum quod interpretemur liberi dum amantes, tametſi non amorem tunc coniungere non poſſimus; at ponere præceptum, vel non ponere non fuit in poteſtate humana Chriſti apud hos Auctores, & ſic nil mirum, quod ſic moriens ſub præcepto, quod præceptum relegare foret in Dei voluntate ſolum, inferat imparem Chriſti libertatem.

16 *Secundus dicendi modus* eſt aliorum

 tenen-

tenentium Chriſti D. mortem fuiſſe liberam impeccabilitate, quia præceptum non erat ſtrictum, nec obligans ſub culpa, ſed ſolum eſſe quamdam inſinuationem divinę voluntatis, quæ decreverat ipſum pro noſtra ſalute moriturum, ita tamen quod licet impeccabilis potuiſſet non mori. Ita apud Gonet, Lorca Albertus Magnus, Paludanus, & Dioniſius Carthuſianus cum alijs. Contra hunc dicendi modum opponit Gonet cum alijs plurima Scripturę loca ſtrictum mandatum exprimentia, quę revera non leviter vrgent, vt contrarium ſuadeant.

17 Diſplicet etiam mihi pręfatus dicendi modus, & in primis ex illo maximo exemplari aliorum pręceptorum, quæ revera ſtrictè obligare debebant, vt patet de dilectione Dei &c. quæ ex natura rei ſunt indiſpenſabilia abſque culpa. Deinde, quia vere videtur præcipi, quod non ſolum nobis, ſed & Chriſtum oportebat; ſed oportuit Chriſtum patiendo obedire, & ſic intrare in gloriam ſuam; ergo. Deinde, quia quod abſque culpa foret ei impoſitum, in tali individuo, vtpote impeccabili & Deificato non minuebat vim præceptivam, & ſtrictum mandatum, in tali namque individuo ex contingentia culparum non debet deduci efficacia præceptorum, aliàs nec vllum aliud mandatum habere potuiſſet. Vlterius, quia etiamſi demus fuiſſe puram divinæ voluntatis inſinuationem, difficile, poterimus liberare Chriſtum à culpa veniali, vel imperfectione non adimplèndo illam, prout proprium eſt ſubditorum perfectorum ſic adimplere cognita Pręlati voluntate. Tandem, quia non leuiter repugnare videtur in ſuis terminis expoſitio, dum ex vna parte ponit inſinuationem, & ex alia voluntatem divinam, quæ decreverat pro ſalute mortem ſubiturum.

18 *Tertius dicendi modus*, eſt aliorum conciliantium Chriſti D. libertatem cum pręcepto, quia licet iſtud revera foret inevitabile, conſequenter tamen, non vero antecędenter, cum Chriſtus tale præceptum ſibi imponi, liberè poſtulaſſet â Patre, & ſic liberè illud acceptavit. Ita nonnulli quos ſuppreſſo nomine refert Vincentius de Gratia Chriſti pagin. 430. quos ſequuntur Cabrera, & Prudentius apud Gonet ſupra *num. 62.*

19 Contra prædictum dicendi modum ſtatim videtur opponenda Chriſti Domini oratio in Gethſemani, ex qua deduceretur indecens contradictio, deduceretur ſiquidem, vel Chriſtum non benè cogitaſſe præcepti impoſitionem quam antecedenter petijt, vel eo benè cogitato poſtea pænituiſſe, quorum quodlibet indecentiſſimum nedum homini divinizato, quin etiam cuilibet rectè inſtructo, & providè diſſerto. Nec leviter vrget illud maximum exemplar (ab hoc exemplari fere invencibilis redditur pręſens difficultas) cæterorum ex natura ipſorum inevitabilium præceptorum tam antecedenter, quam conſequenter, v.g. dilectionis divinę &c. quæ ante omnem, & præ omni petitione ex natura rei vim obligatoriam inferunt.

20 *Quartus dicendi modus*, eſt aliorum tenentium Chriſti voluntatem quia impeccabilem, fuiſſe determinatam ad bonum in communi, ſecus autem ad bona in particulari, quorum poterat vnum præ alio eligi, & ſic ſat habere ad meriti conditionem. Idque ſuadent à paritate divinę voluntatis determinatę ad bonum in communi neceſſario, ſecus autem ad hoc vel illud bonum creatum in particulari. Contra hanc explicationem nonnulla applicat P. Maſtrius, necnon diſſentiens ſuppoſito paritatis, cum certum non ita ſit, divinam voluntatem neceſſario à bono creato in communi determinandam; pręterea etiam improbam eſſe paritatem ſuadens, quia difficultas in præſenti vrget de bono iu particulari, S, de bona & ſingulariſſima Chriſti morte.

21 Deinde recitat Maſtrius conſimilem dicendi modum, ſcilicet, voluntatem Chriſti eſſe phyſicè impeccabilem per negationem concurſus ad omnem actum malum, liberam tamen per indifferentiam ad hunc, vel illum actum bonum, ac proinde neceſſitatam ad bonum in communi, & indifferentem ad bonum in particulari. Hancque opinionem fuiſſe affinem D. Thomę videtur P. Maſtrio, qui etiam eam impugnat, & principalius cum ſtabilitum & propugnatum relinquat libertatem ad meritum requiſitam fore illam, qua voluntas poſſit agere vel non agere, aut elicere, & non elicere actum præceptum, & etiam ſolutionem pręocupat cum propugnaſſet poſſibilem fuiſſe puram omiſſionem liberam, & voluntariã. Vide Maſtrium, forſan ſufficiet.

22 Et etiam breviter, intendam præfatæ libertatis attingere centrum, idque inquirens ex quo Chriſtus ſine merito reſpectu boni in communi, haberet meritum reſpectu boni in particulari? Dices, quia liber quoad individua licet non quoad ſpeciem. Benè eſt, ſed ſequor difficultatem, quia licèt eligendo inter bona, exercitium ex parte materiæ bonum ſit, at ex parte actus & formalitatis elicientis ex quo bona eſt, id eſt, meritoria? Hoc ſcire cupio â difficultatem penetranſe. Abſtracto enim merito ex bono in communi, quid boni meritorij adeſt in poſſe elicere vnum bo-

num

num præ alio, dum in eliciendo præciſé bonum nil meritorium adeſt? Nil profecto extra materiæ bonitatem,& obiecti.

23 Suadere, & aliquantulum intentum explanare intendam. Si enim inter bona æqualia eligeret Chriſtus, iuxta prædictam opinionem mereri debebat, cum libere exerceretur,& tamen meritorium actum, præciſo merito circa bonum in communi non invenio, quia ex quo meritorium, & laudabile erit bonum vnum eligere, & ęquale, & tanti valoris aliud non amplectere? Deinde ſi elegibilia bona inæqualia ſint, nos merebimur etiamſi minus bonum eligamus, exiſtimo tamen nos merituros, non quia minus bonum eligimus, maiori bono derelicto, ſed quia apud nos datur libertas vt malum præ minori bono eligere poſſemus,& bonum licet minus, infinitè diſtat ab omni malo; igitur qui circa bonum in communi non poſſit mereri, & deinde nec circa bonum & malum,vel demerebitur electo minus bono præ maiori,vel ad minus non dabitur motivum ex quo ex electione mereri dici poſſit proportionàto motivo. Igitur hoc pacto Chriſtus D, non mereretur eligendo minus bonum, quin dum mereri foret ipſi vel neceſſarium,vel præceptum, eligere minus bonum foret tranſgreſorium,& ad minus non laudabile quin & vituperabile cum contrarium oporteret, vt *ſic eximie pati*; igitur nec amplecti meritorie, & laudabiliter minus bonum foret decenter liberum, maximè cum ſecundum communiorem Chriſtus D, ratione ſuæ eximiæ ſanctitatis foret determinatus non ſolum ad non peccandum,ſed etiam ad faciendum melius quod ipſe iudicabat.

24 *Quintus dicendi modus* eſt pluriũ Recentiorum libertatẽ ad Chriſti mortẽ deſignantium in eo,quod licet poſito præcepto nõ poſſet non mori, ſed tamen manſit indifferẽs ad acceptandum mortem ex hoc vel illo motivo,hoc vel illo tẽpore,actu intẽſo,vel remiſſo,ac proinde ſic licet neceſſarius actus quoad ſubſtantiam,liber vero quoad circunſtantias, quæ ſemper indifferentiam refunderent in ſubſtantiam actus, ălius ſiquidem foret actus his vel illis circunſtantijs,& ſic pariter theologizant de alijs præceptis affirmativis,& negativis.Sic Vazquez,etiã approbante Suarez, Valentia, Leſſius,Beceanus,Granado,Capenſis,Amicus, Arriaga,Meracius, Raguſa,Morandus, Orlandus,& alij quos refert P. Maſtrius, eoſque exactè impugnat, & plurimas eorum ſolutiones repellit,prout videri poteſt.

25 Contra, & in primis contra primum & generale,moriendi ſcilicet, ex hoc vel illo motivo. Quia difficilimum eſt invenire aliud motivum quam expreſum in ipſa paſſione per tot ſcripturarum verba,ita vt principale motivum veniendi patibilis, foret, propter noſtram ſalutem,& eximiam charitatem qua dilexit nos, cum ex his veniret in ſimilitudinem carnis peccati;ergo. Deinde, quia licet ad maius meritum poſitis à Patre motivis, poſſet Chriſtus ad alia extendere paſſionem, at duriſſimum foret, quod Chriſtus dum ex motivis ab ſcriptura expoſitis moreretur,non habuiſſet meritum de per ſe, in quo caſu integra penes ea motiva, penes quæ de per ſe paſſus, maneret difficultas. Deinde maximo illo exemplari, ſcilicet, præcepti dilectionis Dei infringitur expoſitio, cum non poſſet variare motivum, præter quod offertur vt ſuper omnia etiam motiva Deus diligendus ſit.

26 Contra ſecundum, videlicet temporis circunſtantiam militat etiam maximum illud exemplar ex divina dilectione deſumptum, cum nec inſtans poſſet pręterire, ex quo Deus perfecta ratione vtenti proponitur. Nec ſatisfaciunt dicentes quod potuit Chriſto imponi pręceptum mortis relicta ſibi poteſtate eligendi tempus. Tum quia nimis aſperum videtur, quód Chriſtus non habuiſſet meritum ob mortem, ſed propter tempus, tum quia ſemper inſtat maximum illud dilectionis exemplar.

27 Ned quidquam propter dicta ſátisfaciunt reducentes mortis meritum ad electionem huius vel illius mortis; quia ſic exaltari oportebat ſicut in deſerto ſerpens,& figuratus agnus in ligno confixus, cum ſic exaltatus omnia deberet trahere ad ipſum, ex ſola Dei voluntate exprimentia; igitur in caſu volendi acceptare mortem, eam debuit acceptare, quæ potius congrueret figuratæ. Melius enim ſalvarem opinionem, quæ teneret mortem Chriſti voluntariam quoad ſubſtantiam, & quoad circunſtantias neceſſario præfixam.

28 Contra tertium de actu intenſo, & remiſſo militare videtur etiam maximum illud exemplar divinę dilectionis, cum iuxta datam gratiam deberet Chriſtus diligere ſemper Deum, ſicuti eum intuebatur, dum enim augentur dona, rationes enim creſcunt donorum, quare exhiberi à Chriſto amor vnius talenti quinque ſummè exhibitis reprehenſibile, vel ſaltim non laudabile foret, ita vt non careret ſaltim morali imperfectione, ac proinde non poſſum credere quod Chriſtus habuiſſet potentiam proximè indifferentem ad intenſum & remiſſum, ſicuti nec ad laudabile, & non laudabile. Mihi namque cer-

tiſſimum, quod maiorem charitatem exhibuit, & debuit exhibere ex tota anima, ex tota mente, & ex totis viribus ſuis. Et hæc, ni fallor, efficaciter ſuadet Status beatificus, quo neceſſariſſimè fruebatur Chriſtus in his quæ animæ & huius potentiarum erant; quare ſi beati nunc non ſunt liberi vt intenſe, vel remiſſe diligant, quin determinato gradu charitatis exercentur iuxta prædeſtinationis menſuram, quanto magis Chriſtus qui præ omnibus in omnibus eſt habitus. Et ſi beati tali indifferentia etiam fruantur, & meriti cõſimiliter erunt capaces, alij enim actus forent præ carentibus his circunſtantijs, prout præfati Auctores ponderabant. Tandem in præfatum dicendi modum poſſunt applicari præcipue dicta in quintum dicendi modum ſupra poſitum de neceſſitate boni in communi, ſecus in particulari.

29 His ita reſtat etiam retardare, rationem illam fundamentalem præfatorum Auctorum, videlicet, non poſſe negari, quod diſtinctus foret actus moriendi, dum liber & indifferens quoad prædictas circunſtantias. Sentio enim, quod diſtinctione data, non haberet eam niſi in ordine ad circunſtantias, quæ licet ad adimplendas Scripturas, & ad alios occultos Dei fines non forent ſine myſterio, ſed tamen ad rationem meriti inutiles, ſi in ipſo actu moriendi merito careret Chriſtus, prout ſuadebunt conſimilia exemplaria, v.g. ſi Chriſtus poſſet eligere eſſe venditus à Mathæo, & non à Juda, eſſe crucifixus ab his miniſtris, & non ab illis, adiutus ad Crucis pondus ab iſto, & non à Simone, orare & eſſe poſitus in agonia in Thabor, & non in Gethſemani, eſſe cõdemnatus ab Herode, & non à Pilato & ſic de cunctis in paſſione expeditis, equidem meritorum culmen inconcuſſum, & non aliud, dum tamen poſſet aliqua diſtinctio protervire.

30 *Sextus dicendi modus* eſt aliorum plurium tenentium, Chriſtum D. habuiſſe prætenſam meriti conditionem, quia ſic fuit ei impoſitum præceptum, quod foret in ipſius poteſtate acceptare illud, vel petere diſpenſationem à Patre, quam eum non poſtulaſſet, deducitur libere obtemperaſſe præcepto.

31 Prædictum dicendi modum amplectuntur nonnulli Scotiſtarum, qui eum deducunt ex Scoto *in 3. d. 20. q. vn §. Tunc ad quæſtionem*, vbi ait: *Vnde credendum eſt quod ille homo paſſus eſt propter iuſtitiam. Vidit enim malà Iudæorum quæ fecerant, & quomodo inordinata affectione, & diſtorta afficiebantur ad legem ſuam, nec permittebant homines curari in Sabbato, & tamen extrahebant ovem, vel bovem de puteo in Sabbato, & multa alia. Chriſtus igitur volens eos ab errore illo revocare per opera & ſermones, maluit mori quam tacere, quia tunc erat veritas dicenda Iudæis, & ideo pro iuſtitia mortuus eſt; tamen defacto ſui gratia paſſionem ſuam ordinavit, & obtulit Patri pro nobis, & ideo multum tenemur ei, & amplius, quam ſi ſic neceſſario, & non aliter potuiſſemus fuiſſe redempti, ideo ad alliciendum nos ad amorem ſuum, vt credo, hoc præcipue fecit. Et quia voluit hominem amplius teneri Deo, ſicut ſi aliquis primo genuiſſet hominem, & poſtea inſtruxiſſet eum in diſciplina & ſanctitate, amplius obligaretur ei, quam ſi tantum genuiſſet eum, & alius inſtruxiſſet, & hæc eſt congruitas non neceſſitas.* Et ibi paulo poſt, §. *Ad ſecundum* ait Scotus, *Concedo abſolutè, quod per bonum velle potuit ſatisfeciſſe, ſed tamen aliter voluit.*

32 Ex quibus noſter Bellutus inter alios, apud Maſtrium, deducit, fuiſſe in poteſtate Chriſti recuſare mortem, non quod mors fuerit tanquam conſilium à Deo propoſita Chriſto, ſed quia poterat à Deo obtinere diſpenſationem talis præcepti. Fateor me pluries præadducta Scoti verba conſideraſſe, eaque inveniſſe ſatis genuinæ, propriæ, & literalis expoſitionis habiliſſima, ſalutiferam hiſtoriam deſcribentia.

33 Neque ipſa verba Mathæi, quæ in contrarium oppoſuerat P. Maſtrius *num. 377.* obſtant, quinimo favere invenio, dum Chriſtus dixit, *Si poſſibile eſt, tranſeat à me*, quia ſi Chriſto conſtaret, abſolutè fore indiſpenſabile præceptum, inutiliter, quin & contradictoriè ad firmam & infallibilem Patris voluntatem expoſceret vt tranſiret, & mutaretur, & ſic fieret, quod nos, fieri impoſſibile agnoſcimus; igitur dum Chriſtus ſapientiſſimè oravit, poſſibilem & contingentem reputavit tranſitum.

34 Verumtamen ſi meam mentem manifeſtare cupiam, duo principaliter circa hæc declarare intendam. Primum circa expoſitionem defenſantium præceptum poſitum ſub petibilis diſpenſationis conditione; & ſecũdum circa applicata Scoti verba. Circa primum ergo exiſtimo præſentem difficultatem eximiam etiam tenere vim, quia ſi exhibitum foret præceptum ſub conditione libera petendi diſpenſationem, in tali caſu præceptum ablatum fuiſſet, nam vel interpretativè petita fuit diſpenſatio à Chriſto, dum petivit tranſitum mortis ſub conditione poſſibilitatis, vel expreſſè peteret diſpenſationem, qua petita, foret obtenta, cum ſub tali conditione ſtabilitum foret decretum, & ſic diſpenſationis

tionis conditione poſita, præceptum maneret irritum, & nullum. Quod expreſſe peteret diſpenſationem videtur ad orationem conſequens & genuinum, cum ſic vehementer oraſſet, quod circa tranſitum foret poſitus in ſumma agonia, ac proinde videtur incredibile quod Chriſti animus agonizans non appellaretur ad Patris diſpenſationem.

35 Circa ſecundum, S, circa verba Scoti applicata ad præfatum dicendi modum ex diſpenſatione, exiſtimo etiam non ſatis probabiliter, cum Scotus nullum in tantis relinquat diſpenſationis Verbum, nec præcepti ſic conditionati, vt Auctores prædicti expendebant. Scotus namque ibi ſolum favere videtur prędictis Auctoribus in eo, quod ſicuti ipſi, ad maiorem Chriſti libertatem inclinetur, cum mortem deſcribat ſub magno Chriſti beneplacito, vt indicant illa verba Scoti ſupra, *Maluit mori quam tacere*, & illa alia, *Ex quo enim aliter potuiſſet homo redimi, & tamen ex ſua libera voluntate ſic redemit, multum ei tenemur*, quæ omnia genuine conſonant cum certioribus fidei verbis, S, *Oblatus eſt quia ipſe voluit.*

36 Neque negare poſſum contra Scoti deſcriptionem difficultatem alterius Scripturæ, S, *Si poſſibile eſt, tranſeat?* ac proinde quod contradictoriè rogaret non fieri, quod ipſe in tantum fieri volebat. Fateor ignorare realem interpretationem (textus enim vel non interpretandi, vel iuxta rectum ipſorum pondus interpretandi, aliter enim nil erit ininterpretabile) fateor tamen non deficere interpretationem, prout id ſuadet ille æquè auctoritatis textus, S, *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum &c.* cuius genuinus ſenſus militares Angelos exprimebat, & vti Petrus, armis offenſivis defenſivos, ac proinde cunctos tirannos trucidantes, mortis patrandę impeditivos; igitur mortuus quia noluit impedire, dum valuit

37 Neque negare poſſum, prædictam Subtilis Doctoris deſcriptionem non fore ad omnem modum merendi adęquatam, cum etiam inſtet in voluntarietatem Chriſti, maximum illud exemplar divinæ dilectionis, ſiquidem Chriſtus non ſic voluit amare Deum, quod non amare poſſet, quin nec rogare, *ſi poſſibile foret.* Dico tamen, quod ex hoc motivo non defecit Scotus, cum ſolum deſcriberet medium circa quod inpræſentiarum ſcribebat, ac proinde circa alterius ſtructuræ & diſtinctæ conditionis punctum, dum alibi oporteret, diverſum eligere medium; nec enim de Chriſto valet in cunctis vnam in merendo eligere regulam, vt dicitur de fide circa cuius aſpectum tenent claſici Doctores meruiſſe affectivè.

38 *Septimus dicendi modus* eſt aliorum Scotiſtarum cum P. Fabro concurrentium pro Chriſti merito ad modum illius libertatis eſſentialis, de qua agit Scotus in *quol.* 16. & iuxta quem cuncti Scotiſtæ tenemus Spiritum Sanctum non naturaliter, ſed libere eſſentialiter fore a divina voluntate impulſum. Dicunt ergo, prout iam alibi cum Scoto, & Philoſopho dixeramus, agendi, ſeu operandi modum, primo dividi, etiam in intentionalibus, in modum agendi naturaliter, & libere, ac proinde ſic quod modus agendi libere ſubdividatur in modum agendi neceſſario, & contingenter. Sic, primum extremum diviſionis, S, agendi libere, eſt commune omni voluntati tam creatæ, quam increatæ, & ita quod ſiſtat in ipſo dominio voluntatis, valentis ſe ipſam determinare, quo pacto etiam ſi voluntas neceſſario ſe determinet, dum ipſa ſe determinet, gradum libertatis in dominio ſiſtentis non deperdet. Unde exponunt parum obſtare Chriſti neceſſitatem in agendo, vt liberè non dicatur egiſſe ex dominio voluntatis ſupra actus ſuos, & ſimiliter de beatis dicunt,

39 Prædictum dicendi modum aſpere repellit Maſtrius, & in eo principaliter nixus, quod libertas ad meritum habilis debet ea eſſe, quæ relinquit indifferentiam ad vtrũlibet, S, ad agendum, & non agendum, ſine hac, inquit, conditione capacitas ad meritum excluditur, ita vt aliud dicere circa meriti conditionem non videatur à Calviniſta libertate inmune, damnatus ſiquidem fuit Calvinus, dum dixit, libertatem merito, ac demerito ſufficientem hinc in via eam eſſe, quæ ſit ſolum à coactione, non excluſa neceſſitate ſimpliciter & abſoluta.

40 Sed quidquid ſit de Fabri, & aliorum expoſitione (dictum Scotiſtarum non ſic deſpiciendum, quia præ multis erit defenſabile, ſi ſatisfaciant ad hoc, quod in Deo datur libertas dominij ſumma neceſſitate compoſita, eo quod ſe determinare ad ſummum bonum habeat, quia infinitè tecta) ſperabo dictum P. Maſtrij, & plaudam modum ſtabiliendi meritum, ita vt ei non obſtet defectus indifferentiæ ad vtrumque. Si namque certum ſit apud Maſtrium, quod meriti conditio requirat poſſe agere, & non agere, videbimus, quo pacto poſito pręcepto, poterit Chriſtus obedire, & non obedire. Tota igitur difficultatis anguſtia ſtat in eo, quod liberum videatur expoſcere indifferentiam ad vtrumque, & voluntatem præcepto,

& im-

& impeccabilitatè informatam videatur indifferentia carere, vnde videmur in præcipitio, vel auferendi pręceptum, vel libertatem, quorum quodlibet repugnantiſſimum tentatur.

41 *Octavus dicendi modus* eſt P. Vulpes & P. Aretini apud Maſtrium, apud quem præfati Scotiſtę exponunt Chriſti libertatem à paritate beatorùm, qui in priori naturæ ad elicitionem actus beatifici fuerunt proximè liberi ad eliciendum, vel non eliciendum actum; immediatè vero, actu elicito cum iam inſit efficax decretum ad continuandum actum illum beatificum carent indifferentia, ita tamen quod neceſſitas vtpote conſequens, libertate fruatur, cum beati ſcirent tale decretum ponendum ſi actum primum eliciebant, & tamen voluerunt elicere actum. Sic etiam, inquiunt, Chriſtum omnia præcepta liberè obſervaſſe, quia liberè elicuit actum beatificum, ad quem, vt ad cauſam talis præceptorum obſervatio ſubſequitur. Impugnant hunc dicendi modum Patres Bellutus, & Maſtrius *num.* 386.

42 Præfatus dicendi modus nimis mihi diſplicet, vt vnico verbo innuam motivum cunctis in ſe manifeſtum, ſiquidem ſic liberi beati, potuiſſent non eſſe beati, cum potuiſſent non elicere actum illum ſine quo non beatificarentur, quod nimis diſſonare videtur eis, ſicuti & Chriſto Domino.

43 *Nonus dicendi modus* eſt Noſtri Poncij *dp.* 39. *quaſt.* 11. dantis Chriſto potentiam, ſicuti impeccabilitatem. Ait enim, Chriſtum non fuiſſe impeccabilem phyſicè, ſed moraliter, ſicque phyſicè liberum, cum impeccabilitas & ſic impotentia moralis faciendi aliquid non impediat quod quis poſſit peccare & facere illud libere; habentes namque gratiam efficacem ad faciendum aliquid, ſunt moraliter determinati ad illud, & tamen libere faciunt. Quod enim Chriſtus aliam impeccabilitatem quam moralem non habuerit, ſuadet ex eo, apud Maſtrium hinc, quod non poſſit aliquid deſignari, quod determinaret Chriſtum phyſicè ad non peccandum, cum nec viſio nec amor beatificus ad id phyſicè non determinent. Impugnat Poncium Maſtrius, & minus aſpere, quam alibi ſolet, & hinc valeret.

44 Diſplicet Poncius, &, quà Scotiſta, nimis, cum Scotiſtis omnibus decretum manutenentiæ ſit paſſim in Chriſto familiariſſimum, quo poſito, & phyſica impeccabilitas ponenda. Suadetur clarè, quia ambitus decreti manutenentis in eo ſtat, quod phyſicum concurſum Omnipotentis & indifferentis vis ſuſpendat Deus, phyſicèque continuet actum beatificum dumtaxat, ex natura ipſius repellentem odium; igitur cum impotens ſit beatus defectu comprincipij phyſici, vtpote non concurrentis, & etiam ex continuatione phyſici actus beatifici, videtur imperceptibile quod impotens phyſicè non ſit. Deinde, quia revera duriſſimum foret Chriſtum Dominum phyſicè potuiſſe peccare, & quod non aliter impotens ad malum, quam qui graviter tentatus impotens ad bonum.

45 *Dezimus dicendi modus*, antecedenti aliqualiter affinis, conſtituit Chriſti D. impeccabilitatem per ſolam gratiæ efficaciam voluntatem Chriſti ad bonum confirmantem, libertatem vero in intrinſeca indifferentia ad oppoſitum, quam gratia efficax non tollit, quo pacto per intrinſecam indifferentiam ad oppoſitum confirmati in bonum libere adhuc operantur. Pro hac opinione traditur Seraphicus Doctor *in* 3. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 1. Argentina, Marſilius, Almainus, & alij, apud P. Maſtrium hinc *num.* 356. in quem modum dicendi, inquit ibi Maſtrius, confluit Suarez 3. *p. dp.* 37. *ſec.* 3. tenens, quod ſi voluntas Chriſti conſideretur ſecundum ſe, & ſuam intrinſecam diſpoſitionem poterat non acceptare mortem; at ſi conſideretur vt ſubeſt cuſtodiæ divinæ perſonæ, & in ſenſu compoſito, non poterat non acceptare; ſed vt actus dicatur liber, ſufficit, quod quantum eſt ex intrinſeca voluntatis diſpoſitione poſſit fieri, & non fieri, & voluntas poſſit agere, & non agere; qui modus operandi cum ſit intrinſecus voluntati non immutatur per aliquod extrinſecum, qualia ſunt pręceptum, & divina aſſiſtentia, quod confirmat exemplo de confirmatis in gratia.

46 In prędictum dicendi modum confluit etiam Averſa, apud Maſtrium ibidem. Propoſitam deinde opinionem cum quampluribus expoſitionibus in curſu difficultatis adhibitis recitat & impugnat P. Maſtrius, & in aliquibus refert P. Bellutum aliquas ſolutiones impugnantem, prout attendes ſi videas Maſtrium hinc. Inde ergo à quam pluribus in hoc dicendi modo poſitis & intermixtis abſtinebo, & vnum aut aliud verbum circa ſcopum principalem adducere intendam.

47 In primis ergo circa primo poſitum vellem ſcire, quid intelligant pro libertate ſita in intrinſeca indifferentia ad oppoſitum? Vel enim capiunt voluntatem prout nude dicit potentiæ vim, vel prout dicit ornatum habituum quibus prout vult vti poteſt, & Omnipotentiæ indifferentem concurſum, vel

dicit

dicit efficax decretum vt ſolum in confirmatis in gratia, vel dicit quantum voluntas iam Chriſtifera dicere debebat. Si primum intelligant; nil profectò dicunt, quia de voluntate iuxta ſolam ſuam vim & potentiam nulla eſt difficultas, vel quia ſic æquè eſt ad malum, ac ad bonum, quod abeſt in Chriſto, vel quia ſic ſola, nec quidquam eſt nec ad malum, nec ad bonum, cum abſque comprincipijs & divino concurſu in nil exire valeat. Nec quidquam dicent, ſi intelligant ſecundum, quia tametſi habitus ſint superni & iuxta ſupernam lineam Omnipotentię concurſus, cum prout velit poſſit quibuſcunque indifferentibus vti voluntas, nil dabitur in Chriſto prour ſic exprimente voluntatem ex quo non poſſit indifferenter, quidquid poſſit quicunque iuſtus tametſi à gratiæ confirmatione præciſus.

48 Contra tertium ſi intelligant, non levè opponam dilema. Vel enim confirmatus in gratia inſimul cum decreto confirmationis poteſt proximè deficere, vel non poteſt? Si poteſt; igitur Chriſtus proximè potuit peccare, dum Chriſtus non plus habuerit circa peccati præſervationem, quam quod habet efficaci decreto confirmatus. Si non poteſt; hæc eſt eadem difficultas, & eodem labore opus idem; cum exponere debeant quo pacto confirmatus in gratia ſit liber, dum peccare non poſſit, præcepto non poſſit non obedire &c. Et hęc omnia applica ad vltimum indiviſibile mortis inſtans, circa quod liber adhuc, non poteſt deficere infallibile ſuæ bonæ mortis decretum. Quidquid enim (nota ad aliquam evaſionem) circa non poſſe deficere verificari debet de decreto, & verificari debet de poſitis coniunctim ſub illo, & è converſo ſi de coniunctis poſſit poſſe verificari, & de infallibili decreto verificari poterit. Ab initio itaque huius opinionis notare potui, quod prædicti Auctores benè ſatisfacerent à paritate exempli, verum ſic quod penes difficultatem, nullus vſque adhuc invenit fuiſſe imparem paritatis difficultatem.

49 Quartum debent dicere prædicti Auctores, ſi debeant dicere, quod de Chriſto de facto dici debet. Hoc itaque ſic dicto, nemo niſi pluſquam temerè valet aufferre à Chriſto Domino decretum manutenentiæ, vel quod magis, apud ipſos erat, impeccabilitas proxima per vnionem, vel per perſonalitatem Verbi, vel per ipſam eſſentiam, vel per divinam & ſpecialem Verbi directionem, in quo iam non facile ipſi concedent paritatem in effectu non deficiendi cum purè confirmatis, dum in cauſis & medijs præſervativis imparem decernebant in humanitate Chriſti conditionem, ita namque effectus ſicuti cauſarum rationes; ergo.

50 Deinde, quia loquendo de Chriſto Domino, vt alloqui debet, & prædicti Auctores alloqui videntur, fundamentum ipſorum in ipſos militat. Dicebāt namque, quod ſi voluntas Chriſti conſideretur ſecundum ſe, & ſuam intrinſecam diſpoſitionem poterat non acceptare mortem; ſecus autem ſi conſideretur vt ſubeſt cuſtodiæ divinæ, & in ſenſu compoſito; ſed ſic eſt, quod Chriſtifera voluntas vt de facto fuit, ſuberat cuſtodiæ divinæ, nec ſic poterat componi niſi in tali ſenſu, de voluntate ſiquidem ſic compoſita diſputamus meriti conditionem, cum ſic plus meritoria foret, præterquam aliter diviſa nullus maneret ſenſus Chriſtifer, nec decens diſputatio; igitur dum ſic voluntas Chriſti non poſſet non acceptare mortem, circa meriti conditionem cuncta in libertatem reſtauratur difficultas. Deinde, quia ſub illa diſtinctione, S, ſi ſubeſt vel non ſubeſt, ſi in ſenſu compoſito, vel non compoſito, melius vel æquè defenſaretur primus Thomiſtarum dicendi modus, cum poſſet iuxta eos conſiderari etiam iuxta ſuam intrinſecam diſpoſitionem prout in alio ſenſu ab efficaci prędeterminante, vel ſanctificante diviſam.

51 Vlterius quidquam eſt ad hoc proximum libertatis punctum, illud aliud fundamentum, S, quod modus operandi quia intrinſecus eſt, non immutatur per aliquod intrinſecum, qualia ſunt præceptum, & divina aſſiſtentia. Suadetur, quia ille modus operādi licet intrinſecus ſit, vt libere exerceatur, ab intrinſeco petit plura extrinſeca, vt patet in habitibus, in reprę ſentatione mediorum, in concurſu congruo &c. quæ licet revera extrinſeca ſint voluntati iuxta intrinſecam rationem potentiæ, tamen illis indiget vt ſe exerceat iuxta ſuum intrinſecum modum. Deinde, quia ſi prędicta ratio aliquid probaret, probaret voluntatem nunquam poſſe pati violentiam, nec quocunque poſſe impediri ab intrinſeco ſuo operandi modo, quia rigoroſius decretum prædeterminans, ſtrictior ſuſpenſio concurſus indifferentis cauſæ primæ &c. ſic, extrinſeca cum ſint voluntati, ipſius intrinſecum eſſe non immutent. Sed re benè inſpecta, aliud eſt intrinſecum non auferri, & aliud éxercite impediri. Vt enim intrinſecum potentiæ inſit, ſat eſt, quod ſtatus remotus ſubſiſtat, accidit proximus, cum iſte non ſit nudæ potentiæ, ſed & actionis in proximo connotativus; ac autem vt exercitè impediatur, vel proximè expeditiva ſit, plura concernit, quibus, vel ſine

quibus

quibus proximè variari poterit. Aliter,in ſtatu proximo, ipſa penetratione impenetrata quantitas,& impenetratione penetrata qualitas, & ſic de igne babilonico ignefactio,quia intrinſecum ſubſiſtens ſemper &c.ſic.

52 *Vndecimus dicendi modus* eſt Averſæ,qui apud Maſtrium, cum nonnullis vellet occurrere inſtantijs,vlterius reſpondit, præceptum circa Chriſti mortem ſtabilitum fuiſſe ſupra actum externum dumtaxat, ex quo mortis executio pendet,& ſic potuit eum neceſſitate exequendi præceptum externum, libertatem retinere circa actus internos, ſupra quos nullum inſtabat præceptum.

53 Diſplicet omnino prædictus ſolvendi modus, quia revera non videtur vtilis talis operandi diſtinctio perfectiſſimo omnium operanti,ſi enim pati ſit perfectiſſimum, non eſt cur circa internum actum ſit timenda obedientię conſonantia; tum quia ex contrario maior relinqueretur difficultas, & in Chriſto forſam invencibilis, cum interne poſſet non obedire, quod dum ſine imperfectione fieri poſſet, ſummus candor illius obedientiæ ſuſpectus haberetur; tum quia Deus ſic vſque adhuc dedit præcepta, quod primum comprahendat cor, ac proinde ob maiorem perfectionem,ſemper præcepiſſet nedum externe operatum, ſed quoad verbum, & cogitationem, vt patet, præterquam quod Pater ęternus præciperet iuxta rectiorem modum præcipiendi, & nemo rectè ordinans ſic præcipit, quod non velit, quod obediens faciat opus, & inſimul quod velit interius facere illud;tum etiam, quia inſtat maximum illud exemplar pręcepti dilectionis divinæ, à quo internus actus non valet ſeparari.

54 *Duodecimus dicendi modus* eſt plurium Scotiſtarum, quorum noviſſimus reſtaurator eſt P. Maſtrius hinc *num.* 389. qui nomine Subtilium conciliat libertatem cum impeccabilitate in obſervatione cuiuſcunque præcepti ex eo, quod Chriſtus D, ſicut ab ſpeciali privilegio fuit ſimul viator & comprahenſor, ita ſpeciali quodam modo merebatur, quare licet regulariter loquendo in puro viatore requiratur ad merendum in voluntate proxima libertas ad agere & non agere, vt docent Scripturę, Patres, & conſtitutiones Pontificiæ, ſimpliciter tamen & abſolutè loquendo non eſt neceſſaria ad meritum talis proxima libertas, ſed ſufficit remota, qua ratione *in* 3. *d.* 18. inquit Scotus, actum beatificum Michaelis poſſe acceptari à Deo de potentia abſoluta, tanquam meritorium; ad id enim ſufficit, quod ſit actus imputabilis ad laudem, & vituperium; vt vero ſit ita imputabilis, ſufficit, vt ſic ſit in poteſtate agentis, vt excludat neceſſitatem intrinſecam agendi,licet extrinſecam haberet ex negatione divini concurſus parati ad vtrũlibet; ſufficit enim, vt quantum eſt ex intrinſeca voluntatis diſpoſitione poſſit ipſa agere, & non agere, & actus fieri,& non fieri, cum enim hic modus operandi ſit intrinſecus voluntati create, non poteſt immutari per aliquod extrinſecum, ſicut eſt denegatio concurſus parati.

55 Deinde P. Maſtrius vt intentum confirmet, poſtquam ſemper ſtabilit ex meriti conditione requiri libertatem, ita vt ſine ea nec de potentia abſoluta poſſit dari meritorium opus, inquit tamen, quod dominium ſupra ſuos actus retinet creata voluntas etiam cum denegatione concurſus divini parati ad oppoſitum, licet non omnino proximum & expeditum; ergo (infert Maſtrius) retinet adhuc libertatem ad meritum ſufficientem, etiamſi ſuſpenſus ſit Dei concurſus paratus ad præceptorum tranſgreſſionem, ſi alioquin non deſint aliæ conditiones ad meritum requiſitæ, prout in Chriſto non defuerunt. Quod abſolutè loquendo retineat dominium circa ſuos actus creata voluntas etiam proximè impedita, ſuadet Maſtrius exemplo Juriſtarum apud Scotum *in* 4. *d.* 22. *q: vn. art.* 2. quia interdum alicui remanet ius in rem, cui tamen non remanet, vel non competit actio, ob aliquod impedimentum; à ſimili igitur in propoſito poteſt voluntati competere dominium in ſuos actus, etiamſi non competat actio, hoc eſt, expeditus ſuæ libertatis vſus, ob denegationem concurſus parati ad oppoſitum; ſicut ergo in materia civili, ſiquis habeat dominium in rem, etiamſi non habeat actionem, poſſum cum eo contractum inire, & tale ius, vel dominium ab eo emere, cum ius apud Juriſtas pro re prætio ęſtimabili habeatur, ita in materia morali poterit Deus acceptare actum à creatura pro meritorio, in quem ipſa dominium habeat, licet actionem non habeat, S, expeditum libertatis vſum ob defectum parati concurſus. Cum igitur tale dominium in omnes actus præceptos habuiſſet Chriſti voluntas cum intrinſeca contingentia ad vtrumque, & aliàs non defuerit conditio viatoris & paſſibilis, vt deficit in beatis, inde Chriſtus potuit ſic ex privilegio mereri, tametſi iuxta idem beati non poſſint nunc mereri. Hæc pro Scotiſtis P. Maſtrius.

56 Præaddncta Scotiſtarum doctrina, hac vice diſſonans mihi, tametſi fatear, quod id Scotiſtarum, quod Subtilitatis videtur habere,

bere. Inſurgam primo, quia eo pacto quo ſupra Maſtrius circa meritum privilegiabat prę cunctis iuſtis Chriſti libertatem, poſſent Thomiſtæ per phyſicam præmotionem præ cunctis reprobis prædeſtinatorum privilegiare libertatē, vel ſaltim Maſtrius ęquè Chriſti libertatem, ad meritum habiliſſimam, cum phyſico prædeterminante poſſet ex privilegio conſtruere, quia ſicut præ cæteris fuit ex privilegio viator & comprehenſor, ſic &c.

57 Secundo, quia diſcurrendo ſicuti Maſtrius poſſemus Chriſto imputare dualitatem ſuppoſitorum, ac proinde verè dici duo ex privilegio, cum hoc non minus poſſet applicari ad naturam in perſona Verbi ſubſiſtentem cum iure remoto ad propriam, quia, vt ſupra expendebat Maſtrius, ſtatus proximus intra perſonam divinam, non obſtaret contra intrinſecam aptitudinem naturæ, ſicuti nec ſtatus proximus inhabilitatis intra manutenentiam divinam non obſtabat contra remotam, & intrinſecam diſpoſitionem voluntatis creatę.

58 Tertio, quia dum mirabilis foret excellentia pati non patiens, & ad id inſtaret altiſſima congruentia, profectò non erat Chriſto Domino deneganda, cum ex pati, paſſionis finis & redemptio noſtra non infirmaretur; ſed id ſic compatibile inſtat ex iure cum ſummo privilegio, iuxta Maſtrij expoſitionem; ergo. Suadetur minor, quia non minus contradicit formaliſſimè eſſe contingens abſque contingentia, quam pati abſque paſſione; ſed quia voluntas habet ex remoto ius ad eſſe contingens, etiamſi proximè non habeat contingentiam, verè & realiter, interveniente privilegio participat contingens abſque contingentia; igitur cum ex intrinſeca diſpoſitione animæ Chriſti vnitę corpori habuiſſet ius vt glorificaretur, & expenderet impaſſibilitatem, interveniente mirabiliſſimo privilegio, deberemus dare Chriſto, verè & realiter participare patibile abſque paſſione, & ſic eveniſſe.

59 Quarto, & principaliter, dum huius opinionis examinemus fundamenta. In primis ergo videtur libertatis privilegium, omni catere privilegio, quia quominus eſt contingens, & minus libera remanet, maximè in humanis actibus; igitur videtur imperceptibile, quod dum privilegia divina neceſſariſſimè tollant actus primi proximi contingentiam, quod ex remoto potentiæ poſſit in actum ſecundum transfundi, impedito vnico transfuſſionis medio vtpote actu primo.

60 Deinde vellem ſcire, quodnam ſit illud dominium voluntatis circa actus ſuos, dum nunquam circa actus ſuos magis à ſupremo alterius dominio dominata inveniatur? Etenim ſic dominata invenitur, quod in nullo vis maioris dominio poſſit magis experiri dominium; igitur vel Chriſti voluntas tunc coacta, vel nunquam capax coactionis; aliter exponat Maſtrius medium aliquod, per quod vim pati poſſet, nullum ſiquidem medium aufferre poteſt intrinſecum illud potentiæ à Maſtrio derelictum, nam vt intrinſecum illud ab ea aufferatur, ipſa anihilari debet, ac proinde nunquam coacta, cum non poſſit quidquam eſſe violentum abſque iure. Et addo hinc, nec vllo medio poſſe dari caſum in quo timeri valeat in vlla alia voluntate violentia, quia ſi remotum illud ſufficientem libertatem derivet ex præfato iure, nullum medium quod non impediat remotum illud intrinſecum, impedire poterit ſufficientem libertatem. Defectus namque, vel abſentia privilegij, non poteſt tollere quod revera ex ſe habet intrinſecè voluntas, ſicuti nec præſentia privilegij poteſt ponere quod ex ſe debet habere ipſa. Alia enim quæ ſuperne circumſtant voluntatem poteſt ponere privilegium; ſecus autem quod non ponitur, ſi ab ipſa voluntate non ponatur, prout eſt libertas.

61 Igitur nunc damnati blaſphemantes Deum libere blaſphemant, ac proinde nova demerita ampliabunt, vt plus vltra puniantur, dum Deus ſit rectus, & iuſtus iudex, qui non poteſt libera demerita non punire, ſicuti merita non præmiare. Prima pars illationis convincitur ex doctrina, quia ſic blaſphemant, quod ius illud in actum blaſphemiæ ex remoto potentiæ neutræ non deficiat; ſed tale ius ex natura rei ſufficit pro libero; ergo ex natura rei ſufficiet & pro demerito. Suadetur etiam pars ſecunda illationis iuxta iuſtitiæ divinæ rectitudinem, quia dum contrariorum eadem ſit ratio, non minus eſt à Deo ſummè diſtans damnatus, quam ſit ſummè coniūctus Chriſtus, & non minus meretur indignationem ſummum odium, quam dignationem ſummus amor; ſed decuit Chriſtum eo pacto, dum liberum mereri & præmiari; ergo & damnatum dum verè ſic liberum demereri, & puniri.

62 Dices vrgere inſtantiam ſi damnati non ſtetiſſent in termino, ſicuti & ob idem beati, prout Scripturæ, Patres & Concilia dicunt. Fateor inſtantiam meam non involui, prout differto patebit. Verum enim eſt quod ab Scripturis tam Beati, quam damnati in termino decernuntur poſiti, quia dum intelligebatur vtroſque eſſe ad determinatos actus præfinitos ſic, quod iam nō tranſgredi extabat

abſque poſſe tranſgredi,& aliàs ſuſpenſus ſimpliciter concurſus paratus omnipotentiæ ad vtrumlibet,non fuit à Sanctis Patribus imaginabile quod abſque vllo libero, poſſet ibi expendi meritum vel demeritum quod liberi conditionem præſefert. Quod ſequenti expoſitione manifeſtare intendam.

63 Status enim beatificus eſt ſtatus omnium amiciſſimus,ſicuti ſtatus damnificus eſt ſtatus inimiciſſimus omnium. Dum igitur beati in eo ſtatu forēt ſufficienter liberi(idem damnatis è contrario applica) meriti forent exactè capaces, nulla enim conditio requiſita ad meritum deficeret, vt patet, quia mereri non opponitur perfectioni ſummæ vt probavit Chriſtus, deinde non opponitur impaſſibilitati,tum quia etiam ſi Chriſtus Dominus veniſſet impaſſibilis poſſet nos redimire per contemplationis actum , cum vt Scotus inquiebat,potuiſſemus aliter eſſe redempti,tum quia vt Scotus ſubtiliter probat diſtinguens affectionem iuſtitiæ & affectionem commodi, primum obiectum circa quod aliquis meretur primo, eſt ipſe Deus,ſecundum quod affectione iuſtitiæ,vult Deo bonū,vt eſſe,& benè eſſe ſapientē &c. Quo pacto mereri potuerunt Angeli,& tamē ſpiritum,& non patibilē carnem habebant; igitur dum nec ſufficiens libertas deficeret, ex nullo maneret imaginabile , nedum quod mereri poſſint , ſed quod mereri foret congruentiſſimum.

64 Comprobatur,& exponitur,quia licet forent in termino quoad meritum doloroſum , cum huius iſte ſolus ſtatus ſit capax, ſecus autem bonorum omnium aggregatione perfectus , at non forent in termino quoad meritum ſerenum , & glorię compatibilem, quia voluntas quæ ſemper ſufficienter eſt libera,non eſt ſufficienter, & adæquatè in termino,cum poſſe ſufficiens habeat ſupra illum iuxta modum libertatis,quare nunc ſimpliciter ſunt libere in termino , quia præfixus eſt actus, & ſic præoccupata indifferentia , quod vltra præteriri non poſſit;quo pacto etiam ſi Chriſtus per manutenentiam foret in termino,vt nunc beati penes id,at non ex parte inferiori cum prout patibilis adhuc præfixè glorificabilis; igitur dum penes liberi conditionem beati nunc non ſint in termino,non erit cur non mereantur, cęteris omnibus abunde adſtantibus.

65 Confirmatur, quia mereri ſic fœliciter, bonum foret beatis, quin maius , vel melius bonum ; deinde non foret contra rectitudinem iuſtitiæ præmiantis, quia ſublimiora merita elicerent , quam in via elicuerunt, cum magis cognoſcerent Deum , maius ſiquidem quam obſcurum fidei foret illud lumen divinæ bonitatis, & ſic exactior perfectior, & laudabilior foret amor ; deinde foret conformiter ad divinam magnificentiam, quia ſi gloriari valet quia præmiat vltra quod meretur, videtur conſonum quod velit præmiare quod beatus mereri ex natura ſuorum actuum valet, aliter enim non Deus, ſed creatura in merito ſuo gloriari poſſet , quod abſit; deinde, & principaliſſimè, quia ſi ad meritum faciat eſſe amicos, eſſe amicabile illius perfecti & amicabilioris ſtatus non deberet impedire illorum actuum connaturalem remunerationem , vera enim amicitia non retardat nec excludit maiorum bonorum participationem , maximè dum impedimenta non obſtant, quinimò merita ex natura ipſorum vrgentius inſtant; ergo.

66 Quinto diſplicet ex paritate Iuriſtarum ſupra quam præſentem expoſitionem P. Maſtrius fundabat. Si namque ius illud civile ſit ad hæreditatem ſic perpetuo impeditum v. g. Petro , ac contingentia ſeu proxima libertas voluntatis Chriſti , aut beatorum , eſt perpetuo impedita per decretum divinum neceſſariſſimè per totam æternitatem duraturum , ita vt impedimentum auferre impoſſibile ſit, tunc revera ius illud nullum reputabitur , cum à nullo foret prętio æſtimabile, nec quiſquam erit ſic bonorum ſuorum prodigus , quod tale ius vel dominium velit leviori prætio emere, cum fruſtra, nil ęſtimari debeatur , & fruſtra foret quod poſſeſſionem tenebat impoſſibilem. Ius namque vnum aut alium terminum connotare debet, quia evacuata perpetuo ſpes rei quæ deſideratur , & evacuabitur iuris æſtimatio.

67 Deinde reſpondebo Scoto , extra intentum libertatis, Iuriſtarum exemplar adducente, tametſi circa idem hoc punctum reſonare videatur Scotus , prout à P. Maſtrio ſupra adductus. Scotus ergo, *in 4. d. 22. q. 1. à 5. De ſecundo Articulo*, nec vllum relinquit verbum de Chriſti merito,nec de huiuſmodi libero , vt à P. Maſtrio conſtructo , quin ibi inquirit de reviviſcentia meritorum per ablationem impedimenti , peccati ſcilicet , reſolvens ibi merita reviviſci per opera gratioſè innovata,& ad id combinandum adducit præfatum exemplum Iuriſtarum , vt ſic probet quod conſimili impedimento non extinguitur ius in rem , & ipſius dominium &c. Hoc enim , vt de ſe patet, nimis diſtat reſpectu modi libertatis noſtrę , cum perpetuum impedimentum ibi non ſupponat Scotus,ſi namque impedimentum ſit perpetuum , vt eſt in damnatis,in quibus reviviſcentia eſt impoſſibilis,

ſibilis,

ſibilis, ius prȩfatum nullum, & irritum erit, ſicuti & morte æterna reviſcibilis vita. Unde potius doctrina Maſtrij aboletur, ſiquidem Chriſto dabat meritum eo iure ad actum liberum, quo ſimili pacto iam damnatis darur ius ad actum glorioſum.

68 *Vltimus dicendi modus* conciliabat Chriſti Domini libertatem in morte præcepta, non in acceptatione ipſa mortis præceptæ, quia ipſa ſupponitur præcepta, ſed in actu reflexo, quo Chriſtus D, eamdem mortem fuiſſet acceptaturus, etiam ſi præcepta non fuiſſet; ad hunc enim actum reflexum non habebat obligationem, manebar igitur liber ad eum exercendum; idque etiam ſatis erat vt actus exterior informatus tali actu interno denominaretur quoque liber, & meritorius. Et ſi Parer æternus impoſuiſſet etiam voluntati Chriſti præceptum ad faciendum eum actum reflexum, poterat Chriſtus adhuc alium rurſus actum reflexum liberum repetere; & ſi ſemper aliud adiungarur præceptum, ſemper ſupra quodcunque prȩceptum poterat voluntas Chriſti ſicut modo reflectere. Sic diſcurrebat Averſa, apud Maſtrium; dum ob vim ab inſtantijs factam, ad vltimum ſic in ſolutionibus deveniſſet.

69 Contra hunc dicendi modum ait P. Maſtrius, quod id magis ſubtiliter, quam vtilirer dicitur, quia poteſt fingi aliud præceptum negativum, ne voluntas Chriſti alium actum reflexum adijceret; tum, quia neque hic modus ſalvat libertatem in ipſa externa mortis tolerantia, quæ fuit præcipuum opus humanæ redemprionis meritorium, & ſic ad alia iam dicta in hanc opinionem memoriam revocat. Exiſtimo tamen poſſe ab his ſalva reſtaurari opinio prædicta. Et à primo fingendi præceptum negativum de vlteriori reflexione, reſtaurabitur, quia ſic petitione principij prȩcluditur doctrina; ſi nãque eximio ſudore Auctores indagant liberum, illudque in reflexis non præceptis inveniunt, quia tale præceptum non inſtat ex eventu neceſſario, nec ex ſacris dictis, frivolum erit ponere tale præceptum; ſi namque tale præceptum ponatur, reſpondebit Averſa quod tunc libertas adæquatè deperdetur.

70 Deinde ad illud de externa mortis tolerantia reſpondebitur, ita eſſe quod fuerit opus redemptionis meritorium, & ad ipſam principaliſſimum; principaliſſimum tamen iuxta tenorem decreti, & pacti quod more Eccleſiæ voluit Deus ad externa applicare; meritorium vero; iuxta tenorem intentionis, oblationis internæ, & conformitatis voluntariæ, vnde ſicuti ſine his interne Deo conformantibus nil foret externa mors, ſic dum voluntarietas in conformando ſolum daretur in reflexa acceptatione, ab ea eximius mortis externæ valor derivaretur.

71 Nec videtur dubitandum, quod actus ſic reflexi, & conditionati ſint eximij valoris, & ſi non maioris, tanti ad minus ac poſſunt eſſe actus ipſi abſolutè, & directè expedibiles. Suaderi poterat pluribus exemplis, vt illo omnium elevato Auguſtini merito, dum in ſoliloquio conditionabat actum ſupra eventum omnibus modis impoſſibilem, fervidè dicens, Si Deus ego, Domine, Deitatem vltro prȩſtarem tibi, vt ipſe Deus eſſes: Quo etiam pacto Seraph Pater Franciſcus reſolvit *in tom. 3. Oracul. 29.* Quod magis largus in merito donandi poterat eſſe pauper quam dives, etiam ſi dives dediſſet omnia, & pauper nil habens, vellet habere omnia, vt daret; ſic etiam Petrus Apoſtolus reliquit aprȩtiativè omnia, dum parum reliquit, quia multum reliquit qui etiam habendi deſideria reliquit; & ſic circa mortis punctum, millies mori conditionabant non ſine merito Martyres, prout ex Auguſtino accipit Eccleſia in officio communi vnius Martyris recitã.: *Et ſi millies poſſet mori &c.*

72 Et ratio eſt, quia apud divinam acceptationem, cordis deſideria ſunt excellentiora munera, quæ per reflexionis torcular nimis conglutinara limpidius, & delicatius exprimuntur; necnon, quia cum verſentur circa eventus practicè, & revera impoſſibiles, quo ex parte rerum augetur difficultas, eo ipſo ex parte affectus elevatur conatus, & probatur valor, etiam circa impoſſibile propter Deum patiens, & ſic altiſſimè fruens. Igitur Chriſtus D, hoc omnium puriſſimo reflexionis auro cuncta præcepta opera ſublimius deaurare poterat, quin quidquam in aliquo deperderet valoris, cum huiuſmodi actus conditionari ab ipſis deificatis potentijs derivarentur; necnon quilibet actus foret intra propriam lineam ſpecificè diſtinctus, quia actus illi conditionati, vel haberent pro obiecto idem quod haberent actus directi, vel in obiectum haberent ipſos actus directos, quod ſufficeret, vt diſtincte haberentur.

73 Neque obſtabis, ſi dicas, ex hac doctrina deduci Chriſtum D, non meruiſſe per actus directos; obſtaret enim ſi Chriſtus D, non meruiſſet iuxta hanc doctrinam, quidquid mereri poterat iuxta quamcunque, ſed id, nunquam deducetur, quia ſi Chriſtus D, non meruiſſet per actus directos, meruiſſet tamen idem per reflexos, & vt diximus quia camdem virtutis materiam variaret; ſemper

namque meruiſſet infinitè, vel ſummè, actus enim ſivè directi, ſivè reflexi, ſivè abſoluti, ſivè conditionati idem verbi ſuppoſitum concernerent, eaſdem ſupremè informaras potentias, eamdem intenſionem, eaſdem circunſtantias, libertate excepta, eoſdem fines tam vltimos quam non vltimos, deinde æquè acceptabiles apud Deum, vt dicebamus; ergo &c.

74 Contra tamen hunc dicendi modum, vnicam ſentio roboris difficultatem, quam quicunque ſi ſolvat, eum amplecti valebit. Obſtabit ergo, Chriſtum D, fuiſſe indiſpenſabiliter obligatum ad divinæ dilectionis adimplere præceptum; igitur circa hoc non poterat non reflectere, ac proinde eadem difficultas quæ pro directis, & pro reflexis actibus, prout liberis inſtat. Manifeſtatur, quia nunquam poſſumus ſtatuere Chriſtum in ſtatu in quo ſic adimpleat amoris præceptum, quod poſſit proximè non adimplere, indiſpenſabilis enim fuit ſemper divina illa dilectio; igitur cum Chriſtus per actus reflexos ſuppleret directos, ſicuti per directos non debuit ſic amare quod poſſet non amare, nec debuit ſic reflectere amorem, quod potuiſſet non reflectere.

75 Dices, potuiſſe Chriſtum liberum elicere actum ſic: Etiam ſi diligere Deum non fuiſſet præceptum, ipſum diligerem; vel dum hic primus actus reflexus foret neceſſarius, poſſet elicere ſecundum ſupra illum, vel vſque dum perveniret ad actum qui non caderet ſub præcepto, & neceſſariſſimè non foret eliciendus. Bene eſt, cupio enim vt benè ſit. Deveniamus enim ad vltimum ex poſſibiliter efformandis, qui ſtatuitur liber iuxta hunc dicendi modum. Ille vltimus actus non videtur libere efformabilis à Chriſto D, quia ſic libere, ſic efformaretur, quod non efformando, vel potens formare contrarium poſſet peccare, quod repugnat; ergo. Prob. vltima pars; quia contrarius actus eſſe poſſet iſte, ſcilicet ſi poſſem non amare Deum, ſeu dilectionis non adimplere præceptum, non adimplerem, qui actus,execrabilis foret etiam puro & impuro homini; ergo iuxta hanc partem etiam in quocunque reflexo præcludéda eſt libertatis via, Chriſti D, impeccabilitate.

76 Secunda pars, quæ etiam videtur difficilis Chriſto D, ſuavius audietur, cum extremum oppoſitum conſtitutivum libertatis foret omiſſio, vel ſuſpenſio reflexionis, quod ſufficit vt libere exerceatur voluntas. Obſtabit tamen id,quod, S, vel occurreret, vel non occurreret Chriſto formabilitas talis actus reflexi? Si non occurreret, nil eliceret pro adimplendo amore, nec libere, nec neceſſario; præterquam quod non ocurſus mihi difficilimus foret reſpectu Chriſti D, cum ipſius ſcientiæ nil foret ocultum, & omnia vel in verbo vel in ipſis cognoſceret, & maximè illa, quorum cognitio ad ſummam pefectionem movere poſſet ipſum, vtpote ad ſe exercendum in altiori ſphæra divinæ dilectionis. Si occurreret; tunc forſan intimabitur præceptum illud, cum indiſpenſabile ſit ex naturæ rei euicunque libere etiam potenti implere illud, & cum non ſolum ſatisfaciat non odiſſe, ſed poſitivè amare, non poſſet Chriſtus omittere inculpabiliter, & ſic reſtauratur prima difficultas à præcepto & impeccabilitate oppoſita.

77 Quod plus hinc, meo videri, dici poſſet,foret dicere, præceptum illud obligare eo pacto quo ad poſſe illud adimplere quilibet inveniebatur iuxta primam lucem & rationis radium,ac proinde cum ſic Chriſtus D. in primo inſtanti inveniebatur neceſſitatus ad primum actum, directum ſcilicet, qui præire debet ad reflexum,vt patet,poſſet Chriſtus D. adimplere præceptum tunc neceſſario diligendo Deum, ita vt omiſſio liberè poſſibilis præfatæ reflexionis foret vltra præceptum; dum enim præcipiat Deus quod ad primum ictum rationis primo diligendus eſt ſuper omnia, Chriſtus dum ad primum ictum rationis primo ſuper omnia eum diligeret, adimpleret præceptum per actum directum, cum tunc ad inſtantiam primam rationis eum ſolum habere poſſet.

78 Contra id, ſolum inſtat, quod ſtatim proponam, S, quod & ſi actus directus ſufficeret pro adimplendo præcepto, at Chriſtus potens deinceps actum reflexum liberè elicere,per ſuſpenſionem ſcilicet, tunc ſaltim haberet poſſe proximum ad aliquam moralem imperfectionem,vel ad minus ad non ponendam omnem ſibi practicabilem perfectionem, vt erat voluntarie poſſe deficere à divinæ dilectionis exercitio, & à merito, quod ſolum per reflexum ſupponitur poſſe habere. Verum enim ſit,quod ex alia parte ſupponit hęc inſtantia liberum poſſe in Chriſto,cum ſupponat meriti exercitium, & ſic perfectionem, quod non poſſet eſſe,ſi inſimul non ſupponat liberi conditionem ad poſſe mereri per reflexum. Ex quo huic dicendi modo aliqualiter prævenitur favorabilis exitus. Vide, attende, & prout malueris, reſolve.

INSINVATVR RESOLVTIO.

79 Reſolvendum firmiter, Chriſtum D, in

in ſummo gradu meruiſſe, ac proinde ſic, quod vltra malitiam noſtram expenderet in merito ſuo bonitatem. Hanc reſolutionem, vt Catholicorum infallibilẽ amplectendam cenſeo. Modus autem, quo meritum expleverit, mihi ſemper difficilis, nec mirandum cum cuncta divina, & reparationis noſtræ myſteria exuperent omnem ſenſum dum limitato ſpiritu informatum, nemo enim vſque adhuc conſiliarius eius fuit; fallaces, enim humani cordis aſtutias paſſim ignoramus, quomodo Deitatis altiſſima inveſtigare valebimus? Incomprehenſibile, & vſque nunc, leviſſimæ ſtipulæ philoſophicum myſterium, an punctis, an conſtet partibus, quid erunt quæcunque Dei, vbi nil quod ſit leve, nil quod non ſit omnia? Credo in Deum, & in Chriſtum Filium eius vnicum. Nil vltra explicite amplectendum.

80 Verumtamen quidquam inſinuare, vt ſcholaſtice ſatisfaciam non renuam. Vidi, & attente tot gravium Auctorum placita, & cuncta dum veneror ingenioſa, videtur, quod ad præciſum puuctum meriti Chriſti D, in paſſione, & morte poſiti, clarius, & conformius ſatisfacit Scoti expoſitio, ſupra in ſexto modo poſita, (non approbo, diſpenſationem illam fore iuxta Scoti mentem, vel ſaltim ab ea præſcindo) quia præterquam quod eo modo voluntarietatis, ſuavius combinatur liberi conditio, potius etiam ſatisfit difficilioribus Scripturę verbis, vtpote ablatum eſſe quia voluit, & potuiſſe rogare Patrem pro Angelorum turmis, hoſtium ſuorum vim infringentibus &c.

81 Et vt, vno verbo indicem, quo pacto ſatisfacere valeas ad quam plurima Scripturarum ſacrarum verba, exprimentia Chriſtum mortuum poſito præcepto Patris, ſtabis in eo, quod Chriſtus D, voluit ob nimiam Charitatem ſuam voluntariſſimè mori pro nobis, ſic, quod Patri æterno tale deſiderium ſaturandi opprobrijs, ſirmique vehementem dolorum offerret, & repræſentaret, qua oblatione facta, Pater acceptavit, Patris enim requirebatur acceptatio, qua infimul acceptatione poſita decrevit, ſine decreto namque efficax acceptatio, imperceptibilis: quo ſic expleta, ſequitur hic actus, *Accepto paſſionem & mortem tuam, & firmiter volo, quod mihi oblatum adimpleas.* Hoc enim pacto, ſalvabis quæcunque decreta, præceptum, & obedientiam, ea exponens conſequenter, vel concomitanter, ita vt præintelligatur oblatio Chriſti Domini voluntaria. Sic enim obediens fuit vſque ad mortem in quibuslibet, quia circa quęcunque Patri oblata, & ab ipſo iam firmiter volita, & executioni mãdata, volitioni Patris fuit deinceps conſonans, & vſque ad mortem fecit quod iam erat de voluntate Patris.

82 Et ad illum textum, S, *Si poſſibile eſt transeat calix iſte*, reſponde, Chriſti anguſtiam, cuius petebat tranſitum, ſteiiſſe in eo, quod oraret ad Patrem, vt vellet paſſionem ſuam, ſiquidem infinitam, fore efficacem pro omnibus abſolutè, ita vt cuncti efficaciter ſalvarentur, circa quod cum ter oraret, vt fieret, quantum poſſibile erat, noluit Pater conſentire, quia efficaciter nolentibus medicinam, non debebat efficaciter apponi. En nunc expoſitionem, quam ſupra in *ſexto dicendi modo*, non inveniebam, dum tamen textum illum, aliter, ac more ſolito, confuſè perciperem, fore ibi capiendum, maximè, dum clarè obſtarent alij, ſcilicet, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit; & poſſum rogare Patrem meum &c.*

83 Præſens itaque expoſitio, quæ Subtili & Mariano Doctori noſtro literalior & conformior eſt, invenietur in *ſecunda parte Myſticæ Civitatis Dei*, quam ſic retuli, non quia pro nunc reſolvam talem doctrinam V. Mariæ de Agreda fuiſſe revelatam, ei enim, Eccleſia duce, ſic aſſentiam, ſed retuli, & expoſitionẽ vt mihi probatiſſimè defenſandam amplector, prout ſcholaſticè capta, & cõtroverſiarum more, ſatisfacit difficultati, & ſacros textus conciliat, vt Chriſti voluntariſſimæ mortis benignius conformes. Si enim, id benè apprehendas, difficilioribus ſatisfacies.

84 Et circa punctum præcepti divinæ dilectionis, elige vltimo poſitum, pauca enim dum ingenio addas, eo ſatisfacies.

DISTINCTIO VI.

De cauſa finali Adventus Chriſti D. in mundum.

1 Celebris hęc Scotiſtarum, controverſia, ſubtili ſiquidem Magiſtro hincque profectò Mariano, redemptionis valorẽ ingenioſẽ, ſolideque ipſi commentantes, in capite libri excellentiora Myſterij deſcripſerunt, & mirabilium ſuorum, omnium Authori dederunt finem, eique appropinquantes quæ propinquiora ſibi. Circa quæ, quamplurima, vtriuſque opinionis expoſuerunt Authores, quorum id tractavimus, quod quæſtionis aſſumpto proprius habeatur.

(∴)

QUÆSTIO

QVÆSTIO VN.

An Adamo non peccante Verbum incarnaretur.

2 P. Maſtrius vna cum Scotiſtarum doctrina, exactè præſentem quæſtionem tractat, validiſſimis rationibus contrarias fugat, & reſolutiones firmat, & corroborat, prout à diſſerto videri valet *hinc dp.4.q.1.* per quinque ſequentes articulos; qua propter præcipuum quæſtionis intendentes ſcopum, Thomiſtarum rationes retardare, & ſolutiones impugnare dumtaxat conabimur.

ART. I.

Scoti reſolutio propugnatur.

3 Reſolvendum firmiter, quod conſiſtente Adamo in Dei firma obedientia Verbum incarnaretur. Ita Doctores qui in finem primarium ſtatuerunt ipſius myſterij excellentiam, & in ſecundarium redemptionem, prout ſic Alenſis, Albertus Magnus, & cuncti Scotiſtæ apud Maſtrium ſupra in *q.1.*initio. Illuſtratur etiam Scoti doctrina cum ſacra approbatione Beatæ Magdalenæ de Pazzis, quæ ex divina revelatione pluribus in locis ab ipſa deprompta, id ipſum affirmavit. Videatur in libro intitulato: *Divinarum intelligentiarum Beata Maria Magdalena de Pazzis, lib.4. cap.10.num.2.* & deinceps *num.3.* Tum expreſſius *lib.3.cap.18.nu.4. & latè in lib.7. explicat.cap.6.* Illuſtratur etiā Scoti mens per Sāctum Petrum Paſchaſium, Martyrem & Epiſcopum de Jaen *tit.4.fol.30.* vbi ait: *Interrogatio. Si Adamus non peccaſſet, Deus carnem aſſumpſiſſet? Reſpondeo quod ſic, eo ſcilicet vt homo perfectam beatitudinem poſſideret.*

4 Deinde aſſumptum illuſtrant Noſtri, tum ſolidis, & præclaris textibus Scripturæ, tum Sanctorum Patrum expoſitionibus, prout Maſtrius exactè adaptat, maximè ab *art.1.* illis ibi, non inſipide poſitis, ſufficiant mihi verba Seraphici P. N. Franciſci, qui *in cap. 23. de Orat.* ad Deum ſic ait: *Propter temetipſum gratias agimus tibi, quod per ſanctam voluntatem tuam, & vnicum Filium tuum creaſti omnia ſpiritualia, & corporalia, & nos ad imaginem & ſimilitudinem tuam factos in Paradiſo poſuiſti, & per culpam noſtram cecidimus.* Ubi Seraph Pater ſatis conformat cum communiter à nobis dictis, videlicet, cuncta viſibilia & inviſibilia, naturalia & ſuperna, creata fore ſub Filio tanquam primogenito ſubalterna, vnica voluntate Dei ob ipſum ſic diſponente, quin aliud quod ſic movere poſſet Seraph Pater attendiſſet, quin tunc ad ſummum, invenire in nobis imaginem ſuam, qua iam eramus gratioſi priuſquam per culpam noſtram cecidiſſemus.

5 Deinde Scoto ſuadetur, & præcipue formando rationes ex his quæ adducit *in 3. diſt.7.q.3. §. Omnes autem auctoritates*, vbi compendioſè relinquit nōnullas ſubtilis roboris. Suadet primo Scotus, quia licet redemptio nōn fuiſſet facienda, niſi homo peccaſſet, ſed tamen non ſolum propter iſtam cauſam, ſcilicet, reparandi, videtur Deus prædeſtinaviſſe animam Chriſti ad tantam gloriam, nam nec redemptio, nec gloria animæ redimendæ erat tantum bonum, quantum erat illa gloria animæ Chriſti; igitur tantum bonum abundabat in ipſa gloria animæ Chriſti ſecundum ſe, & à reparatione præciſa, quod iuxta congruentius ſpectatum in ordine rectæ rationis, & excellentioris bonitatis ibi ante culpam abundaret & vigeret motivum.

6 Secundo ſuadet Scotus alia ratione, qua præoccupatur contrariorum expoſitio. Suadet, quia ſi iuxta perfectiſſimum Dei modum theologizare debeamus, non eſt veriſimile, quod tam ſummum bonum ac Incarnatum ſit in entibus tantum occaſionatū, & ſic propter minus bonum; ergo potius propter ſemetipſum, vt aiebat Seraph Pater, fuit etiam tantum myſterium. Congruit ratio, nam ſic conſonaret quibuſcunque maximis & primis principijs, tum iuxta illud, *propter quod vnumquodque eſt tale &c.* tum, quia prima principia vbicunque ex eo ſunt cæteris nobiliora, & perfectiora, quia ex ipſis omnia, ſecus autem ex alijs ipſa &c. tum, quia, vt paſſim Ariſtotele Scotus, in quibuslibet oportet deſignare vnum quod irreducibile ſit, in quo ſiſtamus, & vltra quem aſcendere non poſſimus &c.

7 Tertio ſuadet Scotus (ſemper in eodem §.) quia certum eſt Deum præordinaſſe Adamum ante peccatum ad gloriam, præordinavit ſiquidem eum ad gratiam, & non eſt rationabile, quod ordinatè volens vel ordinaſſet prius medium, quam finem, vtpote prius gratiam quam gloriam, vel quod medium abſque fine præordinaſſet, maximè reſpectu finis revera conſequendi à ſubiecto vtpote ab Adamo; ſed non eſt veriſimile, Deum prius præordinaſſe Adamum ad tantum bonum,

num, quam Chriſtum; ergo nec erit veriſimile quod Adamus etiã innocens fuerit prius decretus & revera glorificandus, quam Chriſtus.

8 Quarto ex eodem aſſumpto ſuadet ibidem ab inconvenienti Scotus, quia ex contraria præordinatione ſequeretur abſurdius, videlicet, quod Deus prædeſtinando Adam ad gloriam, prius prævidiſſet ipſum caſurum in peccatum, quam prædeſtinaſſet Chriſtum ad gloriam. Patet illatio, quia ſi prędeſtinatio animæ Chriſti tantum eſſet pro redemptione aliorum, dum redemptio ſupponat peccatum, peccatum prius foret prævisum, quam Chriſti ad gloriam præordinatio. Quod ſic, ſequeretur abſurdius, ſuadetur, & Scoti dicta confirmantur.

9 Suadetur, & dicta confirmantur. Suadetur, quia abſurdum videretur, quod prius foret malum reſpectu attentionis divinæ, quam bonum, imo & prius ſummo & excellentiori bono; ergo. Suadetur anteced. quia abſurdum videretur, quod prius Adam prævideretur membrum Diaboli, quam membrum Chriſti, (ſuos captivos redimens, cabnit Eccleſia, ac proinde omnes, quos redemit, ſui iam erant) ac proinde quod prius Diabolus prævideretur caput malitiæ, quam Chriſtus caput totius bonitatis; ergo. Suadetur etiam, quia abſurdum videretur, quod Princeps glorię non foret pręordinatus priuſquam cuncti inferiores; ergo. Neque nunc ſatisfaciet Gonet, ſi dicat Adami gratiam ante lapſum non habuiſſe correſpondentiam in gloria (de hoc infra forſan): Non ſatisfacit, quia Chriſtus etiam fuit Princeps gratię, ſicuti omnis poteſtatis & principatus; igitur æquè abſurdaret quod aliquis inferior prius Chriſto præordinatus foret ad gratiam. Suadetur totum, quia ſicuti Chriſtus fuit propter Deum, cuncta viſibilia & inviſibilia fuerunt propter Chriſtum, & id videtur decens & conſonum, tum quia ſi ſit motivum vt Chriſtus ſit propter eminentem Deum, conſimile proportionatè non deficit vt cuncta creata ſint propter eminentem Chriſtum; ergo abſurdat quod quidquam Chriſto ſit prius pręordinatum, ſicuti abſurdat quod aliquid ſit præordinatum prius illo propter quod eſt.

10 Confirmãtur nunc Scoti dicta, & principaliter ſuadetur, aptius capiendũ pro Chriſti adventu Adamũ ante culpam, quã poſt deperditã gratiã. Suadetur, quia Deus noſter iuſtus, & rationalis eſt, ac proinde ea voluiſſe debemus intelligere quæ nobis iuxta rectam rationem melius occurrant, maximè dum Scripturæ Sacræ per contrariam expreſſionem non obligent ad captivandum mentem noſtram in aſſenſum illius quod impenetrari à nobis credere debemus; igitur ſi melius iuxta rectam rationem occurrat Chriſti adventus ante prævisionem culpę, quam poſt amiſſionem gratię; & aliàs Scripturæ non opponantur, id Deum voluiſſe, exiſtimare, erit rationabilius. Quod Scripturæ non opponantur adventui, eſt probatiſſimum, quia præterquam quod, ſi ingenue loquar, aliqua loca ſint menti Scoticæ familiariſſima, illa quæ contrariari videntur ſuavem tenent interpretationem, & quin redemptionis opus abnicatur, nec Chriſtus obſcuretur, quin potius eluceſcat amplius, prout paſſim Noſtri, & forſan infra nos in ſolutione oppoſitorum. Quod etiam ſic ſit melius iuxta rectam rationem ſatis facile occurrit, quia ſi Adamus abſque merito induxit ad tantum vniverſi bonum, potius vel ęquè cum merito induxiſſet; ac proinde ſic, quod foret iſt premium vincentis viſitatio, & adventus qui fuit in remedium devicti.

11 Confirmantur, quia non eſt Deus noſter ſicuti cæteri dij, vt dum culpa fuit felix, foret infelix, vel minus felix meritum & gratia. Nec debet pro favore eſſe amicus peioris conditionis ac inimicus; nec natura fœdata amabilior, & honoratior, quam pura; nec mundus peſtifer, ac ſalubris Paradiſus. Deinde ſi id nil faveat, ſed potius intento noceat, rectè, quod abſit, theologizarent dicentes Chriſtum veniſſe ſub Matre non pura, ſed maculata, ac proinde ex combinatione ad redemptionis ſcopum, conſonare potius aſſumere carnem, quam vnionis viſitatione & gratiarum adventu purificaret, & ſic etiam foret potius in carnis aſſumptæ remedium. Igitur ſi inter tot mulieres, illa quę quia benedicta, fuit potius viſitata, non videtur ex quo inter tot ſtatus non foret potius viſitatus ille qui omnium erat benedictiſſimus. Et hinc addo, quod illius feliciſſimi, & innocentiſſimi ſtatus fuit particeps Beata Virgo Maria, ita vt haberet ius ad illum, vt tot Sancti & Docti narrant; igitur debuit intra ambitum illius præordinati ſtatus contineri pręfinita Beata Mater & intacta Virgo, tametſi quoad aliquas anxietates aliud ex diſpenſatione evenerit; ſed mihi certiſſimum, quod propter ſolum talem illius ſtatus hæredem veniſſet Unigenitus ipſius; ergo.

12 Confirmantur etiam validiſſimis exemplaribus, inter quæ ſumo ſtatum Patriæ, qui valde conformis extat Paradiſo, vt ſæpe Eccleſia, & eius Patres teſtantur, & facilime adeſt combinabilis; ſed ad ſtatum felicem

Patrię

Patriæ mittit puros homines, vt eum videant; igitur ad ſtatum Paradiſi, vt oſtenderetur eis, ipſe veniret. Idque congruentius deducitur, cum ſtatus innocens foret eximiæ durationis, ac proinde ne eacitaretur violentia Chriſti viſitatio oporteret. Sumam in aliud exemplar Sacramentum omnium maximum, & tam glorię, quam Myſterij Incarnationis mirabilis ſcopus, ſicuti & fructus innocentis ſtatus ſymbolum adęquatum, vt diſſetto lectoſi facile patebit; ſed Æuchariſtiæ Sacramentum non poſuit nec in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & innocentiæ; necnon tale Sacramentum non ſtatuit pro captivitatis ſtatu, neque pro mortuis, ibi potins perſeverans, & ſub hoſtia immaculata ſubſtantialiter conſiſtens, de per ſe ſtatum gratię eligens vt viſitet, & de vivis Sacramentis eligens ad tam excellens opus, ſecus autem eligens de mortuorum Sacramentis; ergo à ſimili.

13 Nec negamus, quod cætera Sacramenta non fuiſſent nimis electa à Deo, necnon quod in eis manifeſtentur opera Dei, id enim vt fide ſancitum fatemur; theologizamus vero, quod adæquatum Scoticæ controverſiæ aſſumptum congruentiſſima diſtinctione eviſceratur, ſiquidem ſic Author Sacramentorum ea inſtituit, quod inſtitueret Sacramenta in remedium, & mortui hominis reſurrectionem, ſicque pro captivis vt redemptio, & inſimul inſtituit Sacramenta pro vivis, è quibus vt excellentius elegit Æuchariſticum, quod captivitatem & mortem non requirit, ſed innocentis ſtatum, vtpote quod inſtituerer, vel ſine contradictione ſtatus innocentiæ inſtituere poſſet, vt graves Doctores reſolvunt. Hoc ergo ſic elegit, & licet per cuncta Sacramenta manifeſtentur opera Dei, per Æuchariſticum tamen excellentius mirabilium operum expenditur memoria, & non aliunde, niſi ex circunſtantijs quibus conſonat ſtatu glorioſo, & Myſterio Incarnationis inſpecto ſecundum ſubſtantiam, & ipſius excellentiam.

14 Confirmantur vlterius dicta, quia cuncta opera rectè proportionata, & maximè Dei in nullo deficiunt, quin plenam inter ſe debent retinere conſonantiam. Nunc ſic, vt Deus ſe nobis communicaret, & ſua opera manifeſtaret, elegit excellentius individuum ſecundum ſe, excellentiorem pro tali individuo Matrem, elevatiorem vnionem, &c. ſic; ex quo ergo non haberet excellentiorem finem, & motivum ſic elevatum, quod foret ſibimet intimius? Hinc profecto, quod vulgariter dicitur, ſpecialiter dicendum, ſcilicet, finis coronat opus.

15 Et deinceps ratio confirmata confirmans ſiſtit in eo, quod ipſa excellentia Myſterij valeat ſumi in motivum exactum decernendi Incarnationem; igitur cum excellentia Myſterij ſecundum ſe ſit tranſcendens ſtatus ad modum perfectionum ſimpliciter ſimplicium, non eſt cur potius ſit decernenda pro vno, quam pro alio, maximè dum æquè ab Scotiſtis adducantur Scripturarum cõbinationes, vt patet apud Maſtrium, & præpolitiores.

16 Dices cum Gonet, quod licet manifeſtatio divinorum attributorum, excellentia Myſterij &c ſic, eſſent ex ſe ſufficientia; vt quodlibet eorum poſſet eſſe motivum totale Incarnationis, non fuerunt tamen motivum totale, ſed partiale, quatenus Deus non intendit manifeſtationẽ ſuorum attributorum per manifeſtationem excellentiæ Incarnationis, & aliorum bonorum, niſi in ordine ad reparationem naturæ humanæ, vt ſummum quo nos proſequitur amore ſæculis ſupervenientibus manifeſtaret.

17 Contra, & in primis, eſto teneat excellentiam eſſe habilem pro totali motivo Incarnationis, inſtant hucvſque dicta de perfectioti conditione ſtatus, vt exiſtimetur potius allicuiſſe Deum ad decernendum, maximè cum digniores forẽt innocẽtes, vt erga eos ſuum oſtentaret amorem, vt Gonet in eo ſiſtebat. Circa quod hoc adaptabo dilema: vel ſtatus innocens erat dignus tanti amoris incarnati, vel non? Si dignus erat, dum aliàs aderat exactum motivum pro amore incarnato intra ipſius excellentiam, liberè negabitur tali ſtatui Incarnatio, maximè reſpectu Dei habentis ex ſe bonitatem diffuſſivam. Si non erat dignus; igitur dum venit vlterius in ſtatum non dignum propter nos indignos homines, & veniret propter illos.

18 Contra deinde, quia non poteſt negari quod maius & elevatius ſit motivum in Myſterio ſecundum ſe, quam ſecundũ nos, & ſic in ordine ad reparationẽ humanã; ſed quia tale aderat motivũ in ordine ad reparationem humanã, eo motivo decernere voluiſſe ſtatuimus; igitur cũ ſecundũ ſe, & in ordine ad excellentiam Myſterij, nedũ adæquatè ſufficiat motivum, quin maius, & elevatius ſit, ſi rationabiliter & proportionatè theologizare debeamus, veniſſe ex eo ſtatuere debemus.

19 Contra 3. quia revera, apud Scotiſtas, non evacuatur motivum, ſeu finis veniendi in ordine ad reparationem humanam; Scotiſtæ namque factum affirmãtes iuxta Scripturam, quod iuxta excellentius fieri conformat affirmant & iuxta rationem.

Dices,

20 Dices, quod dum tam in promptu decernenda erat Incarnatio ob reparationem noſtram, otioſum videbatur eam decernere paulo ante illam, ſiquidem ſtatus ante culpam non erat confirmandus. Contra, quia ſic, etiam aboleretur motivum creandi Paradiſum, & Adamum vt operaretur & cuſtodiret illum, cum per paucas horas ſtetiſſe ſit apud Scripturarios probabilius. Vnde ex prædicta reſponſione potius fulcitur, quam infringatur Scoticum aſſumptum, ſiquidem Deus habuit motivum, vt crearet Paradiſum, & terram aliam ab eius perfectione, quin otioſum foret ponere nunc hominem in Paradiſo, & ſtatim eum repellere; igitur ſicuti vnus homo fuit electus ſub duplici diſtanti circunſtantia, etiam & myſterioſior homo, vt vtrumque ſtatum ambiret &c. Sic enim Adamus foret, quaſi vnus ex illis, foret ſiquidem penes ſtatuum circunſtantias, quaſi Verbum Incarnatum, & deinceps paſſibile. His ita veniamus nunc ad alia quæ reſpondebunt ad Scoti rationes ab initio poſitas, maximè ad tertiam, & quartam.

21 Dicent ergo, quę ad conſimile Gonet *hinc dp.* 5. §. 4. vbi reſpondendo, vt ſalvet gratiam in ſtatu innocentiæ datam Adamo, non fuiſſe à prædeſtinatione derivatam, & ſic neque à Chriſto ante culpam decreto, ait, quod illi gratiæ nullus nunc correſpondet gradus gloriæ, quin fuit per peccatum extincta, & incapax reviviſcendi per pænitentiam. Per hanc enim reviviſcunt opera mortificata, quia noſtro principio vitali deperdito, ſemper manet aliud vitæ ſuperne principium, quod eſt Chriſti D, meritum. Sed contra id fateor quidquam difficilimum iuxta rectum & rationalem Dei operandi modum. Difficilimum eſt profectò, quod Deus ordinatiſſimè volens, voluiſſet vage, & ſine ordine ad finem medium quod ex natura rei, & ex voluntate Dei, non eſt pro altero fine medium, vt erat gratia. Deinde deduceretur, poſſe dari practicam etiam in Deo voluntatem, quæ reſpectu rationaliter operantis vt Adam, nec foret finis, nec medij.

22 Et vlterius, quia dum ſummè miſericors Deus præmiat vltra id quod mereri poſſemus, vno ſiquidem gradu gloriæ abunde meritis noſtris compenſatis, glorificat in æternum, daretur meritum, quod dum revera tale pręfuiſſet, abſque præmio remaneret. Tum, quia Deus verè & copioſè eduxit Adamum à delicto ſuo, & poſitum in captivitate exactiſſimè redemit; igitur dum ſic mira & copioſior omnium imaginabilium fuerit redemptio, decebat nedum captivum Adamum, ſed merita captivata cum eo reſtaurare, eo pacto quo exactius redimeret ille, qui aliquem ex captivitate inſimul cum captivatis bonis ad felicem ſtatum reſtitueret.

23 Deinde ad conſimile ex Scoti ratione formatum (ſic formabatur Scoti ratio, S, quod Chriſtus fuit volitus, & prędeſtinatus ante pręſcientiam peccati hominum, ergo vi talis decreti veniſſet, tametſi nullus homo peccaſſet) dicunt Thomiſtæ, quod tametſi in intentione Chriſtus decretus prędeſtinatus fuiſſet ante culpam, & ſic antecedenter ad redemptionem, voluit tamen Deus tale intentum exequi non alio medio quam permiſione peccati, ſicque ſi homo non peccaret, non veniret. Neque id obſtat, inquit Gonet pro alijs ab eo tacite citatis, vt patet in decreto dandi gloriam electis, quod licet intentioné antecedat merita, tamen quia Deus non aliter ſtatuit voluntatem illam adimplere, verum eſt dicere, quod abſque bonis operibus nullus ſalvabitur. His addit conſimilia, quæ ad hunc relata principaliter reducuntur, & quæ cum pluribus alijs pro Thomiſtico adhibitis, exactè infringuntur à Noſtris, prout apud Maſtrium patebit.

24 Sed neque hæc ſolutio enervat Scoti rationem, quin potius illuſtrabitur. Dum enim efficaciter foret Verbi Incarnatio decreta, non videtur conſonum perfectiſſimè volenti & decernanti Chriſtum ſic remanſurum intra intentionem efficacem duntaxat, incarnandum enim foret ſub vno, aut altero modo, & ſic venturum iam decebat ſub vno vel alio ſtatu; igitur & ſi fatear, quod deinceps his vel illis circunſtantijs prævifis congrueret exequi adventum ſub ſtatu paſſibilitatis, dum venire foret iam efficaciter decretum, ſi ſtatus poſſibilitatis non foret permiſſus, ſub ſtatu impaſſibilitatis, & innocentiæ venire foret conſonantius. Quod efficax foret divina veniendi reſolutio, patet, quia tunc & in priori intentionis efficacis nulla relucebat conditio, maximè peccati, vt poſſet Deus ſic decernere conditionatè, quod venire vel non venire connotaret eam, vtpote, ſi deficiat vel non deficiat Adamus. Deinde ex efficaci & abſoluto veniendi decreto, infallibilitas veniendi deducitur; tum quia in hoc videtur maximè ſecerni intentionem efficacem & abſolutam ab inefficaci conditionata; tum quia revera, quæcunque efficaciter & infallibilius executa nunc & ſemper, non habuerunt maiorem vim in intentione, quam Verbi intenta Incarnatio; ergo ſicut vi intentionum efficaci eorum congruit ipſorum executio, & vi æqualis huius congrueret.

25 Dices ſtatim, quod ſic theologizantes,

R

tes, inſtabunt ſemper à paritate ab eis adducta. Semel namque efficaciter decreta gloria pro electis, electi venire deberent, necnon danda erat eis gloria ſivè cum meritis, ſivè cum illis, ac proinde ſtatus ille merendi deberet aufferri, caſu quo Adamus non deficeret, quin etiam abſque meritis poſſe Deum dare gloriam, imo & debere, ſub ſtatu ſub quo dumtaxat exiſtere poſſent ipſi.

26 Nil, vt dicebam, enervat paritas, quin potius ab ea Scoticum intentum roboratur. Suadetur ab ipſorum paritate, quia quod ſemel electis danda foret gloria, non ſuadet ſtatum laborioſum, & pœnale, ſiquidem electi forent electi abſque ſtatu pœnali & valle lachrymoſa, quo pacto ex pluribus Patribus docent plures, quod Adamo non peccante, venirent ſub illo ſtatu omnes qui fuerunt ad gloriam electi; igitur ſicuti & ſi nunc detur eis gloria per merita laborioſa, & pœnalia, non mutata priori intentione congrueret dare eiſdem ſubiectis gloriam per merita glorioſa, ſuavia, &c. ſub ſtatus impaſſibilitate, conſimiliter congrueret ſemel electa Incarnatione, tametſi eadem nunc ſub paſſibilitatis & medicinę ſtatu ſit executa, eam exequi ſub impaſſibili & glorioſo.

27 Confirmatur etiam de facto intentum, quia ſemel efficaciter intenta gloria pro illis, pro quibus eſt intenta, pro nullo fruſtratur, quare ſivè exequatur per merita propria, ſivè non, tamen ſemel efficaciter intenta, vno aut altero modo exequenda eſt, vt exequitur, prout patet in parvulis quibus abſque meritis proprijs gloria exhibetur, ac proinde ſic, quod tametſi exequi merito proprio, & merito proprio non exequi ſint diverſæ circunſtantiæ ſtatus, infallibile manet ſemel decreta gloria, quod ſub vno vel ſub alio ſtatu exequenda ſit efficax intentio, necnon quod id quod exequitur ſub vno ſtatu per merita propria, tali ſtatu deficienti & non dato, exequeretur ſub alio ſtatu abſque proprijs meritis; ergo à ſimili cunctum quæſitum theologizari vide, nedum circa gloriam executam per agones & pœnas, ſed circa Verbi Incarnationem ſub paſſibili, vel impaſſibili carne, & eiuſdem adventu ſub glorificatione, vel reparatione, ita vt executum his circunſtantijs & ſub vno ſtatu, congrueret & infallibiliter exequeretur alijs circunſtantijs & ſub alio ſtatu ſemel efficaciter intento adventu &c. Foret enim verum dicere hic numero Chriſtus qui venit patibilis, veniret glorioſus, ſicuti foret verum dicere, hic numero homo qui laboribus it ad gloriam, ſub antecedenti ſtatu abſque vllis iret ad eam &c.

28 Gonet, poſtquam prædictam expoſitionem propoſuit, & approbavit, aliam vt ſelectiorem adhibet ſatis diffuſé, vt videri poteſt in §. 6. Diſtinguit enim duplicem rationem finis, S, finem *Qui, ſiu cuius gratia*, v.g. reſpectu medici deſiderantis ſanitatem, ſanitas eſt finis *qui*, ſeu cuius gratia; alia ratio finis eſt finis *Cui*, v.g. æger, cui ſanitas deſideratur. Unde ait, quod dum dicitur, quod Chriſtus prius fuit volitus, quam omnia alia ſivè ordinis naturalis, ſivè ſuperui, & prius ipſa permiſione peccati &c. id capiendum eſſe de Chriſto, loquendo de fine *qui*, & cuius gratia, quia indeceret quod ſic cuncta non forent propter ipſum; at autem loquendo de fine *cui*, prius eſſe, inquit, genus humanum vt redimendum, peccati permiſionem &c. & ſic in hac formalitate cauſæ, Chriſti prædeſtinationem dependere à genere humano, vt redimendo, tametſi in alio genere & formalitate finis, prior ſit genere humano prædeſtinatio Chriſti: eo pacto quo in exemplo medici deſiderantis ſanitatem infirmo, ipſa enim ſanitas eſt prior infirmo in ratione finis *qui*, ſeu cuius gratia, infirmus vero cui ſanitas deſideratur eſt prior in eodem genere cauſæ finalis, in ratione finis *cui*. Quibus plura immiſcet expoſitivè Gonet, quæ revera difficilem, & confuſam habent combinationem, quare breviter expediar. Vide Maſtrium.

29 Et quidquid ſit de hoc, P. Gonet ſatisfacit petendo principium; inquit enim quod decreto Chriſto vt Redemptore, non obſtat quod redemptio ſit finis *qui*, & homo redimendus finis *cui*, quod revera concedemus; at aliter obſtabat Scoticum argumentum, ſiquidem difficultas ſiſtebat in eo quod nullo modo præviſo peccato, nec ſubiecto cui applicanda foret redemptionis ſanitas, dabatur, intra ipſam excellentiam puræ ſubſtantiæ divinitus incarnatæ, exactum motivum vt Chriſtus veniret, & vt prout glorificator foret efficaciter intentus, prior ad omnem peccati notitiam. Quæ, vt melius pateant, ſequenti diſcurſu breviter expendentur.

30 Dum igitur Deus electos ad gloriam in intentione habuit, prius debuit decernere gloriam quam merita laborioſa, necnon priuſquam gloriam debuit decernere ſubiectorum exiſtentiam, illud enim proloquium, S, quæ priora ſunt in executione, poſteriora fuerunt in intentione, & è converſo, capiendum eſt de illis quæ ſe concauſant, vtpote finis & media, ſecus autem de ſubiectis & agentibus ſubſtantivis. Igitur ſi iuxta rationalem, & proportionatum modum Altiſſimi prôvidétis diſcut-

diſcurrere debeamus, conſimiliter diſcurrere debemus de Chriſto, maximè dum nil recti. & glorioſi ordinis, ſic, obſcuretur in eo. Igitur ſi priuſquam media decernere debuit finem, & priuſquam paſſionem decernere debuit gloriam; & adhuc alio gratis dato Gonet, priuſquam media debuit decernere ſubiectum, vtpote Chriſtum; igitur quin tunc genus humanum poſſet eſſe finis *cui* viciſſim. Suadetur, quia quod non intelligitur ſecundum ſe, non valet intelligi vt ſubiectum cui aliquid intelligatur; ſed in eo priori in quo nedum ſolus finis intelligitur, quin & Chriſtus purè in intentione etiam citra exiſtere intelligitur, genus humanum, vt redimendum ſecundum ſe non intelligitur, quia vt redimendum ſpectat ad claſem mediorum; ergo nec intelligetur ſic, quod poſſit eſſe ſubiectum, cui Chriſtus in intentione intelligatur. Deinde applica hinc, quæ dicta manent ſupra vt congrueret Chriſti pręordinatio ante peccaminoſi ſtatus præſcientiam.

PRINCIPALIORA SOLVUNTVR.

31 Contra ſubtilem, & firmam reſolutionęm Scoti, quam plurimis in contrarium Angelica, & doctiſſima Schola inſurgit, quorum recitabo, quæ P. Gonet adaptat, cum cęterorum noſter Maſtrius abunde meminerit, & ſatisfaciat.

32 Objicitur ergo in primis apud Gonet ratio D. Thomæ, S, quod Incarnatio cum naturę debitum excellat, non niſi per revelationem, Concilia, & Patres valet cognoſci; ſed horum dicta exprimunt duntaxat factum ob remedium generis humani; ergo liberè dicitur quod ex vi actualis decreti aliter veniſſet Chriſtus.

33 Deinde prædictam rationem confirmat tam Scripturę textibus, quam Sanctorum Patrum dictis: vbi noto hanc diſtinctionem, quod ſcilicet nonnulla dicta habent hoc quod eſt exprimere Chriſtum veniſſe ob remedium, quin vero negent veniſſe ob aliud motivum, ſed penes illud præciſivè haberi; & vſque adhuc ſic ſemper inveni ſacrę Scripturæ dicta; nonnulla vero dicta arctius habentur, cum exprimere videantur, nedum Chriſtum veniſſe ob peccati remedium, quin etiam peccato non interveniente non venturum; & hoc modo aliqui ſanctorum Patrum ſunt duntaxat, qui ſic loquuntur. Pro dictis Scripturæ ſume normam in eo Luc. 19. & Matt. 18. *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat. Et* 1. ad Timoth. *Fidelis ſermo, & omni acceptatione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* Et Luc. 5. *Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent, non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.*

34 Pro dictis vero Patrum & ſacrorum Interpretum, ſume normam in illo Irenæi lib. 5. adverſus hæres. cap. 14. dicentis, *Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet.* Et illud Athanaſ. contra Arrianos orat. 3. *Quod autem Filius Dei homo factus eſt, nunquam accidiſſet, niſi hominum neceſſitas cauſam prebuiſſet.* Et illud Gloſſæ exponentis 1. ad Timoth. *Nulla fuit cauſa Chriſtum veniendi, niſi peccatores ſalvos facere; tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt medicina cauſa.*

35 Quibus deindę dictis, ſic diſtinctè propoſitis, etiam pro cauſali adæquante Incarnationis intentum recitabo normam aliorum, quibus cauſalem & totalem ſpeciem motivi & finis ſuadent contrarij, v.g. illud Nicæni in ſymbolo fidei, vbi de Chriſti adventu dicitur, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis.* Hęc ſunt, ad quæ, quæcunque in contrarium adhibita, vndequaque reducuntur.

36 Reſpondent Noſtri apud Gonet, & inprimis dicentes ad rationem D. Thomę, ſcripturas & Patres aſſignare in rationem Chriſti adventus, reparationem noſtram, ſed inde non ſequi, eam rationem eſſe ſolam, neque ex authoritate negativa aliquid concludi. Inſtat Gonet, quod de illis, quæ à ſola Dei voluntate pendent, dum alia non adſit notitia quam Scripturæ, vt alia non ſit ratio, ſat erit aliam non dare Scripturam & Patres. Tum, inquit, ſat eſſe auctoritatem negativam, vt patet in Verbo incarnato, cuius & non Patris credimus Incarnationem, quia Scriptura ſolum de Incarnatione ſecundæ perſonę facit mentionem. Sic, quia ſolum tres perſonas in Deo nominat, nunquam quatuor, ſed tres tantum credimus.

37 Sed vſque adhuc ſatis facile reſponderent prætaciti Scotiſtæ. Non enim debet cenſeri extra voluntatem Dei, quidquid expreſe ab eo non manifeſtatur, vt patet in quam pluribus Chriſti eventibus, quorum notitia nec intra totum vniverſum evacuaretur; quin debent cenſeri intra divinam volitionem, ea omnia, quæ dum expreſè dictis pręclaram habent combinationem, per ſemetipſa narrant divinam operationem, potius manifeſtant Dei attributa, & cędunt intra idem & in ſubſtantia invariatum opus, in excellentiorem finem &c. prout ſatis exprimitur per Incarnati Myſterium. Nil enim in tali modo & caſu obſtat revelationis expreſio, quia ſi inumera-

bilia Chriſti opera dum facta tacentur, minus mirandum quod, quæ fierent taceantur. Sed id non prohibet, ſacros Interpretes plura exponere & augere, ita vt ex vno facto reſolvant quod fieret, vt patet apud plures Patres plura reſolventes de Adamo caſu quo perſeveraret in Paradiſo tam circa alimentum, vitam, tranſlationem &c. Necnon Scholaſticè de alijs Myſterijs, vt ſi Pater æternus non foret innaſcibilis nil prohiberet generare Filium, ſi Omnipotentia eſſet in vna perſona creaturas ſimiliter produceret &c. ſic. cum tamen improbè reſolverent hæc & quam plurima, ſi revelationis notitia deficeret.

38 Deinde faciliùs reſponderent prætaciti Scotiſtæ dum non ſolum ex tot textibus (vide Maſtrium & alios) probabilizarent revelationem, quin etiam adducerent Scoticum aſſumptum revelatum per Sanctum Petrum Paſchaſium, per Magdalenam de Pazzi, & Sororem de Agreda adductam à P. Raymundo Lumbier, qui talibus revelationibus commotus, Scoticam ſententiam amplectitur *in quæſt.* 34. à §. 2. dum alibi ſupra contrarium ſtatuiſſet, idque diù Primarius Cęſarauguſtanæ Vniverſitatis Moderator edocuiſſet.

39 Neque ſimilia adducta à Thomiſtis quidquam vrgerent Noſtros. Diſſimilia ſunt revera, quia non ſolum eſt fide ſancitum tres dari in Trinitate perſonas, quin etiam eſt fide ſancitum nec dari, nec poſſe dari quatuor, ſicque nec minus nec magis. Et ſimiliter, nedum decretum eſt Filium eſſe Incarnatum, ſed nec aliam perſonam fuiſſe Incarnatam, explicantibus Patribus & Concilijs modum quo venerunt in mundum fore diſtinctiſſimum à Filij adventu, & deſignantibus congruentias vt Filius ſolus foret Incarnatus. Et vt vno verbo generaliter ſatisfacerent Noſtri, dicerent, poſſe vt Scoticum Incarnationis aſſumptum, congrue reſolvi, quodcunque aliud, quod ſic exaltet opera Dei, cadat immutata decreti ſubſtantia in excellentiſſimum finem, prælucens in ſacræ Scripturæ textibus, illuſtrabile validiſſimis rationibus, & congruentijs, nil indecens, neque fidei, neque moribus, neque aſpere in Patres continens. Sed de hoc infra.

40 Secundo (inquit Gonet) reſpondent Scoti diſcipuli, Scripturam, Concilia, & SS. Patres in locis adductis, & adducibilibus aſſignare ſolum rationem Incarnationis quoad modum, non autem quoad ſubſtantiam; quia, S, facta eſt in carne paſſibili ob remedium peccati; ac proinde Adamo non peccante, non fuiſſet Incarnatum in carne paſſibili, abſolutè tamen & quoad ſubſtantiam incarnatum fuiſſet.

41 Sed hæc reſponſio, quæ eſt azylum ordinarium adverſariorum (inquit præfatus Author) facile poteſt convelli. *Primo*, quia Patres non dicunt, quod propter nos factus eſt paſſibilis, ſed quod propter nos factus eſt homo. Nec dicunt, quod propter ſe aſſumpſiſſet humanitatem, & propter nos addidiſſet paſſibilitatem. *Secundo*, quia Patres dicunt, quod niſi homines indiguiſſent redemptione Verbum non eſſet homo; ſed id non potuiſſent aſſerere abſolutè, ſi Adamo non peccante Verbum fuiſſet incarnatum abſolute, & quoad ſubſtantiam, quia homo impaſſibilis eſt verè & propriè homo; ergo.

42 *Tertio*, quia impropriè diceretur in ſymbolo, Verbum propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de Cœlis. Suadetur, quia idem eſt Verbum propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de Cœlis, & fuiſſe carnem factum propter noſtram ſalutem; at impropriè affirmatur aſſumpſiſſe carnem propter noſtram ſalutem, ſi noſtra ſalus non fuit ratio, aut motivum Incarnationis quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad modum paſſibilitatis; ergo nec propriè ſalvatur, ipſum propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de Cœlis.

43 *Quarto*, ex Vazquez, quia id quod poteſt fieri duobus modis, ex eo quod vno ex illis non fiat, non dicitur abſolutè non fieri, cum abſoluta negatio omnem modum excludat; ergo ſi Adamo non peccante Chriſtus veniret, licet in carne impaſſibili, falſa eſſet abſoluta Patrum locutio aſſerentium, non venturum Chriſtum Adamo non peccante. Comprobat Gonet cum Rege dicente, *Hodie non veniam in civitatem iſtam*, qui non tantum aſſerit non venturum hoc, vel illo modo, videlicet armatum, vel non armatum, in curru, vel extra currum &c. ergo ſimiliter circa Patres dicentes Chriſtum non venturum &c. Comprobat etiam idem Raymūdus Lumbier *in Diſt.* 4. *q.* 13. *art.* 1. quia quod ſolum eſt cauſa circumſtantiæ, valde impropriè dicitur cauſa rei: Antiqui enim Patres valde impropriè dicentur meruiſſe, quod Deus fieret homo, & tamen circumſtantias Incarnationis meruerunt. Inſuper, quia excluſiva illa abſolutè prolata à Patribus, S, *non veniſſet*, *non fieret caro*, foret intolerabilis.

44 His, & alijs, præadductæ diſtinctioni ſemper inhærentes reſponderent Scoti diſcipuli vagè citati à Gonet. *Et ad primum* dicent, quod potius miratur Gonet inſtare ex eo quod Scriptura non dicat quod propter nos factus ſit paſſibilis, ſed factus homo; Improbe enim Scripturam percipit, cum *Crucifixus etiam pro nobis*; igitur addita paſſibilitate

tate ab Scotiſtis, ſemper ſalvaretur quod propter nos addere voluit. Sed quidquid de hoc ſit, dicent Scoti diſcipuli, quod propter nos homines, & propter nos peccatores venit, ita vt Scoti diſcipuli nullo textu aptius, quam iſto ipſis oppoſito comprehendãt Incarnationis Myſterium, quoad ſubſtantiam, & circonſtantiam. *Propter nos enim homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit*, quod veriſſimum eſt, cum ſubſtantiam & modum diſtinctius deſignet, ſiquidem ſic venit propter noſtram ſalutem, quod ablato peccato non veniſſet propter eam (puta in remedium) ſed propter nos homines, cum addeſſet decretum incarnandi ob exaltationem & glorificationem noſtrę naturæ humanę; & de facto (rectè Maſtrius) deſcendit, & incarnatus eſt, prius propter nos homines, & concomitanter propter noſtram ſalutem. Vide circa idem Raymundum Lumbier, qui noviter *in q.* 24. *art.* 1. §. 3. aliter expoſitionem, vt Scoti diſcipulus adaptat.

45 Ad aliud poſitum in primo à Thomiſta, dicent Noſtri, quod nec ipſi dicunt quod propter ſe aſſumpſiſſet humanitatem, & propter nos paſſibilitatem & mortem, ſi aliàs non loquantur de motivo primario reſpectu voluntatis divinæ, quo pacto vniverſa propter ſe operarus eſt Dominus, ſicque & mortis primum movens fuit divina bonitas. Ad rem igitur dicent Scotiſtæ, quod etiamſi ob excellentiam Myſterij veniret Deus, ita tamen quod nos homines fuiſſemus etiam finis interiectus, vt propter nos exaltandos veniret vel ſi mavis dicent Scotiſtæ, quod etiam ablato peccato, dum excellentia Myſterij foret finis *qui*, ſeu *cuius gratia* (eo pacto quo ſic ſupra nos edocebat Gonet) nos homines ibi fuiſſemus finis *cui*; idque ex ratione naturæ humanæ vt naturæ humanæ, quam nunc habere eum addico peccaminoſæ, non eſt eam non habere, ac proinde quod natura humana peccaminoſa ſit finis *cui* nunc, non prohibet quod etiam natura humana ſit finis *cui*; ſicuti enim adduntur rationes in natura, adduntur & finalizandi rationes.

46 *Ad ſecundum* dicent illi, quod cæteri Scotiſtæ nunc dicimus, videlicet, quod tametſi Patres aliqui abſolutè loquantur, ex eo tamen, quod revera loquantur circa ſubiectam materiam, S, de Incarnatione prout effecta eſt cum modo paſſibilitatis; nec curarunt agere de Chriſto ſecundum modum ſecundum quem non venit, ſed veniſſet, quia id ad rem fidei non ſpectabat. Sic, nec tales SS. PP. diſtinxerunt ſubſtantiam Incarnationis à modo, quia hæc ſpeculatio non erat neceſſaria, & ſat erat labori adaptare quę fuerunt, quare ſimul coniunxerunt ſubſtantiam & modum, qui modus veniendi cum foret vt Redemptor, frequentius dixerunt veniſſe, vt redimeret, ac proinde quod niſi veniſſet ad redimendum non veniſſet. Id explicant Noſtri medico inſimul amico Petri v.g. qui dum benevolentię cauſa decreviſſet, viſitare Petrum, iam decreto itinere, nuntium haberet vt iret ob amici infirmitatem, ſicque adveniret, & non explicaret primum eundi motivum, tunc certè dicerent plures, venit ob amici remedium, maximè dum medicus ipſe diceret Petro, veni, vt ſanarem te. Sed inter omnes caſus Lazari genuinus erit, ſi attendatur iuxta motiva exterius percepta. Sic enim plures exiſtimarunt, motivum reſurrectionis fuiſſe dumtaxat, quia Lazarus erat amicus, ob lacrymas Mariæ, ob inſtantiam Martę &c. & ſic cuncti exiſtimarent, ſi Evangeliſta reticeret principale motivum fuiſſe, manifeſtari opera Dei in illo; quo adhuc ſub ſilentio benè aliquis diſcurreret dicens, quod etiam illis ſenſibilibus motivis non poſitis, miraculoſe operaretur Chriſtus ob mirabilium excellentiam. Vide nunc Adamo non peccante, ſi per Incarnationem manifeſtarentur opera Dei.

47 Et quod, revera, ſic debeant capi illi Sancti Doctores, qui ita abſoluto ſermonè videntur alloqui, nullo melius ſuadetur, quam eiſdem illis verbis gloſſę ad Timoth. 1. dum ait: *Nulla fuit cauſa Chriſtum veniendi, niſi peccatores ſalvos facere; tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt cauſa medicinæ.* Nota primam clauſulam gloſſæ, & iuxta eius verba, non ſolum reperies, Chriſtum abſque peccatoribus nullo modo venturum, quin etiam ſubtiliorem ſpeculationem videtur pręocupare, & etiam quævis cauſa quamtumvis metaphyſica: dum tamen clarum ſit, id gloſſam non intendiſſe, vt ſe exponit per verba ſequentis clauſulæ, S, *tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt cauſa medicina*, quæ verba ſunt cauſaliter expoſitiva priorũ, clarę limitantia ad nõ habitos morbos, nulleitatem medicinę; ac proinde ſatis manifeſtans, quod licet prima verba omnem cauſam tranſcendere videantur, tamen ex intento gloſſæ declaratur per verba ſequentia, quod ſolum circa ſubiectam materiam, & indiſtinguens ſubſtantiam, & modum, alloquatur. Vide nunc ſi intentum verborum SS. Patrum huiuſcemodi capiendum ſit, dum nulla verba Patrum ſic abſoluta appareant, ac prima clauſula Gloſſæ.

48 Et dum aliquis dicat, quid dicendum caſu in quo aliquis Sanctorum PP, attendens

tendens

tendens & notans ſtatum Adami non peccantis, & plene ſubſtantiam & omnes modos Myſterij, vt nunc ſcholaſticè diſtinguens, diceret, ſeu per præfata abſoluta verba vellet dicere, quod Chriſtus non veniret? Reſpondendum, quod in materia extra fidei ambitum, & bonos mores, tunc venerandus foret, & habendus vt habentur & venerantur Sancti Doctores, prout ſcholaſticè diſputantes, quo pacto Seraph Doctor reſolvit vnam doctrinam, & Angelicus contrariam, intelligentiam habendam dividens ſingulis prout vult, vt Sancti Patres in expoſitionibus Scripturarum varias habent reſolutiones.

49 *Ad tertium* iam manet ſupra reſponſum *ad primum*. *Ad quartum* ex Vazquez etiam ex dictis *ad ſecundum* facile reſpondebitur. Sancti enim Patres prædictos duos veniendi modos non diſputarunt, quin ſolus præſens & de facto expeditus eis fuit obiectus, ſicque dum de hoc negabant, negabant de omnibus, de facto namque reſolvebant. Neque aliquid vrget exemplar Regis apud Gonet, tum quia paſſibilitas & impaſſibilitas intimius circunſtant & modificant carnem, quam venire in curru, vel extra currum; tum quia poſſet forſan ſufficere pro diſtinctione dictorum conſimiles circunſtantię ac ab exemplari Regis adductæ, prout ſufficiens fuit Regi Cœlorum vt abſolutis verbis diceret non aſcenſurum in templum, quia poterat non aſcendere publicè, ſed occulte. Ad comprobationem P. Lumbier, ipſe in loco citato reſpondet pro ſe, ibi ſuadens quod paſſibilitas & impaſſibilitas non vt circunſtantiæ ſunt reputandæ, ſed vt differentię, & eo pacto quo animal eſt perceptibile abſque rationali, vel irrationali, tametſi contractè iam habitum ſub vna ratione repugnet ſic eſſe ſub alia. Sic pariter.

50 Sic ergo præfatorum Scotiſtarum doctrinis inhærendo, ni fallor, exactè reſponderi valet, prout ſic reſpondent diſtinguentes adventum Chriſti D. quoad ſubſtantiam, & quoad modum. Sed quin ſic reſponderetur valebat aliter reſponderi, prout nunc doctiſſimi Scotiſtæ cum Belluto, & Maſtrio reſpondent, quo reſpondendi modo rationes Gonet maiori ex parte præocupabantur. Huiuſcemodi ergo Scotiſtę non exponunt remedium peccati eſſe motivum Incarnationis quoad modum, ſecus autem quoad ſubſtantiam, ſed reſolvunt, Deum Incarnationem etiam quoad ſubſtantiam ex duplici motivo determinaſſe, S, ob excellentiam Myſterij, & ob remediū; ita vero, vt primum motivum concipiatur in primo ſigno ante peccati prævisionem, aliud vero motivum in poſteriori poſt prævisionem; quę duo motiva ſic ſtabiliunt, quod quodlibet ipſorum fuerit ſufficiens ad executionem Incarnationis quoad ſubſtantiam, taliter quod ſi Deus non determinaſſet ex priori motivo Incarnationem adhuc ſecundum fuiſſet ſufficiens, prout adaptant id in medico qui iter decerneret cauſa viſendi amicum, quem ſi infirmum deinde ſciret, adhuc ex hoc motivo penitus ire decerneret, tametſi ex primo motivo non daretur eundi decretum. Sic pariter.

51 Objicitur ſecundo & principaliter, ſi ex vi præſentis decreti, Adamo non peccante, veniret Chriſtus, aut veniret paſſibilis, aut impaſſibilis; non paſſibilis, quia tali modo ſolum debuit venire in remedium peccati, neque impaſſibilis, quia ſi impaſſibilitatis modum decreviſſet Deus, vel ſic de facto veniret, vel decretum erat revocandum; igitur ex vi præſentis decreti, nullo modo veniſſet de facto. In primis inſtat Noſtri argumentum ex adventu Adami; quia in ſigno antecedenti ad prævisionem peccati, in quo Deus decrevit producere Adamum, vel decrevit ipſum producere mortalem, vel immortalem? Non primum, quia ſi peccatum non fuiſſet, nec mors. Non ſecundum, aliàs ſic veniſſet, vel decretum erat revocandum. Sic ex impaſſibilitate, vel paſſibilitate Adami inſtari valet argumentum.

52 Circa pręfatum argumentum plures adhibitæ ſunt ſolutiones, cunctæque rationabiles, dum nonnullæ noviter fulciantur. Vide Maſtrium, apud quem invenies reſponſionem Fabri, Poncij, & Centini; aliter reſponſionem Suarij; & aliter reſponſionem Belluti, & Baldij. Vide etiam circa huiuſcemodi difficultatem Raymundum Lumbier *à quæſt.* 24. vbi adducit nonnulla ſatis probabiliter ſatisfacientia.

53 Igitur iuxta vnam vel aliam tot Virorum validam doctrinam aliquid innuentes, cupimus ſcire in primis, ex quo Deus non valuit ante prævisionem peccati dumtaxat decernere ſubſtantiam carnis, dum hæc ex natura rei nec dicat ſecundum ſe impaſſibilitatem potius, quam paſſibilitatem? Dices, ex eo eſſe, quod oporteret Deum rem vſque ad ima, & ſic gradū determinatum reſoluere. Benè ſit pro nunc; reſoluiſſet igitur ſic Deus ſubſtantiam carnis vſque ad impaſſibilitatem. Dices, ita valuiſſe, quin tamen poſſet deinceps abſque mutatione reſolvere paſſibilitatem. Benè ſit, adaptabo tamen diſcurſum. Dum Deus habuit Chriſtum ante prævisionem peccati, vel potuit ſine mutatione decernere circunſtantiam ſupra carnis ſubſtantiam, vel non potuit?

tuit? Si potuit, habebimus intentum. Si non potuit,habebimus etiã,quia circa ſubſtantiam carnis non decreviſſet circunſtantiam quam non poterat decernere , ac proinde ſic relinqueret ſubſtantiam carnis decretam ante peccati prævifionem,non repugnaret Deo , cum ſolum repugnaret decernere quod mutationi erat ſubijcibile. Si dicas,huiuſcemodi diſcurſum inpingere Deo ignorantiam.Contra,nam benè adaptabitur.Vel enim Deus in illo priori debuit habere notitiam circunſtantiarum pro adæquatè decernendis ad cunctos ſtatus, vel non? Si non debuit habere,dum ex præſcientię carentia ſolum decreviſſet ſubſtantiam rei, non foret ignoranter reputandus. Si debuit habere,illam certè habuiſſet in ſigno quo debuit habere,& ſic decreviſſet prout ſolum poterat & debebat decernere,quo pacto ne in adæquato progreſſu ſubiaceret mutabilitati, ſolum poſſet decernere quod mutabilitati non ſubiaceret, vtpote in priori ſubſtantiam, & deinceps quod abſque mutatione compatibile foret , vtpote circunſtantiam paſſibilitatis. Id namque quod in ſe aliter indecens foret,& apud Deum foret impoſſibile.

54 Deinde id magis probabilizantes, præoccupamus ſolutionem contrariam , & ex eo , quod licet eis gratis concedamus ex vi præſentis decreti,& de facto nil huiuſcemodi eveniſſe,negari tamen non poteſt facile,quod id poſſibile non foret,ac proinde quod Deus poſſet Chriſtum decernere ob excellentiam Myſterij,& quod poſſet viſitare Adamum iſto etiam non peccante,& quod iſto cadente poſſet decernere Chriſtum in remedium &c. Re vera id impoſſibile non invenio,ſicuti nec talem invenio variationem ſucceſſivam diſtantium ſtatuum penes eumdem Adamum.Dum igitur talis caſus expedibilis ſit poſſibiliter, fat eſt , vt noſter præfatus diſcurſus ſubſiſtat circa Scoticum aſſumptum,ac proinde vt poſſibilis ſit præfata directio circa ſubſtantiam carnis ſecundum ſe , quin obſtet cum nuper dictis illa circunſtantiarũ contrarietas ex mutabilitatis obiectione,nam aliàs , impoſſibilis foret caſus , cum impoſſibile ſit,quod à Deo ſine imperfectione non poteſt fieri.

55 Et vlterius determinatius ſequentes eorum Scotiſtarum viam , dicimus ab exemplaribus theologicis non repugnare perfecto ordini decernendi attingere in aliquo ſigno ſubſtantiam Incarnationis à paſſibili vel impaſſibili prævifam. In primis ſuadetur ab exemplari decreti prædeſtinantis & ad gradum determinatum gloriæ, tunc præſcindẽdo à meritis, vel melius à meritis glorioſis , vel pœnalibus,vel iuxta iam regulatam providentiam à meritis ſolius Chriſti,vel inſimul proprijs , maximè dum nonnulli poſſint mori provecti cum ſola gratia Baptiſmatis. Tum ſuadetur,quia compatitur, quod Deus valeat velle res vt ſunt in ſe;igitur prius ſubſtantiam quam accidentia , cum prius poſſit attingere quod prius.Tum,ſi apud nonnullos non contradicit in Deo ſuſpenſio,cur contradicet præciſio? Tum , quia dum ſic percipiatur quidquam tolli maioris determinationis, etiam in dominio circa res extra percipitur augeri. Tandem,quia dum indiviſus eſt divinus volitionis actus, multiplex & varius terminativè diſcurritur ; igitur & ſic poterit vnica quoad ſubſtantiam caro diſcurri, dum ex paſſibili & inpaſſibili varia queat percipi decernẽtis terminatio. Et hæc ſufficiant tametſi pro tanto Myſterio nil ſufficere valeat. Tibi cuncta mea, ò puriſſimum,ſeu Marianum inſtans!

DISTINCTIO VII.

De Fide Theologica, & infuſa.

1 INter tot militantium virtutum agmina Catholici Doctores, ter theologicas deſignarunt, ſcilicet, fidem, ſpem, & charitatem ; & ni fallor, potius ex perfectione obiecti, ex rectoque tramite tendendi in ipſum, quam ex elevatione ſtatus ; ſupernaturalitate ſiquidem præciſa, clariſſimus actus in Deum ſuper omnia, quod poſſibilis probabile, qui ex linea & centro præ cæteris virtutibus , moralibus vtique , penitus præfulgeret. Tres igitur, ex præootato ſcopo, verſus cæleſtem Jeruſalem electos lapides,gratię nitore puros exoptamus,quorum pro ſtructura ſuperna,fundamentum primum, fides, ſicuti & prætioſior petra, Petrus. Vtinam inſpirante Petro,celſioris fidei interprete primo,arcanorum arcæ Claviculario,triumphãtis,& militantis Univerſitatis vel ſolo , vel Moderatore Sole,eo vtinam obſcuram fidei viam inveſtigare & tenere credamus. Neque abſit Scotus, qui vt ſubtilitatis Magiſter & fidei Diſcipulus eam oſtendit *in 3.diſt.23. à quaſt.1.& in 4. diſt.4. quaſtione.2.* & alibi citando cuius doctrina & nos principaliores quęſtiones examinare conabimur.

(***)

QVÆST.

QVÆSTIO I.

De ſenſu in quo hinc inquiratur fides.

2 MVltipliciter fidei conceptus ſic deſinuntur, quod obſcuriua involuatur. Nonnulli cum Valentia, quem citat Lanzertus hinc in Præfat. ſub decem ſignificationibus, fidei vocem habuerunt. Et ratio vel confundendi, vel ampliandi fidei limina, ni fallor, ex eo deſumpta, quod virtutes nimis affines inter ſe ſplendeant, ac proinde ſic quod ſæpè vel miſceantur, vel continuo quaſi motu ad exercitium vnius altera antecedat, vel ſubſequatur; adinvicem etiam dependentes; quæ poſterior, requirens præambulam vt excitet; quę prior, vlteriorem exambiens vt compleat, vnde evenire ſolet quod ſpecialiſſimi conceptus difficile, ſeorſim percipiantur.

3 Verùm diſſertus Interpres quæcunque virtutum affinia facile diſtinguet, ſi ea ad actus, & actus ad obiecta comparet, prout Subtilis Magiſter docet & deſignat *in 3.d.26.q.1.* Quapropter ſicuti verum inducit ad intelligentię, & bonum ad volitionis conceptum, conſimiliter habitus circunſtantes potentias, & intra claſſem propriorum obiectorum ſunt comprincipia circunſtantia. Hincque præcavendum ex Scoto, quod cum voluntas duas habeat affectiones, S. vnam iuſtitiæ, qua per actum amicitiæ tendit in Deum immediatè, vt eſt bonum in ſe, & aliam commodi, qua per actum concupiſcentiæ tendit in Deum immediatè, vt eſt bonum huic, vterque actus poteſt eſſe ordinatus, & habere habitum theologicum inclinantem ad ipſum; non ſic ex parte intellectus quia vnica ſolum datur habilitas nata habere actum ſecundum attingẽtem Deum, S. intelligentia, quæ ſufficienter perficitur vno habitu tendente in verùm, cui aſſentiendum eſt propter revelationem. Ita in *diſt. 26. q. 1. verſ. Ad quartum dico.* Et ſcopus ſiſtit in eo, quod intellectus ex ſe eſt determinatus ad vnum, voluntas vero indifferens, ac proinde duplex determinatio veluti duplici potentiæ æquivalet, quare ſic in ſe licet vna potentia, ampla, quod duplicem affectionem, veluti ſi duplex potentia intra ſuæ ſphæræ, & obiecti ambitum comprehendat, vna vero fides, quia vnus, eiuſdemque modi & formæ eſt intelligentię aſſenſus.

4 Itaque licet variè fidei vocabulum vſurpetur, verùm hinc propriſſimè ſumitur pro virtute quadam intellectuali inclinãte ad aſſenſum alicuius dicti ſeu revelati propter dicentis auctoritatem. Sicque fides ſæpe in alio ſenſu ab hinc retinendo nominata invenietur in Scripturis, in quibus fiducia, ſeu confidentia nomine fidei indicitur, vt in illo Matt. 14. vbi Chriſtus *modicæ fidei* Petrum increpavit, dum Petrus non credulitatem, quæ eſt aſſenſus verorum, ſed confidentiam amiſſit, ſicuti non hæreſim, ſed timorem fiduciæ inimicum habuit. Sic probatiſſimum reputant DD. graviſſimi, aliquem in deſperatione poſſe amittere confidentiam abſque hæreſi. Nominibus igitur non ſemper ſtandum, ſed intentis rerum conceptibus, prout Scotus ſupra præveniebat verſ. *Ad primum principale* dicens ad conſimile, *Quod nomina ſunt impoſita ad placitum.*

5 Diſſertus ergo dum verùm fidei ſenſum præcavere cupiat, mentis acumen verſus ſpem, eiuſque affectiones vertat. Fides namque præ cæteris virtutibus, ſivè moralibus, ſivè theologicis, confidentia excepta, facilimè in proprio ſenſu adaptavit. Confidentię enim immixta aliquando confunditur, tum ob actuum affinitatem prout dixi, tum ob obiectorum combinationem. V. g. in hoc actu: *Firmiter fido in promiſſis, quia Deus ſummè verus, & verax ea dare dixit*: in quo, & conſimiliter formatis, obiecta virtutum & virtutes ipſæ confundi videntur.

6 In prædictis ergo, & conſimilibus, prout differte Scotus diſtinguebat, firmiter ſervandum eſt, ſpem, & confidentiam formaliſſimè captam, nunquam attingere nec tendere ad promiſſa, quia Deus verax eſt, aut quia dixit, applicando dictum ad veracitatis manifeſtationẽ; ſed quia bonum & commodum eſt; ipſique ſpectabile, quia poſſibile & practicabile ob abundantiam virtutis quæ eſt Omnipotentia, &c. quod pertinet ad efficientiam, & ſe habens vt conditio quę omnia exactè, licet breviter firmavit Subtilis M. ſupra in *q.* 1. verſ. Hæc eſt igitur, aiens; *Quia omnis actus fidei eſt credere; nullum deſiderare eſt credere; ergo quia fides nunquam ſpes.*

7 In præformato ergo obiecto, quod fidei dũtaxat videbatur eſſe, involuitur obiectum ſpei; quia vt deducitur rectè ex Scoto *Verſ. Ad quæſtionem*, ſolũ quia bona deſideratur res, ſicuti ſolum quia vera creditur, ac proinde ſemper & quando formalitas deſiderij adſit, formalitas bonitatis eſt quę in obiecto correſpondet. Si namque Deus ſummè verax aliquid aſſereret, & id vel à bono, vel à virtute dativa in eo præſcinderet, poſſet credi, ſecus autem ſperari. Et tandem pro nunc, vnico verbo adverte, quod diſtinctę ſunt virtutes,

ſicuti

ſicuti diſtincta ſuut obiecta,verumtamen videntur confundi, quia ſicuti linea volitiva prærequirit lineam intellectivam, veluti conditionantem; ſic & linea ſpei & eorum quæ ſpectant ad voluntatem, lineam fidei quæ ſpectat ad intellectum prąexigit. Neque obeſt quod forma vnius potentiæ ſit alterius conditio, vt patet in formali intellectione ad velle &c.

8 Sed quæ hinc,Scoto comite, expoſui plenè & diſtinctè non percipientur,quouſque fidei obiectum,maximè formale exponamus, cum terminus formalis cuiuſvis habitus & potentiæ ſit prima norma & perfectior lux,vt quęcunque aliquam lineam conſtantia,eā omnia ordine ſuo, & in gradu cuicunque debito collocata ſecernantur. Qua propter de fidei obiecto ſtatim agendum, vna dumtaxat hinc ſtabilitanda quæſtione de fidei ſpecialioribus acceptionibus, vt præſens quæſtio melius innoteſcat.

QVÆSTIO II.

Quid ſit intelligendum in Fide, quà Theologica, & infuſa.

1 CVm in quam pluribus infra in quęſtionibus,de fide,ſub theologico ſigno alloqui ſit opus, inter alias fidei acceptiones;hæc potius commentari videtur. Verum vt de fide theologalitas convincatur, oportebit adducere virtutis theologicę normam,quam prout notavi,vniformiter firmam non inveni,etiam dum Subtilem Doctorem conſului *hinc diſt.26. q. 1. à Verſ.Si obijciatur contra hoc &c.*

2 Obiectioni ergo ex hine quæſito præformatæ ſatisfacit Scotus ibi hæc aiens: *Reſpondeo,tres conditiones ponuntur ad virtutem theologicam.Prima eſt reſpicere Deum pro primo obiecto.Secunda habere pro regula primam regulam humanorum actuum; non autem regulam acquiſitam. Tertia immediate infundi à Deo, ſicuti à cauſa efficiente.* Quo pacto tres conditiones claudit quod theologicum eſt,ſatis inter ſe diſtinctas,ſicut,inquit Scotus,*Alia eſt ratio obiecti,alia regula,& alia efficientis.*

3 Clara, & præclara ex Subtili textu mauet virtutis,quà theologicæ,diſtinctio. Verùm ne eius planities aliquibus alta videatur, eam breviter percurremus. Alia igitur eſt ratio obiecti,alia regulæ, & alia efficientis. Alia eſt ratio obiecti,quia obiectum virtutis theologicæ eſt directè infinitum,& æternum, omne temporale ſuperans, & excedens, quia vt inquit Scotus *hinc diſt.23.q.1.à* §. Ad quæſtionem,cum anima, quę eſt Dei imago deformata maneret per peccatum,oportuit eam in potentijs perficere;& ſicut potentiæ,perfectiores ſunt cęteris,& perfectioribus virtutibus oportebat perficere, *quia Dei eſt perfectè perficere, quando perficit,*& ſic perfectis,non perficeret, niſi virtutibus quarum obiectum perfectius foret, vt vltra tendere non haberent, quare ponitur quod infinitum eſt, quia vt inquit Scotus *in diſt.26. à Verſ.Prima circunſtantia, nullum bonum ſufficienter quietat appetitum, niſi ſit infinitum bonum.* Itaque fides theologica ſoli Deo credit; ſpes theologica ſolum Deum deſiderat; charitas theologica ſolum Deum ſuper cætera amat.

4 Alia eſt ratio regulæ. Virtus namque theologica excellentiorē regulā vt dirigatur, præhabet, ac virtus moralis (virtus moralis ſic definitur ab *Ariſtot.* 2. *Ethic.cap.6. Habitus electionis in mediocritate conſiſtens quoad nos definita à ratione,vt definierit ipſe prudens*; vnde inferunt mediocritatem virtutis eſſe iuxta dictamen prudentiæ,& non intrinſecè, & iuxta rem ipſam, cum non ſit mediū certum, cum quantitas cibi quæ pro ſano valet eſſe obiectum temperantiæ,pro infirmo,intemperantiæ foret) quia,vt inquit Scotus *diſt.26.q. 1.à* §. *Hæc diſtinguuntur,* Habens ſpem v.g. innititur immediatè primæ veritati, vt primæ regulæ noſtrorum actuum; non enim deſiderat,quod prudentia acquiſita dictat deſiderandum ſed quod veritas prima ſupernaturaliter oſtendit eſſe deſiderandum.Vbi nota ex Scoto,quod ſi aliquando ſpes teneat vt regulam fidem acquiſitam,& non primam veritatem, tunc licet fides in ſe non ſit prima regula,tamen in ſe habet reſpicere primam regulam; quo pacto ſpes fidem habens,pro regula, pro regula habet primam veritatem, *ſi non in ratione habitus, in ratione tamen obiecti habitum regulantis.*

5 Alia eſt ratio efficientis. Hæc tertia conditio ponitur etiam, vt virtus theologica vndequaque elevetur. Cum enim pro ea ſublimiorem finem, & eximius obiectum ſtatuant, necnon pro nobilioribus humanorum actuum potentijs, inde volunt & talem virtutem non quodcunque, nec quomodocunque, quin divinum dumtaxat efficiens, perfectiſſimo vtpote ſuperno modo operans. Eleganter, tametſi ex ſuppoſitione huiuſce tertiæ conditionis permiſſa, id Scotus exponebat à §. *Quia ſi illæ duæ conditiones &c.*vbi pulchrè infert,quia ſuprema portio rationis cum immediatè ſubdatur Deo, non perficitur perfectiſſimè, ab

S ali-

aliquo creato, ſed immediatè à Deo perficiente. Habitus enim (proſequitur Subtilis) qui natus eſt eſſe circa Deum immediatè, & inniti ſibi vt primę regulæ immediatè, natus eſt perficere ſupremam portionem; igitur, infert Subtilis, licet aliquis habitus acquiſitus poſſit haberi, non tamen perfectiſſimus intra lineam fidei & ſpei niſi ſit à ſupremo dante, ſicuti concluditur ex portione ſuperiore recipiente.

6 Deinde addere conſului, quæ pro adęquatiori diſtinctione inter virtutes theologicas, & morales adducitur ab aliquibus Auctoribus. Exponitur ergo, virtutes morales in medio ſiſtere vt in virtute ſubſiſtant; & ſic ſivè formaliter, ſivè materialiter mediare inter duo extrema vitia formaliter; ſecus autem virtutes theologicas. Quòd vt capiatur, advertendum eſt, quod quando virtus verſatur inter duo extrema ſic, quod vtrumque ſit pravum per oppoſitionem ad ipſam virtutem, & ipſa extrema inter ſe contraria, tunc in ratione virtutis mediat inter duo vitia extrema formaliter, v. g. fortitudo inter extremum audaciæ, & timoris; liberalitas inter extremum avaritiæ, & prodigalitatis &c. ſic. Tunc vero materialiter percipitur quod aliqua virtus mediat inter duo vitia, quando directè, & formaliter vnicum ſolum vitium cui opponatur habeat, v.g. caſtitas luxurię, & temperantia ebrietati &c. ſic. quia qui extremè à venere abſtineret, incaſtus nunquam foret; & ſic nec intemperans quia nec biberet, nec comederet. Verum materialiter haberet vitium oppoſitum, cum per tales defectus ſequerentur vitia alijs virtutibus oppoſita, vt tunc iuſtitiæ matrimoniali, & charitati pro vitæ conſervatione in cibo.

7 Rationem huius exactè reddebat P. Maſtrius *dp.7.q.3.* formās conceptum prædictæ oppoſitionis materialis ex eo, quod virtus nō opponatur tantū vitio, quo formaliter deſtruitur, quin omni ali quo poteſt peccari in materia ipſius virtutis, nam virtus per ſe non inclinat niſi ad opus omni circunſtantia rectum; vnde quæcunque mala circunſtantia adſit, virtus non inclinat ad ipſum opus, ſicut nec ipſum opus dicetur ſimpliciter bonum iuxta vnam virtutem, quando eſt malum iuxta aliam; alicui enim virtuti adverſati defectuoſum eſt, & malum ex quovis defectu. En quo pacto dicitur, quod omnis virtus moralis aliquomodo ſiſtat in mediocritate inter duo vitia oppoſita, quia licet non vtrique ſemper opponatur formaliter, ſed vni tantum, vt caſtitas, verùm ex alia parte materialiter ſaltim opponitur ali, cum in eius materia poſſit evenire quod peccetur adverſus alias virtutes. His ita, quia forte oportebunt

8 Expenditur nunc intentum dando medium virtuti morali, tam ex parte obiecti, quam ex parte actus tendentis in ipſum; quam diſtinctionem clare invenit Scotus §. *Ad ſecundum* dicens: Poteſt tamen concedi quod virtus theologica eſt proprie media, non ex parte obiecti, ſed ex parte exceſſus, qui poteſt eſſe in actu. Virtus quidem moralis habet exceſſum, & defectum, non tantum ratione modi actus, ſed etiam ratione obiecti in quod tendit actus; non ſic theologica, quia obiectū in quod tendit eſt infinitū. Sed in hoc poteſt tendere actu immoderato aut in maius, aut in minus & virtus moderatur vt medio modo tēdat in illud. §. Hoc itaque modo poteſt concedi, inquit Scotus, quod fides ſit media inter levitatem qua quis nimis firmiter aſſentit ei, quod nō eſt credendū, iuxta illud, qui cito credit levis eſt corde: & inter pertinaciā qua quis nimis reſiſtit credendis nolens alicui aſſentiri niſi per rationem naturalem oſtendatur. Sic etiam nimio amore poteſt aliquid tendere, & nimis remiſſe, quare Sponſa Cant. 1. dixit, *Ordinavit in me charitatem*; valet enim eſſe aliqua inordinatio, vt ſi quis tali conatu vellet hunc amorem exprimere quod ſibi noceret, vel imprudens medium eligeret, vt ſi aquis ſe præfocaret, & flammis ſe daret &c. Verùm exceſſus ex parte obiecti non haberetur, S, inquit Scotus, quia tenderet in nimis bonum, nec in nimis verùm. Temperantia vero, moralis inquit ipſe, requirit medium vtroque modo, quia poteſt in obiectum excedens, & deficiens, & poteſt tendere actu deficiente & excedente; & ille ſecundus modus eſt communis virtuti morali & theologicæ, primus vero non.

9 Expoſitis iam, Scoto comite, quæ circa communes circunſtantias ipſe in tribus conditionibus permiſſerat, oportet nunc ſtrictiori norma eas regulare, cum hoc punctum pro quam pluribus ſcopus generaliſſimus adſit.

10 Etenim exponebatur à communi Theologorum calamo tres illas conditiones virtutes theologicas circunſtare. Verùm id, non ſic mihi ſemper, & firmiter tenendum videbatur. Quia obiectum videtur prima regula actus honeſtos menſurans; igitur ſi detur habitus habens pro obiecto vel primum verum, vel ſummum bonum, habebit quod maximum eſt omnibus, vt tametſi naturalis ſit, & non infuſus, theologicus non deſinat eſſe, quin ſumat denominationem theologalium quarum idem ſpecialiſſimum ſumebat obiec-

obiectum. Quod obiecto vt principaliſſimo omnium ſcopo ſiſtendum ſit,in quam pluribus docebat Scotus, & hinc meminerat *quaſt. 1. verſ. Si obijciatur*, vbi vt theologicam ſalvaret ſpem acquiſitam , dum fidem acquiſitam in regulam haberet, reſpondebat, habere pro regula primam veritatem, *Si non in ratione habitus, tamen in ratione obiecti habitum regulantis.*

11 Deinde quod talis habitus tametſi in ſe acquiſitus habens tamen pro obiecto ſupremum obiectum, dabilis ſit, firmiter reſolvitur & defenſatur à Seraphico Doctore *in 2. d. 3. art. 3. q. 1.* vbi tenet, Angelos in primo naturæ apice habiles extitiſſe ad diligendum Deum ſuper omnia , quin & bonos prę malis , prout tenet & alibi, ſatis ex hoc amore prædiſtinctos ſe ad præmium diſpoſuiſſe. Necnon Subtilis Doctor id vel permittere, vel approbare videtur , & hinc paſſim vt in §. *Ad tertium patet ex dictis*, vbi ait, Quod non poſſit facile probari naturali ratione quod ſit aliqua fides ſic infuſa, quia actus quos experimur in nobis poſſunt ineſſe eiuſdem rationis ; ſed credendo aliquam virtutem infuſam eſſe , tenetur quod actus non eſt ita perfectus ſine ea, ſicut cum ea. Et ibi tenet Doctor S, quod ſpe acquiſita poſſit aliquis à Deo ſperare promiſſa, ſicut & fide acquiſita credere illa , etiamſi nata ſit aliqua virtus perficiens portionem ſuperiorem ; igitur ad ſummum poſſet dumtaxat deduci diſtinctio penes magis & minus in perfectione, quod lineam ſubſtantiæ & eſſentiæ variari non videtur.

12 Videntur ergo ſufficere pro ſphæra virtutis theologicæ illæ duæ principaliſſimæ conditiones, v. g. quod *ſpes acquiſita ſit circa Deum immediate vt circa obiectum* , inquiebat Scotus , deſiderando ipſum , necnon *Inniti primę veritati, vt primæ regulæ noſtrorum actuum.* Vel ſi illæ duæ conditiones non ſufficiant,deduecbat ipſe, à §.*Quia ſi illæ duæ conditiones &c.* oportet dicere conſequenter, quod Theologia non ſit habitus theologicus. Probat Doctor, quia Theologia poteſt eſſe, & non immediatè infuſa à Deo,ſed acquiſita, & hoc tam ad aſſenſum actualem , quam habitualem qui eſt fides acquiſita, quam etiam quantum ad apprehenſionem quæ habetur ex doctrina ; hoc enim pacto oporteret multum reſtringere habitum theologicum.

13 Verumtamen Subtilis M. etiam ſatis probabiliter tenere videtur , quod dum virtus theologica duas habeat conditiones,S, ex regula vnam, & ex obiecto divino aliam, ſolum in parte theologica erit, ita vt *Solum habeatur pars propoſiti*, vt inquit ipſe *in d. 26.* ſupra *à §.Quia ſi illæ duæ &c.* ac proinde ſic, quod deficiente tertia conditione, S, agentis ſupernè,completivè theologica non ſit.Completivè tamen habebitur,quod theologica ſit, probabiliter reſolvit ibi, ex eo ſcilicet, quod ipſa ſit nata infundi, quia ſi non infundatur, non habebitur verſus curſum theologicum ita perfectè,ſicut nata eſt haberi ex infuſione. Probat , quia cum ſuprema portio rationis immediatè ſubdatur Deo , non perficietur perfectiſſimè ab aliquo creato , quin immediatè à Deo perficiente. Habitus autem, qui natus eſt eſſe circa Deum immediatè, vt circa obiectum , & inniti ſibi vt primę regulæ immediatè , natus eſt perficere ſupremam portionem ; igitur licet aliquis habitus acquiſitus poſſit haberi, non tamen perfectiſſimus, niſi ſic habeatur.

14 Ex quo Subtilis M. textu commentariè, ni fallor deducendum eſt , quod licet præfatæ virtutes theologicę dicendę ſint ex modo duarum conditionum , verumtamen inchoativè , & non perfectiſſimè , ita vt pro complemento tertia conditio danda ſit. Tertia vero conditio ſuadetur ex eo , quod ſupremæ portioni in natura, danda ſit ſuprema portio in habitu ; ſuprema portio in natura ſupremos actus habere , S, in linea intelligendi , & amandi innatè indicit , & appetit; igitur & ſupremos habitus quibus perfectiſſimè compleatur intra ſtatus quo ambitur conſonantiam & proportionem ; igitur licet omnes habitus inclinantes immediatè in ſupremum, & theologicum obiectum, ſupremi & theologici etiam reputandi ſint , verùm adæquatius & perfectius omnes habitus inclinantes nedum in ſupremum & theologicum obiectum, quin theologicè ſupreme inclinantes.

15 Vel ſi mavis textum illum , mentemque Scoti , fateor non ſic facilem vt appareat , aliter in commentario proponam. Scotus namque ſupra *in quaſt. 1.* probat theologicum ſpei ad normam theologicę fidei dę qua ait , *Salvari theologicam propter obiectum , & regulam , & aptitudinem vt infundatur , quę concluditur ex perfectione ſuperiore recipiente.* Hæc enim aptitudo dupliciter pro theologico commentanda offertur. Primo ſic , quod illa ſolum virtus theologica dicatur, quæ nata eſt infundi, ſcilicet ſic , quod linea credendi Deo ſecundum ſe ſit ſuperior,ſicuti ſperandi & amandi,verumtamen theologicus ſolum reputandus ille habitus ex illa linea , qui cum ſuperiori actu credendi ſervat paritatem,ac proinde ſic quod

tali habitui ſit dumtaxat infundi proprium, ita vt ex ſimili potentiæ proportione ſit peritus à linea illa ſuperna, & ſic hic & non alius habilis ſecundum ſe vt ex infuſione habeatur. Hoc enim pacto, nulla fides, quæ actu non infuſa, theologica dicendat ac proinde nec theologica erit tota linea credendi in Deum, ſed illa pars, cui proprium eſt ex infuſione haberi.

16 Vel poteſt percipi ſufficere aptitudinem vt infundatur, vt virtus ſimpliciter theologica dicatur ex eo, quod ſecundum ſe imbibat lineam adæquatam credendi in Deum &c. claudens totam lineam, eo quod habens Deum pro obiecto, & pro regula primâ regulam, ſi non ſit actu infuſa, ex linea tamen ſua imbibat aptitudinem vt infundatur, supernè & ſupremè ſiquidem operari, de per ſe & ex innata ſua ſphęra, non competat id virtutibus cæterarum linearum inferiorum, quin ſola virtus illius lineæ nata ſit infundi. Hoc enim pacto, fides, ſpes, & charitas acquiſiti habitus, valent dici ſimpliciter theologici, habent enim duas conditiones, & tertiam aptitudinaliter, prout pulſabat Scotus ad idem intentum dicens ſupra; *Habetur quod ſit theologica ſpes ex tertia conditione, ex hoc ſcilicet, quod ipſa eſt nata infundi, & ſi non infundatur.*

17 Ea enim forma, ſervatis ſervandis, alloqui intendimus, qua Scotiſtæ de innata vi trium potentiarum animę, quibus tendere in Deum innatum adſtruunt piæ lineis cæterarum potentiarum inferiorum. Iuxta Scotiſtarum ſcopum poſſemus omnes humanas potentias circunſtando, dicere, tres dumtaxat animę potentias theologicas eſſe, nedum quia intellectus v.g. lumine elevatus Deum ſuperno modo attingit, quin etiã prout intellectus ex adæquata linea intelligendi Deum, ipſum immediate habet pro obiecto, etiam dum naturaliter attingit ipſum, ſufficiens vt theologicã dicatur potentia ſic attingens, quod dicat aptitudinem vt ſuperne attingat, ita vt illi & non inferiori potentiæ ex ſua intelligendi ſphęra, & conditione natum ſit ſic attingere, tametſi etiam ipſi natum ſit Deum immediatè attingere ex habitu acquiſito. Ita ergo, ſervata proportione theologizare poteris de fidei linea, & Scoti mentem exponere.

18 Reſtat pro commentarij complemento difficile quoddam proponere, & ſi vires adſint, aperire. Igitur contra principalem virtutis theologicæ ſcopum militat non levis vis ab vna, vel altera virtute morali deſumpta. In eo ergo præſignabatur virtus theologica à morali, quod theologica pro obiecto non quodcunque, quin divinum habeat, ac proinde ex parte obiecti non ſiſtens in medio, eum nullus notabilis ſit exceſſus, prout manifeſtat illud Eccleſ. 43. *Benedicentes Deum, exaltate illum quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude.* Et D. Bernard. in opuſc. de diligendo Deo, tenebat; *Quod modus diligendi Deum, eſt ſine modo diligere*; ſed ſic eſt, quod etiam hoc modo deſignabiles ſunt virtutes morales vt patet in virtute religionis, cui de per ſe competit exhibere cultum Deo, in quo exercitio neque exceſſus notabilis eſt ex parte obiecti, quia ſicuti nemo vltra quod meretur Deus valet diligere, nec vltra quod meretur valet colere; ergo in principali virtutum norma theologicæ, & morales manebunt vniformes.

19 Dices in eo ſemper diſtingui, quod virtus theologica v. g. charitas ſemper & de per ſe habeat quod ſuper omnia bonum eſt pro obiecto, quod vnicè Deus eſt; religio vero etiam creaturis exercetur cum cultus exhibeatur Angelis, viris iuſtis, Regibus &c. Verum id non ſatisfacit, quia etiam ex amicabili amore, poteſt quis bonum creatum ſuper omnia diligere, quin & ſupra Deum, vt patet in quovis divinam bonitatem commutante; & maiorem charitatem nemo habebit, quam qui vitam ſuam pro amicis exponat; igitur ſicuti ſalvatur inter eos amicitiæ amores quod vnus ſit theologicus, ſecus alter, & ſalvabitur inter conſimiles religionis cultus. Sic & fides nedum vt ſoli Deo credatur eſt inſtituta, quin fide acquiſita valet credi Deo, & alijs; ergo. Deinde quia licet ad charitatem vt theologicam requiratur affectus ſuper omnia, ſecus autem ad ſolum charitatis conceptum, ad quem ſufficit affectus rei, prout in ſe; vide dicenda in *Diſt. de Charitat. quæſt. 1. Art. 1.*

20 Dices, quod tribus virtutibus theologicis congrue adhæret forma ſupernè iuſtificans, vniens Deo, & vltimum, maioremque finem conſequi, meritoriè ſperari &c. Non ſatisfacit, quia ſimiliter valuit Deus ad exhibitionem ſupremi cultus ea omnia congrue applicare, meritum imbibere, &c. ſic, maximè apud tenentes gratiæ principale ex voluntario pacto pendere.

21 Dices religionem v. g. ſecundum ſe non dicere infuſam eſſe, nec ſuperne exerceri, cum quidquid religio amplectitur, ratio naturalis dictet, & quicunque ex proprijs quidquid religionis eſt aſſequi valeat. Non ſatisfacit, quia etiam quod Deus ſit verax, & ſuper omnia diligendus ipſa conſcientia clamat, prout Scotus ſupra cum Auguſtino. Deinde, ſicuti datur ex habitu acquiſito diligere Deum ſuper omnia, & id non obſtat vt pro ſupremo amore detur ſupremus

& in-

& infuſus habitus, ſic licet ex religione acquiſita exhibeatur cultus, quin tamen id obſtet, vt pro ſupremo & Deitatis cultu ſuprema & infuſa religio impendatur.

22 Dices, generaliter virtutem moralem, etiam & religionem tem externam reſpicere ſecundum ſe in obiectum, externeque ſe appreciari erga illam, ſicque potentias inferiores, etiamque externas reformare. Neque hæc expoſitio ſatisfacit, quia adoratio, & maximè erga Deum, interno voluntatis motu valet exhiberi, iuxta illud Pauli, Et adorent eum omnes Angeli eius. Et convincitur ex illo populi labijs Deum adorantis, dum id reprobabat, quia cor eius longe erat ab eo. Deinde, quia divina credulitas etiam valet externo ſigno expendi, ſicuti & adoratio, dum propoſito Myſterio alicui, motu capitis, vel aliter, affirmationem vel negationem deſignaret.

23 Dices, tres virtutes theologicas reſpicere ſuperiorem animæ portionem, S, eiuſque tres maximas potentias, quibus dumtaxat theologizari, & alte operari competit. Verùm, nec id ſatisfacere videtur, vt inſtat adductum exemplar, quia pro cultu, & adoratione maximè divina, de per ſe tres animę potentias ambit religio, cum requirat divinæ magnificentiæ cognitionem & non infimam, voluntatiſque puriſſimo exercitio inclinari velle, huiuſque memoriam retinere ſit opus.

24 Dices tandem, fidem, ſpem, & charitatem præire lumini glorioſo, tentioni æternæ, & amori beatifico, in quibus eſt ſumma omnium felicitas, ac proinde in eis virtutibus feliciores operationes, ſicuti & omnium ſumma attingentia. Sic præadductæ difficultati reſpondebam aliquando, verùm, ni fallor, nec plene, ſic dubitandi motivo reſpondetur. In primis, quia ſic ſumpta diſcurrendi proportione, ſola charitas deberet ſimpliciter dici virtus theologica, cũ ſola charitas etiam in gloria permaneat, & nulli per incompatibilitatem ſuccedat, iuxta illud Apoſtoli *Charitas nunquam excidit.*

25 Deinde ſola charitas deberet eſſe virtus theologica, cum ſola charitas ſit omnium feliciſſima in quovis ſtatu, vel quia iuxta Scotiſtarum dogma, in amore ſtat noſtra perfectior beatitudo, vel quia, tribus virtutibus theologicis poſitis, iuxta dogma Pauli, maior inter eas eſt charitas. Et ſi pręadducta expoſitio ſubſiſtere debeat, tam ex dictis, tam quia lumen gloriæ eſt directè præcedens ad amorem beatificum, & ſuperna tentio ſubſequens, tunc dicam, quod ſic, idem de adoratione theologizabitur, quia etiam pro hoc ſtatu datur adoratio rudis, obſcura, & per ſpeculum in ęnigmate &c. cui in patria glorioſiſſima adoratio ſuccedit, cum glòria hæc ſit omnibus ſanctis eius. Et ſicuti tentio eſt theologica, quia licet non ſit de forma beatitudinis, tamen ad eam conſequitur, ſivè forma beatitudinis ſiſtat in viſione, ſivè in amore, ſic adoratio adorationi ſuccedens, cum ſubſequatur ad formam glorioſam, etiam theologica dicetur, quin & tranſcendentius theologica, fide ſiquidem non pervenit ad patriam, quin in via manet, & adoratio in glorioſiorem ſtatum ingreditur.

26 Salva ergo eruditionis chriſtianæ norma, exiſtimo poſſe probatiſſimè teneri, virtutem religionis, & quamvis aliam ex ſcopo huic conſimilem, vt gratitudo, obedientia &c. virtutes theologicas fore. Et ad commune dictum, S, tres eſſe virtutes theologales, poteſt reſponderi, tres iuxta maximam Eccleſię nominari, vel quia ibi ſolum conſulit requiſita iuſtificationis iuxta præſentem providentiam, vel quia religio v.g. eſt veluti ramus charitatis, & in via, fidei, quo pacto licet ramus ſit theologicę arboris, cum tamen radices dumtaxat ſint tres, inde vulgariter tres virtutes Theologales iuxta Eccleſiaſticam eruditionem nominantur, cui mente & corde quæcunque hinc dicta & dicenda pro viribus ſubijcio, ſicuti & retractare volo, quæcunque Sanctis Patribus tam hinc, quam alibi diſſona.

QVÆST. III.

De obiecto materiali Fidei.

1 DEſcripſerat fidem Doctor gentium ad Heb.11.dicens: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium.* Poſuit in fide *argumentum*, quia propoſitis medijs credulitatis, quæ veluti præmiſſæ intellectum tametſi obſcurè irradiant, prout ab eis convictus aſſenſum exhibet, ſic firmum ac ſi ex præmiſſis evidenter propoſitis eum præſtaret; quare iuxta Auguſtinum, *argumentum* ibi, idem ſonat ac intellectus convictio. Ponitur *ſperandarum ſubſtantia rerum*, quia ſicuti in rerum ſerie ſubſtantia eſt quod primum, ſic licet fides qualitas mentis in ſuo eſſe ſit, locum tamen ſubſtantiæ in lineis ſupernis animæ tenet, cum ſit ſperandarum fundamentum, veluti radix arboris theologicæ. Ponitur *non apparentium*, quia licet fides, evidentiæ participet

ticipet certitudinem, ſecus autem claritatem, cum non aſſentiat rebus propter veritatem quam intueatur, ſed propter Auctorem quem reuelaſſe audit. Quæ enim apparent, dicebat Magnus ille Gregorius, non habent fidem, ſed agnitionem.

2 Huius ergo deſcriptæ fidei inquirunt obiectum materiale, & formale Catholici Auctores, vt vndequaque penitus innoteſcat. Et in præſenti quæſtione iuxta probabilius, fidei noſtræ materiam deſignare cupimus. Hinc P. Maſtrius reſolvere videtur, quod ſi hinc loquendum ſit de obiecto fidei materiali, & incomplexo, ſic quod aliquod vnum ex pluribus obiectis incomplexis fidei ſignari debeat, tunc pro obiecto eius adæquato, nil aptius quam Deus ſtatui valet. Pro quo diſtinguit Maſtrius duplex obiectum in ſcientia, S, vnum de quo ſcitur aliquid, & aliud, id quod ſcitur. Primum, eſt incomplexum, S, ſubiectum de quo demonſtratur aliquid in concluſione; ſecundum vero eſt ipſa concluſio demonſtrata, quæ quid complexũ eſt ex ſubiecto & prædicato. Sic reſpectu fidei, licet hæc, plurima complexa ſibi credibilia habeat in obiecta, tam intra diuinam materiam, quam extra, quo pacto obiecta ſecundum ſe ſic maneant diſformia, quod nullum vnum quod pro omnibus credendis moveat ſit dabile, verum dabile eſt vnum incomplexum per modum ſubiecti, ad quod omnia vno, aut alio modo referantur, ordinentur & attribuantur; vt expenditur in Deo, ad quod quodlibet credibile refertur, vt patet nam quæcunque diuina fide creduntur, ad Deum referuntur vel ad cognoſcendum, vel ſperandum, vel amandum, vel vt effectus iuſtitiæ, vel miſericordiæ, & ſic à meliori capite vſque ad caudam canis Tobiæ, v.g. vt etiam in leviſſimis ſplendeat diuina veracitas, ſicuti & bonitas pro Tobiæ ſolatio &c.

3 P. Arriaga exponit, & non inſipidè *tom. 5. tract. 1. dp. 1. ſec. 1.* aliud eſſe loqui de obiecto principalitatis, & aliud loqui de obiecto adæquato attributionis, in quo, & Maſtrius fatetur, quã plurimos hallucinatos. Si enim de obiecto principalitatis loquatur, ſtatim, inquit Arriaga, occurrit Deus; ſecus vero ſi de attributionis obiecto, cũ hoc ſit illud, ad cuius perfectam notitiam, cæterorum notitia ordinatur. Ad Dei enim perfectiorem notitiam, non ordinantur quæcunque creduntur, v. g. actus quo credo Saulem quæſiſſe aſinas, canem Tobiæ habuiſſe caudam &c. id enim non potius ad Dei perfectiorem notitiam movet, quam ſi contrarium eveniſſet, ſicque foret revelatum. Neque habitus fidei deſinit de ſe eſſe indifferens, vt v.g. de ſe magis determinetur ad credendum Verbum eſſe Incarnatum, quam ad oppoſitum, ſi incarnatum non fuiſſet, vel foret incarnatus Pater. Unde reſolvit Arriaga, quod ſi obiectum attributionis propriè capiendum ſit, fidem non habere Deum pro attributionis obiecto, quin nec vllum deſignabile. Quibus ita, aliquid exponere intendemus.

4 In primis conſonant dicta iuxta illud, quod Deus ſit principalitatis obiectum, & hoc clare ſuadetur. Quia illud eſt principalius obiectum materiale, quod eſt nobilior materia; ſed hæc eſt divina; ergo. Deinde, quia illud obiectum principaliter in aliqua linea reputandum, quod ſaltim materialiter adeſt obiecto formali affinius, ita vt ei entitativè debeatur; ſed talis eſt Deitas intra ſe identicè continens formale obiectum, S, auctoritatem aſſertoriam; ergo. Et id paſſim ſuadebat Scotus, prout *in diſt. 23. à §. Aliter poteſt poni*, vbi ait: *Fides reſpicit Deum, vt primum obiectum, de quo ſicut de obiecto primo continente huiuſmodi veritates formamus huiuſmodi veritates complexas, Deus eſt Trinus & Vnus &c.* ſic.

5 Conſonat etiam, Deum materialiter poſſe dici ſubiectum adæquatum attributionis, prout tale eſſe nil aliud exprimit, quam materialiter eſſe centrum quod vno, aut alio modo cæteræ lineæ pertingant. Hoc etiam facile ſuadetur, quia ad id habendum, ſolum requiritur, quod omnia credibilia penes materiam ex qua conſtantur, ſic vel ſic reſpiciant Deum; ſed nullus adeſt fidei articulus, qui iuxta materiam ſuam Deum non concernat, & vno aut altero titulo in ſuo eſſe ei attribuatur; ergo. Patet, quia vel ſunt neceſſaria, & ſic erunt quæ identicè in Deo ſunt contenta, v. g. eſſe vnum, Trinum &c. vel ſunt contingentia, & ſic divinam voluntatem reſpicient. Quæ plenius, ſed non in alio ſenſu Scotus tetigerat, dum *in diſt. 23.* à Verſ. *Quod autem* aiebat., *de quo* (puta de Deo) ſicut de obiecto formantur aliæ veritates quæ continentur in articulis mediatius, vel immediatius, ſecundum quod ipſum *ſic vel ſic reſpiciunt.* Quæ clarius expoſuit à §. *Aliter poteſt*, quia omnia credibilia, vel ſunt neceſſaria ſimpliciter, ſicut quæ reſpiciunt Deum intrinſecè, vel ſunt contingentia, cuiuſmodi eſt Incarnatio Filii &c. *quæ dependent à voluntate divina.*

6 Conſonat etiam nec Deum, nec credibile aliquod poſſe aliter dici ſubiectum attributionis adæquatum, ſcilicet, prout tale

eſſe

eſſe indicit, quod ſic cętera eredibilia conſonanter intra lineam fidei contineat, quod ad cuiuſvis credibilis notitiam moveat. Et ratio eſt, quia quod creditur, vel creditur iuxta id quod in ſe eſt, vel iuxta id quod ſumit à revelatione? Primo modo, non poſſunt quę creduntur contineri in aliquo, quod pro omnibus moveat, quia vt ad rem dicebat Scotus *in diſt.* 23. §. *Similiter hoc modo &c.* quod credibilibus revelatis à Deo aſſentio, quia aſſentio veracitati Dei, & ſic fides reſpicit omnia credibilia vt revelata à Deo, non autem ſub proprijs rationibus, & ideo vna fides poteſt eſſe de omnibus credibilibus, quamvis geometricalia, & phyſicalia, & quamtumcunque diverſa, & alterius rationis hic introducerētur credibilia; in omnibus enim eſſet vna ratio eredendi illa eſſe vera, quia revelata ſunt à Deo. Si ſecundo modo ſumantur, tunc vnitas iam derivabitur à bonitate obiecti formalis, prout nuper Scotus dicebat.

7 Confirmavit id ipſum Scotus *in diſt.* 25.*q.*2.vbi in fine clare ait, Non poteſt autem dici, quod fides infuſa vnitatem habeat ex obiecto primo, S, Deo, quia Deus non movet in ratione obiecti ad cognitionem omnium credibilium, nec in Deo vt in obiecto concipiuntur omnia credibilia, vt ex illo deduci poſſint, licet contineat omnia vt cauſa effectiva, ideo oportet dicere quod habeant vnitatem vel ab vnitate revelantis &c. & ratio eſt præ actibus aliarum ſcientiarum deſignanda. Quia obiectum cuiuſvis alterius ſcientiæ, cum etiam entitativè contineat ex natura ſua, quæcunque à tali ſcientia pertineant, vt patet in ſcientia hominis v.g. in quo phyſicè adſunt quæcunque prædicata, quæ de eo dicuntur, etiam proprietativa, inde eſt quod talibus ſcientijs ſubiectum adęquatum attributionis rigoroſe deſignabile ſit, ſecus autem fidei, cum in tali eſſe extent diverſa; ac proinde vnitatem habebunt ab vnitate revelantis, dumtaxat, *quamvis illam effectivè habeat* (hæc inquit Scotus ibidem) *à Deo*, *& non habeat vnitatem ex aliquo vt obiecto, ſicut ſcientia cauſata ob obiecto.*

8 Verum prę omnibus quæ conſonare permiſi, nil mihi potius conſonare videtur, quam ſtatuere, quod fore nulla quæ à Maſtrio, & alijs, prout ſupra relata, in ſpecialem fidei conſonantiam deſervire queant. Exponebat ergo Maſtrius, Deitatem debere deſumi in attributionis ſubiectum, quia vno aut altero modo quæcunque quæ ſub fide cadunt, & apprehenduntur ad Deum ordinantur, exigentia reſpectum, vel cognoſcendum, vel poſſidendum, vel ſperandum &c. Necnon vel ſunt Dei propria, vti neceſſaria ſimpliciter, vel ab eius voluntate derivata, vti contingētia &c. ſic;ſed id omne valet dici de ſpe, & de charitate, penes ambitum earum, ſperatur enim omne idem, & ſic quidquid creditur, amatur, & vno aut altero modo ad Deum ordinabile eſt; necnon de omnibus illis valet religio exhibere cultum, vno aut altero modo; vellem ergo ſcire, quis favor, aut circunſtans conditio ex tali attributionis ſubiecto, probetur pro fide? Nil profectò, quin ad fidei materiale obiectum, conciſo forſan ſtylo, incedere debuimus.

9 Igitur quæ ad fidei materiam ſpectare videntur, faeile expedite poſſunt iuxta obiecti materialis communem, vulgatemque doctrinam. Communiter ergo docetur darī reſpectu cuiuſvis notitiæ obiectum materiale, & formale. Materiale dicitur illud quod noſcitur, quod attingitur, quod conſideratur &c. Obiectum formale dicitur illud ſub cuius ſpeciali conceptu & ratione materiale in ſua notitia limitatur, informatur, & diſtinctius habetur, eo pacto quo materia quæ tamen ſi ad plura indifferens, & vt à pluribus formis vt attingatur habilis, verumtamen ſemel huic formę applicatæ, ipſius dumtaxat lineam circunſtat, & proximè ad ſcientiam illius entis naturalis ſpectat. Sic pariter de obiectis materialibus philoſophandum, & ſic ſicuti de materiali obiecto reſpectu potentię hac vel illa ſpecie informatæ, & etiam reſpectu potentiæ hoc vel illo habitu erectæ,

10 Sic igitur ſupponamus Auctoritatem Dei aſſertoriam eſſe obiectum formale fidei noſtrę, erit materiale fidei noſtrę obiectum omne illud quod talis auctoritatis aſſerto informatum maneat, ipſaque aſſertione ad ſpecialem lineam limitetur, maneatque habile vt ex parte termini attingatur, ita vt ex parte obiecti credi debeat, dum poſitis requiſitis ex parte potentiæ, credi valeat.

11 Quidquid ergo Deus aſſerit eo ipſo manet obiectum, ſeu materia fidei noſtrę theologicæ. Vbi notare oportet, quod dum dicitur quod à Deo aſſertum, & revelatum, eo ipſo ſtare in fidei obiectum, debet intelligi ſic, vel quod ipſa revelatio rei credibilis tunc inſimul ſit extenſa ad credentium auditum, vel deinceps ſit ab Eccleſia, vel ex mādato ſuo Fidelibus applicata. Revelatio enim videtur quod aliquando ſolum ponat connexionem ab obiecto formali ad materiale, ita vt deinceps reſtare videatur connexio verſus potentiam,

quæ

quæ fiet mediante applicatione, ſeu manifeſtando fidelibus id quod revelatum erat. Prima manifeſtatio videtur eſſe connexio ex obiecto ad obiectum; ſecunda vero ex obiectis ad potentiam. Eo pacto quo, ſi coloratum illuminaretur, habile obiectum in ſe maneret pro potentia viſiva, S, ex connexione formalis obiecti ad materiale, vtpote formę lucis ad colorem; verum ſi potentiæ vel quia diſtans, vel aliter, lucidi illius non foret applicatio, vt videret, ex obiectis ad ipſam aliqua deficeret connexionis conditio.

13 Vel ſi mavis aliter ſic expone, videlicet, quod ſicuti dum Deus revelat aliquid Pōtifici Maximo, vel privatè alicui ſuo Servo, tunc revelatio ipſa nedum connectit & applicat obiectum formale ad materiale, quin ipſa inſimul eſt applicatio totius concreti revelati ad potentiam, ſic poterit dici, quod dum Deus plura Pontifici, aut his vel illis dumtaxar revelavit, & Pontifex deinde revelata manifeſtans ea applicat, tunc valebit illa applicatio dici revelatio ipſa prima, quia idem facit, & eodem modo excitat, ac ſi Deus ipſe diceret nobis, quod dixerat Pontifici, ac proinde ex ęquivalenti infallibilitate, etiam tunc concedi poſſet, quod quoad nos in eo tunc connectitur formale ad materiale, ſicuti & inſimul quoad potentiam, prout nuper de revelatione ad Papam exponebamus. Si enim Deus aliquid diceret, vni, vel alteri, cæteri qui non audirent, ad credendum non tenerentur, nec reſpectu ipſorum illud tale deberet dici obiectum materiale, prout deducitur ex illo Pauli ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? &c.*

14 De obiecto formali applicato diſcuruimus vſque adhuc, oportere videtur hinc aliqua dicere de ipſo vt applicabili, videlicet, an debita fidei noſtræ materia ſit aliquid non revelatum, ſed divinitus revelabile, v. g. exiſtentiam Compluti à Deo divinitus revelabilem, an qui ſic revelabilem ſciret, credere teneatur? Circa quod, non pauca offeruntur dilucidanda, offertur etenim non ſolum de revelabili, quin etiam de revelando, S, nondum revelato.

15 In primis rationabilius videtur, talem Compluti exiſtentiam, S, à Deo revelabilem, non eſſe fidei noſtræ debitam materiam. Quia forma quæcunque iuxta ſui ſtatus proportionem reſpicit & relinquit materiam; igitur ſicuti revelatio actualis actu informat materiam, revelationi poſſibili ſólum competet poſſe informare, ſicque non eſſe obiectum, ſed poſſe eſſe. Si namque revelata materia, eſt proximè credibilis, ſolum remotè credibilis erit materia quæ ſolum revelabilis.

16 Deinde, offeratur mihi hoc complexum: Complutum nunc exiſtit, quia nunc eſt à Deo revelabile. Vel enim firmitas mei aſſenſus deſumitur ex notitijs à me habitis pro exiſtentia Compluti, vel ex notitijs à me habitis pro poſſibilitate revelationis? Si primum; igitur cum tota illa notitiarum negotiatio ſit in me ex his, quæ nec ingrediūtur in formam obiecti fidei noſtræ, nec in congruum & habile applicativum eius, aſſenſus ſic deductus, ab obiecto formali fidei theologicæ nullum adtrahet influxum. Si ſecundum; igitur etiam dum Complutum non exiſtat, poſſet credi, cum poſſet revelari; poſſet ſiquidem à Deo pro quovis inſtanti ei dare exiſtentiam, non enim eſt minor virtus Omnipotentiæ, vt poſſit inſimul facere, quidquid inſimul poſſit dicere.

17 Deinde, nullum eſt inſtans pro quo Deus non poſſit Complutum evertere, ac proinde nullum erit inſtans pro quo Complutum non poſſit non exiſtere; igitur nullum erit inſtans pro quo Deus non exiſtere non poſſit revelare; ac proinde ſi poſſibilis revelatio exiſtentiæ reddat fide noſtra credibile, Complutum exiſtere, poſſibilis non exiſtentiæ revelatio, Complutum non exiſtere, fide noſtra incredibile reddet.

18 Deinde, quia dum pro fide theologica ſufficere poſſit divina revelabilitas, tunc ſequeretur, nil in rerum natura dabile eſſe quod tali fide credendum non ſit, ac proinde quæ legimus, quę vidimus, quæcunque vera audivimus, cum à Deo revelabilia ſint, & fide theologica credenda manebunt. Et quia hinc non ignoro quæ reſponderi poſſunt, dicam ſaltim credenda, omnia ea quæ extiterunt, vel exiſtunt, quorum nobis participata ſit notitia, ac proinde eorum, quorum exiſtentię & eſſeitatis determinatiſſimus adeſt conceptus. Hæc dico, quia aliquarum rerum quorum eſſe, firmum eſſe non habent, nec in eorum ſententia influit revelabilitas, v.g. de eo quod Petrus poſſit ſalvari, quia id à Deo revelabile eſt, revelabile ſiquidem eſt Petrum poſſe non ſalvari. Videtur ergo difficultandum, de eſſe in ſe invariabili, v.g. quod Petrus ſalvatus ſit, an ſit verum theologicè, quia à Deo revelabile. Si iam non dicamus, quod de eo quod poſſit & non poſſit ſalvari, iam determinatè revelatum eſt.

19 Rurſus ſi quæcunque extiterunt verè, quia revelabilia à Deo, ſub fide noſtra theologica ſubſcribantur, ad quid Eccleſiæ

mani-

manifeſtatio? Si dicas Eccleſiam poſſe manifeſtare, ea eſſe à Deo revelabilia, nil profecto dicis; quia Eccleſia nil poteſt ſic approbare, quin divinitus inſpirata, quo pacto non poſſet exprimere illud eſſe revelabile, quin eſſe ei revelatum perciperemus.

20 Pervenimus enim ad difficultatis centrum. Tota ergo controverſiæ elevatio in hoc ſtat, S, quod non poſſit conſtare de veritate alicuius rei quia revelabilis, quin revelata ſit, quia vel eſt nobis naturaliter evidens, vel non? Si primum, iam eius, vt dicebat Gregorius Magnus non habebimus fidem, ſed ſcientiam. Si ſecundum; neceſſaria eſt infallibilitas de eo quod ſit revelabilis, prout vera à nobis tenetur; ſed in applicanda infallibilitate penes revelabilitatẽ, Eccleſiæ propoſitio eſt indiſpenſabilis conditio; ergo & quod revelatum ſit actu erit indiſpenſabile.

21 Dices, & fateor, quod bene, nos de aliquibus quorum non habemus ſcientiam poſſe habere certitudinem, qua ſuppoſita, ea eſſe vera percipimus, & tunc certe noſcimus eſſe à Deo revelabilia; tunc, ea credimus, non quia vera in ſe eſſe cognoſcimus, ſed quia eſſe à Deo revelabilia intelligimus; quæ veritas in aſſenſu ab auctoritate aſſertoria derivatur, ita vt eam applicare poſſit prima rei habita certitudo, eo pacto quo eam applicat Eccleſia, licet hæc extra obiectum formale fidei conſideretur; non enim aliud facit quam certe ad illud mentem noſtram aſcendere, & certe illud applicare.

22 Verum vſque adhuc ſemper exiſtimo in dictis inſiſtendum. Quia licet exiſtimem, quod vt obiectum formale influat, ſufficiat applicatio certa; ſed ita certa, quod penes infallibilitatem, tanta debeat eſſe infallibilitas conditionis, ac ipſius obiecti formalis; & extra ſcientiam, nulla poteſt eſſe ſic infallibilis certitudo in conditione, ac eſt in applicatione Eccleſiæ. Deus enim tenetur ad hoc quod Eccleſia non poſſit falſa proponere, ſecus autem tenetur vt extra Eccleſiæ dicta, non ſint falſa, quæ ab alijs dicuntur, etiamſi vniverſus Orbis teſtaretur. Suadetur in Evangelio; nam de eo quod forent Scripturæ, Evangelicæ hiſtoriæ, & ſic conſimilia, talem certitudinem habere potuit Auguſtinus, tam ex Patribus, quam ex viris candidis & doctis qui narraverunt, ac nos poſſumus habere de pluribus quorum extra fidem theologicam, certitudinem humanam habemus; & tamen Auguſtinus nec Scripturis, nec Evangelio, nec conſimilibus crederet, ſi applicatio Eccleſię non obſtaret; ergo.

23 Urgebis dicens, quod ſi poſſet aliquis certiſſimè, ac ex Eccleſiæ applicatione devenire ad id, quod Deus aliquid cognoſcebat prout erat in ſe, & ſic potens manifeſtare, tunc credere quia à Deo revelabile, theologicum foret. Dico, ſaltim iuxta hanc providentiam id impoſſibile, quia talem certitudinem, dum ex Eccleſia non haberet, ſolum habere poterat ex privata inſpiratione, quo pacto iam Deus, ei revelans, quo illud ab ipſo erat revelabile, revelabat. Verum, ſi talis certitudo ſuppoſita in caſu, dabilis foret; tunc bene exiſtimarem quod theologicus foret talis actus, dum in eo caſu poſſet ſic aſſentire quia Deus ita cognoſcebat, & ſic poterat alloqui, quod in aſſenſu hęc Dei cauſalis foret, & potius præponderaret, quam motivum ad id præſtans talis certitudo inducens. Equidem id ſic expendere difficilimum foret.

24 In tali namque difficilimo caſu, ſi ſic practicabilis foret expeditio, ni fallor, poſſet dici, quod ad minus æquivalenter, & eſtimabiliter ille aſſenſus erat theologicus, tum quia ex auctoritate aſſertoria ſi non vna formalitas, S, veracitas, ſaltim alia, S, veritas, actu ex illo certitudinis medio manebat applicata; tum, quia certitudo illa habenti certitudinem infallibiliter verſus Deum revelabat illud quod credebat; tum, quia actus ille infallibilitate non carens, ſic vel ſic, divinitatem attingebat, & ad eam terminabatur, habens aliquomodo pro obiecto primum obiectum ſaltim in actu ſignato &c.

25 Contra principale noſtrum intentum vnicum alicuius momenti invenio argumentum, S, ſi aliquis formaret hunc actum, non credam Cęſarem extitiſſe, etiamſi à Deo ſit revelabile, in hoc caſu, talis actus foret hęreſis; igitur actus prædicto oppoſitus foret fidei theologicæ. In primis poſſet dici, quod ſi talem actũ efformaret ex probábilitate opinionis hinc relatæ, & aliàs firmiter diſpoſitus, vt Cæſarem extitiſſe crederet, ſi revelaretur à Deo, tunc actus ille hæreticus non foret; exiſtimaret enim intra ambitum fidei non cadere, niſi foret ab Eccleſia applicatum, ac proinde ipſum non deficere, duplicatione requiſita deficiente.

26 Deinde poteſt dici, quod ſi talis actus aliter formaretur, hæreticus foret; & theologicæ fidei foret, qui apparebat contrarius. Ratio eſt, quia exprimens talem actum, iam ſupponebat tale obiectum certiſſimum penes eſſe à Deo revelabile, ac proinde ex medio, ac ſi revelatum foret; non ſic in credente, quia de eo quod à Deo revelabile eſſet, non pote-

rat habere certitúdinem theologicam, quin ab Eccleſia applicatum foret,ac proinde iam ſic revelatum,vt dicebam. Id omne negabat alter,quia etiamſi omnem certitudinem quam revelabilitatis habere valemus nos, haberet ipſe,negaret,prout ſuppoſitio illa manifeſtat. Quare intra paritatem dici poteſt, quod ſi quis formaret hunc actum, crederem hoc ſi certiſſimè mihi conſtaret,quod à Deo revelabile erat,theologicus reputandus;verum certitudinem proficuam abſque revelatione habere, vſque adhuc imperceptibile.

27 Circa ſecundum, S, de vero à Deo revelando,facilis nunc reſtat deciſio. Si enim cōngrua certitudine ſciret aliquis hoc vel illud verum à Deo in hoc vel illo tempore revelandum, tunc fide theologica credendum, quia ei iam tale verum præſens redderetur, prout ſupra exponebamus,prout ſic plures articuli quoad tempus futuri, crediti fuerunt à Sanctiſſimis Patriarchis, qui Spiritu prophetico informati,eos credentes,quoad eos præſentes offerebantur.

28 Deinde mihi certum,quod ſi ſcirem ego certe Myſterium Conceptionis à Deo revelandum, poſſem actum fidei elicere. Quia foret aſſenſus ſupernus,infallibilis,& circa verum ob auctoritatem aſſertoriam, nam ſi veritas & veracitas praſcinderentur,ſic firmum non elicerem aſſenſum; deinde influeret teſtificatio futura,nam firmum illum aſſenſum elicerē,quia non homo, ſed Deus teſtificaturus & revelaturus erat; nec verius foret mihi actuali revelatione poſita; deinde foret obſcurus, & non ex ſcientiæ principijs, & etiam obſequioſo affectu,S, quia Deus illud revelaturus erat;ergo &c. Id nota.

29 Tandem pro complemēto, ſalva pace tanti Viri,non videntur conſonare,quæ P. Maſtrius exponebat,chimericum reputans,habitum fidei non eſſe indifferentem ad credulitatem veri & oppoſiti,S, Verbum incarnatum, & ſimiliter dum revelatum foret incarnatum non fuiſſe Verbum. Inſurgam in Maſtrij reſolutionem, & ni fallbr,efficaciſſima ratione. Vnitas enim,ſpecificatio, & diſtinctiva cōditio habitus potius videtur attendēda penes obiectum formale,quam penes materiale; ſed obiectum formale fidei theologicę inconcuſſum,perenne,& invariatum perſeverat;ergo licet materiale variari poſſit, invariabilitas habitus conſtans & perſeverans, vtpote cum vnitate formalis,& ſpecifici obiecti commenſuranda.

30 Deinde id clariſſimè deducitur ex Scoto,dum vnitatem & invariationem pro tot diverſiſſimis fidei materijs inquirens,reſolvit, prout ſupra, ea omnia in vnitatem determinatiſſimè confluere ex vnitate, & determinatione revelantis Dei;igitur ſicuti determinatiſſimum ſtatuebat habitum ex obiecto, quia vniformi,& æquè participato,quin obſtaret materiarum diverſitas,S,vt dicebat ipſe, licet nunc ſint phyſicalia, geometralia, &c. conſimiliter licet in materijs daretur variatio, nil pro variatione habitus,revelatarum materiarum obſtaret diverſitas,& difformitas.

31 Deinde non leviter id confirmat clara doctrina Scoti ſupra *in diſt.25.q.1. à. §.Vltimo videndum eſt.* Ibi enim, ſi rigoroſé ſtandum ſit,reſolvit Scotus,quod fides Antiquorum non fuit de eodem credibili ac nunc noſtra,dum ipſi crediderunt de Chriſto venturo, & tale nunc non credimus nos,cum firmiter credamus iam veniſſe;nunc ſic,complexiones credulitatis in nobis, & in eis ſunt diverſæ, quia dicere *Chriſtum fore venturum* eſt falſum, & iudaicum; dicere, *Chriſtum veniſſe*, eſt verum & catholicum; & eadem complexio, vt probabat Scotus,non poteſt eſſe falſa & vera; ſed fides formaliter erat eadē in nobis,tum ex revelante,tum ex mediatore Chriſto, tum ex modo,& ex ſcopo credendi, necnon ex alijs conditionibus,.ſi enim Patrea illi perſeverarent,fidei habitum non variarent,vt exiſtimo nunc in Enoch,& Elia;ergo.

32 Et fateor,re benè inſpecta, id potius conſonare fidei noſtræ, profundæ obedientię,& obſcuræ conditioni, docilis ex fide in Deum;ſi namque Eccleſia nunc proponeret Chriſtum iterum venturū,dū certè inniteremur fidei noſtræ motivis,nil novi sētiremus; credimus enim quia Deus dicit,dum diceret iterum venturum crederemus ſimiliter. Sic, ſi aliquis ante negationem Petri ibi paulo ante extitiſſet, habilem habitum haberet, vt eodem credere ſperaret, vel Petrum negaturum, vel confeſſurum Chriſtum; ergo ſimiliter apparet in facto eſſe habilem ſubſiſtendum.

33 Neque obſtare videntur, quæ P. Maſtrius *num.* 13. opponebat, S, habitum eſſe determinatè ad hæc inclinatum, & notitiam ſeu ſpeciem vnius, aliud diverſum non poſſe repræſentare. In primis enim, dici poteſt, habitum fidei, ex ratione ſua formali ſolum eſſe determinatum ad actus vniformes penes modum tendendi, penes regulam, penes obſcuritatem &c. quæ ſolum ſi varientur, & variabitur quin & deſtruetur ipſe; ſecus autem ſi varietur materia præciſé, quia licet materia varietur quoad eſſe ſuum in propria linea diſtinctum, ſecus autem prout in linea credibilitatis, & prout à fide attingibilia; attingitur

gitur

gitur enim à fide, quidquid revelatum eſt à Deo, hoc enim eſt vniformiter credibile, & hoc à fide attingibile determinatè, determinatè ad hæc, & non ad alia inclinante,

34 Neque obſtar ſecundum, S, diverſam fore ſpeciem, ſeu notitiam. Concedo libenter requiri extra habitum fidei, inſtructionem & notitiam rei credendæ, verum talis notitia & ſpecies ſolum erit diverſa iuxta ritum naturalem ſcientiæ, & cognitionis, vt nunc eſt ſpecies canis Tobiæ, & columbæ in Jordane; at iuxta ritum fidei nil diverſum datur, cum eadem fides, quæ inclinat ad aſſenſum vnius articuli, inclinet & ad aſſenſum cæterorum, tametſi ſpecies phyſicè inſpectæ diverſo modo habeantur circa obiecta. A ſimili ergo.

35 Quæ enim omnia ſatis confirmantur ex Scoto *d.* 25. *q.* 1. *à* §. *Ad primum principale.* Ubi habitui fidei non applicat, quæ ad diverſitatem notitiarum ſpectant, quin ſolum, inclinare in verum, aliunde tametſi & diverſimode præſentetur obiectum, id enim iam habitus fidei inclinationem non minuit, cum nulla præſentatio ab habitu debeat eſſe. En Scoti verba: concedo quod actus credendi dependet ex duobus, S, ex habitu inclinante, & præſentia credibilis, quod non eſt præſens in habitu, & ideo ſine Doctore & Revelatore non tenetur ſimplices credere tot credenda &c. & in fine §. Art: ideo neceſſario requiritur cum fide infuſa, fides acquiſita ex auditu. En Scotum. Igitur variatio ſolum deſumenda ex præſentatione obiecti, quæ eſt vna pars ex requiſitis, quin alterius partis, S, habitus fidei quidquam innovare ſit opus, nec ex parte ſua petitum.

QVÆST. IV.

De obiecto formali fidei theologicæ.

1 HÆc obiecti formalis quæſtio principalem inter tot fidei theologicæ quæſita obtinet locum, tum quia omnis linea ex formali ipſius, præ cæteris diſtinguitur, tum quia formali motivo deſignato fidei noſtræ laborioſus curſus ſiſtit, & quieſcit, ſcitque fidelis animus ad quem tendat, & quo pacto tendat, quin exaſperanti circulo moleſtus, retro reddat, quæ ante deambularat. Controverſia igitur de fidei formali motivo inter tres principaliores militat opiniones, S, an ſit Deitas? An prædicatum ſivè virtualiter ſivè ex natura rei diſtinctum, vtpote auctoritas aſſertoria? An etiam revelatio ipſa? His ergo examinatis, per fidei reſolutionem, credentis progreſſum adaptabimus, vt pernicioſus circulus excludatur.

ART. I.

Circa Deitatem ſub ratione Deitatis.

2 DEfenſarunt aliqui, fidei formale motivum eſſe Deum ſub ratione Deitatis, quæ fuit opinio Aureoli iuxta Maſtrium hinc. Fundamentum principale huius opinionis ſtatuitur in eo, quod terminus formalis actus fidei debeat eſſe ille terminus in quo quietatur vltimo anxius credulitatis curſus; ſed ſic ſolum quieſcit dum ad Deum vt talem pervenit, vt experietur quicunque gradatim per viam fidei vltimum terminum inveſtigans, v.g. qui credat aliquid, quia iam infallibile; infallibile credit, quia à ſimpliciter vero & veraci; ſimpliciter verum, & verax credit, quia ſimpliciter perfectum, ſicque quia Deus; ergo.

3 Contra hanc opinionem inſurgunt melioris notæ Scotiſtæ, & Thomiſtæ, prædictum fundamentum eradicare penſantes, diſtinguendo Deitatem aliter vltimam in eſſendo, & in ratione entitatis, & alter vltimam in movendo & formalizando fidem. Primo modo, vltimum eſt Deitas, cum in eſſendo, vltimum ſit primum. Secundo modo, vltimum, non eſt primum penes eſſe, ſed primum penes immediatè obijci, ſeu formaliter moveri, quo pacto linea formalis fidei ex obiecto, ab eo incipit, à quo formalizatur, ſicque primum formaliter eſt veracitas, in quo attributo quieſcit fides vt in ſuo obiecto, dum tale attributum quieſcit in Deo, vt in ſua natura.

4 Et vſque adhuc, expoſitio propoſita, attributis in muneribus non otioſis, conſonare videtur. Equidem, nullum datur attributum quod penes eſſe obiectum alicuius habitus, vel virtutis ſpecialem lineam non conſtituat; igitur non levioris numinis præ cæteris attributis erit veracitas; ſed ſi formaliſſimum fidei terminativum non ſit, nullus habitus, nec virtus reſtat, cuius ſit obiectum; ergo.

5 Deinde videtur non poſſe negari illud eſſe obiectum formale, quod diſtinguit, & ſigillat lineam formalem; ſed lineam fidei non diſtinguit, nec ſigillat Deitas; ergo. Prob. min. quia quod non eſt ſingularis, & dif-

diſtinctæ formæ nullum ſigillum diſtinctum, & ſingulare imprimit in vlla linea; ſed diſcurſando de fide, vt Aureolus, Deitas non eſt pro linea fidei quidquam diſtinctum, & ſingulare; ergo. Prob. min. quia ſic Deitas poteſt deſumi in obiectum formale ſpei, & charitatis, ſicut fidei; ergo. Prob. antec. quia ſicuti inquirenti in via fidei, vt Deus ſit verax invenitur eſſe, quia Deus; ſic vt Deus ſit ſuper omnia bonus, invenitur eſſe, quia Deus; & eſſe ſuperne ſperabile bonum æternum quia mihi incomparabiliter bonum, invenitur eſſe, quia Deus; ergo. Qui vero diſcurſus diſſonans apparet omnibus lineis; nam intellectus & voluntas diſtinctis rationibus formalibus deſignant obiecta; necnon diſtinctis rationibus formalibus ſibi deſignant habitus, vnaquæque potentia ſibi familiarem; igitur diſſonum foret, quod vnuſquiſque habitus ſic ſibi non deſignaret obiectum, tum ratio primi obiecti vſque ad habitum ſit affinis.

6 Deinde id ſolide examinantes, ex formali cauſali invenīemus veracitatem, ſicuti ex radicali & entitativa ipſi Deitatem inveniebant. Tenebatur enim illud eſſe verum, quia verax dixit, & tenebatur veracem eſſe, quia Deus erat. Si proprietas in fidei diſcurſu ſervetur, ſemper veracitatem reſpiciet, & ad eam pro formalitate actus reddet; quia ſi aliquis ad Deitatem immediatè poſſet aſcendere, & ſolius aſſeitatis conſcius ſtaret, inſtaret ipſi fidei præceptum, imperceptibile eſt mihi, quod veracitatis inſciua poſſet exhibere aſſenſum, vt patebit cuicunque id intra ſe comprobanti; ergo quia penes fidem, & Deitas ipſa vt moveat, vertitur ad informationem veracitatis. Et nunc, ſi aliquis ad Deum aſcendiſſet, dum aliquid credere vellet, eique diceretur, ex quo credis quia Deus? Statim reddet dicens, quia ille qui Deus, neceſſariſſimè habet, nec fallere, nec falli. Igitur quia curſus per quem quis ſiſtit in Deitate ſic, quod vltra non reddat, eſt curſus ſpectans ad lineam entitatis, penes quam radix ſic vltima, quod ea non curvetur, & vltra illam expectetur nil; & curſus per quem quis ſic ſiſtit in Deitate, quod reddere valet ad veracitatem, eſt curſus ſpectans ad lineam obiecti, & formæ, penes quam ſolum reſtat nil.

(***)

ART. II.

Circa Deitatem, vt primæ veritatis in eſſendo.

7 CAietanus, quem hīc P. Maſtriùs citaverat, prædictam opinionem aliquantulum modificatam defenſavit. Defenſavit ergo Deum eſſe obiectū formale fidei ſub ratione primæ veritatis in eſſendo, & conſequēter ſub ratione Deitatis. Aptius & proprius, inquit, cum Fides ſit virtus intellectualis, deſignabitur in obiectum formale fidei Deus, vt prima veritas, quam vt Deus. Et ſic ex ratione virtutis intellectualis in fide, ratio formalis obiecti eius, debet potius explicari per primam veritatem in eſſendo, quam in dicendo, nam Deus potius vt veritas in eſſendo, quam in dicendo actum fidei terminat, vt expenderetur terminatio ſi fiat reſolutio vſque ad ſiſtendum in vltimo, prout ſupra ſub conceptu Deitatis pro Aureolo exponebamus.

8 Hæc opinio parum ſic modificata, videtur non ſic diſtare ac prima verſus fidei lineam, vtpote ſupra, vel intra verum delineata. Verum, prout Caietanus intendebat, intentę fidei proprietati ſatisfacere non videtur. Deus enim in ſe verus eſt, verumtamen vt actum, qua fidei verum denominet, plus vltrà formaliter requirit. Suadetur, quia quodlibet ens creatū veritatem in eſſendo ſic habet ac ipſe Deus, penes reddere actum verum; ergo cum fides penes Deum, infallibilior ſit cæteris actibus fidei extra ipſum, ab alio prædicato extra veritatem in eſſendo debet ſumere ſuæ certitudinis inæqualitatem, & excellentiam. Suadetur, & explicatur intentum. Quilibet enim actus qui eſt conformis obiecto ita certiſſimus eſt vt in hoc veritatis ſcopo excelli non poſſit, vnde divinus actus etiam circa limitatum obiectum conformis ea certitudine veritatis gaudet, ac circa ſe ipſum; ſed certitudo fidei excedi poteſt, vt patet iuxta teſtimonium aſſeverantis, quo pacto ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt; igitur quia terminus fidem noſtram formalizans, movens, & certificans, extra verum in ſe, ſeu in eſſendo tenet eam certitudinis, & inęqualitatis excellentiam.

9 Dices ſtatim, ita videri, verumtamen ſemper illa certitudo in veritatem in eſſendo vltimo reſolvenda, quia illa maior certitudinis excellentia, & inæqualitas ex veritate in eſſendo deſumitur, quia enim Deus eſt in ſe pri-

primum verum , & teſtimonium eius maius eſt. Contra hanc ſolutionem militant ea omnia, quæ ſupra diximus contra reſolventes fidem in Deitatem,quia ſi Deus non foret,non foret verax. Similiter hinc applicanda , dum dicitur , quod non foret verax ſi taliter non foret in ſe verus , & taliter non foret in ſe verus , ſi non foret Deus.

ART. III.

Circa Auctoritatem aſſertoriam.

10 Accedentes nunc ad auctoritatem aſſertoriam, videtur rectè theologizare eos, qui eam pro obiecto formali fidei noſtræ adſtruunt ; quia qui certo ſciat,aliquem nec fallere nec falli poſſe , vt eius dictis firmiter adhæreat , nullus reſtat dubitationis locus. Si enim alicuius obiecti habuiſſemus nos intuitionem, omni dubitatione ſecluſa, noſtri actus intelligendi haberemus firmitatem , quia de eo quod obiecta res erat in ſe,non trepidaret ex intelligentia alterius , notitia ; igitur dum nobis infallibiliſſimum adeſſet , aliquem non poſſe non intelligere rem vt intelligeretur à nobis ſi intueretur , & deinde intueremur ſic certum eſſe dicere quæ intuebatur , ac nobis foret certum ſi nos nobis metipſis dicere poſſemus , quæ rei quod erat intueremur , tunc penes aſſenſum ex alterius motivo deductum , incertitudinis nullus remaneret locus. Hęc mihi , & fere omnibus indubitanter habita. Ex alio capitè vires noſtras conſternunt difficilima multa , quorum forſan infra in oppoſitorum ſolutione.

11 Verùm pro Aſſertoribus huius opinionis , ni fallor , aliquid non leve prævenire vellem. Vel enim hinc loquitur de obiecto & motivo infallibilem reddens fidem , vel vltra infallibilitatem reddens etiam fidem theologicam. Si loquatur de motivo purè relinquente infallibilitatem , ſufficit in motivum veracitas aſſerentis , quia eo ipſo quod illa ſit infallibilis , infallibile erit quod ab ea dicatur. Si vero loquatur de infallibilitate inſimul theologizante fidem , non videtur ſufficere, quod ſecundum ſe præciſe dicit auctoritas aſſertoria , cum iſta ſecundum ſe non exprimat Deitatem,cuius expreſio requiritur in quocunque actu ad ipſam terminato, qua talis actus theologicus eſt.

12 Quod enim talis diſtinctio præveniēnda ſit,videtur congruentiſſimum. Quia ſi aliqua creatura poſſet eſſe verax , tunc ſufficiens motivum haberemus in ea , vt ipſius dictum teneremus infallibile ; & tamen tunc non ſufficeret motivum vt actum aſſenſus noſtri teneremus theologicum. Neque ſuppoſitio eſt de prædicato per locum intrinſecum repugnanti,cum iam ſatis probabile ſit, nō repugnare creaturas quibus videre Deum, impeccabiles eſſe &c. ſit connaturale ; igitur ſic probabile non repugnare creaturas quibus ſit connaturale cognoſcere rem ſicuti eſt, & dicere ſimiliter , ac proinde eſſe veraces, ſicuti nunc exiſtentibus eſſe mendaces , non videntes Deum , & peccatrices connaturaliſſimum. Vel ſi noſtra converſatio in Cœlis foret, aut ſicuti Angeli,& Beati , qui veraces ſunt, idque naturaliter , per ſpeciem abſque divina revelatione ex attextante cognoſceremus.

13 Dum igitur id eveniret , prout evenire poſſe probabiliter , & ab aliquibus pro viribus defenditur , congrue tenenda noſtra diſtinctio, quia motivum quod ſufficere poſſet ad certitudinem, nunquam ſufficere poſſet ad theologalitatem. Convincitur clarè in duplici actu , dum vterque verus ſicuti evidens, ſecus autem vterque theologicus. Deū v. g. eſſe , naturaliter cognoſcitur intra evidentiam ; & ſic evidenter naturaliter cognoſcitur , omne totum eſſe maius ſua parte &c. ſic. Et tamen primus actus valet dici theologicus , prout *in* 2. *quæſt.* expoſuimus , ſecus autem ſecundus ; igitur ſicuti intra lineam evidentiæ non eſt theologicus omnis actus, nec theologicus erit omnis actus intra lineam certitudinis.

14 Dices in nos, quæ ſupra in eos dicebamus,S, ſic fidem noſtram theologicam nullum habere ſpecificum & formale , quo præ cæteris diſtinguatur , quia ſi vt theologica Deitatem requirat, eam etiam ſpes, & charitas theologicè requirunt ; igitur dum nunc indiviſa Deitas diſtinctis in ſe virtutibus non obſtet , nec ſupra obſtanda videtur. Non obſtat hæc increpatio noſtrę expoſitionis intento. Libentiſſime enim concedam virtutes theologicas ex theologalitatis ſcopo non eſſe diſtinctas , quia dum pro virtutibus inquiritur theologalitas , non diverſa , ſed eadem norma adſtruitur, prout *in quæſt.* 2. tres illas virtutis theologicæ conditiones vniformiter cum Subtili Magiſtro adaptavimus.

15 Fides itaque theologica duplicem involuit formalitatem, S, fidei , & theologicæ. Secundum theologicę formalitatem convenit cum cęteris virtutibus theologicis,cum ab eadem ratione & metro habeant omnes theologicæ eſſe. Differt tamen ſecundum formalitatem fidei , quia vt fides formaliſſimè

ſolum

ſolum petit veracitatem in atteſtante, qui conceptus tametſi ſuperna theologalitate elevatus, in ſua ſpecifica formalitate perſeverat. Et ſic ſervata proportione de reliquis virtutibus. Spes enim ex peculiari formalitate ſpetandi, ſolum petit quod ſpetanti commodum; ex formalitate vero theologicæ, petit quod ſperanti eſt infinitè commodum. Sic charitas ex amore ſuæ amicitię ſolum petit bonitatem quia in ſe bonam; ex amicitia vero theologali petit bonitatem, quia in ſe infinitè bonam. Ubi ſatis clarè conſtat, quod conformiter ad formalitates virtutum, & in earum obiectis correſpondent, ſicuti correſpondere debent formalitates, obiecta enim ſuorum actuum fuerunt ſemper menſuræ. Et etiam ſicuti habitus superni intellectus, & voluntatis conveniunt in ratione ſupernaturalitatis, & differunt in ſpecialibus alijs habituum rationibus, ſic pariter circa vnitatem, & diſtinctionem prædictarum virtutum theologizandum.

16 Dices quod quodlibet divinum attributum ſufficit ad ſpecificandum actum theologicum; ergo & auctoritas aſſertoria. In primis dici poteſt, quod contrarium antecedentis probabile eſt. Deinde eo dato, dicimus, quod tunc attributum valebit ſpecificare actum theologicum, quando ſic counoret, aut inducat Deitatem, quod attributum non poſſit intelligi, quin inſimul divinum eſſe intelligatur, v.g. ſubſtantialiter cognoſcere, & amare, Omnipotentem eſſe, &c. vel ſic quod attributum aliquo Dei modo intrinſeco circunſtetur; v.g. infinita miſericordia, immenſa Maieſtas &c ſic. aut inducendo ſaltim in obliquo ſubiectum, cuius forma attingitur; v.g. ſapientia Dei, veracitas Dei &c. Aliter enim, nil mirum quod attributa actum theologicum non poſſint ſpecificare, quia ſi ſapientia, miſericordia, &c. ſic ab intrinſecis modis Dei præſcindantur, remanebunt indifferenter, & tranſcendenter intelligenda. Et id deducitur ex eo quod aliqua attributa ſecundum ſe Deitatem non deducant, v.g. immaterialitas, quin & infinitas in plurium ſententia, & in noſtra veracitas, prout exponebamus ſupra.

ART. IV:

Circa Divinam revelationem.

17 Divinam revelationem eſſe dumtaxat obiectum formale fidei inter alios tenet ex Noſtris P. Poncius *dp.* 27. *q.* 2. *nu.* 7. Tenebant alij primam veritatem eſſe obiectum formale fidei, prout & nos tenebamus in auctoritate aſſertoria, verùm illi tenentes inſimul tale obiectum formale ipſa revelatione integrari. Ita Suarez, Amicus, & Arriaga cum alijs quos citat P. Maſtrius *dp.* 6. *q.* 2. Alij vero ſic tenent auctoritatem aſſertoriam eſſe obiectum formaliſſimum fidei, quod revelationem vt puram conditionem requirant. Ita melioris notæ Scotiſtæ cum Maſtrio vbi ſupra.

18 Si circa præſentem difficultatem, quę vera, ſentienda ſint, fatear defenſantes revelationem intra obiectum formale fidei capiendam, probatiſſimè, & iuxta fidei ſcopum propriſſimè videri fundatos, verum ſi rigoroſo probationum apici aliquis ſtare voluerit, fere omnia revelationi faventia, facilimè ſolver, prout ſolvi notavi, dum neceſſitas revelationis, neceſſitati conditionis appropriatur. Et ratio eſt, quia quidquid fortius dici poteſt de externa Dei revelatione, reducitur ad id, quod extra rationem actus credendi ſimet infallibilitatem, & iam in ſummo, quod nec ipſa veritas divina ſit ipſa infallibilior; necnon quod revelatio ſic principaliſſima, quod valeat exprimi vt cauſalis ad credendum, dicitur enim honeſte, credo id quia revelatum divinitus. Etenim hæc, quę apriora videntur, & ad quæ principaliter argumēta reducuntur, Auctores purè conditionantes facilimè diſſolvunt, cum conditio ſi vrgentiſſima ſit vt forma aliqua denominet, ea omnia exprimere poſſit ex ſola conditionis neceſſitate, cum non ſit alia neceſſitas formæ, ac ſit neceſſitas conditionis, prout perſuadent ferè omnia exemplaria; dicitur enim animam nedum vivificare corpus quia actus vitalis, ſed quia vnita; albedinem diſgregare viſum, nedum quia concors luci ex colore, ſed quia proportionate propoſita; ignem nedum calefacere quia calidus, ſed quia ligno approximatus; Deum nedum movere quia verax, ſed quia verum revelans.

19 Conſimiliter Auctores revelationē conditionantes vim omnem revelationis inſtaut ex Eccleſiæ propoſitione, torquentes retorquendo argumenta. Veriſſimum enim eſt, quod revelatio à Deo Chriſti Vicario facta non ſit infallibilior, ac revelatio vlterius à Chriſti Vicario propoſita; necnon cauſaliter valet exprimi Eccleſiæ propoſitio, dum non crederem Evangelia, niſi quia ad id Eccleſia vrgebat; & ſic poſſem cauſaliter conſimiles propoſitiones ac ex Deo vt revelante, neceſſitate ex Dei Vicario vt proponente, & tamen ſic motivum formale fidei non ampliatur,

tur, cum tunc maior foret difficultas in inveniendo aliquam conditionem, ac ſit nunc vt puritas ſolius formæ motivæ inveniatur.

20 Neque ſatisfacere videntur illi, qui vt reſpondeant ad illud, quod ſcilicet revelatio ſolum eſt applicatio, & connexio formæ veracis ad potentiam, diſtinguunt aliam connexionem ex obiecto formali ad materiale, & aliam ex vtroque ad potentiam; non enim ſatisfacere videntur, quia licet revelatio dę per ſe, & ex munere ſpeciali ſolum foret applicatio, & connexio obiecti formalis ad materiale, nunquam conditionis munus ſuperaret, quia nulla connexio & applicatio formæ ad materiam, valet eſſe quidquam ipſius formæ. Deinde, quia prout iam expoſui in pręcedenti quęſt. nil proficit pro fidei exercitio applicatio vnius obiecti ad aliud, ſi non ſit applicatio inſimul ad potentiam, quia ſi dum Deus aliquid revelat, alicui non revelat, tunc non revelare cenſetur. Si vero revelat, vtpote alloquitur, tunc & vſque ad potentiam, vtpote audientem applicat. Si ſoli Papæ alloquatur, ad huius potentiam fit applicatio; & dum Papę ad cæteros, intelligitur æquivalenter ſic perſeverare eamdem locutionem, ac ſi ipſe Deus qui loquebatur Papæ, & loqueretur eis.

21 Exiſtimo ergo quod, vt dilucidetur, & ſciatur, an revelatio ſit aliquid motivi formalis, vel adęquatum motivum, an vero nil ſit vltra puram conditionem, præſens diſputatio exactius alioque metro eviſcerari debet, prout cupio, hinc ſolius veritatis nudæ intendens ſcopum.

22 In primis ergo pulſemus quid ſufficiat vt de primo ad vltimum aliquis ex valido motivo ſupremam fidem eliciat. Si quis enim dicat, *Credo hæc, vel illa, quia dixit ille qui mentiri non poteſt*; iſte non videtur expreſſè & explicitè attingere motivum fidei ex formalitatibus requiſitis, quia poteſt aliquis non mentiri, & dicere falſum, cum veracitas mendacio oppoſita, de per ſe non requirat conformitatem obiecto, ſed mentis conceptui, quare falſitas dicitur ab eo quod res eſt, mendacium vero ab eo quod concipitur. Igitur ex conceptibus in ſe formaliter habitis, cum iſti conceptus diſtinctè habeantur, ad motivum fidei adæquandum plus vltra veracitatem (puta prędicatum ſoli mendacio oppoſitum) requiretur; quia licet qui non poſſit mentiri, talis conditionis videatur eſſe, quod nectat & non poſſe falſo intelligere, at ex præciſe non poſſe mentiri, motivum credentis non adæquabit, vt patebit vnum conceptum diviſum ab alio ſupponenti, vt dum Deus vellet aliquem manutenere circa poſſe mentiri, ſecus autem circa vera capere.

23 Similimo ſcopo poteris diſcurrere penes eum, qui dum mentiretur, dicere poſſet verum. Qua propter ſolidiores Theologi vtrumque conſtruunt in auctoritate aſſertoria, ſcilicet, adęquantes eam ex conformitate mentis ad obiectum, & ex conformitate dicti ad mentem, quod ſonat vulgare illud, *nec poſſe fallere, nec falli.* Nunc eviſceranda venit revelationis difficultas. Deum enim non poſſe falli, quid ſit, clariſſimum eſt. Nam non poſſe falli, nil aliud eſt, quam ex comprehenſivo ſuæ cognitionis ſic cognoſcere omnia vt ſunt in ſe, quod nil ſiut vltra cognitum à Deo in eis. Eſt igitur non poſſe falli, neceſſario habere actum formalem conformem obiectivo.

24 Vellem audire nunc, quid ſit Deum non poſſe fallere? Equidem difficilimum eſt, niſi in ipſo conceptu formali non fallendi ingrediatur revelatio. Quia Deum non fallere, non eſt aliud, quam *dicere conformiter menti rectæ*; hoc complexum integrat totam rationem formalem conceptus non fallendi; ſed eſt imperceptibile in ſuo eſſe formali, id quod formaliter conflatur *ex dicere conformiter ad mentem*, quin ex *dicere* formaliter confletur; ergo.

25 Dices, quod complexum illud ſalvabitur, dum *dicere* ſit conditio. Contra, quia non minus *non falli* dicit intellectionem conformem obiecto, quam *non fallere* dicit dictum conforme menti; ſed complexum illud, non falli integrans, vt conditionem non dicit intellectionem, quæ eſt conformis, quin totum illud complexum formaliſſimè dicit; ergo complexum illud, non fallere integrans, vt conditionem non dicet dictum, quod eſt conforme, quin formaliſſimè dicet totum complexum.

26 Venio iterum, & audire cupio, quid ſit non fallendi conceptus? Præſcindatur dicere, & revelare, & mihi deſignetur quid formæ talis conceptus remaneat. Licet enim præciſis conditionibus concreta diſolvantur, formæ tamen ſemper percipiuntur, vt patet in abſtractis, & abſque mendacio abſtrahentibus. Necnon patet in exemplis ſupra à conditionantibus revelationē adductis, quia licet non ſubſiſtat calidum, animatum &c. ſine propriſſimis conditionibus, tamen ſemper percipitur calor, anima &c. præciſa ſic revelatione, quid formæ percipitur pro conceptu non fallendi? Remanet mens, ſed hæc ſecundum ſe nil pro non fallere formalizat,

tum

tum quia ſecundum ſe indifferens, vt mentiatur vel ne; tum quia in Deo, eadem indiviſe ſecundum ſe, indifferens eſt vt dicat, vel vt taceat; vlterior enim determinatio requiritur vt dicat; tum quia potius habet videre & tendere ad obiectum, quam ad dicere, & tendere ad nos.

27 Dices, ni fallor apud Maſtrium, duplicem dari locutionem in Deo, internam vnam, & externam aliam, & hanc eſſe revelationem nobis factam, & conditionem formæ, quę eſt interna, nobis manifeſtata. Bene eſt, videamus quid ſit interna locutio Dei? Etenim, prout Maſtrius ipſe exponere videtur *art* 1. *num.* 55. non eſt aliud, quam iudicium, quo Deus iudicat aliquam rem eſſe veram. Et profecto, nil aliud eſſe poteſt, quam divina cognitio rei prout eſt in ſe; ad intra enim & eſſentialiter, alio modo Deus non poteſt alloqui. Hic actus probat formaliſſimè & directè Dei veritatem, vt probat quivis actus conformis obiecto, non vere probat Dei veracitatem, quia diſtinctæ formæ ſunt, & diſtincti conceptus obiectivi iſtę propoſitiones: *Aliquis actus petit & eſt conformis obiecto*; *aliquis actus petit & eſt conformis actus.* Primus eſt de conceptu non fallendi ſe, ſecundus de conceptu non fallendi alios. Primus habet pro obiecto obiectum; ſecundus habet pro obiecto actum alterius obiecti, Primus eſt communis ſcientiæ, & fidei; ſecundus ſoli credenti proprius. Vellem ſemper audire, præciſa revelatione, quidnam ſpeciale remaneat pro veracitate, ſeu non fallendi conceptu?

28 Dices, conceptum formaliter moventem ad credulitatem eſſe ipſum actum formalem vt rei conformem, quia credam ego aliquod dictum eſſe verum, eo ipſo quod ſciam, illum cognoſcere rem vt eſt; tota enim dubitatio credituri ſtat in eo, quod neſciat an quod dicitur ſit ſic in ſe; igitur dum ſciat aliquem cognoſcere rem vt eſt, & aliàs omnia ſemper ſic cognoſcere, vt credat non plus requirit, quam quod ſciat, quod illud eſt cognitum ab illo, Deo, S; igitur forma erit ipſe divinus actus formalis conformis rei in ſe, quin alio egeat, quam notificante talem actum terminatum ad obiectum, ac proinde revelatio ſolum requiretur vt conditio.

29 Prędicta licet à primo intuitu quietare videantur, ſecus vero radicitus examinata. Certũ eſt enim, quod credam aliquid eſſe verum, eo ipſo quod ſciã cognitionẽ alicuius illud & omne cognoſcere prout in ſe, ita vt ſolum reſtet notificatio cognitionis illius; ſic enim ſic credam, ac crederem aliquid, ſi ſcire poſſem illud in ſe; idem enim eſt, ſicuti & eadem dubitatio, S, ex quo motivo ſciam aliquã cognitionẽ eſſe conformem rei in ſe, prout mihi ſic conformem eſſe notificatur? Non enim aliud requiritur, ac requiram vt ſciam rem prout in ſe, Plurea enim rem pro vt in ſe cognoſcunt, dum ego ignoro; verum mihi non minus difficilis certitudo rei quam ignoro, quam cognitionis eius abſque alio certitudinis motivo ignarus.

30 Dices, & aptius, quod eo ipſo quod ego ſciam, aliquem talem eſſe, quod quodlibet cognoſcat vt in ſe eſt, ex hac perfectione inferam aliam, S, notitiam mihi ab ipſo participatam, certificare cognitionem conformem; ac proinde adæquate & ex omni parte proponi firmum motivum credulitati. Hęc libenter admittam, quia vt initio quæſtionis innui, concedi valet, quod eo ipſo quod aliquis ab intrinſeco habeat eſſe verum circa omnia, & habebit eſſe veracem circa omnes. Verùm id, non probat quod actus formalis conformis obiecto, ſit ſpeciale illud quod quietat & correſpondet credulitati. Solum enim probari poſſet, quod vna perfectio inducat aliam; & ad ſummum, quod vna ſit radix alterius, vt intellectus voluntatis; ſed ex hoc potius probatur, quod danda ſit alia, quią quod aliquid conſequi ſit neceſſarium, neceſſatio probat diſtinctum quod antecedat.

ART. V.

Proponitur verior reſolutio.

31 RESolvendum firmiter, motivum formaliſſimum fidei noſtræ, adæquari ex integra veracitate revelantis, ita vt revelatio ſolum ſit conditio. Exponitur reſolutio. Quia id adęquat vt forma ſubiectum, ſeu potentiam, quo applicato, nil deeſt, vt ſubiectum maneat exactè determinatum, & ſic potentia penitus habilis ex parte obiecti, vt terminum ſuum attingat; ſed integra veracitate applicata, ſeu propoſita potentiæ, nil deficit vltra; ergo. Diximus integra veracitate revelantis adæquari motivum: quia vt iam expoſuimus, non ſufficeret ſcire revelantem non fallere, ſi inſimul nec falli poſſe ſciretur, & è converſo; quare veracitas integrè accepta, debet pro adæquata quiete credentis amplectere etiam veritatem revelantis.

32 Id clariſſimè offertur. Quia nil refert me ſcire Deum omnia vt in ſe debere

cognoſ-

cognoſcere, ſi non ſciam omnia ſic debere dicere; igitur ſicuti debeo in Deo concipere medium neceſſarium, vt vere intelligat, & concipere debeo medium æquè neceſſarium, vt vere dicat. Hoc enim formaliſſimè fidei motivum completur, præ actibus veritatem ipſam obiecti, vel in ſe, vel in luce requirentibus, prout deſignarat Scotus *in 3. d. 23. q. 1. à §. Secundo de fide infuſa*, aiens: *Et hoc modo dicendo fides non habet certitudinem ex obiecto, ſed ex veracitate teſtis, S, Dei. Et hoc modo facile eſt videre, quomodo fides eſt cum ænigmate, & obſcuritate: quia habens fidem non credit articulum ex evidentia obiecti, ſed propter hoc quod aſſentit veracitati infundentis habitum, & in hoc revelantis credibilia.* His ita clare habitis, ad punctum principale camus.

33 Præciſa igitur revelatione, ſi ſermo ſit de formaliſſimè habitis, datur in Deo veracitas, quæ eſt ille formali ratione motivi obiecti pro fide credendis. Veracitas itaque eſt forma quædam, per quam divina voluntas divinæ intellectioni, ſeu veriſſimo actui Dei conformatur. Eſt namque infinitè recta divina voluntas, virtute cuius rectitudinis, vult eſſe conformis cum eo, quod perfectiſſima ratio exprimit, & dictat; dictat enim divina intellectio aliquid eſſe verum; dictare debet divina rectitudo, id manifeſtare vt dictat intellectio eſſe neceſſariſſimum, nam aliter daretur inter divinas potentias diſcordia, & diſſonantia, cum vna foret in eo quod cognoſcit conformis cognito, & altera in eo quod illam cognoſcere diceret, foret diſformis cognoſcenti.

34 Prædicta conformitas, vtpote in ſumma rectitudine divinæ voluntatis poſita, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ac proinde indefectibilis, cum ex rectitudine volentis, perfectiſſimę rationi conformiter alloqui, In quolibet ſuppoſito ſit melius, quam contrarium, vtpote diſſonantia. Verum cum hoc diſcrimine, quod talis forma ſit Deo neceſſariſſima, licet exercitium ſit contingens. Sit contingens, ita, quod liberum ſit Deo nobis actum ſuum formalem manifeſtare, at ex ſuppoſitione quod manifeſtare velit, debeat ex ſumma ſua rectitudine, conformiter, vt dixi manifeſtare. Eo enim pacto, quo liberum eſt Deo velle vel non velle ad extra, at ex ſuppoſitione quod velle velit, debet ex rectitudine volitionis divinæ ſe conformare perfectiſſimæ ſuæ rationi, dictanti & cognoſcenti non deberi velle malum. Ita, ſervatis ſervandis.

35 Quo theologizandi ſcopo veramque trepidandi viam ſecuram inveniet credentis animus. Primam, cum ſciat, revelatum non poſſe ſubeſſe falſo, eo quod revelans diſſonari poſſit cum vero cognito. Secundam, cum ſciat non poſſe ſubeſſe falſo, eo quod revelans diſſonari poſſit cum cognoſcente. Salvatur etiam formaliſſimus apex formæ veracis; quia veritas eſt ſpecialiſſima intellectui, cum rem cognoſcere vt repræſentatur eſſe non ſit voluntarium; ſecus autem rem dicere, cum mentiri voluntarium ſit ex conceptu ſuo, ac proinde alterius lineę erit eſſe veracem, ac eſſe verum. Nec id diſſonat divinę voluntati ea parte, qua veracem eſſe dedimus neceſſariſſimum; concordat enim trita Scotiſtarum doctrina, iuxta quam voluntariam ſtabilimus Spiritus S. proceſſionem, & amorem circa divinam Eſſentiam, eo quod divina voluntas cum ſummè recta ſit, ipſa licet neceſſariſſimè ſe tamen determinat conformiter, & non ab alio, vt intellectus, ſic conformis quod amet ſuper omnia, quod ſuper omnia amandum divina ratio dictat.

36 Ipſo necne theologizandi ſcopo ſalvatur nunc revelationem, vtpore externam illam manifeſtationem non eſſe formale motivum, cum penitus & ſufficienter ſalvetur in veritate, & veracitate, prout expoſuimus. Pręciſa igitur revelatione, remanet nunc forma, ſcilicet veracitas, remanet ſiquidem rectitudo formalis divinæ voluntatis, quæ valet exprimi per virtutem supremę rationi in dictis & in factis ſuis conformem. Itaque revelatione, dumtaxat habetur, quod prædicta forma exerceatur, & applicetur ad potentiam, eo pacto quo anima noſtra rationalis & ſic quæcunque forma non percipitur informans, & ſe exercens quouſque vnio, aut hæc vel illa conditio ſit applicationis requiſitum. Et ſic quæ in contrarium ſupra dixi, facile ſolvuntur, quia ſicuti in complexo veri, forma intelligendi activè eſt virtus ipſa intellectionis divinæ, ſic forma dicendi in complexo veracis eſt virtus ipſa conformandi rectè. Et ſicuti ablato hoc vel illo obiecto, forma intelligendi ſemper manet in Deo, ſic ablato hoc vel illo revelato forma dicendi & in ipſo ſemper manebit &c. ſic obſerva.

37 Neque multum obſtant, quæ P. Maſtrius in noſtrum Patrem Vulpium adducebat, ea parte qua divinam voluntatem vno aut altero modo requirebat. *Art, enim* 2. *n.* 22. inquit Maſtrius, quod nullus credet aliquid, quia Deus illud revelare voluit, ſed potius quia Deus verax illud revelavit, & voluntatem ſupponet vt conditionem; ſicut & nos credimus dictum à Petro, non quia

id dicere voluit, ſed præciſé quia hoc dixit, ad hoc vt obiectum formale fidei humanæ ſit dictum ipſius, volitio vero ſupponitur vt conditio; quod ex fidei voce deducitur, nam ex communi omnium ſenſu, non dicitur fidem eſſe aſſenſum nitentem voluntate alterius, ſed dictis alterius; ipſa ergo volitio Dei erit conditio, eiuſque dictum formale obiectum. Quod ſuadet textu Pauli, quem non refero, quia nil ad intentum exprimit.

38 Hæc itaque, noſtra expoſitione ſuppoſita, parum vrgere poſſunt. Si namque ſciam ego, in voluntate alicuius eſſe, dicere quod cognoſcit, licet verum cognoſcere in eius voluntate non ſit, ſin autem ſic erit verum dicere, quod dicat verum, quia præciſé vult. Actus enim veri principium, nec formale aliquod eſt voluntas, ſin autem actus veracis, cum iſte alterius lineæ formalis ſit à vero, aliquis ſiquidem poteſt deficere in linea veri, quia mali intellectus, & non deficere in linea veracis, quia bonę voluntatis; igitur in aſſenſu vtpote fidei, qui vtramque lineam formaliſſimè ambit, & ne deficiat, vtramque æqualiter requirit, dum veri actus ſint principium intellectus & obiectum, & veracis actus erunt principium intellectus & voluntas; ex vtroque iſto derivatur veracitas, ſicuti ex vtroque illo pariter notitia ſeu veritas. Neque hinc potius immorandum, cum horum fundamentum ſupra maneat extenſe poſitum.

ART. VI.

Circa revelationem, vt obſcurè requiſitam.

39 Circa obſcuritatem in revelatis requiſitam, dupliciter iam eam attendunt Doctores. Primo ex parte rei revelatæ, quod attenditur, quando res revelata non ex viſione ſcientiæ, ſed ex auditu fidei eſſe Intelligitur. Secundo ex parte revelantis, quod attenditur, quando nec revelatio intuetur, quin etiam ipſa credatur, cum Deum alloqui tametſi certum ex auditu, ſecus autem ex intuitione clarum. Uno, & altero modo inveſtigatur, an obſcuritas ſit de conceptu formali motivo noſtrę credulitatis. Circa primum modum obſcuritatis plures affirmant cum Suario *dp.* 3. *ſec.* 7. Negant alij, inter quos noviter P. Maſtrius pro ipſis Scotum adducens *in* 3. *d.* 31. *q. vn. in corp.* quem vidi & memorantem aptius *diſt.* 26. *q.* 1. de quibus infra dicam.

40 Præſentis controverſiæ pertingere centrum intendemus ſtatim. Affirmativæ partis Auctores, fidei ſpecialem normam conſiderantes, eam abſque obſcuritate formare non valent; quod revera non leviter impellit, quia fides, quæ dicit aſſenſum obſcurum eſſe, non minus intrinſecè deficiet, deficiente conceptu & formalitate aſſenſus, ac deficiente formalitate obſcuritatis; igitur ex obiecto non minus requiritur quod moveat vt eliciatur aſſenſus, ac quod moveat, vt obſcurus eliciatur.

41 P. Maſtrius prædictum fundamentum retardare intendit, in eo nixus, quod ratio formalis auctoritatis aſſerentis movet ad aſſenſum, nam obſcuritas non movet, quinimo retardat aſſenſum, non enim aſſentimus quia verus & ſummè verax revelat obſcure, ſed quia ſummè verax revelat; ac proinde veracitas erit de formalitate obiecti, obſcuritas vero de conditione concomitanti, tametſi cum obiecto materiali neceſſario coniuncta.

42 In pręfatis vtriuſque viæ doctrinis ſtat ſumma controverſię. Et licet revera difficile poſſint negativi Doctores impugnari, tum ex ratione iam poſita, quæ eleganter ſuadet, tum ex poſitione conditionis, quia quæcunque maioris vis poſſint adduci ab affirmativis, conditionis neceſſitate poſita pro obſcuritate, omnia evacuantur, verum debita partis affirmativè anxietas non videtur quietari. Licet enim obſcuritas retardet aſſenſum, verumtamen non retardat fidem, cum obſcuritate ablata potius fides retardaretur, nunquam ſiquidem fides poſſet venire; igitur formalitas obſcuritatis, attributum ſpeciale eſt motivi. Deinde, inquiebat, movemur quia verax revelat, non quia obſcure revelat: moveamur ergo ſic, quod impoſſibile eſt; igitur datur obiectum formaliter motivum impoſſibili actu ad obiecti motivi proportionem, quod non minus impoſſibile. Deinde ſi verax eſt qui movet, & obſcuritas non, quinimo retardat, ſi ob hoc expellenda obſcuritas à formalitate motivi, ex quo non expellenda, vt concomitari illud de per ſe petat? Neque ignoro conditiones omnes extra ſcopum formarum requiſitas, ſecus autem vlla ſcopo formæ contradicens, ipſamque retardans.

43 Verum enim vero cū Subtilis Doctor *in diſt.* 31. contraria pulſet, & *in diſt.* 26. doctrinis ſatisfaciat, ideo negativæ parti favere, neceſſarium. Quod enim extra purum conceptum motivi formalis indiſpenſabiliter requi-

requirantur conditiones, paſſim ſuaderi poteſt, vt videre eſt in bonitate cognita, vbi licet cognitionem ſecum petat de per ſe concomitari bonitas ipſa, communiter tamen tenetur, quod ſic ſola bonitas moveat, ac ſi pro ratione formali, nulla daretur cognitio. Et ſimiliter hinc theologizari poſſet exemplo revelationis pro credendis propriæ, apud expellentes revelationem à formali motivo credulitatis. Verùm, quia contraria opinio his forte non ſatisfacta, ad Scoti proportionata exemplaria ſtatim deveniendum.

44 Ad rem ergo adducendus eſt Scotus ex *diſt.* 26. *q.* 1. *à* §. *Prima circunſtantia*, vbi virtutem ſpei, theologicam eſſe ſuadet, quin obſtet deſiderare divinam bonitatem mihi bonam, quia enim indiſpenſabile eſt deſiderare illud mihi, (inquit Scotus à verſ. Hæc etiam virtus) vel tali, vel tali, non tollit quin deſiderem illud vt obiectum. Deinde addit Scotus: quod ſi dicatur deſiderium includere abſentiam obiecti, & ita conditionem temporalem in obiecto. Hoc non videtur probabile, quia ſecundum eamdem rationem formalem reſpicit obiectum ſpes, & tentio, ſicut eadem eſt ratio formalis tendendi in illud, & quieſcendi in eo: ſed differentia eſt, quia illud obiectum eſt diverſimode approximatum; quia abſens, vel approximatum imperfectè deſideratur; pręſens autem vel perfectè approximatum amatur: ſicut in naturalibus ignis magis & minus approximatus cauſat calorem remiſum, & intenſum, non tamen calor in igne eſt maior ratio activi in cauſando, vel calefaciendo hoc vel illud. Similiter Sol cauſat radium rectum, & reflexum, magis & minus diſtans. Hæc Subtilis.

45 Igitur *abſentia*, circunſtantia *cui* deſideratur &c. ſunt de ratione motivi formalis ſpei theologicæ? Abſit. Suadebis bene, quia per locum intrinſecum repugnet ſperare niſi abſens, deſiderare niſi alicui? Nullo modo. Dum tamen verum eſt, quod non minus ſpes requirat bonum abſens, quam fides verum obſcurum. Movebat enim obſcuritas in veracitate reſpectu aſſenſus fidei, ſicuti abſentia in bonitate reſpectu volitionis ſpei. Et ſicuti bonitas pro ſperandis etiamſi habeat extra motivum formale abſentiam, ſpes eſt talis ſcopi quod petat concomitari abſentiam, aliter præſentia comite iam impoſſibilis erit ſpes; ſic veracitas pro credendis etiamſi extra motivum formale habeat obſcuritatem, talis ſcopi eſt fides quod petat concomitari obſcuritatem, aliter tametſi, impoſſibilis ſit fides. Et ſicuti idem bonum diverſimode applicatum, ſeu conditionatum valet eſſe terminus diverſorum actuum vtpote ſpei, & tentionis, præſentis & abſentis, quieſcentis & laborantis &c. ſic. ſic idem verum diverſimode conditionatum poterit terminare ſcientiam & fidem, clarum & obſcurum, quietum & laborioſum &c. ſic. Et ſicuti abſentia non movet, quin retardat ſpei affectum, licet abſentia ablata ſic retardetur ſpes, quod evacuetur, & ire non poſſit, ſic obſcuritas non movebit, quin retardabit fidei aſſenſum, licet obſcuritate præciſa ſic retardetur, quod venire non poſſit, cum evacuetur per claritatem, veluti ſpes per tentionem. Et tandem ſicuti ex imperfecta approximatione boni ex circunſtanti abſentia, movet bonum & non abſens, ac proinde dabitur obiectum formale, impoſſibili actu ad proportionem obiecti motivi, cum ſine abſentia quæ non movet repugnet ſpes, conſimiliter theologizanda fides, eam retardans conditio obiecti ſeu formæ, ita vt obſcuritas dum requiſita, ſit formæ obiectivæ diſſonans, ſicuti formæ obiectivæ diſſonans eſt abſentia dum requiſita.

46 Hæc expoſui, ni fallor, iuxta genuinam mentem Subtilis Magiſtri, notari rogo.

ART. VII.

Circa obſcuritatem ex parte revelantis.

47 CUm poſſet res revelata manere obſcura, & inevidens, ita vt ſine tali obſcuritate fidem exhibere contradicat, inquiritur deinde, an conſimilis contradictio adſit, dum circa revelantem Deum hoc vel illud, inſit nobis evidentia. Inevidentiam inatteſtantur requiri defenſant plures cum Suario *dp.* 3. *ſec.* 8. *punc.* 3. Negant alij & non leviter pro ipſis exiſtimantes Scotum *in* 3. *diſt.* 24. *q. vn.* pręcipue *à. verſ. Sed ſi loquamur tertio modo*, vbi Doctor mirificè ſalvat fidem cum evidentia revelantis, diſtinguens evidentiam rei, S, quę cauſatur ex principijs notis ex evidentia terminorum, & certitudinem derivatam ex principijs extrinſecis revelantis, prout cenſet habuiſſe plures Sanctos & Prophetas, de quibus ait: *Tales* habuerunt habitum prębentem magnum aſſenſum, ita quod illo ſtante non potuerunt non aſſentire veritati, illa tamen certitudo non fuit evidens ex evidentia rei, quia tunc contradictio eſſet, quod huiuſmodi notitia

V 2 & fides

& fides ſimul ſtarent; fuit tamen certitudo illa firma, ſicut eſt certitudo ſcientialis, quæ cauſatur ex principijs notis ex evidentia terminorum, ſed non cauſabatur à talibus principijs, ſed aliunde, ideo ſcientia non potuit dici ex evidentia rei, fuit tamē maior certitudo quam certitudo fidei, quia fides non excludit omnem dubitationem. Uſque adhuc profunde Scotus.

48 Fundamento ipſo Scoti P. Maſtrius ſecundam opinionem defenſat, & tam ipſe, quam alij contrariæ fundamentis ſatisfaciunt. Fundantur enim, tum in eo Prophetarum qui de divina locutione tenentes evidentiam, latentia tamen & recondita myſteria non evidentia, ſed fide tenebant; tum quia ſi evidentia primi revelantis cum fide foret incompatibilis, non poſſent Angeli in primo ſtatu viæ credere myſterijs à Deo immediatè revelatis; tum, quia adhuc cum evidentia atteſtantis, res in ſe manet obſcura, ita vt intellectum non neceſſitet (hanc rationem Amici, & Caſpēſis approbat Maſtrius) quoad exercitiū ad aſſentiendum; tum radicitus fundantur, quia ſuppoſita evidentia atteſtantis (hæc ratio Scoticæ menti proprior) talis aſſenſus, nec fundaretur in principijs intrinſecis rei, nec in effectibus ab ipſa procedentibus, neque in aliqua naturali ſpecie, *ſed aliunde*, vt inquiebat Scotus, S, in teſtimonio extrinſeco atteſtantis.

49 Inſiſtunt cum Suario contrariæ opinionis Auctores, quia cum evidantia rei revelatę incompatibilis eſt fides, & res revelata evidens eſſet, prout ſuadet hic ſyllogiſmus; *Quidquid Deus revelat eſt verum; Deus revelat ſe eſſe Trinum; ergo hoc eſt verum.* Maior eſt evidens ex naturæ principijs; minor ſupponitur evidens; ergo & concluſio ex duplici evidenti præmiſſa. P. Maſtrius reſpondet, conſequens in tali ſyllogiſmo male deductum; non enim erat deducendum, ergo *evidens eſt ſe eſſe Trinum*, ſed, *ergo evidens eſt teſtimonium Dei de Trinitate, verum eſſe.* Itaque, inquit, ille ſyllogiſmus ſolum probat evidentiam extrinſecam derivari in eam propoſitionem, *Deus eſt Trinus*, ex extrinſeco teſtimonio Dei, non autem evidentiam intrinſecam ex medio intrinſeco, & in intrinſeca natura rei fundatam; quæ inevidentia ſufficit ad fundandum aſſenſum obſcurum fidei, cum talis inevidentia nunquam tollatur per evidentiam divinæ atteſtationis.

50 Inſtant: quia hæc duo, S, verum eſſe hoc, aut ita eſſe in ſe, idem ſunt; quia ex vno infertur aliud, ac proinde ſi verum eſt dicere Deum eſſe Trinum; ergo Deus eſt Trinus, itaque ſi evidens eſt antecedens, evidens erit & conſequens. Reſpondet Maſtrius, id verum eſſe, dum habetur cognitio de re aliqua per principia eius intrinſeca, ſeu naturalia, ſecus per teſtimonium ex natura rei ipſi inconnexum, nam tunc ſemper res manet obſcura in ſe, cum per evidentiam in atteſtante, nunquam objiciatur nobis res *qualis eſt in ſe*, ſed qualis objicitur per revelationem.

51 Inſtat Lugo, ſe nunquam penetraſſe doctrinam talium ſolutionum, quia ſi per medium intrinſecum percipiatur eſſentia, aut paſſio; tale medium non requirit demonſtratio, vt ſuadet, quæ fit per cauſam efficientem; ſi vero per medium intrinſecum ſolum intendatur illud quod dicit connexionem per aliquam habitudinem cum obiecto concluſionis, id iam in hoc caſu invenitur: v. g. *Omnis revelatio Dei eſt vera; Deus revelat Incarnationem; ergo hac eſt vera.* Ubi veritatem Incarnationis in concluſione non minus cognoſcimus ex habitudine principiorum, ac ex operatione ignis cognoſcimus à poſteriori eius applicationem evidenter. Negat Maſtrius proportionem in paritate ex habitudinibus iſtis, quia operatio ignis habet neceſſariam connexionem cum eius approximatione ad paſſum ex natura rei, tum in eſſendo, tum in cognoſcendo; talis autem intrinſeca & neceſſaria connexio non invenitur inter atteſtationem divinam & ipſam rem atteſtatam ſecundum ſe, & ex natura rei ſed ſolum ex infallibili Dei veracitate, quæ eſt medium prorſus extrinſecum.

52 Pręfato igitur theologizandi modo Auctores obſcuritatem in atteſtante repellentes quam pluribus alijs in contrarium adductis ſatisfaciunt, quę non refero brevitatis cauſa; videri tamen poſſunt, apud P. Maſtrium reſpondentem alijs argumentis, tam Suarez, quam Lugi, Arriagę, Hurtadi &c. Hinc ergo ſolum pro me reſtat difficultatem impellere, ciuſque centrum pulsare, textum necnon Scoti genuine aperire, & ei ſatisfacere.

53 In primis ex eo magis premere videtur vis contraria, quod evidentia ſuppoſita in præadductis præmiſſis, ſi non evidens, ſaltim infallibiliter certum ſit obiectum concluſionis; quod ſufficere videtur vt fides noſtra ex libertate obſequioſa exercere non poſſit. Suadetur iuxta Scotum ſupra tenentem Viros illos Sanctos ex notitia eis participata ſic certos, quod ſtante illo principio in eis non potuerunt non aſſentire veritati; nc.: ergo facile

video

video Maſtrium libere actum fidei in quodam argumento Suarij ſalvare cupientem. Deinde non leviter ibidem præmebant Scoti verba, dum aiebat quod revelantis ſuppoſita evidentia, remanet maior certitudo, quam certitudo fidei, quia hęc compatibilis cum aliqua dubitatione; igitur ibi ſic certiſſima manet veritas quod nulla dubitatio poſſit firmum aſſenſum impedire, ac proinde quin fidei obſequio reſtet locus. Tum, vltra certitudinem fidei, & omnem expellens dubitationem, ſolum reſtare videtur illa præſentis caſus evidentia; ergo.

54 Ulterius nimis inſiſtent contrarij in eo, quod (prout in curſu controverſiæ notavi) ipſi ſolum intendent evidentiam eſſendi rem, *quo ad an eſt*, non vero, *quo ad quid eſt*, quod vltimum deduci videtur ex principijs Maſtrij, & aliorum. Fidea enim nunquam poteſt pervenire ad rem *quo ad quid eſt*, igitur dum ſalvent contrarij, quod quo ad *an eſt*, res pertingitur ex præfato curſu evidentium præmiſſarum, replebunt evidentia omnem locum quem poterat occupare fides. Quod enim, quo ad an eſt attingatur ſic res, quod ei præſtare aſſenſum ſit neceſſariſſimum probabunt; quia ſi evidens ſit ita eſſe quod Deus revelat, & eſſe Trinum evidens mihi ſit Deum revelare, circa eſſe Trinum, cum videre clare, non addet evidentiam, quin clarè videre Trinitatem addet notitiam *quo ad quid eſt*, ſcilicet, omnia intrinſeca & propriſſima principia, intrinſecè, ſecundum ſe, clare comprehendere, vt Beati. Hoc enim pacto, benè inſtruebat Maſtrius, quod per revelationem nunquam objicitur res *qualis eſt in ſe*.

55 Verumtamen cum genuinè Scoto ſtandum ſit, omnia hæc ipſius menti conformare, neceſſe erit. Et in primis exiſtimo quod in propoſita controverſia, nunquam ſic plene replet evidentia rem, quod inevidenti aſſenſui non reſtet locus; ac proinde ſic, quod licet non remaneat credibilis de fecto dubitationis, vt inquiebat Scotus, remaneret tamen credibilis ex non defectu obſcuritatis, cum, prout clarius ipſe Scotus dicebat, firmitas illius aſſenſus non cauſaretur ex principijs notis ex evidentia terminorum, ſed aliunde. Igitur id in quod evidentia illa principiorum ex natura rei non ingrediebatur, dum ingredi poterat, adhuc poterat repleri per aſſenſum tali evidenti nota carentem.

56 Quod enim circa ſcire rem eſſe quo ad an eſſe per viam evidentem revelantis, & ſcire rem eſſe per principia ſcientialis certitudinis, diſtinctæ normæ ſit, ſuadebo. Quia qui per curſum revelantis rem eſſe ſciat, v.g. Trinitatem, vel Incarnationem, ſic ſcier, quod præciſé rem eſſe ſciat, ac proinde ſic ſcier, quod eſto aliquid ſcire debeat, nil minus ſcire poſſit, cum nil minus ſit quam Trinitatem penitus ignorare. Qui vero rem eſſe ſciat, ex evidentia terminorum, ſive ſit Trinitas, ſivè Incarnatio, eſt impoſſibile, quod eam non percipiat omni ſua ſtructura, modo quo eſt, quibus principijs &c. vt patebit ſi notemus aliquem devenire potuiſſe ad notitiam Incarnationis, ſicuti devenit ad inferendum quod omne rationale eſt homo.

57 Hoc enim pacto licet certiſſimus ſit aſſenſus per viam revelantis, & per viam ſcientialem, tamen eximiè diverſus circa claritatem. Si enim per curſum revelationis ſciret aliquis, & non ex terminis, *dari hominem, quia quod Deus revelat eſt verum, & Deus revelat dari hominem.* Licet hominẽ eſſe firmiter aſſentire poſſet, ſecus tamen evidentia ſcientis dari hominem ex principijs; hic enim hominem eſſe, ſcire non poſſet, quin qualiter eſſet ſciret. Igitur in curſu ſcientiæ, etiam circa aſſenſum eſſendi rem datur diſcrimen notabile, cum rem eſſe habeat ſibi affiniſſimum modum eſſendi, ita vt ſciatur eſſe, dum ſcitum ſit qualiter ſit. Sic qui ſcit ex naturalibus principijs Deum eſſe, modum ſeu medium eſſendi cognoſcit, ita vt certe agnoſcat attributum terminans curſum illius ſcientialis notitię; ſecus autem id haberent illiterati etiamſi poſſent ſcire, Deum vera dicere, ipſumque ſe eſſe dixiſſet; quare in eis adhuc reſtaret locus fidei, ſecus in doctis, & ſcientificis, pront eum Scoto, & alijs ſine magno labore defenſavi.

58 Deinde Scotum aperientes dicimus, ipſum ibi poſſe valide interpretari de aſſenſu qui à nobis nunc exhibetur etiam circa revelationem, non enim myſterio aſſentimus, quin & revelationi; ſicque illi Viri Sancti, vtpote revelantis firmiter illuſtrati non poſſent veritati revelationis non aſſentire. Et conſimili pacto reſponderi poſſet ad aliud, S, quod illa certitudo eximia revelantis erat maior quam fidei, & omnem dubitationem expellens.

59 Verum dato, quod Subtilis M. loquatur de obiecto materiali, dicam, quod & ſi neceſſarium ſit non poſſe non aſſentire veritati, ſemper tamen ſalvaretur fides. Et in primis iuxta Scotum, quia ipſe, vbi ſupra, negat præfatum aſſenſum fore talem ex natura terminorum, quia ſcientia & fides ſimul ſtarent;

ſtarent ; igitur concedit fidei eſſe aſſenſum illum, quem Viri Sancti non poſſent non habere. Neque obſtat Scotum ibi dicere, certitudinem illius aſſenſus eſſe ſupra certitudinem fidei ; igitur fidei non erat : ſicuti nec obſtat quod aſſenſus ille expellit dubitationem , & fides non expellit ; igitur quia aſſenſus ille non foret fides. Non enim obſtat, quia Scotus dum dicit aſſenſum illum eſſe ſupra certitudinem fidei , genuine capiendus ſupra certitudinem fidei , quam nunc habemus , ita vt exceſſus ſit intra fidem , cum noſtra dubitare poſſit de revelante, ſecus illa ; noſtra ex obiecto credendo & ex revelante obſcura, illa autem obſcura ex obiecto, tametſi evidens ex revelante ; ac proinde licet vtraque fides , ſed vna excelentior in parte. Charitas enim ſequens obſcuritatem in via licet exceſſa à ſequente claritatem in Patria, non deſinit eſſe charitas, quin vtraque eſt talis licet diverſa.

60 Deinde poſſet ſalvari fides, data infallibilitate aſſenſus. Quia tribus virtutibus theologicis regulariter meremur , & tamen prævito merito formalitas cuiuſvis virtutis ſubſiſtit. Suadetur à paritate ſpei , quæ non minus requirit contingentiam , ac fides libertatem, & tamen qui evidenter certus foret de gloria, actum ſpei poſſet elicere, prout animæ in purgatorio. Neceſſitas enim ſcopum virtutis , maximè intellectualis non confundit. Neque obſtaret in caſu adducto non mereri, prout non obſtat aliquos circa aſſenſum vnius Dei liberos non eſſe , dum ipſi evidens ſit. Igitur à ſimili dum infallibilitas obiecti in aliquibus cum evidentia revelantis, eumdem effectum impelleret.

61 Verum in omni caſu negare non poſſum , aſſenſum prædictum , habere circunſtantiam fidei noſtræ obſequioſæ, eo quod non deficeret in eo aliqua obſcuritas , non levis anxietas, pœnalis intellectio, ſpes claritatis deficientis &c. ſemper ſiquidem, prout ſuperius exponebam, claritas revelantis foret affinis obſcuritati obiecti , cuius eſſendi modus latebat , cuius latebris immiſta notitia non leviter tepeſceret , & &c. prout dixi ſupra à §. *Quod enim.* Notentur illa.

62 Dices , ſi cum evidentia atteſtantis, & omni ea certitudine , ſalvari adhuc poteſt fidei ſcopus, infructuoſe quin & impie Deus vult nunc nos obligare per aliā fidem, quam per eam ? Fidei enim viam & in circuſtantia obſequioſam ſemper teneremus. Hæc difficultas excedit facultatem meam. Solum dicam, quod ſi Deus exhibendo cunctis hominibus auxilia efficacia , adhuc ſalvari poſſet charitas omni ea infallibilitate, quare piiſſimus Deus nunc aliquos ſolis ſufficientibus ad actus erga ipſum charos obligare vult?

ART. VIII.

Fidei anxia reſolutio examinatur.

63 PErvenimus iam ad curſus obſcuri fidei punctum , in quod ſic anxie rendit fides noſtra, quod licet plura inveniat, maiora vero ipſo obſequio ſuperſedere videantur.

64 Difficultandi rationem propoſuerat Scotus *in 3. diſt. 23. q. 1 à. §. contra, verſ. Quæro igitur à te,* quomodo aſſentio huic (difficultat Scotus) S, hoc eſſe revelatum à Deo? Quia ſi aſſentio Deum eſſe Trinum, quia revelatum, magis aſſentiam huic, S, hoc eſſe à Deo revelatum , ſicut aſſentiens concluſioni propter principia , magis aſſentit principijs, cum illud ſit magis propter quod vnumquodque eſt. Si dicas , ſicut oporter dicere, aſſentire , quia revelatum eſt à Deo , Deum eſſe Trinum eſſe revelatum à Deo , adhuc quæram, quomodo aſſentio huic ſecundæ, & ſic in infinitum , & conſequenter nunquam aliquid firmiter credam de articulis fidei , ſicut ſi ſcientia concluſionis reſolveretur in principia, & illa principia in alia, & ſic in infinitum, nunquam ſciretur aliquid, ſicut nec aliquid eſſe poteſt, quod dependeat eſſentialiter ex cauſis infinitis.

65 Si dicas (proſequitur Scotus) quod huic, S, Deum eſſe Trinum , eſſe revelatum à Deo, aſſentio ex fide acquiſita. Contra, igitur tunc fides infuſa dependeter in eſſe , & in faciendo adhærere alicui articulo à fide acquiſita ſicut à principio. Quia non potes dicere, quod per ſcientiam adhæream tali articulo , quia Deum eſſe Trinum, eſſe revelatum à Deo, non eſt plus evidens ex terminis, quam iſta, Deus eſt Trinus.

66 En formatam difficultatem & circulum. Vel enim aſſenſus fidei noſtræ reſolvitur in fidem acquiſitam, vel non? Si ſi : en difficultatem, S, fidem acquiſitam certiorem eſſe fide infuſa, necnon de facto fide acquiſita deduci nos credere. Probat Scotus paulo poſt *in verſ. Præterea,* ſic: *Concluſio* eſt minus certa quam principium ex quo tota eius certitudo derivatur: ſed huic, S, Deum eſſe Trinum aſſentio fide infuſa, quia hoc revelatū eſt à Deo, & hoc eſſe revelatū à Deo credo, quia Joannes, vel alius Apoſtolus dixit (idem forma de Innocentio) hoc ſibi eſſe revelatum;

ſed ſi audiſſem eum aſſerentem hoc eſſe ſibi revelatum, crediddiſſem ſibi fide acquiſita, credendo ipſum eſſe veracem, & nil falſum velle aſſerere; igitur & modo credo fide acquiſita, S, ex auditu ſcripturarum, vel lectione eſſe revelatum Apoſtolo Deum eſſe Trinum; igitur tota firmitas quam ponis hoc modo (nota hęc Scoti verba, ne credas Recentioribus exiſtimantibus Scotum in humanam fidem, noſtram reſolviſſe) in fide infuſa, eſt à fide *acquiſita*; ac proinde hæc erit principium ex quo tota certitudo infuſæ derivabitur.

67 Si aſſenſus noſter in fidem acquiſitam, aut in infimum motivum non reſolvatur, en circulum, S, quare Trinum eſſe aſſentis? Quia Deus revelavit; quare aſſentis Deum revelaſſe? Quia Eccleſia, vel Apoſtolus proponit & revelat; Quare aſſentis proponenti Eccleſię, aut Apoſtolo? Quia Eccleſiæ aut Apoſtolo aſſentiendum eſſe Deus revelavit. Quo pacto terminus eſt ſuimet principium, & principium ſuimet terminus.

68 Circa præſentem difficultatem exiſtimo aliter eſſe diſcurſu theologico decurrendum verſus divinam veracitatem, & aliter verſus divinæ revelationis exiſtentiam. Si enim circa veracitatem tendamus, contingentiæ formido deperdetur, neceſſariſſimo enim ex natura rei medio gradatim aſcendentes in præfixo puncto ſiſtemus, v.g. cur credis Deum eſſe Trinum, ſeu Eccleſiæ Trinitatem proponenti? Quia ſummè verax dixit; cur credis dicentem eſſe ſummè veracem? Quia ſummè rectus eſt; cur credis ſummè rectum eſſe? Quia eſt Deus.

69 In præfato ergo curſu, non pulſat credentis animus conditiones, ſed principia; non media formidini ſubiecta, ſed ex natura rei conſequentia, ita vt phyſicè nullo contingenti poſſit ſubiacere curſus. Quilibet enim rationis particeps infallibiliter cognoſcit, verum eſſe quidquid dictum ab infallibiliter veraci, & infallibiliter eſſe veracem, ille qui infallibiliter ſit Deus, & infallibiliter eſſe aliquem, qui Deus ſit. Sic, nemo vltra aſcendere vult nec valet, ſivè tendat formaliter, ſivè tendat dimanativè, ſeu quaſi effective. Si enim per principia formalia tendat, ſicuti in curſu entis naturalis primum principium, ſicuti & vltimus terminus eſt forma, in qua formaliter ſiſtit totum, ſicuti & in ipſam ceſſat vltima talis reſolutio, cum poſt formã, formę reſtet nil, & ſic nec ſupra, nec infra aliquid ſit, quo circuletur: ſic in curſu formali fidei, primum principiũ ſicuti & vltimus terminus eſt veracitas, in qua ſic totum fidele ſiſtit, quod formalis motivi nil reſtet, quia ratio formalis in ipſam formam reſolvitur, vt patet in quibuſcunque; ac proinde quin poſſit nec ſupra ſe, nec infra ſe aliquid eſſe, quo poſſit pati circuli moleſtiam.

70 Si tendat per principia dimanantia, vel quaſi efficientia, nec circuli tentabit moleſtiam, quin deveniet & ſic ad primum principium, in quo cętera principia ſic radicentur, quod ibi curſus ſiſtat, & vltimate quieſcens amplius moveri non poſſit, cum vltra radicem nil maneat, & ſupra primum poſterius non inveniatur; eo enim pacto quo forma eductivè reſolvitur in materiam, quę eſt primum ſubiectum, & effectivè forma & materia ipſa reſolvitur in agens, quod eſt primum efficiens, vltra quod nil reſtat, quo efficientiæ curſus circuletur. Ita, ſervatis in hac materia ſervandis, veritas revelationis dimanativè reſolvitur in veracitatem revelantis, veracitas in rectitudinem, & rectitudo in Deitatem, vltra quam non valet curſus præteriri, quin circa rationis participem valeat nec leviſſimo circulo ſubeſſe.

71 Dum igitur præfatus fidei ſcopus ſivè ab obiecto in obiectum, ſivè à principio in principium certitudinis culmen ſcandit, conſimiliter & cognitio gradus phyſicos & ex natura rei obſervans concomitatur, ac proinde ſic, quod in naturale aliquod, & noſtræ innatę intelligentię proportionatum deſinens ſiſtat, videlicet, quia ſicuti innatum eſt nobis dari primum efficiens, independens, ſummè perfectum, infinitum & ſic vnicum quod divinum, ita ex hoc medio ex natura rei deducimus ipſum debere eſſe ſimpliciter verax, & verum, prout Subtilis tenebat *in diſt.* 23. *q.* 1. vbi ſupra à verſ. Ex iſtis ſequitur, vbi ait: *Ideo* ſicut nec hæſito de veracitate eorum, quæ eſt quaſi principium, ſic nec dicto eorum, quod eſt quaſi concluſio ſequens eodem modo; quia homo non dubitat de veracitate Dei, quia hoc cuilibet naturaliter *inſeritur &c.*

72 Neque obſtabit quod dicas, quod licet qui Deus tantæ auctoritatis ſit, quod ex natura rei cuilibet rationali notum ſit Deum dicere verum, verumtamen nos non credimus Deo, quia naturaliter cognoſcimus ipſum eſſe veracem, ſic enim fides infuſa reſolveretur in aliquod naturaliter notum, & quod poſſet ſubeſſe falſo, necnon foret vltima ratio formalis aſſenſum reſolvens &c. Non obſtat, & in primis ex ratione formali, quia vt ſupra expoſuimus, tametſi formæ ſpecificantes reſolvi poſſint vlterius, ſecus tamen in conceptibus ſuis formalibus, in

qui-

quibus vltima reſolutio formaliter ſiſtit. Sat pro hoc extant iam dicta.

73 Deinde dicimus, quod in præformato curſu nil inconvenit quod opponitur. Quia vel pulſamus obiecta, vel actus quibus ad ea aſcẽdebamus. Si actus: nil obſtat, quia ſicuti naturalis eſt cognitio in quam fit reſolutio, & naturalis eſt cognitio quæ reſolvitur, vt patet in ſubiecta materia; ſicuti enim innatum eſt alicui cognoſcere Deitatem in cuius cognitionem quieſcit præfatus curſus, & innatum eſt eidem cognoſcere veracitatem, quæ tendit vt quieſcat in illam. Si vero pulſemus obiecta, nil obſtare dicitur propter idem, quia in nullum melius poteſt reſolvi vnum divinum prędicatum, quam in aliquod divinum ſubiectum; ſi ergo divina ſit veracitas quæ reſolvitur, & divina eſt Eſſentia in quam reſolvitur; igitur dum pro Deitatis exiſtentia indefectibilis detur firmitas, hæc non deficiet pro exiſtentia veracitatis. Neque aliũ curſum in præformato ſcopo, quam ex natura rei inſertum ab attributo veracitatis vſque ad Deitatem ſupra, ni fallor nunc, prætendebamus.

74 Verùm, quia omnem vellem inquirentis anxietatem auffere, ad præſumptum de fide infuſa ſatisfacere intendam. Fatear fidem infuſam tendere vſque ad veracitatis examen, hancque Deo dicenti præſtare cuilibet rationali inſertum, quin tamen exiſtimem id pro magnitudine fidei infuſæ obſtare. Et primo, quia cognitio Deitatis eſt certa, ac evidens, & actus ille, qui ſic certus eſt, quod habet certitudinem in æquali gradu ac evidentiam, non videtur imbecillis, vt ab ipſius pede, firmus fidei paſſus trepidari poſſit. Secundo, quia talis eſt certitudo Deitatis, quod *prę certitudinis claritate*, fide ſi pugnet, in poſſeſione iam intellectus, fidem expellat, non minus ac fides in poſſeſione intellectus expellat ſcientiam; igitur non videtur quod ea ſcientię certitudo poſſit in fidem inducere, vel occaſionare infirmitatem. Tertio, quia rectum eſt index obliqui, & ex contrarijs melius eluceſcit veritas formarum; ſed penes formidinem, experitur in ſcientia vigor qui in fide; ergo. Quarto, quia ſupra fidem acquiſitam bene fundatam, ſolum reſtat fides infuſa; ſed ſupra fidem infuſam eſt motus ſcientiæ etiam; quia, vt inquit Scotus, *verſ. Ex iſtis ſequitur: Fides* acquiſita eſt ſuper opinione, quæ adhæret vni parti contradictionis, cum formidine alterius, licet ſit infra ſcientiam, quæ eſt ex evidentia obiecti *ſcibilis*; ergo æquivalens videtur. Quinto, ex regula practica, plures enim deficiunt circa aſſenſum Trini Dei, quam vnius, hunc obtinẽtes ſcientia, & illum fide; necnon ſi eorum quæ fidei habuiſſemus ſcientiam, meritum obſequioſum deflueret; igitur quia quoad nos ex ſcientia ſuavior inſtaret difficultas.

75 Neque nuper dictis intendo maiorem certitudinem præſtare ſcientiæ, quam fidei infuſæ; quin ſolum adaptare certitudinem ſcientiæ ſufficientem, vt in eam poſſit reſolvi certitudo fidei. Licet enim certitudo ſcientiæ non æqualis, ſed tamen tanta, quod ſecuriſſima ſit, & habilis vt ſic vel ſic decurrentę diſcurſu nec formidini, nec falſo ſubſit, quod ſat videtur vt fidei ſit affinis, non vt principium formale, nec efficiens, quia deficit proportio ad lineam ſupernam, ſed vt ſit affinis inſtar gradus, qui tametſi ab alio gradu vtpote à ſuperiori decliner, verumtamen licet infimus, immediatus, & in reſolutione deſcenſus, nullus affinior; & vt deſcendatur vel aſcendatur connexivè & continue ſecurior iuxta proportionem, licet non iuxta perfectionem.

76 Exponam iuxta Subtilis doctrinam quid ſit connecti & combinari iuxta proportionem, & non iuxta perfectionem, cum nimis prodeſſe poſſit in ſimilibus fidei reſolutionibus. Ut ergo Scotus defenſans perfectas non eſſe divinas relationes ſatisfaciat huic argumento (erat *in quol.* 5.) quod omnis actio adæquata principio & termino infinito eſt infinita; ſed talis eſt actio generativa; ergo. Reſpondet diſtinguendo adæquationem iuxta quantitatem & perfectionem, & iuxta proportionem. Iuxta proportionem enim adæquata eſt actio, & ſic, principio infinito continua, intima, connexa &c. cum ſic principium declinet in eam (declinat quia principium eſt ſimpliciter infinitum, & perfectum, & relatio ſolùm negativè, id eſt non imperfecta) quod in nullam declinarè poſſit, quæ ſit perfectior, intimior, & hoc pacto proportionatior. Sic lumen, inquit Scotus, non poteſt eſſe æquale Soli iuxta quantitatis perfectionem, licet prout maius eſſe non poſſit, etiam declinans, illuminatio ſit ei adęquata, intima &c. pro immediata reſolutione. Attende ergo exemplar, propriſſimum enim eſt, vt percipiatur doctrina reſolutionis ſivè fidei infuſæ in cognitionem naturalem evidentię, vt ſupra, ſivè reſolutæ à revelatione in certitudinem moralem &c.

77 Neque obſtabit ſi dicas in præformatum ſcopum, quod dum veracitatem curſu ſupra poſito attingamus, non attingetur in curſu, prout à fide infuſa habito; quia illo

pacto

pacto veracitas eſt obiectum actus evidentis, & terminus curſus innatę ſcientiæ; ergo eadem veracitas non poterit eſſe terminus proprius fidei, vtpote per contrariam viam obſcuritatis decurrentis. Huic obiectioni reſpondendum eſt iuxta aliam doctrinam Scoti *in 3. d. 26. q. 1. à §. Hæc etiam virtus*, vbi Subtilis ait, Quod idem obiectum diverſimode conditionatum ſeu approximatum valet diverſos actus terminare, vt ſuadet in eadem bonitate, quæ eſt obiectum ſpei connotantis abſentiam, & tentionis imbibentis præſentiam, ita vt abſentia & pręſentia ſint ſolum conditiones circunſtantes obiectum, non autem eius entitatem variantes. Exemplicabat id ipſum in Sole, qui magis, & minus diſtans cauſat radium rectum, & reflexum; & aliquando magis, & minus approximatus inducit clarum, & minus clarum, ſeu obſcurum, tametſi vnum & aliud eumdem Solem indicent, & in curſus reſolutione in eum tendant, & inſiſtant. A ſimili ergo theologizare poteris circa evidentiæ, & fidei radios, penes idem Deitatis, aut veracitatis lumen. His ita pro curſu primæ partis.

78 Circa alteram partem, S, circa aſſenſum exiſtentię revelationis divinæ videtur maioris anxietatis difficultas. Et ratio eſt, quia exiſtentia revelationis eſt contingens, ac proinde medium ex natura rei eam inducens difficilimè habebitur, & ſic cognitio quietans anxietati ſubiecta, vt patet & deſignatur diſtinctio penes cognitionem principij ad effectus, & conſequentias naturales, & neceſſarias, & cognitionem principij & medij ad effectus liberos & contingentes. Hinc enim licet veracitas divina ſit formalis fidei ſcopus, verumtamen diverſimode iam applicata, ſcilicet, per revelationis exiſtentiam, cuius non ſic inſtat medium ex natura rei, nec ſpecies quæ obſcure & reflexe non conducat. Quare neque hinc aſcendit vel deſcendit fidei curſus tam à forma in formam, ſeu à principio in principium, vt ſupra, quam ab applicatione formæ in formam, ſeu principij in principium, ac proinde cum trepidari ſtet in medijs, examen reſolutionis potius exigitur à conditione in conditionem, ſeu in principia vt conditionata.

79 Reſolutio igitur nunc ſic expetenda: cur credis Deum eſſe Trinum? Quia Deus revelavit. Cur credis Deum revelaſſe? Quia Eccleſia proponit. Cur credis Eccleſiam proponere (hinc aliud motivum imbibendum, cum non ſolum videatur ſufficere Eccleſiæ propoſitio, quin etiam proportionata veracitas propoſitionis Eccleſiæ) & propoſitionem Eccleſiæ eſſe veracem? Nunc inſtat, & pręmit difficultas; quia vel reſpondemus per ea quæ Eccleſia habet ſurſum, vel per ea, quę Eccleſia habet deorſum. Si per ea, quę ſurſum, dicemus credere, quia Deus revelavit ipſum alloquendum per Eccleſiam, ac proinde veracem eſſe revelationem Eccleſiæ nos credere, quia credimus verum eſſe, Deum revelaſſe revelationē Eccleſię eſſe veracē; quo pacto labimur in circulum, cum credamus Deum revelaſſe quia Eccleſia revelat, & Eccleſiam vere revelaſſe credamus, quia Deus revelavit. Si per ea, quę deorſum reſpondeamus, inſtat & præmit difficultas; quia ea ſpectant ad prudentem combinationem, & ad quædam naturaliter incitativa, in quæ firmitas ſuperna noſtræ fidei non ſine anxietate formidoloſa videtur reſolvenda.

80 Credo Deum eſſe Trinum, inquit Cardinalis de Lugo apud Maſtriū *hinc dp. 6. q. 1. Art. 4.* non quia revelaverit ſe revelaſſe, ſed quia inter motiva extrinſeca, ex quibus credenda proponuntur ab Eccleſia noſtrę fidei myſteria, & divinam atteſtationem, eſt talis connexio, vt intellectus certo cognoſcat, licet obſcure illam eſſe divinam revelationem. Quare, inquit Maſtrius, vltima fidei reſolutio non fit neque in auctoritatem Eccleſię proponentis, neque in motiva extrinſeca, quæ illa proponit pro credulitate myſteriorum fidei, alioquin prima radix fidei eſſet quid mere naturale; ſed in divinum teſtimonium, obſcure cognitum in propoſitione Eccleſiæ cum talibus motivis; creditur enim Deum eſſe Trinum, quia prima veritas revelavit, at quod revelaverit, nec ſcio evidenter, nec per aliam revelationem, ſed immediatè credo ex modo, quo proponitur credendum.

81 Exiſtimo tamen præadductam relatorum Auctorum expoſitionem, integram conſervare difficultatem. Illa enim credulitas orta ex connexione inter motiva extrinſeca, & atteſtationem divinam, vel æquè & viciſſim motivatur ex motivis & atteſtatione, vel non? Si ſi, inſtat moleſtia viciſſitudinis, & circulationis; præterquam quod incidunt in ipſum quod vitare cupiebant, cum in tali caſu ſaltim æquè, & ex vna parte, S, motivorum, ſit in hæc reſolvenda fides, cum ex ipſis & divina atteſtatione exoriatur illa connexio. Si non, inſtat & difficultatis anxia inquiſitio, quia ſi in divinam atteſtationem reſolutio fiat, tunc inquiretur ex quo motivo conſtet divinæ atteſtationis exiſtentia; & profecto non erit facilis ſolutio, quin ad extrinſeca motiva prudens fidelis recurrat.

82 Deinde fateri videntur idem, quod negare intendunt. Dicunt enim reſolui in divinum teſtimonium obſcure cognitum in propoſitione Eccleſiæ cum talibus motivis. Igitur divinum teſtimonium exiſtere, conditionaliter (hoc ſolum diſputo iam) invenitur in propoſitione Eccleſiæ cum talibus motivis; aliter & ſine iſtis divinum teſtimonium adeſſe inveniretur, quod iuxta hanc fidei providentiam incredibile. Si enim propoſitio Eccleſię cum talibus motivis non foret gradus ad gradum teſtimonij, vt fides exurgeret, vel vt ad teſtimonium deveniret, otioſum foret quærere teſtimonium etiam obſcure in propoſitione Eccleſię cum talibus motivis.

83 Et confirmatur, creditur enim Deum eſſe Trinum, exponebant, quia prima veritas revelavit, at quod revelaverit, nec ſcio evidenter, nec per aliam revelationem, ſed immediatè credo ex modo, quo proponitur credendum. Salva veneratione tot Virorum doctiſſimorum, invenio hinc quæſiti intentum confundere, nec vt oportet, attingunt. Si enim inquiſitio ſit de motivo formali, nemo dubitare poteſt reſolutionem in primam veritatem, prout ab initio late expoſui ab exemplari formarum, & hinc ponam exemplar in motivo volitionis. Bonum enim cognitum movet ad amorem, ſi amor in motivum formale reſolvatur, abſque dubio non reſolvam illum in cognitionem ſeu propoſitionem intellectus in qua invenitur, quin in bonitatem ſecundum ſe, non ſiquidem amatur formaliter quia cognitum aut propoſitum, ſed quia bonum; ſi vero amor reſolvatur in conditionem exiſtendi bonitatem, amorem reſolvam in cognitionem, ſic enim, ideo amo, quia datur propoſitio, & ideo exiſtet bonitas quia cognitio extitit, quo pacto hac probatur illa, licet alio pacto nimis abſurdaret voluntatem in cognitionem reſolvere, eo enim pacto quo abſurdaret fidem noſtram in præfata motiva, & Eccleſiæ propoſitionem.

84 A ſimili ergo in præſenti puncto theologizandum. Si enim formaliter, benè reſolvebant, recteque cæteras reſolutiones improbabant. Si vero conditionaliter, & circa purum conceptum exiſtendi revelationem, non ſic videtur improbandum, quod in conditionem infimam, dum immediatam cędat, id quod in ſola conditione erat. Præterquam quod, at dixi, confirmatur ex vltimis ipſorum verbis. Dum enim, creditur eſſe Trinum, & revelaſſe, immediatè ex modo, quo proponitur credendum; rogo, quinam ſit iſte modus quo immediatè proponitur credenda revelatio? Equidem dum non ſit propoſitio per alteram revelationem, nil reſtat niſi propoſitio Eccleſię per motiva congruentia. Igitur dum credulitas hoc modo, reſolvi debeat immediatè in modum immediatum quo res credenda proponitur, ſignent alium vltra motiva prædicta.

85 Neque pro dicto aliorum Auctorum ignoramus vim ſupremam habitus superni in fidem infuſam inclinantis, quin tamen fidei ęnigma debeamus in habitus ſtructuram reſolvere. Tum, quia, vt inquit Subtilis Magiſter *diſt. 23. hinc in q. 1. à §. Reſpondeo; non* poſſum ſcire me aſſentire vero, niſi prius ſciam eſſe verum illud, cui aſſentio; ſcire autem aliquem articulum eſſe verum, impoſſibile eſt pro ſtatu iſto de lege communi; ergo & ſcire me aſſentire vero tali, ac proinde & me habere habitum infuſum quo poſſim aſſentire. Ideo (ibidem Scotus) ſicut credo Deum eſſe Trinum & vnum, & non ſcio, nec ſcire poſſum illud pro ſtatu iſto: ſic credo me habere fidem infuſam inclinantem in illud ſicut in verum, quod eſt in ſe verum. Igitur quoad firmam exiſtentiam veri revelati, non poſſum facere reſolutionem in habitum, cuius exiſtentiam, & maximè influxum nec ſcio aliter, ac ipſius revelati exiſtentiam ſciam.

86 Tum etiam ſatis ſuadebat Scotus ibidem à §. Contra, quod vltra fidem infuſam fides acquiſita requiratur etiam. Si totus aſſenſus, inquit, ſit ex habitu fidei, tunc habitis omnibus, quæ concurrunt ad actum credendi in eſſe primo, ſequeretur neceſſario actus credendi; ſed poſito aliquo nunc baptizato cui occurrant phantaſmata terminorum illorum ſimplicium *mortis & reſurrectionis*, cum potentia, & tunc habituata habitu neceſſario inclinante, & obiectum foret præſens in phantaſmate, non ſequeretur neceſſario actus, S, quod talis aſſentiret huic complexo *mortui reſurgent*, quin nec omnibus iſtis poſitis, plus aſſentiret quam ante, niſi prius de tali articulo edoceretur; igitur videtur, quod fides acquiſita ex auditu etiam requiratur; quin nec aliquis experiatur alia in tali aſſenſu. Conſimiliter exponebat Scotus *in quolib. 14. à §. Comparando fidem infuſam & acquiſitam*, vbi tenet, Quod ſaltim de lege communi, ex ſola fide infuſa non poteſt haberi actus credendi, vt patet, inquit, de puero baptizato, qui ſi poſtea nutriretur in deſerto, vel inter infideles, & nullam haberet doctrinam de credendis, nunquam actum rectum credendi eliceret.

Et

87 *Et ratio eſt* (inquit Scotus in quolib. citato) quia fides infuſa inclinat ad credendum ea, quæ non habent evidentiam ex terminis, nec includunt aliquam evidentiam connexionis terminorum, etiamſi termini ſint apprehenſi ex ſenſibus. Contra, inſtat ibi, quia nec fides acquiſita talem prædictam evidentiam includit; igitur dum infuſa non ſufficiat, eo quod inclinet ad credendum ea, quæ non habent evidentiam ex terminis, nil addet acquiſita, talem ſiquidem evidentiam ex terminis non includit.

88 *Reſpondeo* (tenet Scotus hanc reſponſionem *in* 3. *d.* 23. *&* 24) fidem infuſam nobis ineſſe, ſolum eſſe à nobis creditum, vt ſupra dicebamus; ideo nullo modo evidentiam facit. Acquiſitam vero fidem experimus nobis ineſſe; qua mediante, obiecta credibilia ſunt per auditum præſentia, & ſic aliquo-modo evidentia, licet propriè neutra ſit ex obiecto evidens. Nunquam ergo per infuſam ſine acquiſita poteſt quis exire in actum, vt manet dictum. Evidentia autem acquiſitæ eſt ex teſtimonio revelantis, ſive prædicantis, iuxta illud, Quomodo credent ei quem non audierunt, & quomodo audient ſine prædicante.

89 *Ex his, & ex ſimilibus auctoritatibus* (ſemper Scotus, hinc in quol. vbi ſupra, paulo ſuperius) erat maior auctoritas Auguſtini 15. *de Trin. cap.* 1. *&* 23. apud Scotum *d.*23. aientis, *Abſit* vt ſcire nos negemus, quæ teſtimonio didicimus aliorum: alioquin neſcimus eſſe Occeanum, neſcimus eſſe terras, atque vrbes, quæ vbertima fama *commendat*. Sic fide acquiſita ex auditu parentum & aliorum credo(Scotus *in d.* 23. *q.* 1. nunc) multa tempora tranſiſſe, Romam eſſe quam non vidi ex relatu fide dignorum. Sic (Scotus) non dico mundum incepiſſe mecum, non quia ſcio ipſum præceſſiſſe me, quia præteritotum non eſt ſcientia ſecundum Auguſtinum, & tamen nō opinor id, ſed adhæreo firmiter huic, mundum præceſſiſſe me per fidem acquiſitam ex auditu aliorum quorum veracitati firmiter credo. Ex his ergo, & ex ſimilibus auctoritatibus reſolvit Scotus, quod ſic, & revelatis in ſcriptura per fidem acquiſitam ex auditu firmiter adhæreo credendo Eccleſiæ approbanti veritatem Auctorum illorum.

90 Deducitur ergo quod per fidem acquiſitam, credere poſſimus teſtimonio aliorum, etiam firmiter. *Igitur* magis poſſumus (Scotus vbi ſupra in quol.) & magis debemus credere teſti magis veraci; & adhuc magis communitati, quam perſonæ ſingulati; nunc autem Eccleſia Catholica eſt communitas maximè verax, quia illa maximè veritatem commendat, & mendacium reprehendit; igitur eius teſtimonio certiſſimè credi poteſt, & præcipue in illis, in quibus illa plus damnat mendacium, puta de his, quæ ſunt fidei, *& morum*.

91 *Poteſt* igitur viator ex natura ſua (proſequitur Scotus ibi in quol.) audita & intellecta communi doctrina Eccleſiæ, firma credulitate aſſentire his, quæ ipſa docet de fide, & moribus. De iſta credulitate acquiſita videtur accipi illud ad Rom. 10. *Fides ex auditu*, S, ſanæ doctrinæ Chriſti; de qua ſubdit: *Auditus autem per Verbum Chriſti*: de iſta etiam poteſt accipi illud Auguſtini contra Epiſtolam fundamenti: *Ego, inquit, Evangelio non crederem, niſi me Eccleſia auctoritas compelleret*.

92 *Patet igitur per eum*, puta per Auguſtinum(nunc Scotus *in d.* 23. §. de Primo certum eſt) quod libris Canonis ſacri non eſt credendum, niſi quia primo credendum eſt Eccleſiæ approbanti, & auctorizanti libros iſtos, & contenta in eis, quamvis aliqui libri auctoritatem habeant ex Auctoribus ſuis, non tamen adhæremus eis firmiter, niſi quia creditur Eccleſiæ approbanti, & teſtificanti veraces eſſe eorum Auctores. Unde dicit Auguſt. ibidem, *Evangelium Nazareorum non admittam, quia non admittitur ab Eccleſia. Credo igitur* (nunc Scotus) fide acquiſita Evangelio, quia Eccleſia tenet Scriptores veraces, quod ego audiens, acquiro mihi habitum credendi dictis *illorum*.

93 Hæc ſic propoſui, vt ſapiens interpres plura in favorem huiuſce anxiæ reſolutionis adaptare & prævidere queat, maximè innixus auctoritati ſacrorū Magiſtrorum relatorum ſupra. Vbi advertere valet, quod poteſt dari quin ſit infuſus, aſſenſus, qui ſit firmus, prout Scoti doctrinis ſupra propoſuimus. Non enim negatur quod debeat poni fides infuſa, tum quia infallibilior, tum vt tenebat Scotus, quia perfectior & proportionatior, eo pacto quo licet dabilis ſit amor naturalis Dei ſuper omnia, oportet ponere amorem infuſum Dei ſuper omnia, prout iuxta Seraphicum Doctorem pluries defenſavi. Sic licet vnius Dei detur viſio clare ſuperna, & ex lumine ſuperno claro derivata, dabilis tamen eſt viſio clara, & evidenter certa ex naturalibus deducta; igitur quod ſi- des detur infuſa, & ſupernè certa, non obſtabit quod aliqua fides acquiſita firma, & certa ſit. Si igitur illud quod circa terras, circa vrbes, & circa Mundi præteritionem, vbertima

ma fama commendabat, firmum aſſenſum inſerebat prudenti auditui, quanto magis quod commendat communitas maximè verax, vt Eccleſia, Patres &c. ſic.

94 Vt igitur fidei curſus, quoad conditiones exiſtendi reſolvi poſſit in acquiſitum & naturale, non videtur inconvenite quod illa extrinſeca motiva, quę tradi ſolent non ſint quoad entitatem eiuſdem claſis ac fides superna. Et in primis advertantur ea', quæ diximus ſupra de proportione in declinando de gradu in gradum. Deinde, quia licet detur ſumma diſtantia penes eſſe, poteſt dari immediatio & proportio penes induci. Eſt mirum exemplar illud phantaſiæ & intellectus immaterialis penes formationem ſpeciei intelligibilis. Phantaſia enim & intellectus penes entitates & ſphæras ſic diſtant, quod magis diſtare non poſſint, & tamen penes induci, & occaſionari ſunt immediatiſſima, necnon penes reſolvi, cum ſpecies immaterialis in ſenſum materialem reſolvatur, ſi illius fiat examen vſque ad originem, cum nil fuerit in intellectu quin prius fuerit in ſenſu. A ſimili ergo diſcurre penes diſtantiam fidei infuſæ, cum motivis illis, & notitijs acquiſitis, conſideratis, non rationibus formalibus, ſed præciſis conditionibus quoad exiſtentiam inductivis.

95 Neque aliter, fateor, poſſe formare curſum. Quia devenire ad ea & exire debemus per ea, per quæ intravimus; & certiſſimum eſt, nos non intraſſe à primo motu per fidem infuſam', vt convincebat Scotus, & ſuadet experientia cuiuſvis credentis; quin dedimus initium per ea, quæ audivimus, & ſic per illa motiva, quæ congrue nos excitarunt ad credulitatis aſcenſum, prout Magnus Gregorius pulſavit in nobis, dum ex his, quæ animus novit, ſurgebat ad incognita, quæ non novit. Neque alio modo de animo noſtro poſſet verificari quod ſurgebat, ſi enim à primo motu ſuperne ambularet, amplius ſurgere improprium foret.

96 Dices, non poſſe negari talem introitum poſſe ſubeſſe falſo; igitur dicendum talem fidei reſolutionem fieri in aliquod improprium, & improportionatum fidei. In primis poteſt dici, nil obſtare talem reſolutionem deſinere in aliquod fallibile, dum reſolutio fiat in gradus materialiter, & ſecundum eorum eſſe entitativum conſideratos; quia illa reſolutio non fit vnivoce, ſed æquivocè, & phyſicè in entitates diformes, quo pacto nunquam deducitur quod initiantis fallibilitatis ſit principium & influens fides infuſa. Sic enim non obſtat, quod ſpiritualis ſpecies reſolvatur in ſenſibilem materialitatem, quia ſic æquivoce & improportionatè penes eſſe entitativum conducit potentia ſenſitiva, quod in reſolutione, nil ſpiritualitatis deveniat ad pertingendum ſphęram ſenſationis, nec adeſſe ſubiacere materialitati. Sic in noſtro caſu reſolvitur fides infuſa, quod nil infallibilitatis ipſius pertingat, aut cadat vnivocè infra fallibilitatis ſphęram.

97 Deinde poteſt dici, quod moraliter & fides acquiſita valet eſſe infallibilis, prout ſupra expendebamus de illis quæ iuxta Auguſtinum vberrima fama commendabat. Itaque ſicut in initio Articuli pro reſolutione veracitatis & cæterorum ex natura rei ſubſequutorum, non inconveniebat terminare reſolutionem in evidentiam naturaliter certam, ſic nec inconveniret terminare reſolutionem in evidentiam, & ſi naturalem moraliter certam.

98 Ulterius, quia id quo initium damus poteſt conſiderari ſecundum ſe, & prout per illud aſcendere incipimus; & poteſt conſiderari prout iam ſic ad illud reddimus, quod reddamus poſtquam propoſitis motivis intrinſecis & formalibus credulitatis actum fidei supernè elicuimus. Primo modo, fallibile eſt initium, quia ab infallibilitatis forma nullo modo fuit adhuc attactum, ſeu ſuperfuſum. Secundo vero modo, iam participat aliquo modo infallibilitatem, quia motivum formale ad quod ſine actuali fide infuſa aſcendimus, ſic firmo & ſuperno aſſenſu ipſum attingimus, quod dum ab ipſo deſcendere velimus gradatim, deducimus tunc infallibiliter vera reputanda ea, per quę non ſic infallibiliter aſcendere exiſtimabamus; eo enim pacto quo deſcenderemus vſque ad ima, ſi in ſupremo aſcenſu evidentiam haberemus de Deo revelante. Hæc, fateor, quod à diſerto interprete eximia diſtinctione ſunt notanda.

99 Pręclariſſimum, ni fallor, pro moleſtiſſima hac fidei diſputatione adducam exemplar, quo & alijs poterit ſatisfieri. Adeſt exemplar in illo Samaritanę eventu, dum Joan. 4. Chriſtum D. prædicavit. *Et multo plures crediderunt propter ſermonem eius*, puta Chriſti. *Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus; ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt vere Salvator mundi.* Nota quod initium habuerunt à mulieris dicto, necnō quod ab eo ſurrexerunt vſque ad veracitatem Chriſti, ita vt ſi reſolutiorerum ſecundum ſe vſque ad aſcenſum fieret, deſinerent in mulierem fallibilem, at vero ſemel informati deinceps, iam alibi capie-

bant

bant farmalitatis motivum, & ita quod deſcenderent vſque ad dictum fallibile mulieris ſecundum ſe inſpectum, *Quia iam non propter tuam loquelam*; at ſic, quod tunc in deſcenſu, & muliebre dictum repararetur infallibile, nam illud dictum manebat verum *propter ſermonem Chriſti*. Applica doctrinam.

100 Dices aliter: reſolvatur ſic, vt volumus, fides in motiva extrinſeca, nunquam ingens moleſtia vitatur. Movemur enim vt dictis Eccleſiæ credamus, vtpote divinæ veracitatis infallibili inſtrumento, quia ducimur ex concordia Scripturarum, ex relatione mirabilium à tot Viris probis &c. ſic. Sed tamen hæc motiva deinde vera reputamus, quia Eccleſia approbat; igitur ſic, ſaltim in extrinſecis, in medijs, & conditionalibus inſtabit circulatio, movemur ſiquidem ad credendum Eccleſiæ ex illis motivis, & movemur ad credendum illis motivis ea Eccleſia. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!*

101 Dicendum nec ſic dati vitioſum circulum, quia licet aliquo modo ab extrinſecis ſignis excitemur & moveamur vt ad Eccleſiæ certiora aſcendamus, ita vt deinceps exiſtimemus in dictum Eccleſiæ divinam veracitatem influere, & ſic etiam vera reputemus ſigna, tamen hic circulandi modus iam non eſt vitio mutuæ viciſſitudinis ſubiectus, quia eſt diverſis vijs formatus. Aſcendimus enim ex ſignis, & teſtificatione Evangelizantis ad Eccleſiam, non vt ex æquali medio veracitatis ad æquale medium, quia elevati ad medium Eccleſiæ veracius invenimur, & in illo gradu robuſtiores; ac proinde ſolum eſt ille primus motus ſignorum, occaſio, ſeu imperfecta diſpoſitio ad eſſendum in longe perfecta, cum in hac non detur in fide motus ille trepidationis qui dabatur in prima. Eo enim pacto, quo per ſignum effectuum aſcendimus ad cauſas, & in illis perfecte ſiſtentes, perfectius deſcendentes deinceps, abſque circuli vitio probamus effectus, & ſic paſſiones &c.

102 Non enim videtur poſſe negari, quod ſi practicè, vt hinc debetur, loquendum ſit, nemo credet à primo intuitu quia Eccleſia dicit, ſi primo non ſit inſtructus, & ex aliquibus motivis iudicium prudens inſtantibus excitatus, ita vt ex conflatu tot motivorum, tunc formet iudicium de eo ad quod excitabant, S. Deum alloqui per Eccleſiam, ac proinde ſic quod præviſis illis motivis talem aſſenſum erga Eccleſiam non eliceret, non quia motivis præſtet maiorem certitudinem, ſed quia ſunt occaſionantia, & ablata occaſione, perfectius ſubſequta eſſent, & aufferuntur. Si phyſicè velis ſatisfacere, reppete exemplar phantaſiæ reſpectu intellectus agentis: necnon tene etiam, in his exercitijs non deficere alterum agentis mentis exercitium, cum plura agat, & expurget à ſenſibilibus ille, qui fidem exprimit.

103 Si velis morale exemplar, audi illud Samaritanæ: *Multi enim crediderunt in* Chriſtum *propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcunque feci.* Vide, quod abſque dicto mulieris non credidiſſent, & tamen certum eſt, dictum ſolum dediſſe eis occaſionem vt crederent, ac proinde ſic quod maiorem aſſenſum præberent Chriſto deinceps, quam mulieri, *Quia multo plures crediderunt propter ſermonem eius, S. Chriſti.* Vide etiam, quod primo initiarunt aſſenſum, eo quod ſecreta cordis aperuiſſet mulieri, dum id ſolum conſtabat, quia mulier dixit eis; & tamen mulieri proptee ſe ipſam non ſic crederent, vt ipſi dixerunt. Igitur quia dictum mulieris, & cordis ſignum ſic excitabant ad fidem Chriſti, quod excitarent vt occaſio, ac proinde ſic, quod moverent vſque ad credendum in Chriſto, verumtamen deinceps, potius veracitati Chriſti præberent aſſenſum.

104 Et quia hæc eſt inter theologicas ſumma omnium controverſia aliquod adaptabo ſimile. Sit electio in Regem ab Aragoniæ Proceribus facta, vbi electores erigunt Regem, qui talis non fuiſſet ſi illi à prima facie repugnaſſent, verumtamen ſemel ab eis Rex poſitus & inductus, nedum dominium regale extenditur ad exteros, quin & ad ipſos electores, ex quorum motivo elevatus fuit, verte ſimile ad fidem ex motivis erectam vſque ad medium extrinſecum Eccleſiaſticæ dignitatis, cui deinceps & ipſa motiva ſubiacent.

105 Tandem iam fides noſtra iuxta extrinſeca, & conditionem exiſtentiæ revelationis ſic reſolvenda: aſſentio Myſterijs quia conſtat de revelationis exiſtentia: aſſentio revelationem exiſtere, quia Eccleſia proponit (Eccleſiam proponere aſſentio, quia id viſibiliter manifeſtatur ex eius Præſule, & alijs mediate ex eius Miniſtris, in quo non præmit tanta difficultas) aſſentio veracem eſſe propoſitionem Eccleſiæ; quia Deus per eam alloquitur: aſſentio Deum per eam alloqui, quia vt ſic aſſentiatur cogunt prudenti iudicio moraliter infallibiliter plura motiva illud occaſionantia, exigentia &c. vtpote tot mira in

in Eccleſię favorem teſtificantia, tot Maximi Doctores, probitas doctrinæ, illuſtria martiria &c. de quibus infra.

106 Dices: igitur qui ſic excitatus non præberet fidem imprudentiſſimus, foret, quod non videtur credibile cum quam plurimi literati non crediderint, etiamſi extrinſeca illa motivorum occaſio eis non defecerit, necnon plurimi Catholici Doctores dubitaverint. Reſpondeo in primis concedendo illationem, cum imprudentiæ ſit diſſentiri illis motivis quę moralem certitudinem præſtant, & quibus tot Viri candidi, probi, immaculati, & Sapientiſſimi Magiſtri aſſenſum prętlarunt. Quod enim quam plurimi literati diſſenſum tenuerint, nil mirandum, tum quia tenacitas & fervor proprię oppinionis nimis enervant prudens iudicium, prout in alijs rebus quicunque experitur, dum deinceps ſereno animo ſuperſedet; tum, quia vt infra dicemus, lineam obſcuram fidei cœleſtis amplecti, potius eſt miſerentis Dei.

107 Deinde ad ſecundum dicimus non negare plures Catholicos Doctores aliquando dubitare, quia credibilia non apparent, nec ſunt ex natura rei perceptibilia, quin ſolum moraliter excitant & præveniunt, ita vt licet moraliter motiva illa extrinſeca, de quibus infra, evidenter credibilia inducant myſteria, tamen compatibilis eſt aliqua dubitatio cum phyſica evidentia non inſit; *nec fides* (nunc Scotus *in 3. d. 23. à* §. *ad queſtionem, à verſ. Vnde ſicut) excludit omnem dubitationem, ſed dubitationem vincentem, & trahentem in oppoſitum credibilis*. Hanc dubitationem vincit fides, quia ſcientia ibi non pugnat poſitive, ſed præciſivè, quare fidem non evertit, nec dubitationem evertentem aſſenſum inducit, quin ſolum dubitationem præciſivam. His ita.

108 Reſolvendum exiſtimo, anxium noſtræ fidei curſum, neque in ſolum habitum infuſum, neque in ſola motiva extrinſecè excitantia, ſed reſolvendum principaliter & completè in divinam motionem, ex ſumma liberalitate Dei prout vult derivata. Hæc reſolutio, meo iudicio, eſt preclarior, certior, & plus catholica, quam Subtilis Magiſter approbat *in quol. 14. à* §. *Comparando fidem infuſam*, vbi ait: Sed ex fide ſolum infuſa non poteſt quis elicere actum credendi, & hoc de lege communi, licet Deus fidei infuſę aſſiſtendo poſſet movere intellectum ad aſſentiendum actualiter illi, ad quod fides illa inclinat, ſed tūc forte non ex ſola inclinatione fidei iſtius eliceretur actus ille, *ſed ex motione divina*.

SVBART. VN.

De extrinſecis credulitatis motivis.

109 Reſtabat pro coronide adducere motiva ſupra inſinuata, quibus res noſtræ fidei, licet evidenter veræ non proponantur, ſin autem evidenter credibiles, cum prudenti animo talibus motivis propoſitis dubitatio in contrariam partem evincens non opponatur. Dicitur evidenter credibile, licet non evidenter verum, dum aliquid non eſt notum ex terminis, neque ex principijs ex natura rei illud declarantibus, vtpote quod phyſicè evidens, quin ſolum tenet evidentiam moralem, cum ſic intellectui proponatur, quod vincentem rationem dubitandi non ingerat, ita vt temerarius, & imprudens reputaretur, qui ſic diſſentiret. Hanc ergo evidentiam moralem ſuadent Catholici DD. ex pluribus ſacræ Scripturæ locis, ſit pro omnibus ille *Pſalm.* 188. vbi dicitur, quod *Teſtimonia Dei credibilia facta ſunt nimis*. Deinde ſignant motiva, quibus teſtimonia Dei inſunt nimis, vtpote evidentia morali credibilia; cum ſic moraliter credibile ſit quod teſtificatur & approbatur teſtimonijs, rationibus, & ſignis fide dignis; & ita & non aliter res credibiles teſtificantur; de quo ſtatim proponendo motiva.

MOTIVA A NOSTRO CATHOLICO, & Subtili Magiſtro condecorata.

110 In fidei noſtræ fulcimentum, ſat eſſe videntur motiva à Subtili Doctore *in queſt.* 2. Prologi cuicumque prudenti viro oblata. Ea enim literaliter recitare melius; ſufficienti namque claritate ab ipſo manent propoſita. Reſolvit ergo Scotus ſic: *Contra* omnes iſtos in communi decem ſunt vię (in hoc §. octo vias duntaxat ſignat, decem tamen iuxta eum dixi, quia in fine, octo ab eo enumeratis, duas deinde addit) eos rationabiliter convincendi, quæ ſunt *prenunciatio prophetica, ſcripturarum concordia, auctoritas ſcribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas ſingulorum errorum, Eccleſiæ ſtabilitas, miraculorum claritas, exterorum comprobabilitas, & circa ſecta noſtra cupidos magnifica & divina pietas.*

Prima

PRIMA VIA SVMITVR A PROnunciatione prophetica.

111 *De primo parti, S, de pronunciatione prophetica.* Quia ſolus Deus poteſt naturaliter futura contingentia certitudinaliter prævidere; ergo ſolus Deus, vel qui ab ipſo ſit inſtructus poteſt ea certitudinaliter prædicere. Quod verè prędicta fuiſſent, vere probatur, cum multa prænunciata in ſcripturis impleta ſint, vt patet conſideranti libros prophetales, ex quibus iam non eſt dubium, quin reſtent pauca, quæ ſequantur ſecundum Gregorium in Homilia primæ Dominicæ de Adventu. Iſtam viam tangit Auguſtinus 12. *de Civit. Dei cap.* 10. vbi ait: *Vera* ſe narraſſe præterita ex his, quæ futura prænunciavit cum tanta veritate impleta, oſtendit.

SECVNDA VIA SVMITVR AB Scripturarum concordia.

112 *De ſecunda via, S, de ſcripturarum concordia ſic* ſuadet Scotus: *In* non evidentibus ex terminis, nec ex principijs evidentiam non habentibus non conſonant firmiter, & infallibiliter multi diverſimode diſpoſiti, niſi à cauſa ſuperiori ipſorum intellectus inclinentur ad aſſenſum; ſed Scriptores ſacri Canonis varie diſpoſiti, & diverſis temporibus exiſtentes in talibus non evidentibus omnino conſonaruot; ergo quia à Deo inſpirante. Maior non tantum probatur per exemplum de Philoſophis, (vt videtur probare Auguſ. 18. *de Civit. Dei cap.* 41.) qui labore etiam literario monomumenta ſuorum dogmatum relinquentes, inter cuncta quæ ſenſere, diſcordabant; quin etiam probatur per rationem, quia cum intellectus ſit natus quantum ad aſſenſum moveri ab obiecto evidente in ſe, vel in alio, nil aliud ab obiecto videtur talem aſſenſum poſſe cauſare, niſi virtualiter includat evidētiam obiecti. Si namque nil tale ex ſe moveat intellectum noſtrum, remanebit ſibi notitia theologica neutra; nil autem eſt ex ſe tale de non evidentibus ex terminis, niſi ſit intellectus ſuperior noſtro; nil autem intelligens ſuperius homine poteſt hominem effectivè docere, niſi Deus; ergo. Minor diſcurſus infra patebit.

113 Si autem dicatur hic, quod poſteriores licet aliter diſpoſiti, quam priores, & alijs temporibus exiſtentes, tamen habuerunt doctrinas præcedentium in ſcripturis, & eis acquieverunt credendo, ſicuti diſcipuli doctrinæ Magiſtrorum, & ita potuerunt nil ſcribere diſſonum prioribus, tametſi Deus, nec priores, nec poſteriores edoceret. Contra hanc evaſionem videbatur obiecíſſe Auguſtinus, quæ ſupra innuebat Scotus de Philoſophis, quorum dogmata diſcipuli legentes, licet in aliquibus aſſentirent prioribus vt diſcipuli, aliqua tamen improbaverunt; vt patet ibidem de Ariſtippo, & Antiſtone, qui dum ambo Socratici, tamen in quibuſdam ſibi contradixerunt. Et quandoque diſcipuli ipſi Magiſtro, vt Ariſtotiles Platoni. Igitur dum in noſtris ſcriptoribus præfulſit conſonantia cum prioribus, & inter ſe, neque oppoſita fuit reſiſtentia ex diverſo captu terminorum in ſcientia, neque conſonantia ex conformi veneratione diſcipulatus ad magiſteria.

114 Quomodo igitur (ſic vim reſtaurat Scotus, vt deinceps enervet) non contradixiſſent poſteriores noſtri prioribus in aliquibus, ſi non habuiſſent communem Doctorem eorum intellectus inclinantem ad eadem ex ſe non evidentia? Reſpondeo (ex dicto fine inquit Scotus) quia ea quæ non evidentia tradiderūt priores, ideo poſteriores non potuerunt eos per rationes improbare, & noluerunt eis diſcredere, niſi poſſent rationem cogentem pro ſe habere, reverentes eos, vt Magiſtros veraces; at Philoſophi diſcipuli per rationem potuerunt Magiſtros improbare, quia materia circa quam altercabantur, potuit habere rationes ſumptas ex terminis. Nam v. g. non ita contradicit diſcipulus hiſtoriographus Magiſtro hiſtoriographo, ſicut Philoſophus Philoſopho, quia hiſtoriæ de præterito non poſſunt eſſe evidentes, vt avertant diſcipulum à Magiſtro, ſicut poſſunt eſſe philoſophicæ rationes.

115 Contra vrget Scotus ſic: quia ſaltem Ezequiel prophetans in Babylone, eo tempore, quo Hieremias in Iudæa prophetavit, ſuadetur concordia ex communi Magiſtro eorum intellectus ſuperante, ſiquidem non ſolum dixerunt illa, quæ à Moyſi, quaſi à communi eorum Magiſtro habuerunt, quin dixerunt alia multa, in quibus potuiſſent diſcordare; igitur dum illorum conſonantia non fuit ex doctrina Moyſis, nec ex conformitate rationum per evidentiam terminorum ſecundum ſe, cum iſti ſic forent imperceptibiles, clare convincitur ſupra eorum captum ſuprema illuſtratio. Hanc viam pertractat Auguſt. 18. *de Civit. Dei c.* 41.

TERTIA VIA AB AVCTORITATE ſcribentium.

116 *De tertia via, S, de auctoritate ſcribentium*

bentium, ſuadet Scotus ſic: *Aut* libri Scripturę ſunt iſtorum Auctorum, quorum eſſe dicuntur, aut non? Si ſi, cum damnent mendacium præcipue in fide, & moribus, quomodo eſt veriſimile eos fuiſſe mentitos dicendo, ***Hac dicit Dominus***, ſi Dominus non fuiſſet locutus? Dices duo, primum, eos non fuiſſe mentitos, ſed deceptos: ſecundum, eos voluiſſe mentiri propter lucrum. Contra, & improbatur primum ex dicto Pauli 2. Corint. 12. *Scio hominem in Chriſto &c.* & ſubdit ibi, *Verba arcana audiſſe, quæ non licet homini loqui*: quæ aſſertiones non fuiſſent ſine mendacio, ſi aſſerens non fuiſſet certus; quia aſſerere dubium, vel eſt mendacium, vel non eſt longe à mendacio. Itaque ex hac revelatione Pauli, & multis alijs revelationibus factis diverſis Sanctis concluditur, quod ipſorum intellectus non potuerunt induci ad ſic firmiter aſſentiendum illis, quorum notitiam non potuerunt habere ex naturalibus, ſicut aſſenſerunt, ſed ab agente ſuperno. Contra deinde, & improbatur ſecundum, S, propter lucrum non mentitos; quia pro illis, ad quæ voluerunt homines inducere ad credendum, tribulationes maximas, & mortem ipſam ſuſtinuerunt.

117 Si libri non ſint illorum, ſed aliorum Auctorum, id dicere inconvenire videtur; quia ſic, negabitur quicunque liber eſſe illius Auctoris, cuius dicitur eſſe: & ſi id negare inconveniat, vt inconvenit, quare ſoli iſti libri falſo aſcripti ſunt Auctoribus, quorum non erant? Præterea, aut illi, qui aſcripſerunt iſtos libros alijs fuerunt Chriſtiani, vel non? Si non: non videtur quod voluiſſent tales libros conſcribere, & alijs aſcribere, cum ex hoc magnificarent ſectam, cuius contrarium profitebantur. Si fuerunt Chriſtiani; quomodo illi Chriſtiani mendaciter tales alijs aſcriberent libros, cum lex eorum firmiter damnet mendacium? Et propter eamdem legem non mentiendi, quomodo aſſererent Deum eſſe locutum multa, quę ibi narrantur, & id locutum perſonis, quibus libri intitulantur, ſi talia non acciderunt illis perſonis? Et quomodo libri iſti fuiſſent ſic authentici, & divulgati eſſe talium Auctorum, ſi nec fuiſſent eorum, nec ipſi Auctores eorum authentici fuiſſent? Hinc Ricard. 1. *de Trin. c.* 12. *ait*: *Certe à ſummę ſanctitatis Viris ſunt nobis tradita.* Et Aug. 2. *de Civit. Dei. c.* 2. ait loquens de Chriſto: *Hinc prius per Prophetas, deinde per ſe ipſum, poſtea per Apoſtolos, quantum ſatis eſſe indicavit, locutus Scripturam condidit, quæ canonica nominatur eminentiſſimæ auctoritatis.* Et ipſe Aug. Epiſt. 9. ad Hieronim. *Si ad ſacras Scripturas admiſſa fuerint vel officioſa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis.*

QVARTA VIA A DILIGENTIA recipientium.

118 *De quarta via, S, de diligentia recipientium*, ſic Scotus: *Aut* nulli de contingenti, quod non vidiſti, credis, aut credis alicui? Si nulli; nec credes mundum fuiſſe ante, nec locum eſſe in mundo in quo non fuiſti, nec iſtum eſſe tuum Patrem, & illam tuam Matrem; ac proinde huiuſmodi incredulitas deſtruet omnem viam rationalem & politicam. Si vero alicui de contingenti velis credere, dum tibi non eſt, nec fuit evidens, maximè videtur credendum communitati, ſivè illis rebus quas tota communitas approbat, & maximè dum communitas eſt famoſa, & honeſta, & quæ cum ſumma diligentia approbata recipit. Talis ergo eſt Canon divinæ Scripturæ: tanta enim fuit ſolicitudo apud Judæos de libris tenendis in Canone; & tanta apud Chriſtianos de libris recipiendis tanquam authenticis, quod de nulla alia ſcriptura habenda pro authentica, tanta ſolicitudo fuit inventa; præcipuè cum tam ſolemnes communitates de Scripturis iſtis curaverint, *tanquam de continentibus neceſſaria ad ſalutem.* De hoc Aug. *de Civit. Dei* 18. c. 38. *Quomodo Scriptura Enoch, de qua Iudas in Epiſtola ſua facit mentionem non recipitur in Canone, & multa alia ſcripturę de quibus fit mentio in Lib. Regum.* Ubi innuit, quod ſola illa recepta ſunt in Canone, quæ Auctores non ſicut homines, ſed ſicut Prophetæ divina inſpiratione ſcripſerunt. Et ibidem c. 41. ait: *Illi Iſraëlitæ, quibus tradita ſunt eloquia Dei, nullo modo Pſeudoprophetas cum veris prophetis parilitate licentiæ confuderunt, ſed concordes inter ſe, atque in nullo diſſentientes, ſacrarum literarum veraces ab eis agnoſcebantur, & tenebantur Auctores.*

QVINTA VIA A RATIONABILItate contentorum.

119 *De quinta via, S, de rationabilitate contentorum*, ſic Scotus: *Quid* rationabilius, quam Deum tanquam finem vltimum ſuper omnia diligi, & proximum ſicut ſe ipſum? In his enim duobus præceptis vniverſa lex pendet, & prophetæ. Rationi enim conſonum eſt id, iuxta illud Matt. 7. *Omnia ergo quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, &*

vos

vos facite illis. Ex iſtis enim quaſi ex principijs practicis, alia practica conſequuntur in Scriptura tradita honeſta, & rationi conſona, ſicut de eorum rationabilitate poteſt patere ſigillatim cuilibet pertractanti de præceptis, conſilijs, Sacramentis, quia in omnibus relucere videtur quædam explicatio legis naturæ, quæ ſecundum Apoſtolum *ad Rom.* 2. ſcripta eſt in cordibus noſtris. Hoc de moribus: de quo Aug. *lib.* 2. *de Civit. Dei*, *c.* 28. ait: *Nil turpe, ac flagitioſum ſpectandum, imitandumque proponitur, vbi veri Dei, aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.*

120 De credibilibus patet etiam: quia nil credimus de Deo, quod aliquam perfectionem non importet; imo quidquid credimus verum eſſe, magis atteſtatur perfectionem divinam, quam eius oppoſitum. Patet de Trinitate perſonarum, de Incarnatione Verbi, & huiuſmodi. Nec aliquid credimus incredibile; quia tunc incredibile eſſet Mundum ea eredere, ſicut deducit Auguſtinus *de Civit. Dei lib.* 22. *c.* 5. ſed Mundum ea credere non eſt incredibile, quia hoc videmus. De hac autem lege, & honeſtate Chriſtianorum patet per ipſum Aug. *de Vtilitate credendi lib.* 6. *c.* 8. *Vulgus marium, & fœminarum &c.* & quod potius inſtat vulgus doctiſſimorum, & perfectiſſimorum in conditionibus vitæ & animæ.

SEXTA VIA, AB IRRATIONALITATE ſingulorum.

121 *De ſexta via, S, de irrationabilitate ſingulorum errorum*, ſic Scotus: Quid enim Pagani pro idolatria ſua adducent colentes opera manuum ſuarum? In talibus ergo operibus nil eſt numinis, ſicut ſatis oſtendunt Philoſophi. Quid Sarraceni viliſſimi porci, Mahometi diſcipuli pro ſuis ſcripturis allegabunt? Expectant enim pro beatitudine, quod porcis convenit, ſcilicet, gulam & coitum; quam promiſionem deſpiciens philoſophus ille Avicena, qui fuit quaſi illius ſectæ, 9. Met. c. 7. alium finem quaſi perfectiorem, & homini potius congruentem aſſeruit, dicens: *Lex noſtra, quam dedit Mahomet oſtendit diſpoſitionem felicitatis, & miſeriæ, quæ ſunt ſecundum corpus, & eſt alia promiſio, quæ apprehenditur intellectu.* Et ſubdit ibi: *Sapientibus vero* Theologis multo maior cupiditas fuit, ad conſequendum hanc felicitatem, quam corporum; quæ quamvis daretur eis, non tamen attenderunt eam, nec appreciati ſunt eam comparatione felicitatis, quæ eſt coniunctio primæ *veritati.*

122 Quid etiam Iudæi, qui novum teſtamentum damnant, dum hoc in ſuo veteri promittitur, vt oſtendit Apoſtolus ad Heb. necnon (notabilis advertentia Scoti) *Quam inſipidæ ſunt eorum ceremoniæ ſine Chriſto.* Chriſtum etiam adveniſſe, ac proinde novum teſtamentum ab eo principaliter promulgatum, ſicut authenticum fore recipiendum, Prophetiæ eorum oſtendunt (de hoc videantur libri quos in Judæos ſcripſit Tertul. eos aperte convincens) *Non auferetur*, aiebat Jacob, *ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius &c.* & ſimiliter illud Danielis 9. iuxta quem poſt ſeptuaginta hebdomadas venturus erat Chriſtus, & hebdomadæ iuxta rectam omnium computationem adimpletæ ſunt. Ad illud Jacob, propoſitum à P. Joanne à Sancta Maria, reſpondit quidam Judæus in via Romæ, quod in ſuo originali hebreo legebatur, *Non auferetur flagellum de Iuda*; quod experiuntur, & cum alijs miſerijs experientur, quouſque veniat, qui venturus eſt Salvator. Sed hic Judæus equidem improbus in Scriptura propria, tum quia in laudem & obſequium filij ſui Judas illa promittebat, & iuxta hanc verſionem, potius foret ſupplicium quam favor; tum quia ſic vertens, quomodo componet Judæus ille verba ſequentia, S, & *Dux de femore eius non auferetur?*

123 Subtilis deinde Magiſter poſtquam alios iam hæreticos evellit, Magni Parentis Auguſtini ſententijs damnat, eos generaliter confundens. Quid inquit, ſinguli alij hæretici, qui vnum verbum Scripturæ male intellexerunt ſecundum Aug. *in lib.* 83. *quæſt.* 9. 69? *Non poteſt* (nunc Auguſtinus) *error oriri palliatus nomine Chriſtiano, niſi de Scripturis non intellectis.* Et id ex eo, quod præcedentia & ſubſequentia non contulerunt. Unde ibidem infra tenet Aug: *Solet circunſtantia Scripturarum illuminare ſententiam, nec etiam alia loca Scripturarum contulerunt, vnde hæreſes ortæ ſunt per ſe legendo, quæ conferendo repulſæ ſunt: quia conferentes, diverſas ſententias adduxerunt, quæ ex ſe invicem mutuo videri poterant quomodo, & qualiter eſſent intelligendæ.* Contra iſtos eſt illud verbum Auguſtini contra Epiſtolam Fundamenti: *Non crederem*, inquit, *Evangelio, niſi quia Eccleſiæ Catholicæ credo.* Igitur irrationabile eſt aliquid Canonis recipere, & aliquid non, cum Eccleſia Catholica, cui credendo, Canonem recipio, recipiat totum æqualiter, vtpote credulitatis norma recta conditionatum.

124 Tandem hanc viam claudit Scotus

reprobando Philoſophorũ politicas, eo quod penitus non ſint perfectæ, aliquid ſiquidem, inquit Subtilis, continent irrationale, prout de politijs diverſis ordinatis à diverſis Philoſophis probat Ariſtot. *in 2. Politic.* ſed & Ariſtotelica politia eſt irrationalis in aliquibus, prout ſuaſit Scotus *in quæſt.* 1. Prologi.

SEPTIMA, AB STABILITATE Eccleſiæ.

125 De ſeptima via, S, de Eccleſię ſtabilitate, ſic Scotus: *Cum igitur* (loquitur cum Auguſtino) *tantum auxilium, tantum profectum, fructumque videamus, dubitamus nos, eius Eccleſia credere gremio, qua vſque ad conſummationem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtra hæreticis circunlatrantibus: Et partim iudicio plebis, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?* & parum poſt: *Quid eſt aliud, quod tam ingratum poteſt eſſe opi, atque auxilio divino, quam tanto labore prædicta auctoritati velle reſiſtere?* Vnde Gamaliel Actuum 5. *Si eſt ex hominibus conſilium, hoc opus diſſolvetur; ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere, ne forte & Deo videamini repugnare.* Et Luc. 22. ait Dominus Petro: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

126 Firmitas enim Eccleſię in membris patet per illud Auguſtini *de Vtilitate credendi c. 17. Imperitum etiam vulgus marium, fæminarumque in tam multis, diverſiſque gentibus & credit, & prædicat.* Similem enim ſententiam dicit contra Epiſtolam Fundamenti: *Quis enim tantam multitudinem ad peccata pronam, ad legem contrariam carni & ſanguini ſervandam induceret, niſi Deus?* Hæc profectò notabilis eſt Maxima.

OCTAVA, A MIRACVLORVM claritate.

127 *De octava via*, S, *de miraculorum claritate, ſic* Scotus: *Non* poteſt eſſe teſtis falſus Deus; ſed Deus invocatus à prædicante ſcripturam, vt oſtenderet doctrinam eius eſſe veram, fecit aliquod opus ſibi proprium, vtpote miracula; ergo. Confirmatur hoc per Richar. 1. *de Trin. c. 2: Domine ſi eſt error, à te decepti ſumus: nam tantis ſignis confirmata ſunt, quæ non niſi per te fieri poſſent.*

128 Si dicatur, miracula non fuiſſe facta, contra poteſt adduci illud *Aug. lib. 22. de Civit. Dei, c. 5. Si iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis vnum grande miraculum ſufficit; quod iam terrarum Orbis ſine vllis miraculis credidit.* Nota valde iſtud capitulum: quia ſi quidquid quod credimus dicatur incredibile eſſe, non minus eſt incredibile, *Homines*, inquit Auguſtinus, *ignobiles, infimos, pauciſſimos, imperitos rem ſic incredibilem, tam efficaciter, Mundo & in illo etiam Doctis perſuadere potuiſſe, vt Mundus illud credat, ſicut iam credidiſſe videtur, niſi per illos aliqua miracula fierent, per quæ Mundus ad credendũ induceretur.* Vbi ſubdit: *Qui propterea exiguo numero ignobilium, infimorum, imperitorum hominum credidit; quia in tam contemptibilibus teſtibus multo mirabilius divinitas ſeipſa perſuaſit.* Quid enim incredibilius, quam vt ad legem contrariam carni & ſanguini Doctores pauci, & rudes, & pauperes poſſent plurimos potentes, ac ſapientes convertere? Quod ſpecialiter patet de multis ſapientibus, primo fidei rebellibus, poſtea converſis, vt de Paulo prius perſecutore, poſtea gentium Doctore; & de Auguſtino prius per Manichæos ſeducto, poſtea Doctore Catholico; de Dionyſio prius Philoſopho, poſtea Pauli diſcipulo; & de Cypriano prius Mago, poſtea Chriſtianiſſimo Epiſcopo; & ſic de innumeris alijs converſis, vt quotidie experimur ad ingreſſum Religionis.

129 Et ſi contra idem inſiſtas, prout ſic inquit Aug. *lib. 10. de Civit. Dei, c. 18. An dicet aliquis iſta falſa eſſe miracula, nec fuiſſe facta, ſed mendaciter ſcripta?* Quiſquis hoc dicit (ſic obſtabat Calvinus Prętat. in Inſtit. *Miracula eſſe partim conficta, partim diabolica:* Vtpote dicens, quod ſic Phariſæi dixerunt de Chriſto, in Belzebu Principe Dęmoniorum eijcit dæmonia. Præterea, quia ſolum diabolicum, & blaſphemum eſt, id aſſerere de ijs, quæ Sancti ſcribunt de Sanctis, vt Niſſenus de Taumaturgo, Athanaſ. & Hierony. de Antonio, Severus de Martino, Gregorius de Benedicto, Bernardus de Malachia, Bonaventura de Franciſco, & quam plurimi alij viri puri, qui aliorum Sanctorum vitas ſcripſerunt; quibus vel integra fides adhibenda eſt, vel omni hiſtoriæ omnis fides penitus abneganda, quod nullus ſanæ mentis admittet. Ita in Scholio Scoti) *Quiſquis enim hoc dicit, ſi de his rebus negat omnino vllis literis eſſe credendum, poteſt etiam dicere nec Deos vllos curare mortalia &c.* Et ibidem de eodem: *Si libris magicis, ſivè theurgicis credunt, quid cauſa eſt, cur illis literis nolunt credere iſta facta eſſe?*

130 Contra idem tertio: quia quædam facta non niſi à nimis protervientibus negari

ri

ri poſſunt, vt ſunt miracula facta à Sylveſtro coram Conſtantino tam in curatione lepræ eius, quam in diſputatione eius contra Judæos, quæ facta tanquam celeberrima Mundum non latuerunt.

131 Et ſi inſiſtere velis in eo quod miracula non teſtantur veritatem, quia etiam alij ſectatores fecerunt miracula, necnon ea faciet Antichriſtus: Contra ſectarios tales certiſſime invenicmus extra Eccleſiam nulla miracula facta, cum Deus falſam doctrinam non confirmet; fruſtra enim tentavit Simon Magus ſuſcitare mortuum ex Egeſipo 3. de Excidio Hieros. *c.* 2. & Manicheus ſanare filium Regis Perſarum ex Epiphan. *hæreſ. 66.* & fruſtra tentavit Lutherus eijcere de quadam ſua diſcipula diabolum, (ſi hinc miraculoſum quidquam, ſolum mirandum quod ante Lutherũ quia otioſus non fugaretur diabolus) à quo fere necatus eſt, teſte Staphilo qui interfuit, & Cocleo in Actis ad An. 1523. & Geneb. ad An 1536. & Calvinus qui tentavit ſuſcitare mortuum fictum, & fecit mortuum verum, ita Bolleccus *c.* 13. vitæ eius, & Suarius ad An. 1538. de quo verificatur illud Tertul. *de Præſcript. c.* 36. ſcilicet: *Hæreticos imitari Apoſtolos in perverſum. Illi,* S, Apoſtoli, *De mortuis vivos faciebant, iſti de vivis mortuos faciunt.* Sed in Eccleſia Catholica per omnes ætates facta ſunt miracula in confirmationem veritatum fidei, de quo Bellar. *lib.* 4. *de notis Eccleſ. c.* 14. Nec vlla gens converſa eſt ſine miraculis, vt conſtat ex Annalibus Eccleſiaſticis, & politicis omnium nationum &c:

132 Contra aliam partem, S, miracula Antichriſti, ſic Scotus: *Si quis* invocatus in teſtem, ſignum conſuetum teſtificationis adduci permittat, & præſens non contradicat, tunc talis taciturnitas non ſtat cum veritate perfecta; ſed miraculum eſt tale ſignum Dei vt teſtis; igitur ſi permittat miracula fieri à dæmonibus non contradicens, S, enuncians illa non eſſe teſtimonia ſua, non videtur eſſe perfectè verax, quod eſt impoſſibile. Et per hoc reſpondetur ad illud de Antichriſto, quod prædixit illa miracula facienda non eſſe teſtimonia veritatis, ſicut patet Matt. 24. & 2. ad Theſſalon. 2.

133 Deinde inſurgit Scotus improbando Antichriſti miracula, & in primis comprobando veritatem miraculorum noſtrorum, & pro omnibus proponit raptum Pauli, qui circa videre divinam Eſſentiam decipi non potuit, S, credendo ſe videre Eſſentiam, niſi eam videret, cum imperceptibile ſit quod crederet ſe quietari ſi non quietaretur: Si namque, inquit Subtilis, crederet ſe videre Deum, crederet ſe quietari in Deo; ſi non videt, non quietatur. *Stultius*, ait Auguſtinus, *nil dici poteſt, quam quod falſa opinione anima ſit beata.* His ita

134 Arguit tam ex facto Pauli, quàm ex operibus Chriſti, ſic Scotus in Antichriſtum: *Si tu* es Deus, fac me videre divinam Eſſentiam nude, & poſt viſionem memoriam certam habere viſionis, & certitudo quod illa fuit viſio Eſſentiæ divinæ, & tunc credam tibi. Deinde (ex revelatione contingentium arguebat Scotus ex factis & dictis Chriſti & SS.) ſi tu es Deus, dic mihi, quid faciam, vel quid cogitabo, vel quid appetam pro tali hora. Huiuſmodi enim viæ efficaciam ex miraculis innuit Salvator, Joan. 5. *Opera quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me, ſi mihi non vultis credere, operibus ſaltem credite.*

135 Deinde contra idem adducit Scotus differentiam miraculorum quæ fiunt à Deo, & quæ fiunt à Diabolo; de qua differentia tractat Aug. de Utilitate credendi prope finem, ſic aiens: *Miraculum voco quidquid arduum, aut inſolitum ſupra ſpem, vel facultatem mirantis apparet, quædam ſolum faciunt admirationem, quædam magnam gratiam, benevolentiamque conciliant, qualia fuerunt Chriſti miracula*, vbi diffuſè pertractat. Confirmat cæleſtem hanc doctrinam, Seraphici Patris Noſtri Franciſci doctrina, & experientia in Colloq. 31. *Non ne noſti*, inquit, *quomodo diabolus, toties ſe transfert in Angelum lucis? Diabolus* (diſtinguit Seraph. P.) *hominum corda indurat, Deus autem emollit, iuxta illud, Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Dei viſiones lætitiam generant, Diaboli mæſtitiam ingerunt.*

136 Tandem in veram, noſtrorum miraculorum confirmationem, proponam dumtaxat vnicum veræ memoriæ, & felicis recordationis, inter quam plurimos fide dignos Heroes non multis ab hinc annis mirificè obſervatum. Sit igitur Seraphici Patris Noſtri corpus, extra omnem naturæ ordinem nunc ſtans, ſerena facie, ſtructura perenni, in Cœlum oculis, colore roſcido, manenti ſanguine, tactuque docili. Et huic ſi velis adiunge celebre miraculum Virginis Columnaræ ab annis vitæ eius erectæ vſque adhuc inter tot inimicorum Dei turmas; necnon miraculis inſignitæ, ita vt teſtes ſint hodie Cæſarauguſtæ innumeri, qui viderunt hominem ſanum & integrum, dum antea crure penitus abſciſo & ſeparato vidiſſent.

NONA, AB EXTERORUM COMprobabilitate.

137 *De Nona, S, de exterorum comprobabilitate*, ſic Scotus: *Ioſephus* in Lib. 18. Antiquitatum, pulcherrimum teſtimonium ponit de Chriſto, vbi inter alia de Jeſu ait: *Chriſtus hic erat*; vbi etiam veram eius doctrinam, & reſurrectionem ex mortuis confitetur. Deinde de Prophetia Sybillæ nota illud *de Civit. Dei* 18. *c.* 23. *Ieſus Chriſtus Dei Filius Salvator.* Eodem argumento quo hinc Auguſtinus vtitur Tertul. Lib. ad Scapulam.

DECIMA, A MAGNIFICA, ET divina pietate.

138 Decimo poteſt adduci, inquit Scotus, quod Deus non deeſt quęrentibus toto corde ſalutem; multi enim dum diligentiſſimè inquirentes ſalutem, ad hanc ſectam converſi ſunt: & quanto ferventiores facti ſunt in inquirendo, tanto in hac ſecta amplius confirmati, ſubitoque in ea pænitentes de malitia ad bonam vitam mutati ſunt, tormenta quoque pro ea plures ſe invitantes in magna exultatione ſpiritus perpeſſi ſunt. Quæ non videntur probabilia, niſi Deus hanc ſectam Sacræ Scripturæ innitentem irrefragabiliter approbaret, & ordinaret ad ſalutem.

139 En motiva tam Catholici, quam Subtilis Doctoris digna, quibus præclarum fidei nòſtrę numen condecoravit. E corde ſui Magiſtri Auguſtini eructaverat verba, hiſce equidem Auguſtiſſimus iſte Doctor Eccleſiæ ianuas pulſabat, atriorumque omnem ſuperabat difficultatem. Vocitabat enim contra Epiſtolam Fundamenti: *Tenet me in Eccleſia conſenſus populi, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata.* Præfatis motivis ab Scoto propoſitis quam plurima alia Recentiores Doctores addunt, & fateor quod plura ampliare poſſit, quicunque homo, ſi probet ſe ipſum. Verùm ſi aliquibus aliquis fulciri cupiat, attente videat Tertullianum per omnia fere capitula libri Apologetici, penitus enim cæteras ſectas infringit, & Chriſtianiſſimam corroborat, & pręcipue *in cap.* 10. vbi gentium Deos, falſos probat, & *in cap.* 11. aſſumptum confirmat: ſic & *in cap.* 13. probe ſuadet, Gentes, ipſos deſpicere quos adorant Deos: idem necnon de Poetis & Philoſophis ſuadet conſtanter: & *in cap.* 17. pręclaro vrget ſcopo Chriſticolas eum adorare dumtaxat, quem ſolus valet ignorare inſipiens: & *in cap* 20. Sacrę Scripturæ candorem ex veris quæ prænunciavit firmiter deducit: & tandem legat Chriſtianus 21. cap. vbi mira, & fideli animo ſaluberrima de Chriſto Domino Noſtro manifeſtat.

Sint omnia Petro, & Eccleſiæ Romanæ ſubiecta.

DISTINCTIO OCTAVA DE FIDE AD PETRVM.

IPSI DICATVR APOSTOLORVM PRINCIPI, é pientiſſima dignatione Obſervantiſſimo meo Patrono; in Fidei quæſtionibus, non à carne, & ſanguine, ſed à Cœleſti Patre edocto; Articulorum Dei, & Hominis in Chriſto, Moderatori Primario; Cœleſtium, & Terreſtrium Potentatui Summo; Inferorum cavernarum Stupori Maximo; Serpentum, ac Quadrupedantum Pectorali lato, & inconcuſo, voraci & veraci; Triumphantis Hieruſalem, & Militantis Romæ Invictiſſimo Mavorti. Quid plus? *Tu es Petrus, & ſuper &c.*

Proœmians Annotatio.

1 CUM de Fide Theologica principaliores difficultates ſupra *in* 3. *ſent.* more ſcholaſtico reſolverimus, necnon ibi in quæſtione vltima, rationum & hiſtoriarum naturalium robore contra vniverſos Sectarios ſublimiora Scoti diſpoſuerimus, exinde nunc ad ea, quæ docmatica principalius habentur cunctos diſcurſus noſtros dumtaxat dirigere decernimus. Unde, cum in myſtico docmatum corpore, quæ principalıora in capite reſideant, ad ea, quæ Eccleſiæ capitis ſint, pro dilucidandis maximè attendemus, etiamſi fortè ad nonnulla membrorum attendamus. Caput etenim in quibuſlibet, potius quam cętera defendere, & præſervare oportet, vt etiam, quæ ſerpentina doceent; Catholici dum & nos non ſine columbina ſimplicitate muniti, in ea ſiquidem candor veritatis immaculatus elucet. Tum, quia, vt ſæpe obſervabimus, nullo hæreſum dolore membrum vllum in toto Orbe profligaretur, ſi recte & ſane capitis participaret vigorem, quia vt vulgarius ſumitur in proverbium, quando caput dolet, cætera membra dolent; igitur dumtaxat dolore æterno cruciabuntur ea membra, in quibus é ſiniſtro & malevolo captu extitit Eccleſiaſtici capitis voluntarius, dum malitioſus dolor. Capitis ergo in omni bono ſenſu ſupremi, veniunt quę principaliora propuguanda, Sacratiſſimo Petro, vt ab initio ſacraram, ducente, & docente, vt eo comite, qui in tenebris ſedemus illuminari poſſimus, prout pie ſpero, nedum Patroni mei luce, ſed vmbra, cum divina virtus, etiam in vmbra Petri, ipſis Cœlicolis ſtupentibus, mirabilis ſplendeſceret.

QVÆST. I.

De Primo, à quo Eccleſia ſumpſit exordium.

2 PRiuſquam quidquam de viſibili noſtro Eccleſiæ capite dicamus, videtur conſonum nonnulla dilucidare, vt ſic ipſum, noſtraque Eccleſia Catholica, & Romana præclarius innoteſcaut. Quapropter, cum nil prius ipſo initio ſit, oportet præ omnibus inveſtigare de primo ſubiecto à quo Eccleſiæ exordium ſenſibiliter conſtet.

3 Circa primum Eccleſiæ exordium, variè opinati fuerunt plures Auctores, quos tacito nomine recitat noſter Irrefragrabilis Doctor *in* 4. *ſent. q.* 2. *mem.* 4. *Art.* 1. Dixerunt aliqui, quod Eccleſia ſumpſit exordium ab Adam, cum ipſe fuerit primus fidelis. Alij dixerunt, quod ab Abel, iſte ſiquidem fuit primus, qui fidem martyrio copulavit. Alij vero, quod ab Enoch inceperit defenſarunt, cum iſte fuerit, qui cæpit invoca-

re nomen Domini. Tum alij opinantur, ſumpſiſſe exordium ab Abrahamo, cum ipſe fuerit, qui Pater omnium credentium. Tum opinantur alij, quod Eccleſia ſumpſit exordium à Judæis, cum Synagoga, in qua præfigurabatur incepiſſet ab eis. His addenda eſt opinio aliorum tenentium Eccleſiam ab Angelis incepiſſe, cum in eis primo extiterit fides cum gratia, & aliàs in fide Eccleſia fundanda ſit.

4 Ante formandam reſolutionem advertendum eſt, Eccleſiam poſſe accipi pro vniverſali collectione quorumque viatorum, quo pacto, etiam ingrediuntur Angeli, cum certum ſit iſtos viatores extitiſſe, prout etiam clare conſtat ex Lucifero, qui in vijs Paradiſi fuit. Sumi poteſt ſecundo Eccleſia, prout dicit collectionem viatorum dumtaxat ſenſibilium, vt ſunt quicumque ex genere humano educti. Sumi poteſt tertio Eccleſia pro vniverſa collectione credentiũ vnum Deum, at, vt eam fidem indicantium aliquo ſigno exteriori, & viſibili; quo pacto proprie ſumitur ab Auguſtino tenente contra Fauſtum, quod omnis Religio, ſivè Secta habuit perpetuo aliqua Sacramenta, & ſigna exteriora, quibus à quavis alia Secta, & Religione diſtingueretur, prout quibuslibet notiſſima ſunt exemplaria tam ſacra, quam vrbana. Quod enim impræſentiarum inquirimus, & videtur magis oportere inquiri, eſt de primo ſubiecto, à quo veluti à capite Eccleſia ſumpſerit exordium, ſumpta Eccleſia ex aliquo ſigno viſibili, & fidem ſenſibiliter exprimente, prout ſupra de quavis Secta admonebat Auguſtinus.

5 Reſolvendum, Eccleſiam non ab Abel, ſed ſumpſiſſe exordium ab Adam. Contrarium vſque adhuc defenſavi tam in domeſticis, quam in publicis controverſijs ob rationes & auctoritatem Alexandri de Ales, qui vbi ſupra citatus reſolvit & propugnat non ab Adam, ſed ab Abel Eccleſiam ſumpſiſſe exordium. At nunc, cum Alenſis rationes non convincere videam, in ſtatera probabilitatis dum poſitus primus noſter Pater, tametſi ab eo non aliunde quam à culpa felices, dare debemus ei aliquid boni, licet omnia quæ mali nobis dediſſet.

6 Suadetur, quia vt Eccleſiæ daret exordium, ſat videtur fuiſſe habere fidem, cum vſque adhuc fundamentum primum Militantis Hieruſalem, fides ſit: necnon ſat ſit habere hanc aliquo ſigno ſenſibili permixtam; ſed vtrumque habuit primus noſter Pater; ergo & quod ſat fuit ad Eccleſiam fundandam. Probatur maior quoad partem fidei, tum ex eo, quod in prævaricatione non amiſſerit fidem, vt eam amiſſit mulier iuxta D. Paulum; tum, quia conſonans eſt maiorum Patrum opinio, quod in ſopore illo plurima Myſteria ei Deus revelaſſet, quibus vt crederet dari debebat fides; tum, quia opera omnia Domini, maximè ab initio perfecta, cum tunc etiam quæ in comparatione Adami minus perfecta, forent valde bona; ac proinde Adamus qui valde bonus, etiam & valde verus, ſicque ſupernè illuminatus; tum, quia omnes virtutes tunc aderant in Adamo, & abſque fide veluti eradicatæ forent; tum, quia in materia fidei eximiam cum diabolico Magiſtro per mulieris inſtrumenta debebat in promptu habere concertationem; igitur divinæ providentiæ competebat ei fidei armaturam exhibere, vt licet plura perderet vt fragilis, non autem omnia, dum nil perderet, vt fidelis.

7 Suadetur quoad ſecundam partem, quia, vt credit ipſe Irrefragrabilis Doctor, Adam pœnituit, antequam generaret filios, & filias; igitur ad minus probabiliter infertur exhibuiſſe aliquod ſignum ſenſibile, prout veri pœnitentes ſolent internum dolorem manifeſtantes. Quod enim verè pœnituiſſet, claret ex Sap. 10. S, Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo Pater Orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit à delicto; ergo. Tum ſuadetur 2. eo quo ipſo Alenſe teſte, ait Magiſter in Hiſtorijs, videlicet Adam docuiſſe filios, decimas & primitias offerre; igitur & ipſe prius obtulit. Suadetur 3. quia parvuli in fide Parentum ſalvabantur, cum prout alibi tenui cum Alenſi in quovis ſœculo foret proprium pietatis divinæ remedium pro peccato providere; ſed probabilius videtur, quod fides illa Parentum aliquo ſigno maniſeſtaretur; ergo. Probatur ſic congruere, quia ſenſibilis erat terminus ad quem fidei, vtpote parvulus; tum quia dum Parentes in fide ſupplebant pro parvulis corde, & omni ex ſenſu impeditis, congruebat Parentum expeditio; tum quia dum eorum culpa non fuit abſque ſenſibilium interventione, iuxta divinę providentiæ obſervantiam, abſque ſenſibilium interventione non debebat expendi remedium; tum quia ibi iam præfigurabatur noſtræ Eccleſiæ remedium; igitur non occultum, ſed ſaltim in figura perceptum.

8 Reſpondet Alenſis, non poſſe negari Adamum fuiſſe fidelem, & à delicto liberatum à Deo, vt clare conſtat ex ſcripturis, &c. conſequenter nec poſſe negari Adamum pœnitentiam feciſſe, at cum hæc omnia fieri potuiſ-

potuiſſent per actus internos, & aliàs non conſtet, Adamum aliquod ſacrificium obtuliſſe, videtur probabilius Eccleſiam ab eo non tenere initium, cum ſenſibilia inſimul cum fide ſuperna requirantur. Ad illud etiam, quod adducebatur ex Magiſtro in Hiſtorijs, reſpondet Alenſis, quod etiam dum dicatur de Adamo edocuiſſe filios ſuos offerre primitias, & decimas, non tamen legitur, quod ipſe obtulerit.

9 Sed revera licet iſtæ ſolutiones Alenſis inducant probabilem reſolutionem eius, at maximam noſtræ probabilitatem non enervant. Suadetur ſemper per inſtantias, quia dum verè, & efficaciter pœnituiſſet Adam, & aliàs non ignoraſſet pœnam à Domino pro peccato inflictam, vt erat in ſudore vultus tenere laborem, videtur imperceptibile, quod in ipſo labore non maneret conformis, eumque acceptans, & pro peccato non applicans, aliter irrationalis pœnitens reputaretur; ergo dum, hæc etiam cum fiducia divinæ remiſſionis non expendens, pœnitere non poſſet, ſemper ſignum ſenſibile ibi probabilius debet interpretari. Tum, quia Deus non abſque proficuo fine in medium pœnitentię ſudorem & ſic alios labores deſignaret ei, dum volens à delicto liberare; & maximè dum Deus ſemper pœnas proportionatiſſimas infligat; ergo.

10 Deinde inſtatur in aliam ſolutionem pro ſacrificio adductam. Quia non videtur rationi conſonum, quod dum ex fine placendi Deo doceret Adam filios vt offerrent Deo ſacrificia, ipſe tamen nollet ſic placere Deo, & non facere quod nõ minus ſibi, quam filijs quos docebat, proficuum annotabat; ergo. Hæc omnia magis corroborantur in Patre iam pœnitente, & aliàs non imperito, ſed ſupernorum bene illuſtrato. Nec ſcriptura debet omnia manifeſte dicere, ſed ſat eſt dicere illud ex quo aliud, licet non dicatur, ſupponitur. Tum ſuadetur, quia filijs peſſimis non ſufficit dicere, vt ſufficere poſſet Abel, ſed ipſum Patrem faciendo docere, & imperare, requiritur; igitur dum etiam ſacrificia obtulit Cain, congruentius videtur, ipſum potius factis, quam ſolis dictis edocuiſſe Adam. Tum, quia dum Deus iam voluit liberare Adam à delicto, nollet eum alijs culpis involutum permittere, ſed culpabile foret nil offerre Deo eorum omnium quæ gratis ab ipſo recipiebat; ergo. Et hæc ſtabilitæ noſtræ probabilitati ſufficere poſſunt.

11 Opponit Alenſis, quod prętérquam quod in Abel, fides eius in ſacrificio oblato fuit primum ſignum factum ex parte hominis, adiungitur continuitas ſanctitatis, quæ revera defecit in Adam. Secundo, quod Abel fuit primus Martyr, & Eccleſia ſolet dedicari in ſanguine Martyrum, iſti enim fidem Eccleſiæ firmaverunt. Tertio, propter teſtimonium Chriſti, qui dicit Matt. 23. A ſanguine Abel iuſti &c. Necnon Auguſtinus tenet in lib. de mirabilibus ſacræ Scripturæ, quod Abel fuit Virgo, & Martyr, & fidei Doctor. Unde, ait Alenſis, quod per hoc ſignatur, quod in ipſo fuit Eccleſia bonorum in diviſione ab Eccleſia malignantium.

12 Reſpondendum, & ad primum oppoſitum dicimus, quod licet continuitas ſanctitatis pertineat ad ſplendorem fundamenti primi & principalis, quod eſt fides, non autem cam derogat ſanctitatis intervallum, prout viſum fuit in D. Petro, cui dictum fuit, Matt. 16. Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Et tamen Petrus poſt, in ſanctitate defecit, dum negavit, & ob id fidei fundamentum fore non amiſſit. Igitur tametſi Adam in alijs virtutibus defeciſſet, dum in fide ſemper perſeveraſſet, vt perſeveravit, valuit eſſe fundamentum, & illius primæ Eccleſiæ caput.

13 Ad ſecundum dici poteſt, Eccleſiam poſſe prius fundari, & poſt, in ſanguine Martyrum dedicari, cum ſanguis Martyrum ſupponat fundamentum quod eo corroboratur, prout Chriſtus Dominus, qui ante ſanguinis effuſionem primam Petri Cathedram inſtituit, dum deinceps voluit confirmare ſanguine Petram, quam inſtituerat & fundarat fide. Nec obſtat illud dictum Matt. 23. quia ibi Chriſtus D. dumtaxat voluit Iudæis revocare in memoriam omnem iuſtum ſanguinem à malevolis effuſum, vt veniret ſuper eos omnis ſanguis, nedum effuſus ſuper Templum, ſed ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ; non autem ibi quidquam dicit, quod Eccleſiam in Abel deſignet, vt legenti textum patebit.

14 Ad tertium ex Auguſtino adductum, reſpondendum, ita eſſe, at quod non fuiſſet Virgo non obſtaret vt fidei fundamentum Adam foret, cum Divus Joannes virgo permanſiſſet, & ſupremus Doctor, & tamen Eccleſiam Petro Chriſtus donavit. Nec defuit, eo pacto, Doctoratus Adamo, cum ſupernis doctrinis ab ipſo Deo inſtructus (iuxta Magiſtri in Hiſtorijs commentaria) edoceret filios, ac per conſequens ipſum Abel.

15 Opponit etiam Alenſis, quod Adam cum foret commune principium generationis, & aliàs etiam differentem ſtatum in ſe-

metipſo

meripſo haberet, conveniebat ipſi congregatio bonorum, & malorum, ac proinde hæc congregatio ab illa non diſcernebatur in ipſo, dum Eccleſiæ fundamentum exigit diviſionem ab Eccleſia malignantium; ſed talis diviſio facta fuit per Abel, cum facta foret ſenſibilis diſtinctio à Cain; ergo Eccleſiæ primum fundamentum potiori iure ſtabiliendum in Abel, quam in Adam. Reſpondendũ, & in primis dici poteſt ad maiorẽ, quod ex ipſa ſtatuũ differẽtia in Adam, poterat dari prærequiſita diſtinctio, vtpote ex ſtatu peccatoris, & ex ſtatu pęnitentis; nam licet phyſicè foret indiſtinctus, ſecus autem moraliter, & hoc pacto requiritur bonorum & malorum diviſio. Tum poteſt dici, quod fundamentaliter potuit etiam Adam dici principium diviſionis, cum ipſe foret ex diverſis generationibus cauſa boni Abel, & mali Cain, qui etiam dum impęnitens non potuit dividi ab Abel, quin à Patre etiam tunc iuſto divideretur. Deinde dici poteſt ad minorem, quod tametſi nunc Eccleſia non ſiſtat quin ſit diſtincta bonorum præ malis congregatio; at de per ſe abſque hac diviſione ſalvari poterat in initio, cum durante ſtatu innocentiæ, poſſent dari Sacramenta nonnulla, ſacrificia, fidei maiora, &c, ſic, necnon aliqua diſtinctio, non mali prę bono, ſed boni & optimi, &c, huiuſmodi. Quæ namque ſtatus & congregationis Dei ſunt, abſque malis erigi valent.

16 Opponunt alij, ſi principium Eccleſiæ ponatur in illis qui fuerunt in prima ætate, quia primam fidem habuit ex eis, poni debet in eis, qui primi inveniantur ad divinam invocationem; ſed iſti fuerunt, vel Seth, vel Enoch, de quo etiam dicitur, quod cæpit invocare nomen Domini; ergo non in Adam. Reſpondetur conceſſa maiori, dicendo ad minorem, ſcripturam loqui de Enoch reſpective & in comparatione aliorum, non totius temporis, ſed illius in quo erat, in eo namque erat gens peſſima, & maledicens.

17 Opponunt alij, Abraham præ omnibus ſtabiliendum primum Eccleſiæ fundamentum, cum conſtet fore ſenſibiliter primum fidei principium, vt ſuadetur ad *Rom.*4. dum dicitur, Abraham accepit ſignum circuncisionis ſignaculũ iuſtitiæ fidei, quæ eſt in pręputio, vt ſit Pater omnium credentium; ergo iuxta notabilem fidei lineam, præ omnibus Abraham debet ſtabiliri in Eccleſiæ fundamentum. Reſpondendum cum Irrefragabili, principium, ſive exemplar fidei poſſe ſumi dupliciter, S, vel ſimpliciter & iuxta vniverſam mundi conditionem, vel cum addito, & reſpective ad aliquod tempus. Primo modo principium fidei fuit Abel apud Alenſem, & apud nos fuit Adam. Secundo modo fuit Abraham, quia in declinatione ab idolatria poſt diluvium, fuit qui primo à Domino vocatus, & commendatus in fide, vt habetur *Gen* 12. *&* 15. Qua propter dumtaxat in comparatione ad tempus poſt diluvium, in quo fuit in Mundo lapſus generalis fidei, merito dicitur Pater omnium credentium, ſeu fidelium, hoc namque ipſius nomen, apud Alenſem ſignificat.

18 Opponunt alij, quod ſuper illud Pſalm. 79. *Vineam de Ægypto &c.* addit Gloſ. *Eccleſiam, quæ incipit à Iudæis, & perficitur in gentibus*; ergo dicendum Eccleſiam à Judæis incepiſſe. Reſpondendum iuxta Alenſis expoſitionem, aliud fore principium Eccleſiæ, quoad gentem, & aliud, quoad perſonam. Sumendo principium Eccleſiæ ex parte gentis, dicebatur Eccleſiam à Judæis incepiſſe. Illa enim gens poſt lapſum idolatriæ primo credidit: & in eis fides perſeveravit, quouſque venit excęcatio poſt adventũ Chriſti; ſicque converſio fieret ad gentes propter eorum indignitatem, ſicuti habetur Act. 13. *Quia indignos vos feciſtis, ecce convertimur ad gentes.* At autem ex parte perſonæ, cuius vt primi capitis controverſia noſtra militat, fuit primum fidei fundamentum, qui totius humani generis fuit primum principium.

QVÆSTIO II.

Exordium & legitima natura veræ nunc Eccleſiæ deciduntur, & dilucidantur.

1 EGimus in præcedenti quæſtionè de primo exordio Eccleſiæ latiſſime, & à remotiori principio acceptæ, nunc vero venit agendum dę Eccleſiæ capite, & principio ad legem gratiæ, & Evangelicum fundamentum contracto, nedum inviſibili, ſed viſibili, vt conſtet caput, quo pacto & membra. Sed vt nunc primatus veræ Eccleſię dignoſcatur, oportet prius duos Articulos præmittere, vt verè Eccleſiam circunſtantes, Petri, & Succeſſorum Primatum inferamus; orantes ad Te Domine, vt *Memor ſis Congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio.*

ART. I.

Eccleſia quæ vera, debet eſſe quæ à capite Vna.

2 NOtanter ſtatuimus, nedum fore vnam veram Eccleſiam, ſed debere eſſe vnam, ita vt vnitatis cauſam ad rationis firmitatem reducamus. In fidei namque quæſtionibus dum infidelibus habitis, potius ſuadet robuſta rationum claritas,quam robuſtior nobis fidei rationabilis obſcuritas. Quę enim ab illis non videntur, ſi difficulter obſtent, non cędent in fidei obſequium, ſed terga vertentes, in ea quæ ſic, vel ſic apparent velociter declinabunt. Sic parum hæreticis proficua ſolet eſſe pręclara Sanctorum Patrum auctoritas,Patris ſiquidem Sanctiſſimi laxis fibris negarunt Summam. Prædixerat equidem Regius Vates eorum in Patrem Sanctum & Eccleſiam irreverentiam malignantium, prout in Pſalmo 73. ſic ad Dominum loquebatur de Congregatione Iuſtorũ, & fidelium: quanta malignatus eſt iuimicus in *Sancto*? Et gloriati ſunt, qui oderunt te, in *medio ſolemnitatis tuæ*. Poſuerunt *ſigna ſua, ſigna*; & non cognoverunt ſicut in exitu ſuper *ſummum*. Quaſi in ſylva lignorum ſecuribus exciderunt *ianuas eius in id ipſum*.

3 Inde, dum ſacræ Scripturæ adducantur loca, cupiunt manifeſtare, fore literæ obſervatores, at dum litera vrgeat, & aliquando occidat, ad præſidium ſuarum rationum improbo interpretationis tramite cōfugiunt, contradictionum ſudores ſenſibiliter vertentes,prout paſſim JoannesCalvinus *in lib.Inſt.* vt efficaciter convincitur à noſtro Antonio Maſſuccio Calviniſtæ doctrinæ recentiſſimo, & acerrimo impugnatore. Et folium hęreticorum ſic defluere ſiſtit in rapido elationum curſu, pio animo, & corde miti & ſereno carentes, prout penetrarat magnus P. Auguſtinus *Lib.* 1. *de ſerm. Dom. c.* 4. *aiens: Pietas congruit mitibus, qui enim pie quærit, honorat Sanctam Scripturam, & non reprehendit, quod nondum intelligit, & propterea non reſiſtit, quod eſt mitem eſſe.*

4 Scripturis enim ſacris non ſemper rigidus ſenſus eſt applicandus, nec ſevera manu tractandæ ſunt, quia ſi aſpere & vehementer comprimantur, non lac, ſed ſanguinem fluent. Unde Gregorius revera Magnus, *in lib.*2. *Moral. ſupra capnt* 31. *Iob.* ait: Divinæ ſententiæ aliquando interius rimandæ ſunt, aliquando exterius obſervandæ, vt per Salomonem dicitur Proverb.30. Qui fortiter præmit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem. Ubera quippe fortiter pręmimus, cum verba ſacri eloquij ſubtili intellectu penſamus, qua pręſſione, dum lac quęrimus, butyrum invenimus, quia dum nutriri, vel tenui intellectu quærimus, vbertate internæ pinguedinis vngimur. Quod tamen, nec nimie, nec ſemper agendum eſt, nedum lac quæritur ab vberibus, ſanguis ſequatur. Plerique etenim quidam, dum verba ſacri eloquij, pluſquam debent,diſcutiunt, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit, qui vehementer emungit, quia carnale efficitur hoc, quod ex nimia ſpiritus diſcuſſione ſentitur. Uſque adhuc Sanctus Gregorius, cuius verba auto puriſſimo imprimenda.

5 Et licet ſic paſſim emungendo ſacri eloquij literam vitali dum velint ſe privari alimento, parum ipſis ſcripturas prodeſſe notarim, aliquando tamen eas adducere non renuam, vt ſaltim inſipidus eorum ſenſus experiatur.

RESOLUTIO IN TITULO FORMAta propugnatur.

6 Suadetur 1. ex prima Alphabeti inſtructione, in quo tametſi detur literarum aggregatum, tamen vnica eſt litera, à qua incipitur, & in quam pueriſis pronunciatio reſolvitur, v.g. A. ergo. Et prava hæreticorum inſtructio, tametſi ſępe puerilis. Contra eos, omnibus oportet vti, cum iam ad fabulas,iam que ad puerilia convertantur.

7 Secundo ex grammaticali caſuum amplitudine, dum declinare dicuntur; vnicus enim dicitur caſus qui in Nominativo, ille ſolus dicitur in recto, ſeu rectus, ita vt cæteri regulariter ſint in obliquo, ac proinde veluti obliqua à recto indice pendentia, prout ſæpe Philoſophus à me in Philoſophia adductus, aiebat, *Rectum eſt ſuiium obliquorum index*; igitur & aptius vnicus erit bonorum & cæterorum index, à quo Rectore cuncti deriventur.

8 Tertio, ex Logicis, in quibus(idem invenies facile in alijs ſcientijs, quæ omitto, quia plura occurrunt) firmiter reſolvitur, & adaptatur vnum attributionis ſubiectum, ita vt omnia contineantur in veritate ſub ipſo, cunctæque veritates ei vt vniverſali ſcopo attribuantur; necnon ſic quod tametſi cuncta ſubiecta partialia logicalis aggregationis capacia ſint veruntamen vnum eſt principalitatis

tatis caput, ſupra quod nil eſt, dum cætera ſub ipſo &c. ergo.

9 Quarto ex ampliſſima & tranſcendentiſſima ratione cuiusvis entitatis. Nulla enim res invenitur in rerum natura, quæ poſſit probari vera, quin æquali robore non probetur vna. Aufer à quavis ſerie vnitatem, & veritatem repelles; nec erit quidquam per ſe verum, quin ſit per ſe vnum. Unde metaphyſici cuiuſvis ſubiecti attributa deſignantes, in capite ſemper vnitatem ſtabiliunt, videlicet proloquiando de ente, *Vnum*, verum, bonum; ergo.

10 Quinto ex omnium viarum fine, quarum multiplicitas vnum dumtaxat tenet vltimum, ita vt licet fines ſub fine dentur, ac vt ſpeculantur cuncti rectè ſcientifici, opponitur rationi naturali, negare finem qui infinitus non ſit; ergo.

11 Sexto ex principiorum latiori, dum & ſtrictiori cōditione. Omnes enim cauſę, in primā vnam cauſam reſolvūtur, prout puri Philoſophi, ſolius naturalis rationis luce illuſtrati agnoverunt. Ubi etiam in rebus materialiſſimis ſplendeſcit intenta reſolutio, ſiquidē pro tot materialibus concretis vnicum datur ſubiectum, vtpote materia prima, quę eſt cęterorum caput, à quo cætera pendent, ipſumque ſolum à Deo, vt eſt philoſophicum dogma; ergo quanto magis in noſtro intento. Itaque licet plura ſuccedant, corrumpatur vnum, generetur de novo aliud &c. ſic, providit tamen Deus quod nunquam primum vnum ſubiectum deficiat, prout etiam in noſtro caſu, vbi licet tot perſonatus ſuccedant, ac quin vnum Romanum caput defeciſſet, niſi parvo tempore, quod reputatur in moralibus inſtans illud privationis primi materialis ſubiecti.

12 Septimo ex vniverſali inanimatorum, & ſenſibilium principatu, cum pro omnibus metallis vnicum ſit aurum, quod ſupremum: Pro floribus vnicus ſit ſupereminens flos, qui Roſcidus: Pro avibus vna eſt, quę Aquila: Pro animalibus, vnum eſt, vtpote qui coronatus Leo: Pro Aſtris & noctium regimine vnica Luna præeſt; & pro omnium cęleſti regimine vnicus præeſt Sol: Pro omnibus Cœlis, vnicum eſt Empyreum, in quo dumtaxat firmata beatifica ſedes; & tandē pro vniverſis mundi lineis vnicum, & indiviſibile eſt centrum, ita vt plura habere violentum foret gravibus, ſicuti & levibus; ergo plus vltra, vbi plus vltra.

13 Octavo ex noſtri corporis harmonia, vbi vitæ principatum vnicum tenet cor, in medio reſidens, vt vitales & animaſticos ſpiritus diſtribuat, ita vt ſit quod primo vivit, & quod vltimò moritur; ergo à ſimili in meliori Eccleſiæ vita, & corpore, cuius cor erit vltimo moriens & deficiens iuxta Chriſti infallibile verbum.

14 Nono ex harmonia perfectiorum ſenſuum, & potentiarū tam phantaſticarum, quā elevatioris rationis, pro quibus vnicū eſt caput, cætera movens & gubernans, ſpecies purificans & adaptans; ergo ſublimiora ſublimiori rationi in capitis vnitate præſtanda.

15 Decimo ex animæ noſtræ harmonia; tum quia cum ſpiritualis ſit vnica & indiviſa pro tot partibus adeſt; tum ex potentijs cum pro omnibus imaginabilibus veris vnicum intellectum teneat, ſicuti & pro omnibus imaginabilibus bonitatibus vnica voluntas ſufficiat; tum non æquè prima vtraque potētia, ſed vna prior & independens via generationis, ſecus altera; tum licet in tota humana ſtructura plures dentur appetitus, ac omnes ab vno voluntatis imperio pendentes, at iſte rationalis appetitus ſolum imperantem valet habere Deum; igitur in his quæ myſticę ſunt veri & boni, improvide Deus procederet, dum non ſtabiliret vnum intellectum pro omnibus intellectu vera credentibus, & vnam ſupereminentem voluntatem pro omnibus bona æterna voluntate amantibus, quæ tamen ſolum à divina pendeat, ſecus autem à cæteris.

16 Undecimo ex mentali cuiuſvis intellectus fabrica, vbi cuncta mentis in indiviſam apprehenſionem reſolvuntur, quæ ita prima eſt, quod ex natura rei non probetur, cum ſupponatur, prout paſſim de primo principio Philoſophus, qui dum rerum cathegorias propoſuit, genus ſupremum pro viribus ſtabilivit; ergo dum mente procedamus ſic & in verioribus procedemus. Si enim pro Philoſophicis vnicum veneramur Philoſophiæ Principem, dum Theologica perfectiora ſint, vnicum non venerabimur Theologicarum veritatum Doctorem? Ratio decidat, vbi fides cecidit.

17 Duodecimo, infidelibus forſam magis vero, ſuadetur ex ipſis figmentis, cum pro venereis vnicā veteres Deitatem venerarentur, aliā pro ebrietatibus, aliam pro domeſticis, aliam pro armis, aliam pro maritimis &c ſic, dum tamen pro cęleſtibus & ſupremis ſupereminentem vnicam ſapientius errantes fuerunt venerati. Ergo.

18 Et pro omnibus etiam vrget perfectiſſimi regiminis ratio, ſiquidem perfectiori ſtatui perfectius præſtare regimen cunctis rationalibus evidenter conſonat; ſed quæ ad

Eccle-

Eccleſiam Dei ſpectant, quæcunque iſta ſit, perfectioris ſtatus ſunt, cū iuxta Chriſti doctrinā, & rationē naturalē, perfectiora ſint quæ animæ ac quæ corporis, & quę ſunt de Regno Dei, quam de terreno; ergo perfectius regimen his quæ ſunt Eccleſiæ Dei præſtandum. Nunc ſic, ſed cuncti recti Politici docent regimen Monarchicum nobilius eſſe & perfectius eſſe Democratico, Politico, & Ariſtocratico, cum minus grave ſit vni ſoli, quam pluribus obedire, necnon magis rationale cum daretur ſervorum obedientium confuſio, vbi multorum Dominorum propoſitio, cum nemo poſſit duobus Dominis ſervire; igitur Supremus Dominus, qui providus & in ſuis diſpoſitionibus proportionatus, dilectæ Eccleſiæ ſuæ non aliud quam Monarchicum pręſtitit.

19 Verum enim vero, licet præadductæ rationes noſtræ ad intentum Catholicorum finem directiſſime conducant, tamen cum hęreticorum plures, dum caput vnum admittere cogantur, at tale caput fore viſibile, ſic eis duriſſimum, quod talis capitis dolore, ipſorum inſtringatur caput. Oportet itaque vnitati præſtabilitæ, viſibilitatem addere. Ubi noto, quod ſequentis Articuli fere omnibus proponendis rationibus, intentum Articuli præcedentis pari metro confirmabitur, prout facile quiſque vti, applicando poterit.

ART. III.

Eccleſia, quæ à Capite vna, debet eſſe, quæ à capite viſibilis.

20 SUadetur, & à primo viſibili Eccleſiæ principio propugnatur primo. Quia certiſſimum eſt apud fere omnes huius tēporis hæreticos, Chriſtum Dominū, qui extitit viſibilis, fundaſſe Eccleſiā Evangelicā, Catholicā, & Apoſtolicam cū foret caput omnis principatus & poteſtatis, Primogenitus in multis fratribus, Primus & noviſſimus, Lapis Angularis, Agnus qui Lucerna eius, Aſſiſtens Pontifex, Paſtor bonus, Oſtium per quod ſi quis introierit, qui ſolvit ſeptem ſignacula eius, &c, ſic, quorum ſoli iterationabiliter cæco poſſunt claræ lucis non eſſe Scripturæ; ergo oportuit, & iuxta rectam conſonantiam debuit iuxta temporum ſucceſſionem viſibile caput membris viſibilibus relinquere. Hæc conſequentia eſt propugnanda.

21 Primo propugnatur, quia quo pacto ſunt membra, debet eſſe caput, quo pacto eſt potentia viſibilis, debet eſſe lux, quo pacto Regnum, debet exiſtere Rex, quo pacto ſubditi, debet reſidere Prælatus, quo pacto milites, debet applicari Dux, quo pacto Navis, debet rendere Nauclerus, quo pacto oves, debet inquiri Paſtor, quo pacto ſtellæ, debuit conſervari Luna, quo pacto Luna, debuit conſervari Sol, quo pacto flumina, debent pręſtari in origine fontes, quo pacto domus, debet adaptari oſtium, quo pacto ædificium, debet manere fundamentum, quo pacto filius, debet ſuccedere Pater & ſic & cuncta, dum ea bene intuearis; ergo dum ipſe per Evangelium nos genuiſſet, quo pacto modo ſumus quaſi geniti infantes, Genitorem videre debemus, ac per conſequens quo pacto Eccleſia nunc debet providerē caput.

22 Propugnatur ab individuantibus Scripturæ claræ exemplaribus. Sit primum Adam, qui ſtabilitus fuit viſibile caput in Paradiſo Dei. Dices, Angelum deinceps manſiſſe in Cuſtodem, tametſi ſpiritualis foret. Contra, quia magis roboratur intentum, ſiquidem quia viſibilis erat res cuſtodienda, inviſibilem Angeli entitatem ſub forma viſibili, & viſibili gladio reliquit non ſine peculiari providentia in ſui Paradiſi cuſtodiam; ergo.

~~23 Sit ſecundum Adæ coſta~~, cuius Sacramentum magnum fuit in Chriſto, & Eccleſia. Tam facile enim potuit Deus erigere Evam ex nihilo, ac Adam, & tamen dum viſibilis erat futura vxor, viſibile medium, è viro qui caput erat conſuluit; necnon totum illud humanum genus valuit ſicuti primum hominem creare, & tamen providit viſibiles filios per Patrem viſibilem eis ſemper ſuccedere. Inhumanum prorſus & contra rationem videtur, viſibilibus filijs viſibilem non relinquere Patrem, ſicuti & monſtruoſum velle ſuccedere corpus, cuius ad proportionem non ſuccedat caput; ergo.

24 Sit tertium Synagoga, in qua Dominus ſemper providit viſibile caput, quod necne ſuccederet ſicuti & ipſa viſibiliter ſuccedebat. Tum, tametſi Dominus plus vltra curam magnam ſui populi haberet, ſemper tamen viſibili populo viſibilem ſuccedere Ducem conſuluit, prout manifeſtæ ſunt Scripturæ; ergo.

25 Sit quartum divina ſuorum bonorum diſpenſatio reſpectu fidelium ſuorum veterum. Si miracula, per viſibilem virgam Moyſis patrabat: Si Leges, per viſibiles Miniſtros proponebat: Si per Angelos, viſibiles

biles manifeſtabat; vbi equidem notandum, quod etiamſi Abraham Pater foret credentium, eique poterat Deus præſentiam ſuam per ſe revelare, voluit tamen per viſibile vnum caput, dum tres vidit, & vnum adoravit. Si ſacrificia, tametſi cor quod eximius, quæ plus viſibilia per Sacerdotem ſummum expetebat; ſi præſtabat remedium animæ, viſibile corpus per cultellum, & viſibile Miniſtrum exercebat, &c. ſic inveniet paſſim quilibet in Scriptura; ergo.

26 Sit quintum noſtrorum Sacramentorum Inſtitutio, quorum vt nos ſaltim Baptiſmum admittunt hæretici. Intuemini, & notate quam Miniſtrorum viſibilium reliquerit ſucceſſionem; ſed quod magis notare debetis, ſiſtit in eo, quod tametſi inviſibilis ſit gratia, quæ per Sacramenta voluit Deus participare, tamen ſivè ſic, ſic, decrevit eam per viſibilia inſtrumenta derivare, vt in Baptiſmo, & alijs notum eſt, necnon ita, quod ipſemet inviſibilis Deus qui tunc creditur, voluit ſignificari & per viſibiles voces, & actiones invocari; ergo.

27 Sit ſextum ſacer ille dies Pentecoſtes, vbi vni perſonæ divinæ, dum opus fuit, aliam divinam perſonam ſuccedere, viſibilem obſerbavit conſonantiam, Verbum ſiquidem dum fuit per humanitatem viſibile, ſucceſſit Spiritus Sanctus, vt ſuccedit tertium ad ſecundum, necnon viſibiliter, vt per ignitas linguas, & in ſpiritu vehementi &c. dum tamen quæcunque illa bona, quæ diſtribuit, æquè efficaciter abſque ſtrepitu, & ſenſibili lingua diſtribuere potuit; ergo.

28 Sit ſeptimum Sacratiſſima Chriſti Mater, quæ ad Eccleſiæ normam progrediebatur vt ſponſa formoſiſſima. Dum enim pro filijs non indigere viro ſtabilitum fuit, æquè facile fuit Deo eam abſque viri vmbra protegere, & ipſius caput fore ipſum Deum, & tamen iuxta divinam proportionem, & connaturalem cæterarum conſonantiam voluit Deus ei dare viſibilem virum, qui & viſibile putaretur caput. Et vlterius Sacratiſſimo Viro è vivis ſublato, noluit Deus almam Matrem ſuam ad occultam & inviſibilem divinæ ſuæ protectionis curam dumtaxat relinquere, ſed elegit in curæ ſucceſſorem Evangeliſtam Joannem, vt viſibilis cuſtos cuſtodibus viſibilis ſuccederet; ergo.

29 Sit octavum Chriſtus Dominus in divinis operibus ſuis, prout ad maximum finem redemptionis ordinatis, & ex quibus Eccleſia inſtituta, & Religio noſtra gratiæ, & Evangelij ſumpſit exordium. Chriſtus enim Dominus (hic diſcurſus formatur ex ſingulari doctrina Seraphici Fräciſci in Collat. 14.) & habuit opera contemplativa, & activa, viſibilia hęc, inviſibilia illa, vt cunctis cuiuſvis conditionis Chriſtianis notiſſimum eſt; ſed dum potuit ſuperabundanter nos redimere per inviſibilia opera contēplationis, vt etiam notum eſt, cum infiniti valoris forent, noluit tamen, ſed & nos redimere per viſibilia opera paſſionis, cum ſic oporteret Chriſtum pati, & Cœli ianuam aperire, idque, quia viſibilis erat homo redimendus qui perierat, viſibilibus & ipſa culpa permixta, viſibilis necne extitit ſub ſerpentina veſte inviſibilis in ſe hoſtis, ſicque viſibile ovile ovium reſtaurandarum; igitur dum in Eccleſia Dei nil detur inviſibile à primo introitu vſque ad vltimum exitum, quod non ſit ſic, vel ſic viſibilibus permixtum, ſi rationabiliter diſcurrendum, non videtur conſonum quod Chriſtus Dominus viſibile caput non reliquiſſet, & maximè dum iuxta naturæ noſtræ imbecilles conditiones, id maximè oportere paſſim experiatur.

30 Sit nonum ex divina potentia, & voluntate. Quia vel potuit vel non potuit Chriſtus relinquere viſibile Caput? Si non potuit: igitur non fuit Omnipotens, cum non poſſet, quæ poſſibilia facere, præterquam quod difficulter crederetur babuiſſe, quod non potuit delegare. Si potuit, vt clariſſimum eſt, ex quo noluit? Dices, quia quod ipſe Dominus è Cœlis poterat facere per ſe, otioſum foret facere per aliud viſibile Caput. Coutra, quia ſic, quodcunque fecit, & facit per Angelos, otioſum foret, cum per ſe facere poſſit. Contra 2. quia otioſum foret creaſſe Apoſtolos qui in omnem terram clamarent, cum inviſibilibus inſpirationibus poſſet ipſe. Contra 3. quia otioſum foret viſibile Baptiſmi remedium, cum ipſe Dominus ſit vnicus gratiæ, & remiſſionis Auctor. Contra 4. ex fere omnibus rationibus ab exemplari poſitis ſupra, eum cuncta illa otioſa forent, ſicque viſibile almę Matris caput, Joannes Cuſtos, &c. ſic. Necnon tolle cunctas cauſas ſecundas, cum cunctis Auctoribus notum ſit, quod quidquid Deus media cauſa ſecunda, ſe ſolo poſſit facere.

31 Contra necne, quia circa vnitatem fidei ex capite, non benè reſponderent hæretici, qui Chriſtum fatentur, per vnum habere Deum, quia Pagani, & Hębrei vnum Deum fatentur, & tamen vt infideles à Calvino, & alijs impugnantur; ſed ſi pręfata ſolutio recta foret, numquam poſſent impugnari Chriſtum negantes, quia quæcumque Chriſtus,

& Deus

& Deus ſolitariè captus facere poſſet; ergo.

32 Sit decimum ex Fidei controverſijs, & ex divinarum Scripturarum retinenda intelligentia, dum obſtent dubia, & difficultates. Deus namque dum providus in omnibus, non relinqueret abſque remedio Sponſam ſuam in vrgentioribus, & principalioribus, vt ſuot quæ fidei, & Scripturarum.

33 Dices, poſſe Deum cuilibet veritatem revelare, ſicuti nos Catholici dicimus de vno Papa, cui credimus. Nil ſatisfacit ſolutio, tum quia etiam dum vera foret, pro nobis faceret, ſiquidem etiam nos eſſemus talis veſtræ revelationis capaces in his quæ credibilitatis ſunt; igitur dum nos firmiter aſſentiremus dicto Papæ, ex quo iuxta talem ſolutionem non deberemus etiam penſare, quod nobis omnibus, & cuicunque omnium Deus revelavit, vt Papæ aſſentiremus? Tum, quia ſi vnus ſentiat A, & alius ſeotiat B, quis reſolvet pro veritate in puncto indiviſibili ſiſtente, dum quilibet de vi revelatioois pro viribus proſiliret? Tum, quia ex dicta ſolutione ſequitur negari vnum Caput, & deinceps concedi tot capita quot membra. Tum, quia nos dum vni credimus iuxta omuem imaginabilem proportionem imus, quia ſi vnius corporis membra ſimus, caput proportionem ſervans ſtatuemus, iuxta quam, locum deinceps conſonantius tenet Deus, prout latius in 1. Art.

34 Dices, quod vbi duo, vel tres, ibi aſſiſtet Dominus. Bene ſit, at ſi è vobis, quam plurimi duo congregarentur, v.g. hinc duo, illinc duo &c ſic, vnumquodque duo diverſum ſentiens, in quo duorum medio fuiſſe Dominum ſtabilietur? Dices, quod vbi veritas magis appareat, & ratio vrgeat. Contra, tum quia quodlibet duo pro ſe rationem vrgere reſolvet. Contra 2. quia ſic, nunquam habebitis fidei magiſterium, ſed diſputabilis rationis, ſicque nunquam credetur, quin totum ratione opinabitur. Contra 3. quia dum controverſiæ reſolutio foret circa vniverſale aliquod fidei præceptum, vel Scripturæ aſſenſum, omnibus præſtare aſſenſum obligaret, ac proinde vitis-tudibus, & petitis: Nunc ſic, quis reſolutionem credendam intimare popularibus deberet? Ut enim quis credat, audire debet. A quo audiet? Dices, quod vel à duobus illis, vel ab vno duorum, vel vnuſquiſque à ſe. Contra eſt, quia ſi à ſe; non egebit quod duo, vel tres ei loquantur. Si à duobus; equidem aſſentiet quia per modum vnius, aliter cui crederet, neſciret; igitur quia fidei robur, potius ex vnitate viſibili eorum in dictis firmaretur, ac proinde ſic duobus, quia vni; crede ergo vni Papæ, & indiviſo Romę Antiſtiti. Sed quia hęc exactius impugnaoda ſunt, ea pro nunc omittere decernimus.

35 Sit vndecimum ex monſtruoſis credulitatis effectibus in ſumma Hæreſiarcharum diviſione vbi enim Caput non videtur, tot volunt capita fieri, quod nullus ſit capitis ordo, ſed perpetua confuſio. Unde proveoit quod hęreticorum Secta nuuquam in eodem ſtatu permaneat, cum nil perpetuum, quod diviſum, quod diviſum ſiquidem facile deſolatur. Inde enim, cum Lutherus toties numerum Sacramentorum alteraret, & Auguſtana confeſio ter mutata fuerit, ſemperque in peius, necnon Lutherani, & Calviniſtæ Sectarij hodie crederent, cuius contrarium ſequenti die prædicabant, tum & in eadem domo aliud crederet Pater, aliud vxor, aliud filij, & aliud ſervus, idque contradictione perenni, tunc temporis Dux Saxoniæ iocoſe ſolebat aſtantibus dicere (recitat noſter Maſſuccius in Calvino impugnato. *cap.* 4.) *Neſcio, quid hoc anno credam, neque quid hoc anno proximè futuro credituri ſint vicini mei Vvitbergenſes.*

36 Tum ſic in capita ſectarum, qui vnius Evangelicorum ſectæ hæretici, diviſi fuerunt ex vniua viſibilis capitis motivo, quot deficiant membra capitibus. Ex præfatis namque Evangelicis hęreticis, ſic ipſorum Eccleſię corpus diverſis manet rubricatum ſectionibus, quod alij nuncupentur *Lutherani*, alij *Semilutherani*, alij *Antelutherani*, alij *Lutheroſiandrani*, alij *Lutherozuingliani*, alij *Lutheropapiſtæ*, alij *Miricani*, alij *Orandriani*, alij *Stancariani*, alij *Pſeffingeri*, alij *Muſculani*, alij *Melantonici*, & ſic alij, qui factum, dum diſſonantiſſimum *Evangelicorum* titulum inſimul cum Calvino vſurparunt. Quorum, vt ab opinatorum, ſeu creditorum effectibus monſtruoſum diviſione corpus notes compactum circa tot cuiuſvis ſectæ humores, vnicum Euchariſtię opus erit recitare exemplar. Tenent enim Chriſti corpus ſub ſpeciebus adeſſe; alij ineſſe; alij ſubeſſe; alij eſſe cum pane; alij ſub pane; alij circa panem; dum alij celebrant Miſſam latino idiomate; alij gręco; alij cum Eccleſiaſtico apparatu; alij in habitu laicali; & vt ait Proſodiſta, vt Gręci variant, nec certa lege tenentur.

37 Dices cum Calvino, quod inter præfatos ſectarios deficit vnitas fidei ab Eccleſia exoptata, ac proinde eos omnes etiam ab ipſo impugnari. Dum ita foret, rogat noſter Maſſuccius, cur ipſe Calvinus cum eiſdem

dem

dem eodem nomine Evangelico gaudet nuncupari? Si dicat Calvinus, Religionem, ſeu Eccleſiam Evangelicorum in ſectas dividi: Contra vrget Maſſuccius, nam vbi inveniet veram fidem in ſectas dividi, dum vna ſit eius veritas? Dicet ſuam Eccleſiam nullius ante dictorum Evangelicorum eſſe, ſed ſolummodo Sacramentariorum. Igitur dum (infero ſic cum Maſſuccio) Sacramentariorum non ſit fides vna, nec erit fides vera. Nunc ergo vt Sacramentariorum vnitatem in cunctis credulitatis punctis videamus, vnicum Euchariſtiæ adducamus exemplar, vt conſtat ex verbis conſecrationis, S, *Hoc eſt corpus meum*, in quorum brevi clauſula, plures ſunt ſectæ, quam verba. Carolus Stadius tenet, *Hoc eſt corpus meum*, ſic haberi, *Hoc quod aſſidet menſæ*. Zuinglius ſic, *Hoc ſignificat corpus meum*: Ecolampadius ſic, *Hoc eſt ſignum corporis mei*. Bucerus ſic, *Hoc eſt memoriale beneficiorum meorum*. Joannes Laſcus ſic, *Tota hæc actio Cœna eſt corpus meum*. Suvincfeldus ſic, *Corpus meum eſt hic*. Dum itaque ſic incedant alij, ſi deficiat verum vbi vnum, vbi nam erit Sacramentariorum veritas?

38 Dicet Calvinus, quod in Eccleſia ſua Genevenſi. Sed male confugit, nam Genevæ, alij tenent in Euchariſtia manducari triticum ſolum; alij imputative tantum corpus Chriſti; alij tantum ore fidei, non ore corporeo deguſtari. Ubi quod ipſa diviſione notandũ eſt peius, eſt ipſa radix diviſionis, videlicet Corporis Chriſti impenetratio. Ex eo enim quod eam non penetrarent, nec fide vellent, negant penetrationis ſtatus, vt deinceps negare poſſint Sacramentalem revera præſentiam. Unde Sacramentarius Zuinglius, vt neget Corporis Chriſti præſentiam; negat Chriſtum Dominum ad diſcipulos ianuis clauſis veniſſe, aſſerens introiſſe per quamdam ſciſſuram, contra textus integritatem. Sic Calvinus immemor ſuæ grammaticalis ſignificationis, tenuit intraſſe per ianuas apertas, ſicuti & Petrus Martyr per feneſtram intraſſe aſſeruit. Quę, & alia, vt ridicula profecto à Catholicis deſpiciuntur, dum groſſi errores admirantur.

39 Quapropter non ſic Catholici monſtruoſis diviſionibus gradimur, eo quod firmum viſibile noſtrum caput tenemus. Unde Hieronymus cum declarare vellet, noſtræ Eccleſiæ vnitatem etiam ſiſtere in vnitate capitis viſibilis, ſic ait ſcribens contra Jovinianum: *Vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*. Et revera probis rationibus & experimentis conſonat maxima hæc ſententia, vt in choro noſtro experior, nam ſi in eo deficiat cantus Magiſter, tot cupiunt eſſe vocis Magiſtri, quot in eo reſident Fratres, ſicque vnus ſic, & alius ſic, non concentu placido, ſed diſſonanti ſtrepitu confunditur Templum. Si deficiat in domo Dominus, quilibet ſervus vult dirigere, & expendere dominium, ſicque dum Dominus revertitur plura invenit, quæ emendare debet. Sic ſi deficiat Dux, totus dilabitur exercitus &c, ſicut vt percuſo Paſtore, oves diſperſæ probant. Quare Catholicorum Eccleſia vt à Chriſti Ducibus viſibilibus directa, procedit proſpere, vt caſtrorum acies ordinata.

40 Dices, quod etiam Catholici in doctrinis noſtris dividimur, cum v. g. circa præfatam Euchariſtię normam, quidam dicant, actionem præſentiativam Corporis Chriſti fore adductivam, alij productivam. Sic quidam dicunt, ſpecies ſenſibiles dici in recto, ſecus alij contrarium. Sic quidam dicunt, verba illa *Qui pridie &c.* non fore neceſſaria ad conſecrationem, dum alij contrarium. Sic quidam dicunt, Sacramenta phyſice cauſare gratiam, alij vero moraliter. Et ſic circa Baptiſmi valorem plures de aquæ habilitate vertuntur doctrinæ; & ſic paſſim in quam pluribus tam in rebus Sacramenti, maximè Pænitentiæ, quam in ſcripturam intelligentia. Nunc ſic, ibi ſolum eſt veritas vbi vnitas, vbi nam erit noſtra veritas, ſi hæc in puncto indiviſibili ſiſtat? Ergo cum vno capite plura volumus habere capita.

41 Hæretici, efficaciſſimum equidem reputabitis præfatum argumentum, at dum ego rato habui vllius Auctoris deſpicere rationem, fateor veſtram, facilem, & rationi conſonam tenere ſolutionem. Catholici enim nunquam dividimur in fidei dogmata, ſed in ea, quæ fides per ſuum ſupremum caput non edocuit. Aliud eſt opinari, & aliud credere. Quæ fidei ſunt, non opinamur, ſed in vnum convenientes credimus, & abſque opinionum rumore eis aſſentimus. Et dum omnia ſupra obiecta diverſimodè opinamur, magis elucet noſtræ fidei veritas, & ſupernum robur, ſiquidem dum vnuſquiſque acer ſuam opinionem propugnabat, ſi à ſupremo noſtro capite contrarium ex cathedra decernatur, ſtatim pro viribus aſſentimus, & acerrimi defenſamus, quia dum antea cuiuſvis opinio vnumquemque habebat vtpote humanum Magiſtrum, lucratur Maximum habere deinceps, vtpote ſummum, & à Primo vero directum.

42 Comprobatur rationalibus exemplaribus. In eis enim in quibus Regia voluntas

decla-

declarata non fuit, varias directiones valet quævis Reſpublica expendere, necnon domi ſuę quilibet Dominus, at dum Edicto ſuo Rex aliud declararet, non ſic deinceps, cum Regis tunc læderetur Maieſtas. Sic extra ea quæ fori in Aragonia, quotidie variè diſcurritur, & plura facta in directione opinantur, quin inde in leviori civilium dogmatum defici præſumatur. Sic, dum Chriſtus Dominus de opinione filij hominis interrogavit, abſque infidelitate potuerunt ipſi diſcipuli, qui divinæ revelationis ignari, opinari, alij ſic, alij ſic; ſecus autem dum notitiam Petri dicentis *Tu es Chriſtus*, ſupremum illud caput vt fide tenendam declaravit.

43 Dices, quod dum ſic fidei vnitatem amat Catholica Eccleſia, & aliàs ſciat, verum in indiviſibili ſiſtere, deberet Scripturarum, & alia quæſita Sacramentorum ſtatim declarare, ne ſit inter Catholicos diviſio. Nil vrget hoc oppoſitum. Parum enim obſtat opinione dividi, cum fide ſimus concordes. Tum, quia quando ſupremum caput dubitationes & quęſtiones poſſe vitiare doctrinas, & morum puram invertere viam, tunc iam Concilium congregat, & firmiter decidit. Non enim oportet in ictu oculi decidere, congruit enim temporum neceſſitatem, & humanorum actuum rationabilem, quin & aliquando fragilem conditionem obſervare, prout Chriſtus Dominus, qui non cito voluit adventu ſuo Mundum purificare; necnon dum venit, plura credenda, & myſterijs plena differre notavit, cum plura haberet Apoſtolis dicere, quæ non poterant portare tunc. Non enim prudentiæ regulis contrariatur Catholica fides. Summa prudentia ſoli Deo convenit, & tamen permittit quod ipſi boni Angeli varia opinentur, quin in promptu decidere velit, prout tam de varietate opinionum, quam de ſupremi Capitis dilatione conſtat ex illa reſiſtentia Principis Perſarum; ergo à ſimili illius Populi vales ad noſtrum cum Rectore applicare.

44 Sit duodecimum ipſa revera Capitum Catholicorum continua ſucceſio, à Divo Petro vſque ad Innocentium vndecimum nunc ſuperſedentem, per tot varia, & contraria ſæcula non interrupta, & veluti Rectorum generatio, ſemen eius in æternum benedictum. Sic Domini Noſtri Jeſu progenies narratur interrupta à Sacris Evangeliſtis vſque ad Abraham per vnum, vſque ad Deum per alium. Non ſic impij non ſic, ſed tamquam pulvis quem proijcit Dominus à facie venti; quare licet pęviderit David impium exaltatum, & elevatum ſuper Cedros libani, tamen tranſivit, & iam non erat, quia nemo conſervare vult quod ſuum non eſt. Et dum Deus ob pręclaros, & rationabiliſſimos fines permittat contrariantes nebulas in Eccleſiam ſuam, potius dicta pacis viſio roboratur, dum ſic, vt lux in tenebris luceat, & tenebræ eam non comprehendant, ſicuti nec ad Chriſti præſentiam Petri navem ex indomita & horribilis frementium vndatum tempeſtas. Noluit Deus in hoc Adamitico ſæculo vallem abſque lachrimis, triticum abſque zizania, panem abſque ſudoribus, culmen abſque anxietate, Roſam abſque ſpinis, clementia abſque pugna, diem abſque nocte, ſcientiam abſque dolore, fidem abſque obſcuritate, Romam abſque Geneva, & abſque certamine coronam.

ART. III.

(Principali intento Quæſtionis reſpondetur) Eccleſia, quæ à Capite viſibilis, debet eſſe quę à Capite Catholica, & Romana.

45 DEſcendimus à gradu in gradum, & pervenimus ad intentę veritatis centrum, in quo adeſt errorum, & veritatum paleſtra, nunc ſiquidem ſumus Romæ, quæ dum antea fuerat Magiſtra erroris, iam à Petro, & Legitimis Succeſſoribus eſt conſtans diſcipula veritatis. Miranda profecto divinæ providentiæ proportio. Ubi enim vniverſale Caput ſæcularis dominationis, & imperij tenuit in Suprema Maieſtate ſedem, providit vniverſale Eccleſiaſticæ dominationis Caput ſupremam tenere poteſtatem. Ubi leges civiles providit derivare Cæſares, & providit Canonicas ſtabilire Pontifices. Ubi enim (vt late adverſus Gentes recitat Tertullianus) Deitatum in ſummo prophanus erudiebatur cultus, Cælicolarum decernebatur proventus, & barbara vanitatum erigebantur Amphiteatra; ibi & veri Dei in ſummo cultus elargitur, Cœlitum vitæ canonizantur, & Templorum vſque ad Cœli aram, ſacra culmina eriguntur. Inde, cum meditarer non ſemel, quod dum omnia, quæ nunc in Evangelica luce, præceſerint in figura tum hæbraice, ſicque, quæ nunc in generoſo corde, tunc in rudi cortice, opponebatur mihi, Summum Petri Succeſſorem, vniverſique Orbis Antiſtitem, potius quam Romæ, Hieruſalem ſedendum

in Judaiſino ſiquidem ſedit ſummus Pontifex, qui Catholici erat præfigurata vmbra (hæc hinc notare conſului, vt noſtrum intentum magis roboretur & hęretica obiectio melius confundatur) At cuncta, quæ in ſuis diſpoſitionibus nõ fallitur ordinavit ſic providentia divina. Dum enim Deũ irritabant, ſtatim dabat alienis Regnum, vxores, filioſque captivos duci permittebat; horumque timore vſque ad Chriſti mortem extiterunt, juxta illud, quod aliter, ac putarunt, prophetarunt, dicentes, venient Romani, & tollent locum & gentem. Sic etiam Apoſtoli, cum indignos eos viderint, converſi fuerunt ad gentes; ac proinde diſpoſuit Altiſſimus, quod Cæſares Evangelici Cæſaribus Gentilibus ſuccederent, ibique primum locum tenerent vallantes Chriſti oves, vbi principalem tenuerunt totius Orbis rugientes magis leones, vt elevetur baculus Paſtoralis, vbi ſceptrum Gentile, & vbi culpa, magis ſuperabundet gratia, dum leones in agnos, & lupos in oves convertit. Ex hoc, ſicuti ex Paulo, Te Deum mirabilem prædicamus.

46. His ita, non parum ex myſterioſa congruentia ſuadentibus, circa reſolutionem in titulo articulatam, paucis iam egere rationibus videbatur. Si namque in præcedentibus Articulis, naturalibus rationibus probatum extat, veram Eccleſiam debere eſſe à Capite vnam, & ab vno capite viſibilem, dum nunc efferveſcentium hæreticorum horribilis impetus, id neget, & pro viribus fidei, ordinata Catholicorum caſtrorum acies affirmet, bene infertur ſolum Romanę, & Catholicæ Eccleſię fore verum caput, cum severa ex præmiſſatis Articulis, ſit ipſum, quod abſque partitionis monſtruoſitate in vnitate fidelium reſtat à primo Evangelij ſæculo continuò viſibile.

47. Confirmat intentum, ipſum nomen & Catholici rubrica, in ſignum veræ Eccleſię poſita à Symbolo Niceno, à Calvino & alijs admiſſo. Ubi ante rationis confirmationem notare oportet ſupra *Credo in vnam, Sanctam, Catholicam*, hanc vocem ſignificare idem, ac *Vniverſalem*, prout ex Græca etymologia inter alios Patres declarat Auguſtinus, qui etiam à Calvino admittitur. Ait enim Auguſtinus: *Catholicam maiores noſtri nominarunt Eccleſiam, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt, ſecundum totum enim, Cathologon, Grecè dicitur.* Idque comprobare poſſent hæretici ex Philoſophis Gentilibus, dum vniverſalis rei naturam definierunt per eſſe *Vnum aptum ad eſſendum in multis.* Ubi & pro vniverſalis capitis vnitate notare poſſent etiam, male poſſe dari aptitudinem ad eſſendum in multis, vbi bene non datur Unum, quo pacto & proportione dantur plura. Sciunt bene logici, quod viſibile non prædicabitur de inviſibilibus, nec è converſo, ſicuti nec de individuis incorporeis corporea ſpecies &c ſic. Ad rem igitur venientes dicimus, quod Eccleſia Catholica, idem ſonat, ac vniverſalis, prout ſatis exprimitur ex illo Pſalmiſtæ, vbi de Apoſtolis loquens ait, *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*; ac proinde quod vniverſale, & Apoſtolicum optimè combinantur.

48 Nunc ſic proponitur confirmationis intentum. Sciunt & bene cuncti hæretici, Catholici numinis horriſoni, quod iuxta Nicenum, vnum ex principaliſſimis ſignis ad deducendum in vnitate fidelium veram Eccleſiam, eſt, Catholicam fore; ſed dum ſic congrua, & ęſtimabilis eſt rubrica, hocque ſimbolicum nomen, nemo hęreticorum vnquam valuit tali nomine deſignari; igitur quia divinæ fuit providentiæ, quæ & ſtellis & ſic cęleſtibus nomina vocat, nunquam alijs, quam veris ſuis fidelibus tale nomen permittere. Maior eſt certa, vt expoſuimus. Minor non minus, quia vbicunque à mari vſque ad mare, etiã ſi ab hæretico interrogetur Catholicus, cuius Religionis ſit, & reſpondeat Catholicam Religionem profiteri, ſtatim infidelior percipit talem Catholicum ſub Antiſtite Romano militare; ac proinde apud omnes ſectas, & nationes, Fides Romana indicit Fidem Catholicam ſic, quod ea dumtaxat antonomaſtice Catholica teneatur. Conſequentia, præterquam quod liquet, comprobatur cum integro diſcurſu, & revera eleganti & firmo alio diſcurſu, quo Divus Paulus ad Hebreos 1. ſuadet Chriſti Domini etiam præ Angelis primatum, virtutem, dominium, ſedem, & vniverſorum bonorum hæreditatem, ſic ad intentum aiens: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura* (cuncta notate, equidem conformia) *ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis* (nota cauſalem in ſigno) *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquãdo Angelorum, Filius meus es tu? Ego hodie genui te?* Igitur ab adęquatò divini Pontificis ſimili, equidem Catholico propriſſimo, cum ſit ſplendor eius, reſpectivè purgationem peccatorum faciens, verbo virtutis ſuæ omnia portans, in ſede Maieſtatis ſedens & in excelſis aris Cæli, tanto melior alijs ſectarijs effec-

tus,

tus, quanto differentius prę illis nomen hęreditavit. Cui enim illorum dixit, nec dicere permiſſit aliquando Filius meus Catholicus es tu, & hodie creavi te? Ergo.

49 Confirmatur etiam intentum ex eo, quod quam plurimi hæretici cum Calvino iam fateantur Divum Petrum fuiſſe Caput cęterorum. Sic Calvinus *lib.4. Inſt. c.6. ſec.8.* ait: *De Petro concedam, illum fuiſſe Apoſtolorum Principem.* Unde ſic formo argumentum. Christus Dominus, qui fuit ſapientia à Deo, Divum Petrum non conſtituit in Eccleſiæ Principem, niſi ob Eccleſiæ aſſiſtentiam, curam, & elegantem proportionem; non enim improvide, inutiliter, & otioſe dedit ei Principatum, & ſupremam curam ovium ſuarum; ſed etiam poſt Petrum remanere Eccleſiam voluit, necnon oves ſigno ſuo rubricatas, vt caractere diſtinctas; igitur iuxta rectam providentiam, & eiuſdem conformem ſapientiam, oportuit non minus poſt Petrum providere Rectorem Eccleſiæ, Fidelium Principem, & ovium ſuarum Paſtorem. Nunc ſic, ſed taliter qualiter, vt vos hæretici voletis, à Petro vſque nunc, minus fallibilem & minus confuſam ſucceſorum lineam, ac noſtram Romanorum Pontificum, vt bene ſcitis, non invenietis, alitee deſignate; ergo.

50 Nec eevera, etiam abſque catholico zelo inſpecta, obſtabat Calvinus dans Petro Primatum, dicens deinde; *Non eſt cauſa cur ex ſingulari exemplo vniverſalem faciant regulam*, ac proinde benè potuit Petrus habere Principatum, ſecus autem cæteri à nobis præſumpti ſucceſſores. Non obſtat revera, quia ſi de medio Eccleſiæ tollatur poſt Petrum viſibile caput, equidem non alitee apud eos, niſi quia ad regendum eam, & curandum de ovibus remanebat ſempee in Cœlis Chriſtus qui nobis caput inviſibile, ſicque ipſe ovibus ſuis excellentior Paſtor; ſed dum idem ipſum in omnibus per excellentiam habuit, tam dum viveret cum Petro, quam poſt reſurrectionem ſuam, tamen non obſtarunt, vt iuxta rectam ſapientiæ, & providentiæ conſonantiam, viſibile in capite ſolatium per Petrum præſtaret Eccleſiæ; ergo æquali, dum aliquomodo, non maiori motivo deinceps. Dixi, dum non maiori congruentia, & motivo deinceps, quia ſi abſque adiutorio & viſibilis capitis ſolatio poſſet aliquando tranſire Eccleſia, maximè in tempore immediato ad Chriſtum. Ratio eſt conſpicua, quia tametſi tunc Eccleſia teneret exordium, at cum foret infragrantia de Chriſti vita, eamque nimis paulo ante eruditam reliquerit; recentia præcepta, conſilia, & alia præſervantia præſtans, necnon Spiritus Sancti adventu viſibilitee & inviſibiliter donis ſupernis repletam, & ſic quod nullum vnus Chriſti diſcipulus, ſed omnes repleti fuiſſent Spiritu Sancto, & pro toto orbe eximij Magiſtri creati forent, id videbatur in eo tempore potius poſſe viſibilis capitis ſolatium ſupplere, vt patet ab exemplari Patris familias, qui pro tempore immediato ad abſentiam ſic de operibus exequendis relinquit inſtructiones & præcepta, quod ſi ipſius directione non egere poſſint ſervi domus ſuæ, in nullo tempore egebunt minus, ac in eo ad abſentiam immediato; igitur à ſimili, dum in aliquo tempore poſſet dari motivum, vt viſibile capitis ſolatium Eccleſiæ deficeret, in nullo tempore aptius, ac in immediato ad abſentiam Domini noſtri, maximè cum ſuppleretur pee Magiſtrum qui docuit omnem veritatem, vt fuit, erat, & eſt Spiritus Sanctus, qui præ omnibus ſolatijs Conſolator optimus, in labore requies, &c.

51 Nec obſtar, quod ſoli Petro foret à Chriſto dictum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Non obſtat revera, quia etiam per viſibilem Chriſti vocem ſolis Apoſtolis ante electionem Mathiæ fuit dictum, *Ego elegi vos*, & tamen congruit futura Apoſtolatus ſucceſſio; ergo plus vltra in Pontificatu, cum vltra membrum oporteat capitis præſentia. Profecto benè, quod Apoſtolis concedamus ſucceſſores, eamque negemus Apoſtolorum Principi? Sicuti providere circa militum vaccantias, & nil in exercitu providere circa vaccantias Ducum. Nec obſtar ſi dicatis, quod electio Mathiæ fuit à Deo, cum Apoſtoli orarent, vt eam Deus oſtenderet. Non obſtat, quia clarum eſt, quod Apoſtoli eam à Deo faciendam ſperabant, & credebant; at, Petro convocante Concilium, tota viſibili illa Eccleſia orante, & Spiritus S. invocante aſſiſtentiam, necnon medijs actionibus Apoſtolorum, cum dediſſent ſortes eis. Sic nunc Eccleſia orat, & invocat Spiritum S. atque dum eredit ab eo factam fore electionem, tamen plura viſibiliter diſponit, & activè operatur.

52 Inde enim viſibiliter, & grammaticaliter ſolum Petrum viſibilis Chriſti vox expreſſerat, quia cum finis pro omnibus foret manifeſtus, iſteque pro vniverſa Eccleſia foret vniformis, deſignando Petrum, cæteros deſignare fuit otioſum, cum Chriſti directio reputari deberet vt à regulariori, & electiori prouidentia derivata. Sic enim providerat Deus in Regibus Chriſti Progenitoribus

Primum enim (hic erat Sanctus Rex David) vt eligeret, viſibiliter admonuit, vt evenit per Samuelem Prophetam Domini, cum clara voce deſignans; at David ſemel ſic clarè in ſolio conſtituto, non ſic curavit de cæteris, ſed ſucceſſionem deſtinavit, quam dum aliter ac ſuccedebat voluit dividere, manifeſtavit, vt viſum fuit cum Jeroboam. Sic etiam ante, dum regulariter vellet procedere deſignato Saul vt Rege primo Iſraël, nil vlterius demonſtraret pro Jonatha; quare dum ſucceſſionem aliter voluit interrumpere, clarè manifeſtavit, vt etiam Prophetæ ſuo Samueli dixerat; & id, non aliunde, niſi quia Deus non loquitur ſuperflua, ſed iuxta neceſſitatem importantia, ac proinde dum eis erexit Regnum, & Coronam, primo deſignato Principe, ſucceſſorem habere Coronam, quouſque ſubſiſteret Regnum, iuxta Dei decretum ſatis inferre poterant ipſi; igitur à ſimili, ſemel erecta Eccleſia, & deſtinatis ovibus, primo Paſtore deſignato ab eo, ſatis deſignabat, quod dum ſuccederent in Eccleſia oves, & in Eccleſia deberent ſuccedere Paſtores.

53 At cum ſucceſſio Pontificum non ſit per naturalem propagationem carnis vt illa Regum Juda, ſed per fidei congregationem: Dices, quod in Regibus primo deſignato, ſat erat, ſecus autem in Pontificibus, quouſque non conſtet ab exemplari infallibili, quod divinæ providentiæ ſit talis modus ſuccedendi; ſed tale non datur, cum vivente Chriſto ſolus ſignaretur Petrus, vivente Petro non erat alius; ergo pro libito Catholicorum continuatur Romana ſucceſſio. Non obſtat hæretica increpatio. Ratio eſt, quia non minus iuxta rigorem increpantis erat ſolius Chriſti nominare & erigere Apoſtolos, ac nominare, & erigere Primatem; ſed tametſi Chriſtus dumtaxat erigeret Apoſtolos, inſpiravit, vt de ſucceſſoribus providerent (ſi ſicuti vnus Judas prævaricatus fuit, alij prævaricarentur, congregarentur cæteri Apoſtoli, vt de ſucceſſoribus providerent) ergo licet ſolius Chriſti fuerit erigere Primatem, æquè tenendum eſt, quod eo deficiente, inſpiret, vt de ſucceſſore provideant.

54 Tum, ſemel electo Summo Pontifice, ipſi Judæi obſervabant Succeſſorem, quem confirmare Deum quoad ea quæ erant Supremi Capitis Synagogæ ſatis clarum fuit viſum, vt in Caipha, qui tametſi depravatus in vita, tamen non permiſſit Deus, quod falſo prophetaret, prout veræ eius Prophetiæ cauſalem rationem deſignans, manifeſte deſcripſit Joannes C. 11. ℣. *Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius &c.* Ubi plura notare oportet. Primo, nota Capitis vnitatem, S, *Vnus autem ex ipſis.* Secundo nota eam perſonam, non ex alijs individuis, ſed *ex ipſis* ad Pontificatum aſſumptam. Tertio, & ad præſens intentum nota, quod tametſi depravatus, tamen cum Pontifex foret anni illius, per eum loqui decrevit Deus, cum Caiphas *non à ſemetipſo dixit.* Quarto & revera pro Pontificatu nimis notandum, quod Divus Joannes non ſemel voluit deſignare cauſam illius infallibilis dicti, ſed iterum atque iterum in ea brevitate textus, eam reduxit ad Pontificatum anni illius. En, *Vnus autem ex ipſis cum eſſet Pontifex anni illius*; & paucis interiectis: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius*; quę cum otioſe non poſſint percipi in aquilino Joannis calamo, myſterioſa fore in noſtri intenti corroborationem percipio. Igitur potiori iure, vno Pontifice Summo à Deo deſtinato, in poſterum relinquere alijs ſucceſſionem, eique infallibiliter aſſiſtere, conſonantius in Eccleſia Evangelica, cum à Synagoga diſtet, ſicuti ortus ab occidenti.

55 Confirmatur intentum, & ſingularis illa Calvini regula magis reijcitur. Si quia ſingularis erat Petrus eis viſibiliter Chriſtus dedit baculum Paſtoralem dicens *Paſce oves meas*, mortuo Petro, viſibilis vllus alius Paſtor non remanſit, ſequeretur non minus, quod nec remanerent vllę alię viſibiles oves, mortuis illis quibus ſingulariter etiam viſibiliter tunc à Chriſto Paſtor ille deſignabatur; ſed id non admittetur ab eis; igitur nec noſtrum intentum negabitur. Suadetur integer diſcurſus ex maioris comprobatione. Quia dum Chriſtus dixit Petro, Paſce oves meas, rogo, quarum ovium ſingulare dictum percepit? Vel enim earum tunc cum Petro commorantium, vel futurarum poſt Petrum. Non dicent, vel iuxta intentum ſuum non debent dicere hęretici, quod futurarum poſt Petrum, nam ſic ly *paſce* de præſenti, qui de præſenti paſceret, deberet indicere Paſtorem, ac proinde alium poſt Petrum, ſicque ſic Petro foret dictum, quod & cæteris in eo deberet intelligi dictum; nec alius quam qui Deus valet eſſe futurorum Rector. Igitur iuxta intentum eorum, ſolas eas oves tunc ſingulares Petro in ſingulari Paſtori dicto commendavit; ſed quia ſoli Petro applicatur à Chriſto Paſtoris dictum, nullus poſt eum remanſit Paſtor; ergo cum ſolis illis ovibus ſingulariter, ab eo paſci, competeret, nullæ poſt eas remanſerunt oves.

56 Confirmantur cuncta ex conſimili vocum

vocum ſingulari indice. Non minus quinimo magis myſterioſa debet capi Chriſti nominatio penes ſuæ Eccleſiæ Principem, & fundamentum, quam capi debeat figurata nominatio Jacob penes ſuæ domus fundamentum, & Primatem; ſed licet viſibiliter, & vocaliter ſoli Judæ dixerit, *Iuda, te laudabunt fratres tui, &c.* capi etiam debuit de ſucceſſoribus; ſicuti & de Paulo expoſuit Auguſtinus ly Beniamin lupus rapax; ergo à ſimili potentiſſimo capi etiam debet de ſucceſſoribus ly *Tibi dabo claves*, & ly *Super hanc Petram &c.* Nec obſtat etiam dixiſſe vt futura nuntiaret, *Non auferetur ſceptrum de Iuda*; Nam etiam dixit Petro, *Et portæ inferi non prævalebunt*, S, de futuro.

57 Confirmatur intentum ex alijs, quæ ex ipſorum hæreticorum pœnali fuga colliguntur. Hæretici enim qui cum Calvino in ſectarum ſuarum ſectionibus plus insudarunt, dum à Catholicis Sagittarijs profugientes conſequerētur, tametſi non ſine dolore, non potuerūt negare, quod ſumma in vero, & diſpoſitionibus ſuis erat Eccleſia Tercētena, necnon Concilium Nicænum, & inter Sanctos Patres Divum Auguſtinū ſupremæ auctoritatis dignū reputarūt; ſed nec Eccleſia Tercentena, nec Nicænum, nec Divus Auguſtinus extiterūt abſque Capitis viſibilis veneratione; ergo. Nec alius plus vltra ac Auguſtinus invenietur, qui dum luminare maius, & ſicuti Sol inter aſtra, ſub Eccleſiæ, Fideique vmbris, etiam dum volans vellet requieſcere, vt ſub vmbra illius quod ſummè diligebat. Sic in Epiſtolam fundamenti ſcribens, *cap.* 5. pro viribus fatetur: *Ego vero Evangelio non crederem, ni me Eccleſia commoneret auctoritas.* Hæc ne erit auctoritas Eccleſiæ Calviniſtæ, & Lutheranæ? Ne vile aliquid putetis de Auguſtino, qualiter de alijs conſueviſtis, oportebit ſe exponentem, circa Petri Succeſſorem, & Romanum Epiſcopum, adducere Auguſtinum ex *cap.* 4. ſic contra Epiſtolam fundamenti loquentem: *In Eccleſia me tenet, ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendavit, vſque ad præſentem Epiſcopum, ſucceſſio Sacerdotum.* Et ibidem, veluti ſi prophetico ſpiritu tam Calvino, quam Luthero loqueretur ſic lamentans ait: *O infelix anima, cui te commitis? Cur non potius te ſubdis Evangelica auctoritati ab ipſis Apoſtolorum temporibus, vſque ad hæc noſtra per ſucceſſiones legitimas commendatæ?* Et contra Donatiſtas ſcribendo ſubiungit: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in illo ordine Patrum, quis, cui ſucceſſit.* Circa quod, apud Antonium Maſſuccium *cap.* 7. idem replicavit Optatus Millevitanus Parmenianiſtas Hæreticos ſic deridendo: *Veſtræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vindicare.*

58 Tandem, Deo dante corroborabuntur cunctæ noſtræ confirmantes rationes ex ſolutione contrariantium in tres præſtabilitos Articulos, quibus principalius oppoſita, cum ad idem centrum defluant, in articulo ſequenti expendemus.

ART. IV.

Eccleſiæ, & ſupremo eius Capiti principaliter obviantia, ſolvuntur.

59 Opponent 1. Noſtram Eccleſiam dici Univerſalem nos præſumere, inter alia, ex ovium eximia, & per totum Orbem diffuſa multitudine; ſed fere innumerabilibus ovibus ſic per vniverſum diffuſis, non videtur rationabiliter conſonum, & benè providum, vnicum & viſibile relinquere caput, tum quia diſſonum eſt pluribus gregibus vnicum ſignare Paſtorem, tum quia monſtruoſum foret vni corpori totum Mundum replenti vnicum caput appropriare, ni viſibiliter foret ad proportionem, vt noſtri corporis phyſici caput probat; ergo improvida, & monſtruoſa debet cenſeri noſtra Catholica reſolutio. Confirmabunt, quia eximie pauciores oves erant in Eccleſiæ exordio, & tamen duodecim elegit Apoſtolos, vt irent, & per Orbem fructum afferrent; ergo deinceps, cum increſcerent ovium gemitus, improvida foret vnius Paſtoris nominatio.

60 Reſpondendum, & ad argumentum conceſſa maiori, neganda eſt minor. Dicimus ergo, Eccleſiam tot oves continentem, nedum habere vnicum Paſtorem, plures enim Paſtores habet ſubordinatos, qui poſſint habere curam de ovibus, & ſpiritui neceſſaria miniſtrare. Dicimus at vnicum ſummum habere Paſtorem, vt ſic poſſint oves melius paſci, cum poſſit in cæteros Paſtores reſidere, & ponere rationem cum eis, gregis commiſſi expoſcens ſatisfactionem. Id enim nec eſt monſtruoſum, nec improvidum, quin è converſo, vt patet in capite noſtro, quod tametſi ab aliquibus inferioribus partibus ſit diſtans, & ſolum in vno determinato loco præſit, tamen ad corporis motus, & miniſtrationem

ad omnia attendit, dum impetat manni vt tradat, pedi vt eat, tranſmittit ad ſtomachum vt coquat, &c. ſic. Tum in politicis, & moralibus, cum vnus magnus Rex, per Proreges, alioſque ſubalternatos Miniſtros, plures Provincias, quinimo & diſcontinuas dirigat, & ſic regit diſcontinuas, quod non deſit cura tametſi in vno & altero Mundo plures habeat, vt apud noſtrum Catholicum Regem. Tum præclariſſimè confirmat Religio Minorum, cuius Caput Generaliſſimum, eiſdem præceptis, votis, mendicandi norma, &c, gubernat familiam, vt arenam maris per totum Orbem diffuſam, tametſi poſitam inter Indos, Hæreticos, Turcas, cæteroſque Barbaros. Tum, nil ſupra opponebatur in vnitatem Romani Pontificis, quod eodem metro, non militet contra vnitatem Romani Imperatoris, vt diſſerto patebit; ſed dum vnicum fuit totius Orbis Caput, vt fuit Cæſar Auguſtus, fuit directio vniverſi Orbis mirabilior, & vtilior, cum inter alia bona, totus foret in pace compoſitus; necnon licet vnicum Caput habebat normâ, vt à reconditiſſimis familijs ei præſtaretur tributum, vt patet dum diſpoſuit Edictum; ergo plus vitæ in eis, quæ ſunt ſpiritus, animi, & Chriſti, cum prout ſpiritualia & magis bona, ſint velociora, magis diffuſiva, & vndequaque penetrantia. Igitur nec vnquam erit totus Orbis in Pace Chriſti compoſitus, quouſque vnum ſupremum Eccleſiæ Caput ab omnibus agnoſcatur, eiuſque Edicto, ſicuti tributum, obedientia præſtetur.

61 Ad confirmationem dicimus, quod dum pauculæ oves erant, duodecim diſpoſuit Paſtores, quia licet oves paucæ, diſtantia tamen erant loca, in quibus erant oves paſcendæ, quare dum nunc plures ſint, & plures diſpoſuit Paſtores ſupremus Paſtor, vtpote Epiſcopos, & inſtar Apoſtolorum Apoſtolicos à latere Miniſtros; ſicque nil probant, dum etiam tunc non probent Paſtorem ſupremum non fuiſſe Petrum. Et tunc, dum difficilius ſit plantare, & novam doctrinam imprimere, quam continuare, vt patet in veneratione primorum inventorum ſcientiarum, cum iuxta Philoſophum omnia principia ſint difficilima, valuit Paulus fore vnicum vas, quod totius Orbis refrigeraret ſitim, Chriſtianam legem ſic coram Gentibus, Populis, & Principibus annuncians, vt Prædicator veritatis in vniverſo Mundo diceretur; igitur quod nunc plures ſint oves in vniverſo Mundo, nil obſtabit vnitati ſummi Paſtoris, quia ſi pro toto Orbe ſat potuit eſſe vnius Cathedra quoad prædicationem, & ſat ſemper & nunc debet eſſe vnius Cathedra quoad Poteſtatem.

52 Opponent 2. Unitatem Eccleſiæ eum capite debere eſſe per fidem, quæ inviſibilis eſt; igitur & nullum aliud debet habere Caput, quam inviſibile, quod eſt Chriſtus. Tum confirmatur, quia pro linea perfectiori, id quod perfectius, eſt deſtinandum in Caput; ſed linea fidei, & Eccleſiæ eſt perfectior; igitur & Chriſtus dumtaxat, qui perfectior deſtinandus in Caput eſt. Tum confirmat ipſa Chriſti doctrina, dum hominum paternitates prævidens dixit apud Matth. cap. 23. *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram; vnus eſt enim Pater veſter, qui in Cœlis eſt*; igitur eum noſter, qui Pater Sanctus dicitur, ſuper terram ſit, & ſolus Chriſtus ſit in Cœlis, qui Pater, Chriſtus ſolus in Eccleſię vnitate Pater erit.

53 Reſpondendum, & ad primum in antecedenti dicimus, verum eſſe vnitatem Militantis Eccleſię debere fieri per fidem, necnon fidem fore inviſibilem, at non vndequaque, eum debeat eſſe in viſibili ſubiecto, prout tale eſt membrum quodlibet huius Eccleſiæ, vt patet in hominibus fidelibus, qui Eccleſiæ corpus componunt; igitur etiam ſi eorum colligatio debeat fieri per inviſibilem fidem cum inviſibili fide Capitis, at hoc in quo reſidet fides, viſibile debet eſſe, prout videtur homo, tametſi Papa credatur. Tum, quia etiam ipſa fides debet in foro externo manifeſtari, prout in his, & illis eventibus verbo & opere manifeſtatur à fidelibus, ne abſque ſenſibili ſigno motus & fidelis pulſationis mortuum credatur, vel ſuſpicetur fidei cor, quo pacto cordis noſtri corporei putaretur eum magno pulſationis intervallo. Sic fideles in diebus dominicis ex præcepto pronunciant alta voce in Choris Symbolum fidei, necnon ab Innocentio 11. ordinatum eſt, quod non exhibeatur pænitentibus abſolutio, quin fidei præcedat examen. Igitur fides iuxta ſuę normæ conſonantiam, viſibile caput propriſſimè coexigit. Tum ſi hæreticum argumentum quidquam probaret in nos, etiam in eos. Sic inſto: Sicuti eſt fides, vtpote inviſibilis, inviſibile requirit caput; ergo etiam dum Chriſtus fuit in mundo, non debuit eſſe Caput vt homo, ſed abſtractiſſimè vt Deus, cum vt homo foret viſibilis, & ſolum inviſibilis vt Deus.

64 Ad primam confirmationem dicimus, quod ſi argumentum quidquam probet, pariter ac ſupra probabit in eos, eum Chriſtus prout dicit lineam Deitatis, perfectiorem dicat, ac prout dicit lineam corpoream & humanam,

mſnam, ac proinde iuxta hanc non deberet Caput eſſe, nec dum vixit hinc, fuiſſe. Deinde dicimus, quod in Caput, etiam nos ſignamus Chriſtum, quo pacto fidei noſtræ valet nunc eſſe Caput; quare cum ſolum nunc inviſibile poſſit eſſe, iam ipſum vt omnium perfectiſſimum deſignamus, ac proinde evacuatum manet argumentum. Unde cuncti Theologi Catholici, non dicimus nunc Romæ Pontificem fore Chriſti ſucceſſorem quia ſucceſſio pcobat antecedentis deſitionem; ſed dicimus fore Chriſti Vicarium, & Succeſſorem Clementis, & ſic cæterorum vſque ad Petrum. Chriſtus enim fuit quoad omnia in Caput anguli Evãgelici, nulli ſubalternatum, ſicuti cauſa prima, at cum hac, compatabilis eſt ſecunda, quæ inter eas prima ſit, vt reſpectu cauſæ primæ, dicitur de materia prima &c. Opportet igitur quod etiam viſibile caput inviſibili ſubalternatum habeamus, cum prout nunc viſibilia membra ſimus, viſibilemque aliquando depromamus fidem; quapropter in Eccleſia triumphanti his non indigebimus, ſicque viſibile & inviſibile vnicum erit Caput, vtpote Chriſtus Dominus. At pro nunc aliud oportere altiſſima Dei providentia ordinavit, tum ob tot dicta in præcedentibus Articulis; tum quia vt elegans, dum Cœlos penetrarat Divus Paulus, *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*; prout mirabiliter in his temporibus Innocentij 11. experimur. Nec obſtat ſi dicas, Chriſtum benè compati infirmatibus noſtris tametſi in Cœlis ſit: Ita credimus, at ſic etiam vt abſtractè Deus compatitur, ac proinde vt Deus dumtaxat poterat dici caput. Oportet ergo, iuxta miſeram conditionem noſtram, quod viſibiliter neceſſitans, & infirmitatibus agonizans, viſibilem conſolatorem etiam teneat.

65 Ad ſecundam confirmationem dicimus, ibi Chriſtum D, percipiendum de Patribus, quorum carnalis amor Deum poſtponere facit, ſicuti & ibidem loquebatur de Magiſtris vel immeritò elevatis, vel ſicuti illac Patres depravatis moribus filios corrumpentes illi depravatis doctrinis diſcipulos. Sic enim è converſo, vnus eſt Pater, & Magiſter, quia licet plures ſint qui doceant vnam divinam, & eamdem doctrinam, vnicum reputabitur Magiſterium, ſic cum eiuſdem Magiſter ex quo omnes docent, vnus ſit Deus qui in Cœlis eſt, etiamſi plures doceant, cum non doceant niſi quod ipſos edocuit ipſe, vnus qui in Cœlis Magiſter bonarum doctrinarum reputandus. Sic enim dum Chriſtus Dominus, etenim fuit Magiſter, Magiſterij vnitatem non præſumpſit dividere, tametſi ipſe etiam doceret; & quare? Quia, vt dixit ipſe, Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſſit me.

66 Quod enim non ſub materialitate incrcpantium textus ille Magiſterij, & Paternitatis capiendus ſit, claret, & ipſi grammaticalius textus capientes fateri debent. Suadetur, nam Divus Paulus bene percepit Chriſti doctrinam, & in nullo ei fuit contrarius; & tamen ſe Patrem, ſeu Genitorem Evangelicum fore dixit, vt ad Corinth. 4. *Nam in Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui.* Sic paſſim Evangeliſta Joannes, qui adhuc in terris erat, dicere ſolebat, *Filioli mei.* Necnon Evangeliſta Marhæus, c. 11. dum tam Chriſti doctrinam, quam Baptiſtę humilitatem benè novit, non renuit dicere; *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis &c.* Igitur iuxta divinam voluntatem etiam fuit, Baptiſtam fore Magiſtrum. Quare? Quia ſic indiviſa erat Baptiſtę pura, ſanctaque, & è Cœlo doctrina, quod ſemper valeret dici à Chriſto ſupra, *Vnus eſt Magiſter veſter &c.* ergo ab identitatis ſimili circa doctrinam, cum ea, quæ eſt Chriſti, ſit quæ à Romano Pontifice ſtabilita, nunquam obſtabit, quod vnus ſit qui in Cœlis Magiſter, & Pater.

67 Opponent 3. ex Calvino: Non debet in ratione viſibilis Primatis concedi de Pontifice Romæ, quod ſibi Petrus noluit appropciare; ſed Petrus ſibi Primatum penes cæteros Epiſcopos noluit; ergo nec velle debet Romanus Antiſtes. Probant ex Calvino minorem. Quia Petrus in 1. Epiſt. c. 1. ſcribens Prælatis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſię, & Bithyniæ eos nominat, non inferiores, ſed conſeniores, & Coepiſcopos; igitur ſibi prę cæteris non competere Primatum intellexit. Reſpondendum, minorem argumenti claram habere falſitatem, quin ex probatione adducta ex Petri Epiſtola quidquam eius veritas reſtauretur. Ratio eſt, quia cum verbis Chriſtianæ amicitiæ, & confraternitatis, impie loquentis Primatus ab aliquo confunderetur, prout patet ex ipſo Chriſto Domino, cuius primitas à nemine confuſa percipietur, tametſi inferioribus vt fratribus alloquatur, prout Joan. c. 20. loquẽs Chriſtus Magdalenæ dixit: *Vade autem ad Fratres meos, & dic eis.* Sic etiam ęqualitatis titulum ſolet aliquan-

aliquando præſtare cæteris paternalis affectus, & benignitas paſtoralis, prout Math. 25. Chriſtus D: *Quamdiu feciſti vni ex his fratribus meis &c.* Quo pacto dum revera Apoſtoli, Chriſti ſervi erant, etiam alibi ex ipſius obedientiæ docilitate, iam non ſie ſervos, ac amicos eſſe dixit. Sic enim D. Petrus, eximius obſervator politicarum ſui Magiſtri, dum ſuperior voluit alloqui vt qui miniſtrar, prout eodem ſtillo vtitur ipſius verus Succeſſor, dum nedum vt Frater, ſed vt *Servus ſervorum Dei* in Epiſtolis ſuis inſcribatur. Sic parum obſtat in Primatum, quod Collegas ſuos nominet Fratres, prout etiam Petrus, vt in primo Concilio Coapoſtolos & Collegas Fratres nominavit, S, *Viri Fratres.* Igitur ex nullo melius, quam ex Petri politicis, Primatus pro Romano Pontifice corroboratur.

68 Deinde reſpondendum, vt reſpondent Catholici nonnulli, videlicet, Petrum habuiſſe fore Epiſcopum, & fore etiam vniverſalem Paſtorem. Prout enim erat Epiſcopus, valuit bene cæteros Coepiſcopos nominare, & tamen aliter Primatus iura retinere. Sic, cum Petrus foret Apoſtolus, valuit cæteros Coapoſtolos nominare, quin inde confunderetur ſummum Paſtorem fore, prout licet ſupra cæteros nominaret Fratres, tamen habuit ius congregandi Concilium, & preſidendi. Nec aliter hæc obſervat ſummus Romæ Antiſtes, vt enim eſt Epiſcopus Romæ, valet cæteros, Coepiſcopos nominare, quo pacto dicit reſpectum ad Urbem; at aliter vt ſummum regimen tenet, & quo pacto dicit reſpectum ad Orbem.

69 Opponent 4. replicando ex Calvino apud Maſſuccium. Si Petrus foret Apoſtolorum Princeps, quomodo in Epiſt. ad Galat. c. 2. poterat argui à Paulo? Et ſi Paulus inferior fuit, quomodo reſtitit ei, & non fuit ſubordinatus? Igitur quia libere nos Petro Primatum præſtamus. Reſpondet noſter Maſſuccius, quod quidquid argueret Paulus in Petrum, numquam ei Principatum negavit, cum in loco citato ad Galatas, ſupra Paulum Petri ſuperioritas appareat, Paulus ſiquidem non fuit auſus Evangelium predicare, niſi prius conferret cum Petro doctrinam, quam prædicare intendebat. Quantum vero ad reprehenſionem à Paulo Petro factam reſpondet cum Auguſtino, non fuiſſe veram reprehenſionem ex ſuperioritate ortam, ſed ex motivo partialis charitatis, ſivè affectus, quam *P*aulus erga Gentiles habebat, ſicut *P*etrus erga Judæos, *P*etrus quidem tuebatur circuncisionem, *P*aulus vero præputium.

60 Igitur (infert Calvinus) erant hi duo Apoſtoli inter ſe pares, ſivè æquales, dum vnus alteri non cedebat, ac proinde reſtauratum ſemper extat argumentum. Reſpondet Maſſuccius cum diſtinctione ad Calvini illationem. Ait enim, quod in Apoſtolis tria conſiderari poterant, S, Ordo, *P*rædicatio, & Grades. Ratione Ordinis, omnes Apoſtoli erant æquales. In *P*rædicatione æquales erant *P*etrus & *P*aulus. In Gradu vero ſolus *P*etrus erat *P*rimas Eccleſiæ, & Apoſtolorum *P*rinceps.

71 Confirmando igitur prefatam doctrinam dicimus, aliquando benè compati ſubditum arguere Dominum, abſque dominationis venerande ſuſpitione. Ratio eſt, quia dum Dominus certiſſimè manet conſcius de ſubditi charo amore, ſi rationalis Dominus ſit, cum debeat ex ſubditi increpatione deducere, illum velle magni Domini & *P*rincipis tenere operationes, exinde ſi intentionis pateat, inferre debet, quod ſubditus qui magis in faciem increpans, probatur ex corde magis amans, & *P*rincipatum venerans. Magnus Rex & Dominus Sanctiſſimus fuit David; neque id potuit ignorare ſervus ſuus Joab; quia tamen primus erat poſt Regem, dum aliàs maioris confidentiæ Miniſter, & Dux, poſt victoriam in Abſalom, etiam dum Rex, *P*atris amore à culpa immunis fleret, in faciem reſtitit ei Joab, & in hoc ab Scriptura non reprehenſus Joab, cum revera veluti Regis imperio Joab Sanctum Regem reprehendiſſet, Reg. 2. cap. 19. dicens: Ingreſſus ergo Joab ad Regem in Domum dixit: *Confudiſti hodie vultus omnium ſervorum tuorum &c. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te; & oſtendiſti hodie quia non curas de Ducibus tuis, & de ſervis tuis &c.* ſic. *Nunc igitur ſurge, & procede, & alloquens ſatis fac ſervis tuis &c. Surrexit ergo Rex.* Divinum eſt ſimile.

72 Neque Petro in vna linea fore Paulum equalem, derogat ſimpliciter Petri Primatum, prout patet, dum omnes Coapoſtoli & ſi forent, vt ſupra dictum eſt, necnon Nos Catholici dum pro viribus fidei, Petro Primatum dare ſcimus, & volumus, & tamen Coapoſtolum eius *P*aulum quotidie predicamus, quin nullum inſtantie prefate rumorem timere poſſimus. Quinimò, nec ſtare ad conſilium, & aliquando ad ſubditorum nutum, derogat *P*rincipatum, prout viſum fuit in 2. Reg. c. 18. dum Rex David dixit *Egrediar & ego vobiſcum.* Et reſpondit *P*opulus, *Non exibis.* Et rurſus Rex ad *P*opulum, dixit obediens: *Quod vobis videtur rectum, hoc faciam.*

etiam. Plus vltra, dum etiam ſiſtentia Solis in favorem Populi, qui tunc Eccleſia Dei erat, oporteret, etiamſi Solem quieſcere foret contra regularem Dei diſpoſitionem, tamen ex divina diſpenſatione aliud evenit, *Obediente Domino voci hominis*, prout dicitur cap. 10. Joſue. Necnon vos impræſentiarum, dum Regem habere volebatis Angliæ, & Eccleſiæ Primatem nonnulli, tamen in faciem paſſim reſtitiſtis ei; tum cum ad Congregationem ſeu Conſiſtorium Generale convocare decernebatis, etiam ad præſentiam Principis Orangis, quam plurimi nullitatem Conſiſtorij convocandi ſentiebatis, niſi Regis nomine, & ſigillo foret convocatio ſubſcripta, dum tamen in pluribus vos Regi æquales manere vultis. Quin & plus vltra fore probatis. Ergo. Sed quidquid de veſtris politicis eſſe velitis.

73 Dico ad ſupra obiectum, quod reſtitit *Paulus*, non contra quod *Petrus*, vt alibi ſedens in Concilio, decreverat vt *Papa*, ſed contra quod faciebat quoad mentem *Pauli* tunc, vt privata perſona. Neque inde inferas, vel Petrum defeciſſe in facto, vel *Paulum* in reprehenſione. Ne inferas eſt ratio, quia *Petrus* valuit operari tunc ſic, ex divina diſpenſatione, prout ſic operatum fuiſſe ſentit D. Hieronymus, & cum *Paulus Petri* diſpenſationem ignoraret, & alias iuxta regularis *Providentiæ* rationes, aliud operandum *Paulus* ſentiret, compati potuit nec *Petrum* defeciſſe in facto, nec *Paulum* in contradictione. Et dum inferre velitis, quod *Petrus* defecit, ſicque non fuiſſe Eccleſiæ *Papam*, contra in vos inſurgam, ſiquidem etiam inferre deberetis, quod nec fuiſſet Apoſtolus & in gratia iam confirmatus: Nunc ſic, do vobis defectum, quem in *Petro* vultis, ſic argumentor: Tametſi cõtradicat defeciſſe Apoſtolum in gratia confirmatum, componitis *Petrum* defeciſſe quin amiſiſſet Apoſtolatum; igitur licet contradicat *Papam* defeciſſe à Deo confirmatum, debebitis componere defectum, quin amittat *Papatum*.

74 Rurſus dico Paulum, vt Eccleſiæ Doctorem, potuiſſe Petro reſiſtere, tametſi vterque vt Doctor, & Eccleſiæ Protector operaretur, prout viſum fuit conſimile in reſiſtendo in cap. 10. Danielis, vbi tametſi vterque foret Angelus, & Populi Dei Protector, abſque vllius culpa extitit contradictio, ita vt Angelus Angelo reſiſteret, iuxta illud *Princeps autem Regni Perſarum reſiſtit mihi*; etiamſi alter Princeps foret populi Dei, qui Eccleſia erat; at tametſi vterque Angelus, habilis fuit inter Beatiſſimos illos reſiſtentia, quouſque divinę voluntatis definitio non fuit intimata; ergo à ſimili, etiamſi Petrus foret Princeps Eccleſiæ, & Paulus veluti Gentium Princeps, Doctorque protegens, vterque, veluti Angelicus, Apoſtolicus, cum non fuiſſet de eo à Petro Concilium congregatum, ſicque definitum, compatibile fuit, vt Angelus Angelo, & Doctori Doctor, vnum Apoſtolum aliquid facere, & alterum in faciem reſiſtere.

75 Opponent 5. quod in Chriſti Regno, & Principatu, quod magis debet attendi ad ſucceſſionis veritatem, eſt antecedentium imitatio, quia vt inquit Calvinus *lib. 4. Inſt. cap. 2. ſec. 3. Quid valet ſucceſſio, niſi imitatio etiam coniuncta ſit*; ſed nunc qui Papæ à nobis dicuntur, nec Chriſtum, nec Petrum, nec tercentenæ Eccleſiæ Paſtores imitantur, vt experitur in Theſauris non ſic virtutum, ac divitiarum; ergo improbe veneramur ſucceſſores veros, quos videmus imitatores malos.

76 Reſpondendum, quod tametſi imitatio in omnibus ſucceſſorem ſplendeſcere faciat, at quoad purum & abſolutum ſucceſſionis ius derogare, non facit, dum ſucceſſori non deficiat procedere per lineam ſucceſſioni legitimæ deſtinatam, quæ in Papis eſt Catholica Fides, ſicuti in temporalibus ſucceſſoribus eſt Matrimonialis. Generatio enim dicitur, Origo viventis à vivente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ. Ut enim phyſicè ſit filius & verus ſucceſſor, non obſtat, quod in omnibus quæ viſui apparent exeat diſſimilis Patri, vt evenit in aliquibus, qui in nullo corporeæ ſymetriæ ſimiles ſunt, eum aliquando à doctiſſimis naſcantur indocti, à fervidis tepidi, à perſpicacibus cæci, ab eloquentibus muti, ab agilibus paralitici, quin quidquam peccarent in generatione Parentes, vt cæcus, vel claudus naſceretur. At inde vt filij habentur, & reputantur, quia requiſitum in ſubſtantia habuerunt à principio coniuncto. Benè quidem ſplendorem domus & Patris in cęteris alijs praoptata imitatio augeret. Sic enim in Eccleſiæ ſucceſſoribus aliquando evenire poteſt nun ſic virtutum, & aliorum ſpiritualium accidentium perfecta ſymetria in vnis, ac in alijs; at enim linea propria, & medium ſucceſſioni deſtinatum non deficiat, vtpote fides, quæ eſt natura harum generationum, in eius ſimilitudinem à principio per legitimam electionem coniuncto (hoc eſt, quod illac Matrimonium) vt vivens à vivente in fide, &c. ſic, nunquam verus & legitimus ſucceſſor deficiet.

77 Tum confirmatur ab exemplaribus pręcla-

prçclariſſimis. Chriſtus enim equidem quoad verum ius ſucceſſor fuit Regum Juda, necnon legitime derivatus, & tamen ſi aliud, quam præfatam principij coniuncti ſubſtantiam conſulatis, eum filium non invenietis, cum quam plures depravatos Progenitores habuiſſet, necnon fœminas minus modeſtas; igitur non fuerũ legitimi anteceſſores? Tum, plurimi ſunt ſucceſſores, qui vt Prodigus filius, portionem abunde impenſam improbè viventes conculcarunt; ergo non veri filij? Tum Calvinus accerrimus hoſtis Anabaptiſtarum conatur eorum opinionem calcare, eo quod ſentiret, *Quod ad integritatem, & inſtitutionem veræ Eccleſiæ non requiruntur opera*: Unde, nunc ſic inſurgit noſter Maſſuccius: Si ad integritatem Eccleſiæ opera non requiruntur, quomodo ad reijciendam Eccleſiam Catholicam Romanam dicis: *Quid valet ſucceſſio, niſi imitatio etiam coniuncta ſit?* Dominus det tibi pacem.

78 Opponent 6. ex his Calvini verbis è Paulo ſumptis: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, niſi Chriſtum Ieſum, inquit Paulus, & de Chriſto ſubiungit idem Apoſtolus, Petra autem erat Chriſtus.* Igitur cum Paulus non plus ſignet Chriſtum, quam fundamentum, & aliàs huius non aliam Petram, quam eumdem Chriſtum, quo pacto nullus alius Chriſtus poſt Chriſtum, nec aliud poſt Chriſtum fundamentum. Reſpondendum, & ante reſponſionem vellem ſcire è Calviniſtis, dum Pauli dictum dicto Chriſti contrariari ſentirent, cuius dicto potius ſtandum? Si Pauli; igitur debent ponere aliud fundamentum vltra Chriſtum, vt ponit Paulus ad Ephes. c. 2. S, *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum &c.* Si dicto Chriſti; igitur vltra ipſum debent etiam fateri fundamentum, cum ipſe decreverit, & ſuper Petri Petram ædificare Eccleſiam ſuam. Clariſſima enim eſt Pauli litera, Doctor ſiquidem ille omnium doctiſſimus, non potuit ignorare, quod ſicuti datur lux propter lucem, Paſtor propter Paſtorem, Filij Dei propter Filium Dei, & quam plurima, ſic etiam datur fundamentum propter fundamentum, & propter Petram Petra. Datur lux propter lucem, v.g. *Ego ſum lux mundi, Vos eſtis lux mundi*: Paſtor propter Paſtorem, v.g. *Ego ſum Paſtor bonus, Paſce oves meas*: Filij Dei propter filium Dei, v.g. *Hic eſt filius meus dilectus, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Igitur & ſic *Petra* propter *Petram*, ita vt quo pacto ſimpliciter, & independenter Chriſtus erat *Petra*, & fundamentum, ſicque Eccleſiæ Auctor, nemo poſſit aliud fundamentum ponere, ſicuti nec aliam lucem, *Paſtorem*, Filium Dei, &c.

79 Opponent 7. quod ad ſublimioris importantiæ *Primatum*, vt eſt *Petri* ad Eccleſiam, revera maxima fundamenta requirebantur in dictis, & factis Scripturæ Sacræ, prout & in temporalibus revera maxima requiruntur; ſed pro *Petri Primatu*, revera nullum maximum dictum, vel factum invenitur; igitur quia dumtaxat fundatur ſuper levitatem, & imperitiam noſtram. Reſpondendum ad maiorem ita eſſe; ſed ita non eſſe vt putant, reſpondendum ad minorem, in dictis ſiquidem & factis talia dantur fundamenta, quod viro prudenti ſatisfacere debeant. In dictis, vt eſt illud Joan. c. 21. *Paſce oves meas*: Illud Matt. c. 16: *Et ſuper hanc Petram ædificabo &c. Tibi dabo claves &c* Joan. c. 21: *Tu mè ſequare.* Math. 7. *Dixit ad Simonem: Duc in altum.* Marc. 16. *Dicite diſcipulis eius, & Petro.* Tum dum deſcribere & numerare oportuit, ſemper in capite *Petrus*, vt Act. 1. *Vbi manebant Petrus &c.* Tum tametſi cæteros vigilantes voluerit, at ſingularis cura ne dormiret, ſolius Petri fuit, S, *Simon dormis*, veluti capitis vigilantiam magis cupiens. Cuique hæc dicta non ſufficiant, nec infinita etiam ſi adducerentur, ſufficient, cum ad firmandum cor ſincerum ſola fides ſufficiat.

80 Nec minus ex factis Petri Primatus convincetur. Primo ex ipſo facto lavandi pedes, vbi Petro fuit applicata Magiſtratus norma, primuſque lavatus, necnon, dum ei intimatum, quod ſciret poſtea, quæ tunc non ſciebat. Secundo, dum principaliora colloquia ſemper cum Petro haberet Chriſtus, veluti qui alium in officio inſtruit. Tertio ex paritate tributi, cum ſtatueret Chriſtus, quod conſimili modo redderètur pro ſe, & pro Petro. Quarto ex receptione illa Gentium ad Eccleſiam, dans ei manum cum potentia, & ventrem cum virtute ad omnia, iuxta illud Act. 11. Surge Petre, Occide, & manduca. Quinto ex Auctoritate congregandi Concilium, prout ad Judę Apoſtolatum. Sexto, dum Act. 15. Convenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc, cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens *Petrus* dixit ad eos. Viri Fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum audire, Gentes verba Evangelij, & credere. Septimo cum tametſi alij forent Apoſtoli, & diſcipuli Domini, at *Paulus* cap. 2. ad Galat. peregrinatus fuit, vt videret *Petrum*. Octavo, cum ad inſtruendam Eccleſiam in fide Reſurrectionis Domini, provide notaretur, Chriſtum primo *Petro* apparuiſſe, necnon ei præ alijs apparuiſſe. Nono, cum Act. 2. om-

nes

nes Apoſtoli à Judæis arguerentur, arguentibus ſolus Petrus ſe oppoſuit, ac pro Apoſtolorum defenſione cōpoſuit Apologiam. Decimo, dum Petrus Act. 8. Samariæ Miſſionarios deſtinavit, inter quos ipſe Petrus voluit connumerari. Undecimo, dum Act. 15. ſolus Petrus reijcit Simonem Magum à Diſcipulorum conſortio, ſupremam in hoc Auctoritatem manifeſtans. Duodecimo, dum tametſi Joannes nimis amore fervens citius currens perveniret ad Sepulchrum, & aliàs magnus inter Apoſtolos, at noluit intrare, quouſque intraret Petrus. Tandem quia licet Hieruſalem Epiſcopus foret Jacobus minor, ibique præſes, & præſens foret, tamen dum ibidem oportuit congregare Concilium, Petrus fecit, & primus locutus fuit, necnon ante alios primum dedit votum, ſeu ſuam protulit ſententiam. Et hæc ſufficiant, cum nec innumeralibus factis crederet, qui his non credat.

81 His ergo, dum contrarij noſtri non bene reſpondeant, ſolum probari Petri Primatum, ſecus ſucceſſorum, tunc adducere oportebit ea omnia, quibus In præcedentibus Articulis rationi bonæ conformes vnius viſibilis Capitis importantiam propugnavimus. Qua propter cum hæreticis parum faciant quæ fidei, & aliquid plus quæ naturalis rationis, inde omittete hinc derrevi, quam plurima Scripturæ teſtimonia à Catholicis Doctoribus exactè exornata, vt vltra Petrum, aut in Petro Succeſſor imbibatur.

82 Opponent 8. contra Primatum Eccleſiæ, vt Romanæ. Primo ex Calvino 4. *Inſt. c. 6. ſ. 8.* aiens: *Alterum illis largiar ſic conſtitutum in Petro Eccleſia Primatum, vt perpetua ſucceſſione ſemper maneat; ſed cur non Antiochena Eccleſia primatum ſibi iure vendicat?* Vel cur non Hieroſolymis adſcribitur, vbi Chriſtus docuit, vixit, & mortuus eſt? Igitur dum recta proportio obſervanda ſit, abſque ea Catholici Romæ Primatum adſcribunt. Rurſus, quia impropriſſimum videtur ſtabilire Primam Sedem, vbi non fuit Primus Sedens, ſicuti ponere ſedem alibi ac ſedens eſt; ſed Petrus non fuit Romæ; ergo abſque ratione & Primus Sedens. Minorem probat Calvinus, quia in Epiſtola quam Paulus ſcribit ad Romanos, nullam mentionem facit de Petro; igitur nunquam Petrus Romæ fuit. Probat 2. quia dum Romæ moraba-tur Paulus ſcripſit ad Philippenſes c. 2. & tunc conquerebatur ſe ab omnibus fuiſſe deſtitutum; ergo Petrus Romæ non erat, à Petro ſiquidem deſtitutus non foret. Probat 3. Nam D. Lucas in Actibus Apoſtolorum nullam facit mentionem de hoc Romano itinere, vel mora; ergo Petrus Romæ non fuit. Prob. 4. cum Petrus ſcribens cap. 5. ex Babylone ſcripſit, dicens: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylona coelecta*; ergo ſi in duplici loco non fuit, non fuit Romæ.

83 Reſpondendum, & ad primum, S, ne foret Eccleſiæ caput in Hieroſolymis, eo ipſo quia Chriſtus ibi mortuus, &c, ſat ſunt quæ diximus in prologo Art. 3. ſicuti &, vt Romæ ſiſteret. Tum, quia ſi Judæi indignos non ſe effeciſſent, iuxta Chriſti exemplar, non fuiſſet Eccleſia (prout intendit arguere Calvinus) vbi natus & erectus, ſed vbi mortuus, nec Catholicæ Eccleſiæ Primas Petrus deberet eſſe vbi vixit, S, Antiochiæ, ſed vbi martyrio coronatus, quod dum non credatis fuiſſe Romæ, de quo infra, nec credere debetis fuiſſe Antiochiæ vt enim vulgariter, at benè dicitur *Finis coronat opus*. Tum, vt bene notavit noſter Maſſuccius cap. 14. Si Calvinus tantum obſequium profiteatur erga Antiochenum Antiſtitem, cur quando à Romana Eccleſia apoſtatavit, ſub regimine Antiocheni ſe ipſum non remiſit? Etenim non aliunde, niſi quia Antiochenus apud Romanum Pontificatum reſidet, cuius pedes deoſculatur humiliter, & cuius pedibus caput ſubmittit.

84 Romæ igitur firmata fuit prima Chriſti ſedes, præbens ex divina diſpenſatione rationem Marcellus Pontifex, dum ſcribens Epiſtolam Presbyteris Antiochenis ait, apud citatum Maſſuc: *Et ſi Petri ſedes initio apud Antiochenos fuit, tamen poſtea, iubente Domino Romam tranſlata eſt.* Marcelli teſtimonium corroboratur ab Anacleto Pontifice Epiſtola ad omnes Presbyteros, & Epiſcopos. Idem teſtantur Hieronymus de Viris illuſtribus in vita Petri, & Damaſus Pontifex in eiuſdem Petri vita. Necnon vltra hæc vel fide, vel pura vobis antiquitate retinenda teſtimonia, magis Romanus, quam Antiochenus debet dici Petri ſucceſſor, quia maiori temporis intervallo Petrus Romæ commoratus eſt. Tum, quia Romana reſidentia fuit illa Antiochiæ poſterior, & etiam Apoſtolicum quod diligitur, magis in fine diligitur; qui enim perſeveraverit vſque in finem, hic ſaluti primus erit; vt etiam magis ad rem, & Eccleſiæ exemplat adeſt illa vineæ Parabola, vbi licet nonnulli primo mane, & alij tardius, tamen fuerunt reſpectu præmiantis Patriſfamilias primi noviſſimi, & noviſſimi primi. Tum, quia vt dictum eſt, Petrus Romæ crucifixus fidem proprio ſanguine, & obitu vivificavit, & Eccleſia eſt, quæ proprio ſanguine plantata fuit. Tandem

dem ob dicta in Prologo ad Art. 3.

85 Deinde ad ſecundum, videlicet circa Petri aſſiſtentiam Romæ, dicimus cum Maſſuccio, prout & cunctis ſcientificis commune eſt, quod invalidum eſt argumentum ab auctoritate negativa; aliàs dum Evangeliſtæ dicunt (nota ſimile, nam in eo inſtantia Calviniſtica præcavetur) Chriſtum apparuiſſe ſingulariter Petro, Magdalenæ, & ſic alijs, cum non dicant ſic apparuiſſe Sacratiſſimæ Matri, pari iure poſſemus inferre, quod non apparuit. Tum Joannem non eſſe apud Epheſ. quia Paulus ſcribens ad eos, non iuſſit ſalutari Joannem, qui ibi morabatur. Igitur à ſimili, dum probatur, alios fuiſſe Romæ quia eorum fecit mentionem Paulus, & dum Petri non fecit, probari velint Romæ non fuiſſe. Tum Paulus non fecit mentionem, quia dum neceſſitas non cogebat, Petro confirmantis amoris delicioſa memoria non erat neceſſaria, vt ſolet eſſe alijs. Tum, quia vt benè Maſſuccius, tametſi Petrus Romæ de per ſe moraretur, at iuxta variorum caſuum importantiam, tunc alijs locis Petri præſentia proficua erat, prout fecit cum foret Hieruſalem, ac proinde cum Paulus Petri abſentiam non ignoraret, otioſum reputavit eius facere mentionem. Vide alia motiva Maſſuccij, quæ omitto, quia his ſufficiunt iſta.

86 Nec quidquam facit ſecunda probatio minoris; tum ob dicta de rationabili Petri abſentia, cuius contrarium infallibiliter non probatum, nil probabitur præfato argumento. Secus autem apud nos, quia etiam dato, quod Petrus foret Romæ, non contradiceret querela Pauli circa cæterorum deſtitutionem. Ratio eſt, quia nemini poterat venire in mentem quod à Petro deſtitueretur, ac proinde cum Petri dilectio ab omnibus ad quos ſcribebat, ſupponeretur, & aliàs etiam dum omnium deſtitutionem ſignabat, Petrus non debuit eo numero conglobari, cum ſeorſim nominandus foret, iuxta illud, *Dicite diſcipulis, & Petro*, inde etiamſi Paulus vt deſtitutus ſcriberet, Petrum Romæ non fore, nunquam inferetur bene.

87 Nec quidquam plus minor illa probatur ex tertio; aliàs nec credere deberemus Almam Matrem è vivis ſublatam; nec Divum Joſeph morti ſubiectum; nec apud Joannem Paſſionis Chriſti vicinius deſcribentem, veram fuiſſe Solis tenebroſam veſtem & ſic quã plurima; neque circa ſubiectam materiam, vt benè notarat Maſſuccius, iuxta Calvini medium, Petrus & Paulus minimè martyrium paſſi fuiſſent, nec ad Cœlos aſcendiſſent, ſiquidem horum Lucas non facit mentionem. Quarum; quo minor illa probatur inter omnia Calvini media invenitur debilius, dum non probet fuiſſe Simonem Petrum Simonem Magum, ſicque abſque erroribus, & penitus claudum, vt dum exiſteret in vno loco non haberet vim vt moveretur ad alium: & nec adhuc ſic benè probaret de Petro, vel quia in manibus portaretur ab Angelis, vel quia qui ab vtero claudum ſanarat in Templi atrio, necnon vmbra quam plurimos, & ſe ipſum ſanaret.

88 Opponetur 9. ex Luthero, & Calvino, Eccleſiæ Catholicæ, & Romanæ Primatum non fuiſſe ſucceſſivè derivatum ex Petro, quidquid iot argumenta conſtruxerimus; ergo. Antecedens intendunt probare, ex quod ante tempus, quo Phoca erat Orientis Imperator, Romanus Antiſtes dumtaxat habebatur vt ſimplex Sacerdos, quouſque à Phoca precibus impetravit, vt diceretur & agnoſceretur, vt vniverſalis Eccleſiæ Caput; ergo liquido habetur Romani Antiſtitis Primatum non fuiſſe ſucceſſivè à Petro derivatum. Præfati Hiſtorici antecedentis firmitatem ſuadent Lutherus, & Calvinus ex Platinæ Hiſtorici narratione ſic aientis: *Bonifacius Tertius magno labore obtinuit à Phoca Imperatore Sedem Petri Apoſtoli (quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum) ita nuncupari, & vt talem ab omnibus haberi; quem locum Prælationis Eccleſia Conſtantinopolitana ſibi vſurpare, & appropriare attentabat malorum Principum favoribus, & auxilijs innixa.* En Platinæ textum, ex quo potius contrarium debuerunt inferre Calvinus, & Lutherus.

89 Catholicorum ergo Auctorum clariſſimis doctrinis adhærentes, reſpondemus, ipſius Platinæ verba noſtrum intentum veriſſimè corroborare. Suadetur, quia ipſe ait, quod Petri Sedes & tunc erat Caput omnium Eccleſiarum, necnon talem eſſe, qualem ſibi malorum Principum favore Conſtantinopolitana vſurpare volebat; igitur ſi contrariorum eadem debeat eſſe ratio nedum in realitate effectus, ſed in modo procedendi, dum à tempore Phocæ iuxta Platinæ narrationem, Conſtantinopolitani vt attentantes, & per malorum viam, Sedem vniverſalis Eccleſiæ vſurpare voluerunt, iuxta eiuſdem Platinæ narrationem clarè probatur præfatam Sedem pacificè per bonam viam, rectoque iure à Romanis poſſideri. Impræſentiarum enim vos Anglici, qui Lutherani, aut Calviniſtæ ſitis, & Regem Catholicum Jacobum è Regno expulliſtis, Orangis Principem coronantes dum à Chriſtianiſſimo, aut ab alijs Principibus Catholicis æſtimatur, vt ſpero, ſi

ſi vt Hiſtorici ſcribatis eventum, equidem non diceris ſic: *Obtinuit à Rege Catholico coronam ſuam Iacobus (qui Rex eſt, & Caput omnium Eccleſiarum Anglicarum) & vt Regem haberi; cuius Dominationem Proteſtantium potentia ſibi vſurpare, & appropriare attentabat malorum Principum favoribus, & auxilijs innixa.*

90 Tam igitur iuxta textum, quam iuxta rei eventum, nunquam fuit verum, vt candide recitat Maſſuccius, quod Bonifacius rogaret Phocam, vt Romanam Eccleſiam Caput vniverſale erigeret, ſed vt cogeret Græcos ad agnoſcendum Romanæ ius, quod revera habebat circa vniverſale dominium linearum Eccleſiaſticarum, vt ſic evitarentur ſchiſmata, & licentiarum corruptelæ animabus totius Orientalis Imperij nociva, & periclitantes ruinas occaſionantia. Unde Bonifacius Papa, vt in aliquibus caſibus licet Prælatis tam Regularibus, quam ſolum Eccleſiaſticis, implorare valuit brachium & potentiam ſæcularem, vt reprimeretur Conſtantinopolitanus Antiſtes, violẽter & irrationabiliter aliena rapiẽs, vtpote Romani Antiſtitis iuriſdictionem improbe vſurpare attentans. Hæc enim Bonifacij imploratio propoſuit in eo eventu, quę Cęſaris Cęſari, vt etiam ab improbis redderentur quę Dei Deo.

91 Tum, ſi ex inobedientia aliquorum & aliorum Antiſtitum ſeparatione intendant hæretici ſupremum Romæ caput relegare, omnem Principatum maiori iure fitmatum evellere poterunt incipiendo à Thronis, & Cœli Dominationibus, ab initio ſiquidem primi regiminis Magni Dei, extiterunt in puriſſima omnium congregatione Apoſtatę Angeli, à facie divini Concilij Conciliabula coadunantes, Dei Primatum, ſibi vſurpare cupientes, dum Primam Sedem Luciſero tentantes. Quid vero inde probatur? Quod luciferina ambitio foret ante eum, qui ante Luciferum genitus? Quod non fuerit caput omnis Poteſtatis, & Principatus? Quod abſque divino iure in multis fratribus non extiterit primogenitus? Abſit, & apud ipſos cõtrarios noſtros. Sic cõſulite Regum hiſtorias, & apud ſanctiores Reges, non invenietis Sceptrum abſque conſpirantium lanceis, coronam abſque tot ſpinis, quot radijs, quin raro ſederet abſque ſchiſmate Maieſtas; prout claret in factis Abſalom contra Sãctiſſimum Regem David, & in arroganti prætenſione Adoniæ contra Salomonem, & ſic paſſim in ſcripturis inſurrexerunt vmbrę coacta lucem, prout ab initio mundi ab eis iſte extitit præoccupatus.

92 Et vt, præ inimicorum argumento nuper formato, penitus Romanæ Eccleſiæ ſi eccſiva vniverſalitas inconcuſa ſubſiſtens progrediatur, rogo videas noſtrum Antonium Maſſuccium, qui cap. 12. vt præfatum Lutheri, & Calvini argumentum in pulnerem redactum deſinat, à tempore Bonifacij Tertij aſcendit gradatim vſque ad ſedem Divi Petri, ex omnibus Papis interiectis tum veris hiſtorijs, tum firmis rationibus, & exemplaribus, ſuadens clariſſimè Romanæ Sedis Primatum, & vniverſalitatem. Et quia præclariſſima ad noſtrum intentum ſunt, quę recitat dum pervenit ad Silveſtrem primum, ea recitare ſentio vniverſis proficuum, maximè cum Silveſter nimis ad Phocæ imperium anteceſſerit.

93 Igitur fuit Silveſter 1. ſub quo fuit Romanum Concilium. Ab iſto Concilio ſancitum fuit, neminem primam Sedem iudicare poſſe, ſed omnes Eccleſias à prima Sede debere iudicari. Et in Proœmio Concilij Nicæni ſcriptum reperimus hoc axioma hæreticorum pravitatem retundens: *Sanctam Romanam Eccleſiam non præire reliquas Eccleſias ob Conciliorum conſtitutiones, ſed quia talem Primatum habuit à viva Chriſti voce.* Hæc exprimit prima Nicæna ſynodus etiam à Calvino venerata, & ſub Silveſtro ante Phocam Concilium Nicænum celebratum. Tum, & ante Phocam Conſtantinus Imperator Auguſtus Conſtantinopolim trãſtulit ſedem Imperialem, ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis Romæ commorantis. Tandem hoc ipſum Concilium Nicænum à præfato Silveſtro humiliter petijt ſuorum Canonum confirmationem. A quo igitur iam Romani Antiſtitis Primatus dubitandus? Det lucem ille, qui lux eſt, & diligamus lucem pluſquam tenebras omnes. Ad vos dico Principes tenebrarum harum, dum veſtræ tenebræ eam non comprehenderunt. Ora pro omnibus, quæ omnes hæreſes ſola interemiſti.

QVÆSTIO III.

De Eccleſiæ præformatæ Vinculo ad ſtabilitatem requiſito.

1 SOli Deo honor, & gloria, dum contra principaliorem hæreticorum vim, Catholicis, & pluribus naturæ rationalis diſcurſibus, ſtabilitum relinquimus Divi Petri, & Succeſſorum Romæ Primatum,

tum, viſibilem fidelium vnitatem ſuperintendentem, & terminantem. Nec quidquam plus in hiſce prodeſſe ab initio notavi, quam firmare caput, nam prout dixi, & iuxta vulgare proloquium, cum caput dolet, cætera membra dolent. Unde ad intentum Auguſtinus de vnitate Eccleſiæ cap. 16. dixit: *Habere Caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* Inde vt nos in corpore Eccleſiæ, & Chriſti conſolideremus, noſtrorum ſenſuum ſublimiorem curam ad caput dirigere conſuluimus. Semel etenim Eccleſiaſtici, & Catholici corporis viſibili, & Romano capite ſtabilito, eo ſolo ſtudio vniverſi errores profligantur, & cunctę hæreſes interimuntur. Eo enim firmiter propugnato, cuncta errantium dogmata infirmantur, v. g. fidem ſine operibus iuſtificationi ſufficientem: Purgatorium non ſiſtere: Indulgentias non dari: Imagines Sanctorum non debere admitti: Proficue defunctis ſuffragia non exhiberi: Liberum arbitrium non inveniri: Ultra Baptiſmum Sacramenta evacuari: Sanctorum interceſſionem nullam fore: Corpus Chriſti verè & realiter non eſſe: Internam motionem ad Scripturæ & credulitatis captum vnicuique ſufficere: Evangelicam libertatem magis prodeſſe; & ſic quam plurima, quæ paſſim ſparguntur, dum bonum ſemen in agro tuo Domine ſeminaſti.

2 Igitur impræſentiarum, ſemel dum cum Capite viſibilem Eccleſiam ſtabilitam reliquimus, vt eam cum Capite ex virtute vnitam, fortiorem ſentiamus, ad vtriuſque complementũ, dilucidare decernimus, quodnam vinculum ſit illud, quod ad Capitis & Eccleſiæ vnitatem requiritur? Etenim in quovis corpore partium continuitas requiritur, cum partibus diſſolutis protinus corrumpatur. Nec ſolum his opus habet viſibile phyſicum, & viſibile moraliter, quin etiam inviſibile totum metaphyſicum, & intentionale, vt notum eſt omnibus ſubtilius dum verius ſpeculantibus. Congregata enim eſſe debent per vnum aut alium modum membra Eccleſiaſtica, vt eo vno, aut alio modo Congregatio Eccleſia dicatur, vt paſſim in Scripturis ſic dicitur, vt ſic congregata nullatenus hoſtili incurſione turbetur.

3 Reſolvendum firmiter, Fidem ſupernam, & Theologicam, quo pacto ab Eccleſia Catholica Romana ex ſymbolis proponitur, fore vinculum, quo in Chriſto viſibilis, ſeu Militãtis Eccleſię membra ligantur; & quouſque in tali vinculo perſeverant, ab ea non recedunt. Hæc reſolutio pro viribus tenetur ab omnibus Catholicis Doctoribus contra plures Romanæ & Catholicæ vnitatis inimicos, quorum maximi ex immediato ſęculo Anabaptiſtæ, & Calviniſtæ. Anabaptiſtæ, dum tenent, iuſtitiam ſanctifficantem fore iſtud vinculum, quo homines Chriſto copulantur, ac proinde, apud eos qui amittit gratiam iuſtificantem, ab Eccleſia Chriſti ſeparatur, & membrum eius non dicitur. Calviniſtæ, dum tenent, ſecretam Dei noſtrum electionem fore huiuſmodi vinculum, ac proinde vult Calvinus *in 4. Inſt. cap. 1. ſect. 9.* & alibi, ſic hanc Eccleſiam finaliter prædeſtinatis integrari, quod qui pro nunc ſit iuſtus, dum finaliter non ſit, non inſit Chriſti Eccleſiæ membrum. Rurſus Calvinus *ſect. 7. 8. & 9.* duas reperit Eccleſias, vnam conflatam ex omnibus prædeſtinatis, tam in via, quam in Patria commorantibus, aliam ex Prædeſtinatis in via morantibus, & ex in via morantibus reprobis, ſicque Militantem, & Triumphantem confundens, immemor ſuarum primarum reſolutionum, necnon impugnationis, quam direxerat in Anabaptiſtas, contra quos dum opponeret plures in Eccleſia peccatores inveniri, *cap. 1. ſect. 7.* aiens: *In hac Eccleſia plurimi ſunt hypocritæ, plurimi ambitioſi, avari, &c.* cum idem à Catholicis affirmari videret, contradictione etiam in ſe voluptatur *ſect. 9.* aiens, *Tales ſuffragio noſtro non approbamus eſſe Eccleſiæ membra.* Hos ſic voluptantes pręviderat Regius vates Pſalm. 139. vbi cum ſupremum Caput à quo dirigantur non habeant, *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipſorum operiet eos.*

4 Primo probatur noſtra Catholica reſolutio aliquibus clariſſimis factis, & dictis Sacræ Scripturæ. Sit primum illud Centurionis, qui dum credidit in Chriſtum, ab ipſo iam laudatur, aiens Matt. 8: *Non inveni tantam fidem in Iſraël.* Ubi Auguſtinus *lib. 2. de Conſenſ.* Evangeliſt. *cap. 20.* ait: *Ipſum potius acceſſiſſe ad Chriſtum, dicere voluit prudens Evangeliſta.* Sit ſecundum Mulier Chananæa, dum fide pervenit ad Chriſtum, vtpote, quia à Tyriorum, & Sidoniorum erroribus ſeparata, prout clarum etiam eſt apud Hieronymum *lib 2. Comment. in* 15. Matth. aiens: *Quia egreſſa iam fuerat de finibus ſuis, & errorem Tyriorum, ac Sidoniorum loci, ac fidei commutatione dimiſſerat.* Sic quæ fluxum ſanguinis patiebatur Matt. 8. per fidem Chriſtum *tetigit*, dum credens venit ad eum, vt ſanaretur. Sit tertium Divus Petrus, pro cuius fide Dominus orare obtulit; necnon idem, qui cæpit mergi, dum cæpit dubitare. Sit quartum Apoſtolorum incredulitas, quam Dominus reprehendit, dum revera etiam aliter

ter

ter defecerunt, at cum fidei defectus membra ſepararet à Capite Chriſtifero, meritò reprehenduntur. Sit quintum claudus ille qui non potuit intrare in Templum, ſed erat foris ad fores eius, quouſque Caput fidei Petrus eum allevavit *In fide nominis eius*, ſicque iam exiliens, ſtetit, & ambulabat; *& intravit cum illis in Templum.* Sit ſextum Pauli diſtinctivum, recto ordine ſignatum, dum fidem, ſpem, & charitatem ſtatuens (ſic præcavetur evaſio imminens pro alijs) primo ponit fidem, vt primum gradum, ſpem, vt ſecundum, & charitatem vt maiorem, ita vt hæc, tria ſint apud Paulum; igitur quia etiam fidei gradu ante ſpem & charitatem, iam incipit homo fieri quid Chriſto vnitum. Sed quia, prout notavi, vbi fides non auditur, vti rationibus oportet, etiam dum textibus vtamur, aliter in probationibus diſcurremus.

5 Secundo probatur, dum arguo 1. in Anabaptiſtas. Tametſi Caiphas foret peſſimus, tamen id non contradixit ei, vt Sinagogæ foret caput, & inſtrumentum Dei, ſicque vt Deus per veritatis lineam intimus foret ei, dum per os eius Deus loqueretur circa expeditionem mortis Chriſti, vt patet ex tibi iam citato Joan. Igitur quod nonnulli in facie Eccleſiæ ſiſtentes peſſimi ſint, & extra iuſtificantem gratiam, non obſtabit, vt Eccleſiæ ſint membra, per veriorem lineam fidei in Chriſtum, ei ſic affixa.

6 Tertio probatur. Quia non invenio aliud motivum, vt rationibus innixi teneant Anabaptiſtæ Chriſti membra non poſſe eſſe peccatores, niſi quia implicare videtur quod gratię Auctori adhęrere poſſit peccatum, necnon indecere quod id quod fędum poſſit ſiſtere cum pulcherrimo; ſed nec rationi, nec Scripturæ ſummè amanti diſſonare videtur; ergo. Suadetur ratione dum ſumma eius virtus, & eminentior perfectio probatur, cum non ſolum radijs vnitur chriſtalinis, quin etiam locis immundis. Scriptura ſuadetur, dum intime peccata noſtra ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit; necnon dum vt aiebat Petrus 1. c. 2. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*; ergo &c.

7 Quarto, quia potius videtur requiri ad eſſendum Eccleſiæ Miniſtrum, quam ad eſſendum Eccleſiæ membrum; ſed dum Deus providit in omni tempore remedium contra originale, priuſque fuit in fide Parentum, non ſemper iſti qui miniſtri, erant abſque peccato, & tamen peccatores poterant eſſe Miniſtri ob venturi Chriſti fidem, prout etiam *Tract. 6. in Joan. ante med.* magnus Auguſtinus, *Iudas baptizet, Chriſtus eſt qui baptizat*; igitur & poterant eſſe membra.

8 Quinto, quia fides & charitas exercentur ſicuti cognitio, & amor, ac proinde ſicuti eſt impoſſibile volitum quin præcognitum, ſic & eſt impoſſibile amatum vt ad ſalutem oportet, quin præcreditum, quare Apoſtolus ſentivit quod ſine fide erat impoſſibile placere Deo: nunc ſic, ſed priuſquam voluntas vniatur amando cum obiecto, debet intellectus vniri cognoſcendo, necnon tametſi cum obiecto ceſſet vnio intentionalis amoris, inde non ceſſat vnio intentionalis cognitionis, vt quicumque naturales Philoſophi id agnoverunt; ergo cum Chriſto prius intellectus vniatur fide, quam amore, & ſanctitate, necnon licet deperdatur & ceſſet vinculum amoris, non inde ceſſabit ex fide vinculum, & ſuperna vnio agnitionis.

9 Sexto, & eſt medium in præformatos Sectarios efficaciſſimum. Sumo illud ex Apocalyp. cap. 2. vbi hæc habentur: *Et Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas &c. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam; & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces &c. Sed habeo adverſum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam &c. Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſijs.* Et ibidem dum Evangeliſta proſequatur ait: *Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit, qui habet romphaeam vtraque parte acutam: Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ; & tenes nomen meum* (id ad intentum noſtrum nota) *& non negaſti fidem meam &c. ſed habeo adverſus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſraël, edere, & fornicari, ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Similiter *pœnitentiam age &c. Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſijs.* Nunc ſic argumentor: Ibi veræ dabantur Eccleſiæ, vt conſtat; necnon ſub Angelorum nomine Rectores illi membra principalia erant earum, vtpote candelabra; tum fide adhuc erant Chriſto vniti, vt conſtat, ita vt non negaſſe fidem ſuam inſit correctionis merito; nilominus erant defectibus & peccatis, vt conſtat ex imminentibus pœnis, & ex pænitentiarum ipſis propoſito remedio; necnon ex charitatis abſentia, quæ *operit multitudinem peccatorum*, vt aiebat D. Petrus; igitur quia dum fides maneat, ſemper qui fidelis Eccleſiæ Chriſti manebit membrum.

10 Septimo ex non minus efficaci medio, cum D. Paulus 1. Corinth. c. 1. Congregationi fidelium Corinthi ſcribens incipit: *Eccleſia Dei, quæ eſt Corinthi*; Sed vt cam Dei Eccleſiam nominaret, & vt corrector ſcriberet, non fuit obſtaculum, in ea Congregatione credentium dari rixas, & contentiones, carnalitates, & ſenſualitates: imo ibidem *cap.* 3. 5. *&* 6. tales fornicationes, quales nec inter gentes, quę ignorant Deum, ſicque fraudes, & iniuriæ, aliaque plura peccata; ergo. Sic etiam inter Galatas plures inſenſati, & peccatores erant, & tamen cap. 1. ſic ſcripſit ad eos: *Paulus, & qui mecum ſunt Fratres, Eccleſijs Galatiæ.*

11 Octavo arguam ex ſubtilibus, dum ſolidis noſtri Maſſuccij diſcurſibus. Anabaptiſtæ ſcire non poſſunt ſe eſſe de numero iuſtorum, cum conſtet Eccleſiaſtici cap. 9. quod *Nemo ſcit, vtrum odio, vel amore dignus ſit*; vnde ergo inter Anabaptiſtas, Chriſti Eccleſiam ſitam fore aſſerunt? Rurſus, in Eccleſia Anabaptiſtarum, & à ſingulis eorum, quotidie oratio Domini profertur; ſed ſi eorum aſſertio vera ſit, ei contradicet orationis prolatio, ſcilicet, *Dimitte nobis debita noſtra*; ergo. Ulterius Anabaptiſtæ credunt remiſſionem peccatorum in ſymbolo expreſſam; igitur inter ipſos peccata remittenda invenientur; igitur dum inſtet remiſſio, ipſorum Eccleſiæ vrgebit deſolatio; ſed cum Chriſtus cum Militante Eccleſia erit vſque ad conſummationem ſæculi; igitur hęc, cum qua ſic erit, non erit Anabaptiſtarum. Tum dilematis acutie feriuntur: Vel enim Anabaptiſta habet peccatum, vel non habet? Si habet, non erit de gremio Eccleſiæ. Si non habet, ſemetipſum ſeducit, pręterquam quod contradicit Joanni Epiſt. 1. c. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos metipſos ſeducimus.*

12 Nono, quia Anabaptiſtę videntur Chriſto Domino comparari, dum ſic Dominus foret à peccato immunis, quod poſſet confidenter dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato*; ſic & Anabaptiſtę Eccleſiaſtici videri intendunt, dum à nemine de peccato, quod argui poſſint, exiſtimant. Etenim pro impugnationis coronide, nil proprius Anabaptiſtis inveni, quam charitativè eos admonere, ne ipſis Dominus alloqueretur per os Lucæ cap. 18. ſic: *Dixit* autem, & ad quoſdam, qui in ſe confidebant, tamquam iuſti, & aſpernebantur cæteros parabolam iſtam: Duo homines aſcendebant in templum vt orarent, vnus Phariſæus, & alter Publicanus (nunquam fuit prolixa, quę ad caſum proportio) Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicuti cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus (lege apud Anabaptiſtam, *Velut etiam hic Catholicus*) ieiuno bis in ſabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo. Et Publicanus à longe ſtans, percutiebat pectus ſuum, dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Dico vobis, *Deſcendit hic iuſtificatus* in domum ſuam ab illo.

13 Tertio probatur, dum arguo in Calviniſtas, contra quos dumtaxat videtur arguendum in primam aſſertionem, videlicet, iuxta quam tenebant, Eccleſiam habere vinculum per ſecretam electionem, vt ſupra recitavimus. Dum enim aliud poſtea exponit, tametſi confundens Triumphantem, & Militantem, iam volens nolens ex bonis & peccatoribus Eccleſiam componit, quod ſolum facere poteſt animoſa fides. Arguo, & efficaciter ex caſu Judæ proditoris. Non videtur altius poſſe diſcutri de Eccleſiæ membris, ac de Eccleſiæ Apoſtolis, cum iſti plantarent Eccleſiam, noſque ſimus iuxta Paulum ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum; ſed licet Judas fuerit reprobus, & finaliter condemnandus, tamen vere fuit in Apoſtolorum Collegio; ergo etiam qui teprobus, & finaliter non perſeveraturus erit in Eccleſiæ Congregatione; ac proinde tale vinculum non erit in ſecreta electorum electione.

14 Tum contra illud, quod de occulta electione dicebatur, argui poteſt conſimili medio, eamdem maiorem propoſitionem ponens, & ſic minorem; ſed Apoſtolorum erectio non fuit occulta, vt viſum fuit in electione Mathiæ, quem connumeraverunt cum alijs, & per viſibilem ſortem, &c. quæ in eo Concilio viſibiliter habuerunt: Tum, & antea in aliorum electione, vt conſtat dum Petrum conſtituit vt caput, necnon vocaliter adducens alios, S, *Venite poſt me*: *Tu me ſequere*: Ego elegi vos, & ſic alia; ergo.

15 Tum, ſi in occultis foret Eccleſia, ac proinde in latentibus electis conſervata, ineptè Deo erigerentur altaria viſibilia, vtpote Domus quietis, & aræ reconciliationis pro fidelibus qua parte etiam viſibilibus, prout Dominus Salomoni dixerat, & iam antea fidelibus Patriarchis inſpiraverat Dominus, vt Abrahamo conſtituens locum ſacrificij, & Jacobo, qui tametſi inter inviſibiles Angelos aſcendentes, & deſcendentes, tamen locum illum terribilem notavit, necnon in ſignum grati cultus, erexit lapidem in titulum; tum ſic, tametſi in porticu Bethlehem, occultus naſce-

naſceretur Dominus,& occultis inſpirationibus Reges cultui primos moveret, at nihilominus viſibile ſtellæ ſignum deſtinavit, vt ad Templum primum, in quo iacebat, duceret, & nedum internis affectibus, ſed & viſibilibus cultibus, voluit adorari, & myſterioſa plura exerceri, vt auro, thure, & myrra; ergo.

16 Tum facit in Calvinum textus ille Pſalm. 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, dum magnus Auguſtinus Tom. 9. in Epiſt. Joan. tract. 2. Eccleſiam intelligit, vtpote cunctis clariſſimam, & viſibilem, vt Sol, ſic aiens: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum, ſcilicet in manifeſto, Tabernaculum eius Eccleſia eſt.* Sic,& circa illum textum Danielis *cap.2. S. Factus eſt mons magnus, ita vt impleret univerſam faciem terræ* (nota verba equidem propriſſima pro Eccleſia, vt Catholica, vtpote *Univerſa*) intelligens Eccleſiam Auguſtinus, ait ſupra præfatum locum: *Mons eſt Eccleſia; quid amplius dicturus ſum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident?* Sic, & circa textum illum Matth. c. 5. *S. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*, ait Auguſtinus *De Unitate* Eccleſiæ c. 14. *Eccleſia vera neminem poteſt latere, unde eſt illud, Non poteſt Civitas abſcondi*: Sed ſi ſiſteret in ſecreta electorum poſitione non poſſet non abſcondi; ergo.

17 Unde & noſter Maſſuecius c. 2. arguit, & confirmat ex illo Matth. 18. dum Chriſtus Dominus loquẽs de eis qui correctioni fraternæ tenacibus, inquit: *Dic Eccleſiæ*: Nunc ſic, ſi caſus adveniret, quando Eccleſia foret occulta, cui denunciaretur huiuſmodi impęnitens, & ſcandaloſus? Nemini profecto; quia non ſciretur Eccleſia; ac proinde fruſtra Chriſtus illud præceptum, aut ſanam relinqueret doctrinam, quin & falſum Chriſtus ſupponeret, dum viſibilem Eccleſiam, cui dicendum illud, indiceret.

18 Rurſus contra hæc Calvini militant, quæ ex profeſſo diximus in quæſt. anteced. vbi per integrum Articulum viſibilitatem Eccleſiæ probavimus; necnon, qua parte velit Calvinus (vt contradictione ruens fecit) fideles peccatores ab Eccleſiæ græmio extrahere, opponi poſſunt, quæcunque nuper diximus in Anabaptiſtas, ac proinde vndequaque manebit impugnatus.

19 At, nec hinc omittere vellem, quæ addiderunt Calvini diſcipuli, vt eum à contradictionis nota liberum relinquerent (vltra contradictionem enim, quam ad Calvini deciſiones ab initio innuimus, replicat eam dum *in lib.* 4. *Inſtit. c.* 1. *ſect.* 7. dicens in Anabaptiſtas: *In hac Eccleſia plurimi ſunt Hypocritæ, plurimi ambitioſi, avari. invidi, maleſici &c*, & deinceps *in ſect. 9. Tales ſuffragio noſtro non approbamus eſſe Eccleſiæ membra*, inquit, & ibidem: *Aliquos indignos in Chriſti corpore toleramus*) intenderunt, contradicentes reſolutiones concordare, exponendo, Verum eſſe peccatores exiſtere in corpore Eccleſiæ, at inde nunquam ſequi, tenendum iuxta Calvinum tales peccatores fore Eccleſiæ membra.

20 Contra præfatam expoſitionem nullo ſolidius inſurgendum ſentio, quam omnibus illis clariſſimis locis, quibus ſupra è Paulo, & Joanne ſupra ſurreximus, re enim vera ſolum ſrivole, & violenter ſolvi poſſunt,vt quilibet qui vir prudens, & veritatis cupidus ſit, facile notare poterit. Inſurgit tamen Maſſuecius in præfatorum expoſitionem dicens, ineptam eſſe, nam nil eſt in corpore, quod non ſit corporis membrum, niſi tantum cibus, humores, fęces, & cætera huiuſmodi; ergo nunquam niſi falſitate Calvini aſſertiones concordant.

21 Dicent at Calvini diſcipuli ita eſſe, vt de fęcibus ait Maſſuecius, ac proinde peccatores fore reſpectu corporis Eccleſiæ, ſicuti fęces, & depravati humores reſpectu corporis, cuius non ſunt membra, tametſi in eo exiſtant. Sed contra inſurgam, quia tametſi caput, aut brachium infirmentur, vel feriantur, ita vt curatione egeant, inde tamen non deſinunt eſſe corporis membra, & inter ſe colligata, & cordis influxus participantia; ergo compatibile erit membra etiam infirmari, debilitari, & depravari, & tamen inter ſe & cum corpore vinculari. Tum id confirmat textus ille Apocalypſis, cum Angelus Eccleſiæ peccator foret, & ad pœnitentiam exhortaretur; Angelus enim ille, erat licet infirmans verum Eccleſiæ membrum, vtpote verum caput; ergo. Tum ſi fideles peccatores non fuiſſent veluti membra infirmantia, ſed vt fęces, & putridi humores, non forent remedij capaces, nam vt corpus ſanetur, debent humores putridi evacuari ab eo, quo pacto talium humorum reſtauratio redditur deterior. Tum, ſi vt fęces exiſterent, cum omnia bona alimenta aliquas habere fęces opus ſit, maximè in vitiata & corrupta natura, nunquam magis contradictione involutus maneret Calvinus, cum nunquam poſſet in via ſtabilire electos, & ſic bonos, qui fęces, ſicque peccatorum ſordes non haberent; ergo &c. Confirmat intentum Chriſti doctrina, non minus quam Divo Petro intimata, dum ei declaravit, quod ſeptuagies

ſepties noſtram fragilem conditionem notaret. Et re benè inſpecta, ipſum corporis ſimile magis debet præfatos diſcipulos convincere, cum nullum vſque adhuc (excipe Chriſtum, & Almam Matrem) ſic ad pondus fuiſſet benè vndequaque compactum corpus, in quo non adſint excrementa, necnon in quo ex continua elementorum pugna, non fiat deperditio, ſicque & in quo etiam exterius non appareat vna, aut altera notabilis imperfectio; raro enim aliud evenire cernetis; igitur dum ea, quæ ſunt ſpiritus non leviores teneant cruciatus, cum militia ſit vita hominis ſuper terram, oportuit non vndequaque perfecta debere eſſe quæ membra vt vinculanda ex Eccleſia viſibili, Chriſto, ſed ſat fore, vt ſint perfecta per aliquam famoſam lineam, vt eſt fidei, quæ dum obſcuritate nigra, ſed formoſa, vtpote primam animę potentiam in Domini ſui obſequium libere captivans.

PRINCIPALIORA CONTRARIORUM argumenta ſolvuntur.

22 Opponent principaliſſimè, quod Eccleſia in via militantium debet ſervare in complexione corporis, ſimilitudinem, & proportionem cum corpore triumphantium in Patria; ſed abſque iuſtificanti gratia, per ſolam obſcuritatem fidei, nulla proportio ſervatur; ergo ineptum & improportionatum eſt fidei noſtræ vinculum. Prob. min. quia ſtatus peccati, in quo poſſunt eſſe membra, eſt gloriæ contrarius, incompatibilis, & iuris ad eam expulſivus; ergo. Tum opponent, quod corporis vivi non poſint eſſe membra, quæ mortua; ſed fides ſine operibus mortua eſt; ergo inutilis ad vniendum abſque operibus. Tum tertio, quia non poteſt vnum, & idem membrum eſſe tale reſpectu contrariorum, ſed peccatum habentes ſunt membra diaboli; ergo non poſſunt eſſe membra Eccleſiæ, aut Chriſti. Unde ſequeretur fore membra Chriſti, & non fore, & ſic alia contradictoria, vt fore vivum, & non fore vivum, fore partem lucis, & tenebrarum. Tum quarto, quia ſi fides ſufficeret ad vinculum cum viſibili capite, quod Papa, & inviſibili, quod Chriſtus, pari iure poſſemus defenſare dæmones fore Eccleſiæ membra, cum credant & contremiſcant. Tum quinto, quia nil prodeſſe debet alicui, quod nil prodeſt; ſed ſi linguis hominum loquar, aut Angelorum, & habuero omnem fidem ita vt montes transferam, nil mihi prodeſt iuxta Paulum; ergo nec alicui. Tum ſexto, quia Catholicorum reſolutio contrariatur intentioni Chriſti per Paulum manifeſtatæ ad Epheſ. cap. 5. dum ait: *Diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſam ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata.* Ergo nil quod coinquinatum poterit ei vniri, iuxta Chriſti mentem à Paulo expoſitam. Hæc ſunt principaliora inter omnia, quæ in Catholicorum reſolutionem poſſunt opponere contrarij.

23 Reſpondendum ad præfata argumenta, quæ mihi roboris forent, ni ſcirent, quod Chrſtus Dominus non venit vocare iuſtos, ſed peccatores; non enim qui ſani ſunt egent medico; qui dum propter noſtram ſalutem deſcendit, etiam principaliſſimè vt teſtimonium perhiberet veritati, quæ fidei noſtræ Magiſtra eſt, ac proinde quicumque fideles, tametſi involuti peccatis, ſemper erunt Chriſti, & licet defectibus, oves eius erunt, cum *Omnis qui ex veritate, audiat vocem eius*, iuxta Joannem c. 18. in fine.

24 Igitur reſpondendo ad primum argumentum, dico ad maiorem, eam debere intelligi cum proportione reſpectivè, & ſervatis ſervandis iuxta ſtatuum diverſitatem. Tum dico ad minorem, quod per ſolam fidem, licet non ſervetur proportio in actu exercito, & quoad exequi *vt quod* in omnibus fidelibus; ſin autem in omnibus in actu ſignato, & quoad exequi *vt quo*. Et conſequentiam eiſdem terminis pro nunc percipio, vt abſolutè nega, cum ineptum non ſit quod ad conſequendum aliquid, ordinatur vt fundamentum, & radix cæterorum. Ad probationem minoris, diſtingue conſimiliter; ſtatus peccati eſt gloriæ contrarius quoad regulam, doctrinam, aulæ vinculum, & vt quo, negatur; vt quod, & quoad omne vinculum, conceditur: vel ſic: ſtatus peccati, manente fide, eſt gloriæ expulſivus ex aliqua parte ſtatus, concede, cum deficiat magna pars ſcalæ ad gloriam; ex omni parte, nega, cum ſcalæ gloriæ, adhuc remaneant duo gradus, vtpote fides, & ſpes, quorum graduum, ſemper eſt fidei primus, in quibus ſtantes pedes noſtri ſi ſint, ſemper erunt in atrijs tuis Hieruſalem. In his ergo cum nimis obſcurentur contrarij, & pro viribus in Catholicam aciem inſiſtant, ea latius exponere, & nonnulla dicere, oportebit.

25 Igitur Eccleſiam debetis conſiderare, vt aulam, in qua plurimi ſunt Moderatores, docen-

docentes ſanam doctrinam, & quæ ſunt fidei, quorum vnicus eſt Moderator primus, vtpote primam Cathedram occupans, vt nunc eſt Romana Sedes. Sunt quam plurimi qui vt aulæ membra, & primi Romani Moderatoris diſcipuli audiunt ea, quæ fidei docentur; qui omnes revera erunt in vinculo doctrinæ diſcipuli, & ad eſſendum intra aulam idonei, quouſque eam doctrinam ſuſcipiant & in vero magiſterio primi Moderatoris non dubitent, quinimo ſic in doctrina effervescentes, quod dum caſus vrgeret, eam veram, etiam vſque ad ſanguinis effuſſionem defenſarent. Deficit aliquis diſcipulus, at dum non in doctrinæ veritate, nec in aulæ & Moderatoris veneratione, ſemper debet eſſe habilis vt intra aulam ſit, & non debet ei claudi ianua, nam quo pacto divinus Magiſter declaravit, quod debebant audiri, & intra aulam Sinagogæ eſſe, qui mali in alijs, veri erant Magiſtri ſuper Cathedram Moyſis, ſic & qui in alijs non boni, dum in doctrina diſcipuli veri, debent audiri, & intra Eccleſiæ aulam eſſe, ac proinde cum primo Romanæ Cathedræ Moderatore (dum in veritate non deficiat) colligari, & vniri.

26 Stat ergo Catholica Eccleſia in huiuſmodi aulæ ambitu vnita, & omnia vera membra cum capite, fidei vinculo coadunata. Sic enim, revera Eccleſia Militans conformis eſt cum Triumphante, ſervatis neceſſariſſimè ſervandis. Eſt conformis, quia nil exercetur, aut evenit in Triumphanti, quod infallibiliter non præiret in Militantis fide, & non doceretur ab iſta, cuncti Catholici in hoc ſtantes conformes, eiſque in omnibus, & ad omnia Eccleſia Militans nedum docens, ſed & media ſingulis fidelibus præſtans, vt præcepta, Sacramenta, exemplaria, &c ſic, quibus, ſufficienter quilibet poterit in Triumphantem ingredi, ita vt defectus non debeat imputari diſſonantiæ Militantis Eccleſiæ, nec mediorum præſtitorum impotentiæ.

27 Dixi, ſervatis ſervandis conformes fieri, quia ſi proportio oppoſita à contrarijs, vltra conformitatem doctrinæ, & mediorum ab Eccleſia Militante propoſitorum, requiratur, etiam prout ipſi contrarij ſtatuebant, foret impracticabilis iuxta hanc providentiam; quia quæ proportio ænigmatis cum faciali viſione Pauli? Quæ proportio gravitatis cum agilitate? Quæ proportio paſſibilitatis cum impaſſibilitate? Etenim etiam patibile, & impatibile incompoſſibilis ſtatus ſunt, quo pacto & obſcuritas cum claritate. Dices, non poſſe negari iuxta Paulum, quod conformior ſit charitas cum Triumphantis ſtatu. Dico, quod licet charitas ſit conformior, at non pro ſtatu peculiarior; & hinc cum ſtatuum diſtinctione, & norma ſpecifica inquirimus conformitatem, quam tali diſtinctionis pacto in aula fidei invenimus. Probatur clare, quia ſtatus militantium ab ſtatu triumphantium magis peculiariter ſolum à fide ſumit normam, cum etiam iuxta Paulum charitas non excidat, ſecus fides, nam, cum veniat quod perfectum, debet evacuari quod fidei erat; igitur quod cum ſtatus diſtinctione ſtabilit aliquam vnitatem, & conformitatem modo dicto, erit fides, ab hac ſiquidem ſtatus militans ſumit diſtinctam normam, & conſtituit incompatibilem claſſem, aliàs non evacuaretur. Igitur, cum idem quod principium diſtinctionis relinquat normam vnitatis, iuxta Philoſophi regulam, S, vnum, indiviſum in ſe, & diviſum ab alio, dum ſtatus viæ ſumat à fide diſtinctionem, & ab ea debet ſumere propriam ſtatus vnitatem.

28 Rurſus dicimus ad illam minorem, quod ſtatus Catholici in peccato non facto contra fidem, eſt iuris gloriæ expulſivus, non ex parte ſtatus, qua fidei, cum ab hac non impediatur ius, ac proinde ſemper ex ſe eſt radix iuris glorioſi, vinculum primæ potentiæ in anima conſervans, tametſi vinculum ſecundæ potentiæ, S, voluntariæ charitatis deficiat; ſicque ex parte ſtatus quâ peccati erit gloriç iuris impeditivus. Bene enim compatitur funiculus triplex, ſicque & triplex vinculum, & vno fracto, cætera non frangi. Sic compatitur in obedientiæ virtute, quod tametſi Domino diſcolo non liceat obedientiæ vinculo ſubijci, & ligari qua diſcolo, ſin autem, qua Domino, prout D. Petrus 1. c. 2. docuerat dicens: *Obedite Dominis veſtris, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Sic licet indignum foret Deo loqui verba ſalutis æternæ per os depravati, vt erat os prout Caiphç, ſecus autem, vt erat os Pontificis, & Sinagogæ Capitis. In eo enim *vt quod*, & extra lineam Prophetiæ, oppoſitam ſupra improportionem, & diformitatem invenietis, ſecus autem *vt quo* & intra prophetandi lineam; quo pacto etiam Saul diformis erat, at non ſic dum myſtico Prophetarum loco vnitus, cum ibi etiam, prophetaret ipſe, eiſque per revelationis lineam vniretur, tametſi per aliam Deo diſſonans, & ab eo proiectus. Nec minus diſſonare videtur illa propoſitio: *Num & Saul inter Prophetas?* Quam diſſonare videatur iſta: *Num & peccator inter Catholicos?* Sic theologizate, & pluribus alijs occurrite.

29 Tum dixi ſupra, vt quo fore ſtatum Militantis conformem, quia vt quo quilibet

peccator, dum in fide ſiſtat radicatus, valet dici bonus, cum vt quo valeat dici Chriſtiferus; valet enim vt quo dici ſanus, qui revera ſanitatem bonam docet, ſicuti qui ſanitatem optimam miniſtrat, & cauſam; eo pacto quo bonus Paſtor, qui bono pabulo paſcit oves, & bonus Medicus qui bona remedia prębet infirmantibus, & bonus Magiſter qui bonam doctrinam præſtat diſcipulis; tametſi *vt quod* Magiſter, Paſtor, & Medicus boni non ſint per aliam lineam, nec tam ſtatul terminantis perfectionis conformes. Sic enim, qui malus vt quod, ſana tamen, & vera intentione miniſtret Baptiſmum, vt quo bonus erit, & Sanctus Miniſter dicetur, cum ſanctitatem cauſet, ea parte, qua Miniſter eſt Chriſti. Unde magnus Auguſtinus, cuius etiam vobis venerabilis doctrina, & meritò, hęc aiebat Tract. 6. in Joan. ante medium: *Quid ergo per Columbam didicit, ne mendax poſtea inveniatur, niſi quamdam proprietatem in Chriſto talem futuram, vt quemvis multi miniſtri baptizaturi eſſent ſivè iuſti, ſivè iniuſti, nō tribueretur ſāctitas Baptiſmi, niſi illi, ſuper quē deſcendit Columba, de quo dictū eſt Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto: Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Iudas baptizet, hic eſt qui baptizat &c.* & paucis intermiſſis. *Quare ergo ſi* vnus ab alio v.g. *Iuſto, Sancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentia, inferioris vita; vnum tamen & par, & equale eſt, quod acceperunt, niſi, quia hic eſt, qui baptizat.* Ubi inter alia, nota Miniſtrorum vnitatem, & conformitatem, ſive iuſti, ſivè iniuſti, ſivè boni, ſivè minus boni ſint.

30 Ex hucuſque dictis præcavetur aliud imminens in Catholicam noſtram reſolutionem, videlicet, Eccleſiam noſtram ex fidei vnitate, poſſe dici veram, ſecus autem bonam, & ſanctam, cuius contrarium pro viribus debemus fateri ex Symbolo. Præcavetur enim, tum, quia Eccleſia noſtra ſemper habuit hos, aut illos etiam, *vt quod* Sanctiſſimos Viros, prout probat perennis Cathalogus Sanctorum, & iuxta temporum omnium ſtationes à Domino proviſorum, prout clare comprobat Thomas Bozius *tom. 1. De ſignis vera Eccleſia, à ſigno Quinquageſimo ſeptimo*, vbi ſuadet, quod etiam in temporibus vnius Herodis depravatiſſimi, & reprobatiſſimorum Pontificum providit Viros Sanctiſſimos, vt Zachariam, & Eliſabetham, Joachimum, & Annam, Joannem Baptiſtam, Simeonem & Annam Propheriſſam, hoſque in Synagoga; igitur nato Sole Juſtitię, & mari magno totius ſanctitatis, vtpote in Eccleſia Militante Evangelij, diſſonum profecto foret deficere perennes virtutum radios, & fluentioris gratiæ rivulos. Ubi enim fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ, & vbi magis teſtimonium perhibeatur de lumine, ibi & magis tenebræ evacuabuntur. Solum reſtat, quod dicant contrarij, quod ipſi ſint qui perenni ſucceſſione ſancti exiſtunt, & extitetunt.

31 Sed ad rem, quam præcavere intendebamus, rigoroſe dum velimus, aliter, ni fallor, ac Bozius, oportet ſatisfacere, cum poſſet imminens argumentum penetrare vſque ad ſuppoſitionem capitis, & membrórum, qua dumtaxat firmam haberent fidem; ſicque ex hac ſuppoſitione an Eccleſia Catholica ſubſiſteret, & poſſet dici, nedum vera, ſed ſancta. Ex dictis igitur, etiam ad rigoroſas ſuppoſitiones attendentes, dicimus poſſe dici ſanctam, & immaculatam, quo pacto ſupremum caput eius, etiam fidelis manens ſanctus, & immaculatus dicetur, quia ex parte mediorum, Eccleſia ſemper tribuet ſanctitatem, vt tribuit medijs Sacramentis, media prædicatione, media doctrina, nulli hominum iniquitatem præſtans, ita vt quo pacto lex Domini immaculata & convertens animas, ſic & Eccleſia cum capite ſuo immaculata in legibus, in luce doctrinarum, in calore Sacramentorum, in poteſtate Miniſtrorum, & veluti ab Spiritu Sancto erudita, vt habetur Joan. 16. *Docebit omnem veritatem*, ſicque poſſet dici ſanctificans, vt Joan. 17. orabat Chriſtus dicens ad Patrem, *Sanctifica eos in veritate.* Et omnium præfatorum lacte, *Quaſi modo geniti infantes nutriens.* Quid non habuit refrigerij boni, tametſi Petra, dum puram aquam ſitienti Populo dedit? Quid non validi, venerandi, puri, & immaculati roboris non tenebit ſigillum, dum iam aureum, iam argenteum, iam ferreum, ſi cōformis pro Cęſare ſit imago Cęſaris, & nō falſificata pro Deo, ſit imago Dei? Nonne bonus fuit Paradiſus, quia intrare potuit tētatione diabolus? Judas baptizet, Chriſtus eſt, qui baptizat; Caiphas propherizet, Deus eſt qui prophetizat; Scriba, & Phariſæus doceāt, Dominus eſt qui docet; Saul moriatur; Sācta Eccleſia Iſraël eſt quæ laudat, & celebrat exequias; Gentilis Imperator mandat, & edictum ſpargit, Sacratior Familia Mariæ, & Joſeph obedit, & in edicto vinculatur; Angelus Pergami deficit, à Domino non repellitur. Reddite ergo, ſi errare nō vultis, quæ ſunt Cęſaris Cęſari, & quæ ſunt Dei Deo, ſicque reddetis fidei quæ ſunt fidei, & quæ ſunt Charitatis Charitati. Sed de hac infra.

32 Ad ſecundum argumentum, videlicet,

eet, corporis vivi non poſſe fore membra, quæ mortua, reſpondendum, ita fore per vinculum charitatis, ſeu gratiæ iuſtificantis, ſecus autem per vinculum fidei. Dum enim aliqua ſunt pluribus vinculis vnita, benè compatitur, quod vno vinculo ſoluto, non diſſolvatur aliud, vt evenit in Chriſto Domino, in quo in Triduo mortis ſoluta vnione corporis ad animam, non fuit ſoluta vnio corporis ad Verbum, quia diſtinctæ erant vniones, & diſtincta extrema quæ vniebãtur. Sic in homine ſoluta vnione corporis ad animam, valet perſeverare vnio ad formam corporeitatis iuxta graviſſimos Auctores. Sic inter contrarios arguentes, poteſt dari vnio ratione ſectæ, vt nunc datur, & dari diſſonantia ratione nationis, vt nunc experitur inter nonnullos Angliæ, & nonnullos Galliæ. Sic etiam valet domus corruere ex tectis & non corruere ex fundamento, quod cum ſit in Domo Dei fides, dum charitas eſt quæ vt tectum operit, iuxta præfatum Petri dictum, compari poteſt, quod ex charitate corruat fidelis, & ſic per talem lineam ſeparetur à Chriſto, ſecus autem ex fundamento, & per fidei lineam. Licet enim (ſic ſume etiam exemplar) nudi parietes domus maneant, nonque ſit in ea quidquam ſpectans ad ornatum, nec quo poſſit operiri, &c. ſic, tamen inde nunquam probatur, quod non ſit domus, & quod parietes non habeant aliquam vnionem, quouſque ruat ex eis: à ſimili ergo, fides & ſpes ſunt veluti parietes erigentes Eccleſiam, charitas eſt id quo decorantur, & exornantur, quare dum hæc deficiat, deficiet exornatio, at non deficiet Eccleſia, ſicuti nec deficiet Domus ſacrata Deo, & intra cuius ambitum ſemper eſſe poſſint qui fideles, vtpote habentes fidei clavem, ne eis clauſa ſit ianua.

33 Ad tertium argumentum, facile iam reſpondetur dicendo, quod paſſim compatitur, quod vnum & idem per diverſas lineas poſſit diverſa expendere abſque contradictione, vt evenit in potentijs animæ, quę ſunt ſubiecta fidei & charitatis. Poteſt enim eadem anima vniri benè per intellectum, & vniri male per voluntatem, ſicque abſque errore in intellectu, dari malitiam in voluntate, prout graviores Auctores de caſu diaboli loquentes ſentiunt bono intellectu, & mala voluntate defeciſſe. Sic in eadem anima compatitur dari cognitionem rectam Dei, & per eam vniri per ſpeciem, & tamen compatitur dari amorem pravũ, converſum ad creaturã, & à Deo averſum. Sic homo idem, dum habet per vnam viam intelligere cum Angelis, habet per aliam ſentire cum brutis, & per aliam vivere cum arboribus. Si enim tres animaſtici gradus ſic realiter diſtinguerentur in homine, ſicuti realiter diſtinguuntur tres gradus fidei, ſpei, & charitatis, non contradiceret quod ablato gradu intelligendi, remaneret gradus vegetandi, quo pacto illac Philoſopho dicitur, quod homo primo vivit vita plantæ &c. Et quia pro his adduci poſſunt quę ſupra ad 2. argum. & infinita ſunt exemplaria, ſolum tradam exemplar Angeli Pergami, qui dum benevolus Deo, *quia non negavit fidem*, aliunde tamen malevolus, quia non expulit *doctrinam Nicolaitarum*: Sicque inſimul, Angeli Eccleſiarum illarum laudantur, & vituperantur, habentes Deum favorabilem, & adverſum &c ſic. Tum id infideliores agnoverunt, dum etiam depravatiſſimè intenderunt cum Chriſto diſtinguere lapides, tametſi perverſé dicendo, De bono opere non te lapidamus, ſed de blaſphemia. Sic quinque virgines illæ, placidæ quia virgines, ſecus autem quia fatuæ.

34 Ad quartum reſpondetur, nullam eſſe dæmonum credentium paritatem, quia eorum fides non eſt ſuperna, & ſic theologica, ac proinde non poteſt eſſe radix ſanctitatis, nec fundamentum habile ſperandarum rerum, ſicque non poſſunt eſſe aut conducere quidquam ad ſpirituale ſalutis ędificium, ac proinde incapaces vt vniantur Chriſto. Qui enim nullum gradum haberet in ſcala, cui Chriſtus innixus eſt, vndequaque diſtans manet vt aſcendere poſſit, & nullum habet gradum, quo vniri poſſit. Secus autem eſt de Catholicis, adhuc in via ambulantibus, cum habeant fidei ſupernæ gradum, necnon ſpei, qui gradus ſuperni eum non recedant, niſi per contrariorum graduum pręſentiam, ſemper habebunt fideles gradus quibus ad Chriſtum aſcendere poſſint, & licet non intimius, at habiles vt vnionem per eos habeant, dum habeant eos. Rurſus dęmones, necnon damnati, etiam ſi poſſent aſſentire nonnullis articulis, maximè illis propter quorum incredulitatem inflicta foret ſententia, nunquam tamen fide noſtra convenirent, etiam ſi à nobis ſicuti & ab eis ſupernaturalitatem abſtrahamus; ratio eſt, quia ſic crederent, quod ſi poſſent diſſentirent, eo pacto quo & dęmones ſic obediunt divinis mandatis, quod non obedirent, ſi poſſent, prout ita evenit, dum potuerunt, quando præceptum fuit eis, quod adorarent eum (puta humanitatem hypoſtaticè vnitam) omnes Angeli eius. Secus autem eſt apud eunctos Catholicos, cum credamus ea, quibus diſſentire poſſumus, in quo

ſiſtit maximum fidei obſequium, à Deo ſiquidem revelatis aſſentimus libere, quin vitæ perdendæ caſus, nec obſcurantium nebularum anxietas vrgeant, vt terga vertamus.

35 Ad quintum, quod ſcilicet nil prodeſt alicui, quod nil prodeſt, dico, quod nil prodeſſe, & aliquid prodeſſe, etiam compatibile, tam iuxta bonam conſonantiam, quam iuxta D. Pauli intentum. Juxta rationis conſonantiam, quia ſi (hæc nullo melius, quam claris, & proprijs exemplaribus ſuadentur prout Chriſtus Dominus alloquens in myſterioſis rebus facere ſolebat) vt aliquis aſcendere poſſet ad palmam, haberet ſcalam duorum graduum, & tres gradus in ſcala requirerentur, tunc duos tenere iam gradus in ſcala, vt palmam obtineret, nil prodeſſet revera, & revera aliquid prodeſſet, ſiquidem vicinior foret ad palmam (nota & benè, quod iſte iam revera foret intra viam militantem verſus triumphantem palmam, dum ſimpliciter foret extra viam, qui nullius gradus haberet ſcalam, vt gentilis, & hæreticus) paucioribus indigens, & licet fructum capere non valens, ut aliquem odorem participans, ſub vmbra illius iam aliquomodo ab inclementia temporum ſe defendens, necnon prope & ad oculos palmam habens, valet excitari, & moveri vt oret Dominum palmæ, vt ei præſtet tertium gradum ſcalæ, in qua duos ipſius Domini gradus habet, & per eos vinctus eſt ad palmæ truncum, ſeu radicem, ſicque fide ſpem conſervans valet ſperare auxilia, quibus in tertio gradu poſitus palmam conſequi valeat. Sic theologizando applicabis facile ſolutionem, ſi per palmam capias gloriam, per fidem vnum ſcalæ gradum, per ſpem alium, dum & per charitatem tertium.

36 Tum, vt abunde ſoluas, aliud proponam exemplar. Sit homo in lecto iacens, eo quod habet pedem vulnere inflictum; vt enim iſte currat ad accipiendum bravium, nil prodeſt habere pedem, cum prout ambulare oportet nil ambulare queat; at licet vulneratum iaculo, multum etiam verſus bravij curſum prodeſt ei habere pedem, quia quouſque pes non ſit totaliter à corpore ſeparatus, & ſciſſus, ſemper habet curationis ſpem, & facile poſſunt fieri remedia, cum tametſi non maiorem, at ſemper cum corpore habet vnionem, & licet per infirmantem viam, ſemper cordis vitam participat, &c ſic. A ſimili ergo pro ſolutione applica, in pede percipiendo fidelem, in vulnere peccatum, in bravio ſtatum æternam, in vnione vinculum fidei, in corpore Eccleſiam, & ſi vis, in corde percipe Chriſtum, qui inviſibiliter plus fideles & credentes in ipſum adiuvat, quam ab ipſius corpore iam per fidei abſentiam ſeparatos &c.

37 Et iuxta Pauli intentum, conſimiliter nil prodeſt, & multum prodeſt. Nil prodeſt apud Paulum exigentem adæquatam lineam ad finem, quo pacto vno lineæ puncto deficiente, nil pro toto cætera proſſunt, quia licet ſint multa, non ſunt omnia, ac proinde ſic, idem eſt nil prodeſſe, ac ad omnia non prodeſſe. At etiam iuxta Paulum multum prodeſt aliter, quia multum prodeſt id ſine quo cætera omnia nil prodeſſe poſſunt, & iuxta Paulum ſine fide nil Deo placere poteſt. Et quia innumera loca fidei ſic importantiam ſuadentia apud Paulum invenies, ſat ſint præfata.

38 Ad ſextum, & vltimum, reſpondendum D. Paulum Chriſti Domini intentionem exponentem, capiendum de Eccleſia Militante, vt viã ſalutis demonſtrante, ſemitas Triumphantis aperiente, vniverſis fidelibus ſivè iuſtis ad maiorem gratiam, ſivè peccatoribus ad efficax remedium, media adminiſtrante, & vt fidei, & cæterarum virtutum magiſterium tenente, vt ſic nullus error depravare queat, nec Eccleſiam maculis fœdam relinquat. Vide dicta ſupra ad ſolutionem primi argumenti, ea enim hinc ſufficientiſſima ſunt, vt capias Eccleſiam Sanctam & Immaculatã, necnon conformem Triumphanti, ſervatis in via ſervandis, cum ex parte ſtatus oporteat vt *quod*, *& in actu exercito*, aliqua diſtinctio, cum huius ſtatus in agone contendat, & ſeminet in valle lachrymarum, per fidei lineam currens, quæ vt imperfecta, vtpote in tenebris, & in vmbra mortis ſedens, evacuari oportet, cum veniat quod perfectum. His ita de principaliſſimo præiactis.

39 Oppones etiam principaliter, non poſſe negari, charitatem conſtituere lineam perfectiorem, cum etiam comparativè loquens reſolverit Paulus, maiorem fore charitatem, necnon ipſa ratio cogit, cum charitas expellat peccatum; igitur dum oporteat membra Eccleſię habere vnitatem, & conſequenter præ cæteris non Eccleſiæ membris diſtinctionem, non debebamus eam ſtabilire ſufficientem in vinculo fidei, ſed dumtaxat in vinculo charitatis, aut gratiæ iuſtificantis. Rurſus, charitatis & ſupernæ iuſtificationis vinculum, non eſt in hac Militanti Eccleſia violentum, aliàs, nolet, quod docebat; nec eſt quid otioſum, & fruſtraneum, aliás indecoroſa foret perfectioris ſtatus conditio, & quidquid importantius animæ fruſtra fieret; igitur dabile eſt tale charitatis vinculum, necnon dari & admitti debet etiam in viæ ſtatu. Nunc ſic, tale vinculum ad quod corpus, ſeu ad

quam

quam Eccleſiam pertinet ? Si ad Triumphantem ; igitur Militanti non competet vinculum charitatis. Si ad Militantem ; ergo non habentes charitatem , in vinculo non erunt , necnon inſufficiens erit vinculum fidei.

40 Reſpondendum, & ad primum dicimus, veram fore antecedentis doctrinam,eamque Catholici corroboramus , cum vnitas ſienti & bonitas ſint vniformes cuiuſvis naturæ, & entitatis paſſiones, & quò perfectior ſit natura , eo perfectiores erunt paſſiones ; perfectiorem autem fore charitatem , quam fidem pro viribus fatemur. Congruit tamen Militantem Eccleſiam ſignanter, & caracteriſticè vinculum , & ſuæ naturæ proportionatam & peculiarem vnitatem ſtabilire in fide. Congruit, quia peculiariter , & de per ſe , potius quam charitas , eſt fides Militantium , tum ob diſtinctivum ſtatus , vt ſupra innui , cum ſtatus Militans ab ſtatu Patriæ ex fidei conſtitutivo diſtinguatur ; igitur ſi quo pacto ſit natura debeat eſſe paſſio, ſignanter & ſpecificè dum fide ſumat ſtatus à natura diſtinctionem , & ab ea ſic ſumet vnitatem. Tum congruit ex ipſa minori perfectione fidei , & maiori perfectione charitatis, nam charitas cum ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, in perfectiori ſtatu erit compatibilis, non autem ſic fides,quæ cum perfectio ſimpliciter ſimplex non ſit , ſolum exigit ſtatum minus perfectum,ita vt perfecto vtpote Triumphanti ſit incompatibilis ; igitur dum de per ſe non ſit perfectionis militare , & elaborare(loquor diſcretis & probis Theologis) quo peccato non eſt perfectionis, ſed infirmitatis pænuriam pati , ſed ſolum ſit perfectionis quieſcere (in æternitate) & triumphare, tametſi vinculum charitatis perfectiſſimum ſit, at ad rem ſtatus noſtri, & Eccleſiæ vnitatem, & diſtinctionem propriſſimum erit vinculum fidei.

41 Congruit itaque vinculum fidei , vt dum latius , fideles in Eccleſia vniat , etiam congruat iuxta divinum exemplar in Sacramentis, cum ad Baptiſmum , qui prima ianua eſt ad fidelium introitum, latius reliquerit Miniſtros, & diſpenſatores , cum in eo ſit primum diſtinctivum Chriſtianitatis , dum non ſic licentiavit Miniſtros ad alia Sacramenta, tametſi perfectiorem vnitatem cauſantia, vt apud Catholicos Euchariſticum ; ac proinde dicitur, *Vna fides, vnum Baptiſma.* Unde hinc intentum pro congruentijs augeo : licet perfectius ſit Sacramentum Euchariſticum,& elevatiorem vnitatem præſtet , quam Baptiſma , tamen caracteriſticam diſtinctionem Militantis Chriſtiani formaliter, & expreſſè in Baptiſmate ſtabilivit de per ſe neceſſariſſimè ; ergo & à ſimili, licet elevatioris perfectionis foret charitas, quam fides. Tum congruebat(à paritate Baptiſmi ſume etiam congruentiam) quia pientiſſimus Dominus , iuxta infinitam miſericordiam ſuam, non voluit ſtatim, peccatorem à ſe relegare , & vinculum omne auferre, vt fidei vinculo vnitum adhuc, habeat, quo Deus reſpiciat, & miſereatur, eum ad pęnitentiam adducens. Deus enim , non ſemper voluit facere, quæ ſecundum ſe perfectiora , ſed perfectius fecit , quæ ſecundum ſtatuum proportionem , & rerum indigentias , propriſſima. Secundum ſe enim perfectius erat quod Petrus appetebat,vtpote in gloria manere cum Chriſto , & tamen iuxta ſtatus & rerum indigentiam neſciebat quid appeteret , dum in Thabor. Sic pijſſimus & ſapientiſſimus Dominus, licet perfectius ſit vinculum charitatis, tamen ad vnitatem neceſſariam membrorum cum capite ſuo , iuxta fragilitatem noſtram , & ſtatus infirmitatem, propriſſimum iuvenit fidei ſupernæ vinculum.

42 Deinde reſpondentes ad ſecundum, dicimus, vinculum charitatis non fore violentum pro ſtatu fidei , prout intendit argumentum (poſſet aliter dici iuxta ſanam intentionem proborum Theologorum, fore hominem cum charitate violentum in ſtatu fidei, eo pacto quo quævis res violenta reputatur abſque perfecta , & conſummata centri poſſeſſione, iuxta *cor inquietum* magni Patris Auguſtini) quia perfectiori vinculo intra lineam ſubalternationis non datur violentia in ſubiecto minus perfecto vinculo ſiſtente, vt innumerabilia adſunt exemplaria, & nonnulla ſupra iam tetigimus , & ad rem propriſſimum eſt exemplar Baptiſmatis, & Euchariſtiæ, ſine qua dum adſit vinculum ſalutare , compatitur Euchariſticam vnitatem fore elevatiorem , & Baptiſmati nec violentam, nec contrariam, ſed ſubalternantem. Sic perfectius vnum, & excellentius complexum ſit ex materia prima , & ex anima rationali, ac ex materia prima & ex forma vegetativa , aut ex priori corporeitatis, & tamen compatitur poſſe membra ſiſtere in vnitate ſufficienti abſque perfectiori , quin adſit violentia ex perfectiori , dum adſit graduum ſeu vnitatum ſubalternatio.

43 Inde Catholici non negamus vinculum charitatis, & ſupernæ gratiæ, ſed dicimus in via fore inter fideles compatibilem , ita vt inter omnes fideles inter quos adſit vltra fidem ſuperna gratia , & vltra vnitatem fidei aderit inter eos vnitas ſupernæ gratiæ, aut charitatis, quia dum augentur rationes fundandi, & vnitates ſeu ſimilitudines augeri debent, vt benè

ſciunt

ſciunt Philoſophantes. Et ſic etiam cum inviſibili capite aderit maior vnitas, cum maius ſit vnitatis fundamentum; necnon inter quos ipſa charitas intenſior ſit tam inter ſe, quam Chriſto intenſior erit vnitas, ſicuti & intenſior erit amicitiæ vinculum; ac proinde qui altiſſimum gratiæ, ſeu vitæ ſpiritualis teneat gradum, ſic intimius vnitur cum Chriſto, quod eo transformari videatur iuxta illud Pauli, *Vivo ego iam non ego &c.*

44 Fatemur ergo inter Militantia membra vinculum, & charitatis compagem, tam inter ſe, quam cum Chriſto. Cum Chriſto enim, cum ſit caput omnis Principatus, Sol totius Juſtitiæ, & Fons vitæ perfectioris, ac proinde, qui iuxta Paulum ad Epheſ. 3. *In charitate radicati, & fundati* perfectiſſimam vnitatem tenent, iuxta illud Joan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Inter ſe necnon talem vnitatem habent Militantes fideles, tam iuxta Pauli dictum 1. ad Corint. 16: S, *Charitas mea cum omnibus vobis*, & ad Rom. 8. *Quis poterit nos ſeparari à charitate Dei &c*; quam iuxta Philoſophi axioma, S, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

45 Spectat igitur etiam (reſpondetur vltimo oppoſito) vinculum charitatis ad Militantis Eccleſiæ membra, at non ſpectat ad abſolute vinculandum, nec ſpectat ad ſpecificè neceſſario, & characteriſticè diſtinguendum. Primi ratio, eſt ſcopus præſentis reſolutionis in curſu integro huius quæſtionis propugnatus, cum ſcilicet abſolute ſola fides poſſit membra vinculare, tam inter ſe, quam cum capite, prout rationibus, & exemplaribus expoſuimus, etiam iuxta naturalis rationis conſonantiam. Secundi ratio ſiſtit ſemper in tranſcendentia, & convenientia charitatis, quæ ſpecialiſſimè non eſt propria huius ſtatus præ alio, cum ſecundum ſe vtrumque tranſcendat, & compatibilis ſit tam cum fide Militantium in via, quam cum lumine Triumphantium in Patria; vnde habet non excidere, neque evacuari, ſicuti habet evacuari, & excidere vinculum fidei; igitur de per ſe neceſſario & characteriſtica ſpecificatione non ſpectabit ad Militantis Eccleſiæ membra, tametſi eis conveniens, eaquè perficiens, & ad elevatiorem vnitatem tranſvolans.

46 Conſonant nuper dicta cum alijs, quæ in Tom. 1. Diſt. de Viſione diximus iuxta Seraphici Doctoris doctrinam, videlicet, gratiam, & gloriam non diſtingui quoad eſſentiam, ſed quoad connotata ſtatuum. Non quoad eſſentiam, quia habitus reddens formaliter hominem Deo charum, ſeu amicum idem eſt, amor enim divinus perfectio ſimpliciter ſimplex eſt, ac proinde in quovis ad perfectiora elevato compatibilis, & non excidens iuxta Paulum. Vide plura in Tom. 1. Diſtinguuntur autem quoad ſtatuum connotata, quia eadem natura gratiæ, quæ in via connotat corruptibile, & obſcurans lumen, in Patria connotat incorruptibile & faciale lumen; necnon quæ in via circunſtatur deſiderio, in Patria circunſtatur tentione.

47 Oppones tandem, motus ex his quæ dixi. Dices ergo Paradiſum repræſentare Eccleſiam; ſed licet Adamus in prævaricatione non amiſiſſet fidem, tamen dum amiſit gratiam iuſtificantem, fuit eiectus à Paradiſo, cuſtodiens ianuam Cherub flammeo gladio; igitur quia voluit filijs Adami relinquere exemplar, vt dum amittant gratiam, tametſi retineant fidem, ab Eccleſiæ vnitate alieni teneantur. Reſponderi poteſt, Paradiſum potius repræſentare Eccleſiam Triumphantem, quia erat locus voluptatibus plenus, laboribus & anxietatibus carens, morti alienus, & ſic ab omnibus paſſibilibus diſtans, ac proinde ſtatui Patriæ conformis, exules namque filij Evæ, ſolum poſt lapſum, & Adami exilium ſumus: vnde & Chriſtus Dominus latroni bono dixit, Hodie mecum eris in Paradiſo. Qua propter, cum ad introitum Triumphantis Eccleſiæ oporteret gratia, & innocentis vitæ conditio, ſtatim ac Adamus eam amiſſit, debuit à Paradiſo eijci; & ab eo eiectus fidem ſemper conſervans, ſtetit in Eccleſia Militanti in valle lachrymarum ſita, ibique pænitens, gratiam reſtaurans, ſed non ad terreſtrem Paradiſum rediens, cum pœnarum, & patibilium iam vrgeret ſententia; vnde Paradiſum potius Triumphantium locum repræſentare, magis corroboratur.

48 Nonnulla alia, quæ opponi poſſunt, omitto, tum quia exactè inveniuntur in quam pluribus Catholicis Scriptoribus enervata; tum, quia ſi ſupra poſitis attendatur, Deo dante, facile ad reliqua valent applicari ſolutiones. Hinc recitata argumenta ſunt, quæ à contrarijs magis principaliter foveri intenduntur, quæ tametſi à nobis efficacius retardata, at non eorum machinamenta convicta, quia ſicuti ſine fide eſt impoſſibile placere Deo, & ſine fidei ab eis non retento magiſterio erit impoſſibilis divinarum doctrinarum penetratio. Plurima hinc ardua, & difficilima tractare opus fuit, quorum ſi aliquid minus pie, probe, & catholice dictum inveniatur, pro viribus retractare volo, & deleri rogo, & potius ignorantiæ, quam malitiæ tribuatur.

QUÆST-

QVÆSTIO IV.

De divino Eccleſiæ labio.

1 ERreximus vſque ad caput, ſolidum Militantis Sponſæ corpus, indiſſolubili fidei vinculo compactum, ab ipſo vitæ Auctore, inſtar infantis, ab initio genitum, nutritum, & aggeneratum; reſtat, & vt ab eodem eruditum. Inde nunc ſcire oportet, quo pacto hæc vndequaque ſponſa formoſiſſima loquatur. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Quare coccinea? Quia iniquitas non oppilabit os tuum, nec quæ procedunt de labijs tuis faciet irrita. Poſuit ſponſus in ore tuo cuſtodiam, & oſtium circunſtantiæ in labijs tuis, vt ſic loquaris, dum audias, quid loquatur in te Dominus. Intendimus ergo Chriſti Sponſam, & generoſam Matrem noſtram ex loquela manifeſtam facere, & ex voce confringente cedros notam exaltare, quia dum in primitivis eius filijs *Erat terra labij vnius*, inter malevolos, Turrim altam, ambitionis vento ædificare volentes, *confuſum eſt* (apud eos) *labium vniverſa terra*, vt à longe præviderat Regius Vates aiens, *Labor labiorum ipſorum operiet eos: Cadent ſuper eos carbones; in ignem deijcies eos, & in miſerijs non ſubſiſtent*, prout cuncti Catholici paſſim mirabiliter cernimus.

2 At Sacra, pura, & generoſa Mater noſtra, à Dilecto dilectis habes, *Guttur tuum ſicut vinum optimum dignum Dilecto ad potandum, labijſque, & dentibus illius ad ruminãdum*, prout puriſſimos concilians ſpiritus, & dulciſſimo ſopore quieſcere faciens, cor noſtrum confortans, experimur, qui invenimur fideles filij in circuitu menſæ tuæ. Cum igitur è labijs ſic diſtillantibus, nonnulla nos colligere debeamus, vt vox Eccleſiæ dulcis, non & ſine facie decora pateat, intitulati aſſumpti, quæ principaliora notemus, per ſequentes Articulos expendere, Deo dante, tentabimus. Et quia veritas, nedum contingit in labijs, ſed etiam in ſcriptis, horumque expoſitionibus, inde omnium alloqui opus erit.

(*,*)

ART. I.

Eccleſia, quæ vera, nunquam in his quæ fidei, poteſt falſò loqui.

3 PRæſtabilita reſolutio eſt omnium Catholicorum pro viribus propugnata theſis, pugnaciſſimè militans contra omnes Romanæ Eccleſiæ inimicos, qui veritatis fundamenta evellentes, quam plurimos, imò & omnes ſeminarunt errores. Qui etenim dilexerunt magis tenebras, quam lucem, paſſim incidere habebunt, cum non poſſint per viam pacis dirigere pedes, & in fidei tenebris dumtaxat exortum eſt lumen rectis corde, prout ſic diſpoſuit miſericors, & miſerator Dominus, cum hæc nox, ſicut dies illuminabitur.

4 Inde ergo Catholicorum præformata reſolutio militat contra omnes Hæreſiarchas. Militat contra Montanum, qui, vt refert Euſebius *lib.* 5. *cap.* 22. tenuit cum ſequacibus Eccleſiam poſſe errare. Contra Donatiſtas, & Rogatianos, vt refert Auguſtinus *Epiſt.* 48. & 50. Contra Neſtorianos, vt refert Vincentius Lirinenſis. Contra Iconomachos aſſerentes, multo tempore erraſſe veram Eccleſiam. Contra Vviclephos conſimiliter alloquentes. Contra Lutheranos, & Calviniſtas ad eumdem errorem, vt fundamentum cæterorum confluentes. Videatur Bellarminus *lib.* 1. *de Eccleſia cap.* 14. In contrarium igitur venit à nobis firma Eccleſiæ veræ veracitas ſuadenda.

5 Primo, quia Domum Dei decet ſanctitudo in longitudinem dierum, ſed abſque veritate, & veracitate, nil decenter habetur, nedum in Domo Dei, ſed nec in domo contemptibili, vt patet per experientiam; ergo.

6 Secundo, quia ex natura rei contradicit, quod quis vellet odibilem rem ſibi magis amabilem; quod enim nimis diligitur, eſt quod conſequenter plus ab omnibus adorari, amari, & venerari diſponitur; ſed dum Eccleſia, vtpote quæ nimis à Deo dilecta eſt, verax non foret, eam Deus faceret, & vellet odibilem, quod foret nolle, quod vellet; ergo. Maior conſonat vniverſis, ſivè rationibus, ſivè experientijs tam ſacris, quam prophanis. Minor non minus clara eſt, cum nil plus à cunctis deſpiciatur, quam homo mendax, & doloſus, ita vt quo magis veraces, magis amabiles, etiam nunc inter Turcas, quicumque homines reddantur; igitur ſi Deus veracem non conſervaret

ret

ret Eccleſiam, vellet eam odibilem, & ſic nollet eam in præſidium, cum ab ea recedere opus eſſet, & non minus ac à ſocietate mendacium fugere, ita vt nunquam ſine horrore eam inſpiceremus.

7 Tertio, quia Eccleſia vera, quæ Militans firmam in aliquo debet ſervare cum Triumphanti ſimilitudinem, ſervatis in alijs ſervandis, eo pacto quo qui alterius vicem facit, quouſque alter per ſe facit, vt nunc iuxta Paulum, fides pro lumine, quæ ſolum evacuabitur ad eius præſentiam; ſed non poteſt ſervare ſimilitudinem in malitia, nec in mendacio, & falſitate; ergo.

8 Quarto, quia horum temporum hæretici, prout ſupra in quæſtione antecedenti recitavimus iuxta Anabaptiſtas & Calviniſtas, propugnabant Eccleſiam ſic Sanctam, & bonam debere eſſe, quod quilibet peccatum faciens, etiam fidem conſervans, foret ab Eccleſia relegandus, ac proinde amplius vt membrum non debere reputari; igitur cum non minus pro cuiuſvis entis integritate, & perfectione proſit verum, quam bonum, dum debeat Eccleſia eſſe dumtaxat, quæ ſemper bona, & debebit Eccleſia eſſe, quæ dumtaxat ſemper verax.

9 Quinto, quia rationalium Gentilium converſio foret impracticabilis, ſi Eccleſia poſſet aliquando falſo loqui. Suadetur, & exponitur, quia dum Gentilis ſalvari vellet in virtute Baptiſmi, dum iſte vellet infuſionis gratię & fidei habere verax teſtimonium, vellem ego ſcire, à quo veritatis ſumeret teſtimonium? Si dicas, quod veritas hæc eſt divina, vtpote non ab Eccleſia, ſed ante iſtam à Chriſto prolata. Contra eſt, quia licet ipſe ſciret, Deum non poſſe dicere falſum, at ex quo ſine vlla falſitate poſſet ſcire, Chriſtum fuiſſe Deum, necnon ipſum per Baptiſma gratiam ſalutis æternæ promiſiſſe? Si dicas, quod quilibet Miniſter poſſet non minus inſtruere. Contra, quia quicunque ille foret inſtruens, ſi rationalis foret Gentilis, vellet ſcire, an tu qui inſtruens poſſes falſo loqui, vel non? Si poſſes; impracticabilis redderetur credulitas, nam dum ſemel poſſet loqui falſo, poſſet dubitari prudenter, quod pro ea vice falſo loquebatur, iuxta Proverbium, qui in vno decipitur in nullo credendus eſt. Si non poſſes tu in his quæ fidei inſtruens, falſo loqui; cur ſaltem vt tu, non poterit Eccleſia? Si dicas, quod Gentilis ille dum prudens, poſſet & deberet aliorum plurium fidelium ſumere notitiam. Benè ſit; at etiamſi prudens ſcire vellet, an ea fidelium caterva poſſit falſo loqui, vel non? Si poſſit; nil credet, dum prudens; ſi non poſſit, nil dum prudens tu potiori iure debes circa loqui verum, Eccleſiæ negare.

10 Sexto, quia, vt aiebat ſapiens Proverb. 12. *Labium veritatis firmum eſt in perpetuum*, igitur Aula, quæ vſque adhuc firmior, ea in perpetuum debet habere labium veritatis. Quæ vſque adhuc fuit firmior in toto Orbe Aula? Nonne, vt propugnatum manet extitit hucuſque Romana? Etiam taliter, qualiter vos velitis, nullam invenietis quæ à Petro vſque ad Innocentium vndecimum valeat probare in ſucceſſione perpetuitatem.

11 Septimo, quia veritas domus it ad proportionem mediorum, quibus erigitur, & inſtrumentorum quibus favet, vt etiam in domibus Regalibus quiſque videt; ſed vnum dum admittatis Baptiſmi medium, & pro confugientibus ad Eccleſiam, favoris ſuperni inſtrumentum, eſt firmum in veritate fidei, & realitate gratiæ, aliàs omnem domus ianuam præcluditis, & non intretis per oſtium, ſed aliunde; igitur & iuxta proportionem erit domus in qua ſervatur, aliter irrationabile, & monſtruoſum habebitis, dum firmam velitis ianuam, & domum conquaſſatam, & ruinæ ſubiectam; ac proinde ad ingrediendum in falſitatis domum, ipſam veritatem ianuam nobis aperire.

12 Octavo, & eſt nimis notandum, quod ſcilicet, ſi benè attendatur, deficiens ſit motivum dubitantium veracitatem in Eccleſia. Suadetur, & hoc principale intentum exponitur. Ex eo enim de veracitate Eccleſiæ dubitarunt principalius, quia durus & diſſonans fuit eis viſus ſermo, qui auditur; necnon quia aliquando decretum decreto videtur opponi; ſed neutrum debet eſſe motivum ſufficiens his qui exiſtimare debent à Deo dirigi; ergo. Maior eſt certa, quia hæretici raro negant, quod penetratur à ſenſu, vel à concupiſcibili ſenſibilitate, quod eſt credere quod videtur, vel quod credi vult, dum Beati qui non viderunt, & crediderunt. Necnon recedere ſolent, & terga vertere, dum aliqua exterius videtur apparens contradictio, eo quod cum vis fundamentalis fidei levis ſit in eis, & parum, aut nil radicata, ſtatim ſuffocata perijt, & quovis flante vento contrario ſtatim qui modicæ fidei tunc, cæpit mergi, etiam ſi in littore ſit ipſa Deitas reſpirans.

13 Exponitur minor, quoad primam partem, quia ſermonis durities non ſufficit ad veritatis abſentiam: Tum quia fidei meritum ſæpe ſiſtit in eo, indeque Deus providit per viam obſcuram, tam etſi infallibilem & exactam nos ducere ad ipſum, & ad iuſtificantem gratiam; qua propter vt ex Auguſtino cum

Scoto

Scoto notavi illac (*in* 1. *ſent. diſt.* 1.) noluit Deus leges & voluntatem ſuam præſtare & manifeſtare nobis per demonſtrationis argumentum, ſed per ſpeculum in ænigmate; tum quia in hac lachrymarum valle nil voluit in nobis abſque labore,dans tribulationibus permixta auxilia, ſudoribus panem, & ſpinis flores &c , ſic , cum ob plura præclara motiva ſic oportere noverit. Et ſuadetur minor ab exemplari divino , nam dum Chriſtus Dominus Joannis 6. voluit doctrinis præparare diſcipulos ad Euchariſtiæ inſtitutionem , quod durus fuiſſet viſus ſermo qui audiebatur , non fuit ſufficiens ad reijciendam veracitatem loquentis apud veros diſcipulos, tametſi improbos & in fide non fundatos reiecerit (en candide fidelis , proportionatiſſimum eventum) quia eorum ſenſui diſſonabat à primo auditu divinus ille ſermo, & menti obnubilatæ contradicens apparebat propoſitio : En , *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro , & iam non cum illo ambulabant*, prout exinde vos hæretici , qui & ante diſcipuli domini ſic retro abijſtis, & iam cum vera Eccleſia non ambulatis; revertimini , revertimini , & vt illi qui apud Joannem ſupra , non murmuretis , nec ſcandalum, ſenſui contrariantibus dictis, patiamini. Revertimini , quia ſi falſum putetis quod laborioſum, & difficile, in genere Adamitico & culpa depravato, nil putare deberetis verum , cum nemo abſque labore tendat, nec abſque difficultatibus moveatur ; pœna noſtra hæc eſt, ex quo Patres noſtri peccaverunt, & iniquitatem ſuam à nobis portandam reliquerunt. Non enim reliquerunt nobis , quæ eis dederat Deus, ſed quæ eis falſo induxerat diabolus, indeque ad falſitatem & errores ſumus proni , & paſſim involvemur ſi fidei ſuperno habitu non induamur , & ſtrictiſſime præcincti perſeveremus.

14 *Dixit ergo Ieſus ad duodecim : Numquid & vos vultis abire* ? Sic & nunc ad veros fideles alloqui audimus. *Reſpondit ergo ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus &c.* Plura hinc principaliſſime notanda. Primum , quod veros fideles nulla debeat enervare obſtans ſenſibus difficultas. Secundum, quod difficultas debeat vinci per vitæ æternæ doctrinas, ac proinde videte vos Eccleſiæ inimici , quid Eccleſia Catholica loquatur. Intuemini , & non niſi monita ſalutis, vitiorum remedia , & æternitatis adipiſcendæ doctrinas invenietis. Non ſic veſtra videmus , cum ſæpe pronam ad malum inſolentem conditionem noſtram, liberam & abſque fræno velitis, ſecuràm obedientiæ viam , quam & ſupremus Dominus vſque ad mortem pro viribus ſibi voluit, negantes, vt ſic vos habere ſeſſorem, vt illac Auguſtinus , non ſentiatis. Tertium , quod ibi, dum bene notetur, dabatur vnus , vtpote Simon Petrus, qui tamen ſub omnium nomine, vt verum caput reſponderet in his , quæ erant fidei , prout & nunc & tot ſæcula à Petri Primatu evenit. Rogo, vt mihi dicatis, quiſnàm ſit vnus iſte pro mille vobis,qui in his quę fidei reſpondeat, & cui indiſpenſabiliter obediatur? Quartum, quia nunc illi, nunc iſti bene poſſunt errare, & ab Eccleſia conſequenter recedere , at nec dum duriſſimus ſit ſermo qui audiatur , vera Eccleſia deficiet , ſicque nec vnus , qui Supremus non reſpondeat in his quæ ſunt fidei, & in verbis ſalutis æternæ.

15 Quintum , & ni iuxta captum meum fallor, omnium principaliſſimum; nam etiam dum vellem quæ fidei iuxta viam naturalitatis, & nudæ philoſophiæ pulſare, vt ſic tentare etiam poſſem errantium motiva, fateor coram Deo, Angelis, & hominibus, quod etiam dum inter puros Philoſophos forem , ſupereminentem facerent harmoniam ea divina obſervantiſſimi Patroni mei Petri verba, S, *Domine ad quem ibimus*? Si in hac vitæ Adamaticæ nocte ſcandalum patieremur in Eccleſia Romana , aut in eius Antiſtite ſummo , ad quam, & ad quem ibimus? Si quia durus appareat imbecillibus Romanus ſermo , ſcandalum patiamur in aure,dum fides non per viſionem oculi, ſed per auditum, ad quem ibimus? Numquid ibet Petrus, & nos qui in fide Petrei, ad Saducæos? Numquid ad alios, vt Scribas, aut Phariſęos? Numquid & poſt tot Hæreſiarcharum cavernas , ibimus noviſſime ad Lutheranos & Calviniſtas ? Ibi eſt divina quies? Ibi nulla diviſione vrget violentia? Ibi ſiſtent in cunctis recti , & in nullo depravati mores? Ibi confluet ea Cœlicolarum pax? Ibi erit in fine fletus , dum ſolum ante , pacem peccatorum videns. Chariſſimi æmulamini chariſmata meliora.Nil obſtet ob veritatis defenſionem , duram aliquando ſuſtinere viam, quia propter verba labiorum ſuorum fideliſſimus ille Rex cuſtodivit vias duras.

16 Exponitur necne minor illa quoad ſecundam partem,videlicet de his,quæ in decretorum , & aliorum ſic contradictione apparent. Primo , quia à quam pluribus chatholicis, equidem viris doctiſſimis exacte reſpondetur, ita vt nec ipſi hæretici ſaltim probabilem æquè (ſic do eis) Doctorum noſtrorum ſolutionem poſſint negare; igitur ſi prudentes, dum in cæteris noſtris certiſſimè , deberent æquè probabilibus cedere, ne certiorum periculoſis dubitationibus deinceps succumbe-

D d rent.

rent. Secundo, quia deberent nos convincere, quæ paſſim inter nos experimur, cum ſæpe eveniat, nobis ſenſibiliter videri, aliquem ſibi contradicere vel in dicto, vel in ſcripto, vel in facto, & tamen dum ante tempus, & examen exactum iudicium non reſolvimus, in contrarium manere convictos invenimus. Si enim Ariſtotilem quis minus diſſertus, & in arduis parum verſatus, abſque maturo examine loca doctrinarum ſuarum attenderet, iam ipſum vt contradictionibus involutum in ignem eijceret. Inde ait Juriſconſultus, *Diſtingue tempora, & concordabis iura.* Unde ſi ſic non diſtinguas, nedum reprobabis Eccleſiæ diſpoſitiones, ſed & Evangeliſtarum loca, ſi enim Matth. 25. dicitur, Electis eſſe paratum Regnum ab origine mundi; Joan. 14. dicitur, Vado parare vobis Regnum. Sic ſi dicitur, quod nobiſcum erit vſque ad conſummationem ſæculi, etiam dicitur, quod ſi ipſe non abierit non veniet Paraclitus. Et ſic, innumerabilia invenietis, quorum inventio fuit ſemper perditio veſtra. Sicque, & in factis Apoſtolorum notare valebitis, quo pacto iuxta temporum circunſtantias, & credentium conditiones nonnulla innovabant. Hæc omnia prævideratt Magnus Pater Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Dom. dum cap. 4.* ait: *Pietas congruit mitibus, qui enim piè quærit, honorat Sanctam Scripturam, & non reprehendit, quod non dum intelligit.*

17 His ita, dum magis à ratione, tametſi aliquando Sacrorum auctoritate incidenter propugnatis, cum contrariorum plurimi, vt Scripturarum veneratores rigidi exultent, & exaltentur, etiam noſtrorum Catholicorum Doctorum ſolido more, proponam, eorum veſtigijs inhærens, nonnulla alia argumenta quibus præſtabilita reſolutio noſtra corroboretur, dum illorum magis infirmatur.

18 Primo arguunt Catholici ex illo Joan. c. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis*; igitur, vel Eccleſia errare non poteſt, vel erit error Spiritui Sancto imputabilis. Tum ſecundo apud Joan. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; igitur vel Eccleſia non poterit docere errorem, vel erit falſum, quod Spiritus ille docet omne verum. Tum tertio Matth. 18. Chriſtus Dominus Eccleſiæ protectionem ſuam promiſſit, dicens. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*; igitur vel Eccleſia non poteſt errare, vel etiam vivente Chriſto errare poſſet, cum Chriſtus vivens non plus poſſet facere, quam protegens, cum ipſa Eccleſia fore. Tum quarto apud Joan. cap. 17. ſic pro Eccleſia rogarat Chriſtus: *Non autem pro eis rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*; igitur vel merito orationis Dominicæ non poteſt Eccleſia errare, vel pro ſua reverentia non fuit Chriſtus Dominus exauditus.

19 Dicant nonnulli ad primum, & ſecundum talia loca intelligenda eſſe de ſolis Apoſtolis, cum quibus Chriſtus Dominus duntaxat loquebatur, ac proinde cæteris alloqui, dum non loquebatur, quia tunc non erant eſt pura interpretatio, & adivinatio noſtra. Sed contra eſt manifeſte, quia etiam cum Apoſtolis loquebatur, dum dixit, Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi, tunc enim non eramus phyſicè, qui Catholici duntaxat nunc phyſicè exiſtimus, & tamen in illis verbis, nedum Apoſtoli intelligebantur; ergo nec ſolum intelligi debebant in alijs. Suadetur manifeſte, quia ſæculum non fuit expeditum, & conſummatum in tempore Apoſtolorum, prout clare videmus nos qui vivimus, & benedicimus Domino; igitur in eis verbis nedum Apoſtoli intelligebantur. Tum ex quarto loco manifeſte reijcitur interpretatio, præterquam iuxta rectam rationem, & bonam Altiſſimi providentiam, clarum fit argumentum: Ex eo Chriſtus Dominus iuxta Joannem nedum rogat pro Apoſtolis, quin etiam pro alijs, quia vltra Apoſtolos erant alij credituri in nomine Chriſti per verbum Apoſtolorum; ſed etiam in alijs temporibus, extra tempus phyſicum Apoſtolorum, erant alij credituri in nomine Chriſti per doctrinam Apoſtolicam; igitur iuxta rectam rationem, & bonam Altiſſimi providentiam, clare convincitur quod etiam pro futura, & nunc præſenti Eccleſia Magiſter verus, & Paſtor bonus rogaret.

20 Contra necnon, nam ex eo quod phyſicè cum Apoſtolis converſaret Chriſtus, veritatis infallibilis aſſiſtentiam, & promiſſum, de eis duntaxat intelligi debet; igitur vel tale medium eſt nullum, & inane pro favore reſpondentium, vel æquali vi debent fateri, quod nos non poſſumus committere peccatum contra Evangelij conſilia, & Chriſti Domini præcepta, hæc omnia ſiquidem cum Apoſtolis alloquens fuerunt phyſicè intimata; ac proinde fruſtraneum fuit ſymbolum ab Apoſtolis conſtrui, & ab Evangeliſtis ſcribi, ſiquidem dum Apoſtoli viverent, ſatis ipſi inſtruerent fideles, prout Divus Paulus illac aiens, quod in Chriſto Jeſu per Evangelium ipſe illos genuit.

21 Dices ex Calvino apud noſtrum Maſſuccium

ſuccium

ſuccium cap.8. quod dum Chriſtus Dominus promiſſit Spiritum Sanctum, qui doceret omnem veritatem, nedum vniverſali Eccleſiæ promiſſit, videlicet Concilijs, & Cathedræ Petri, quin etiam promiſſit ſigillatim, & ſingulis fidelibus omnem veritatem, adeo, vt quiſque fidelis ſit iure iſtius promiſſionis omni veritate ditatus: En Calvini formalia verba: *Spiritus veritatis non modo Vniverſæ ſimul Eccleſiæ, poſt Apoſtolos, ſed ſingulis etiam Chriſtianis promiſſus, & datus eſt.* Dum ſic recitet Maſſuccius Calvini verba, vt clare cõſtet, quid per ea ſibi in Eccleſiam Romanam velit Calvinus, vtemur argumentorum dilemate ſic: Vel enim vult Calvinus retardare gloriam Eccleſiæ ex aſſiſtentia Spiritui Sancti, cum in ea non ſit Eccleſia ſingularis, ſiquidem quibuslibet convenit Spiritus Sancti aſſiſtentia; vel vult ex eo quod ſigillatim quibuslibet Spiritus S, aſſiſtentia promiſſa fuiſſet, ſic fallibilitatis formare ſemper argumentum: Etiam ſi Spiritus Sanctus quibuslibet fuerit promiſſus, tamen ſingulariter hic, aut ille poteſt errare; igitur etiam ſi Univerſali Eccleſiæ fuerit Spiritus Sanctus promiſſus, tamen Univerſalis Eccleſia poterit errare. Si ſic velit præfatum textum enervare, ſi non ipſe, aliquis alius hæreticus, non habebit intentum, prout videbitur, dum ſtatim in vnam & alteram reſponſionis partem inſurgam.

22 Contra in primam partem, quia dum ſingulis conveniret non poſſe errare iuxta Spiritus S, aſſiſtentiam, ſemper ſubſiſteret reſolutio noſtra, cum non poſſit Eccleſiæ negari, ſaltim, quæ cuilibet conceditur, Spiritus Sancti aſſiſtentia. Tum, quia ſemper foret Eccleſia ſingularior, cum foret Spiritus S, aſſiſtentia maior, & vehementior, ac proinde nec ea ſingularis excellentia retardaretur. Suadeo, quia maior eſt vis totius, quam partis, maximè dum pro parte, quævis etiam minus nobilis capitur; virtus enim vnita fortior: Tum, quia Deus iuxta capacitatem & diſpoſitionem regulariter operatur, tam vt Auctor naturæ, quam gratiæ, & ſic diſtribuit præmia; ſed irrationaliter diceretur, quod maior erat capacitas, & diſpoſitio cuiuſvis fidelis, ac totius Eccleſiæ; ergo. Patet, quia etiam viſibiliter in die Pentecoſtes, maior ignis apparuit ſupra totam Domum, vbi erant omnes, ac ſupra ſingularem locum cuiuslibet; ergo. Tum, quia tametſi Spiritus S, etiam poſt Apoſtolos alijs daretur at cum Apoſtoli forent fundamenta, etiam ſenſibiliter nota fuit aeris vehementia maior, vt patet ex textu. Tum, quia parum obſtaret etiam, Eccleſiam non fore ſingularem circa veritatis participationem, cum infallibilitatis excellentiam non derogaret quod ipſius membris conveniret; tum quia ſi infallibilia, ſemper foret, quia vera Eccleſiæ membra; tum, quia ex diffuſione bonitatis probaretur veritas; tum, quia ſemper aliter foret quoad normam Eccleſia, vnde ſic, tametſi Chriſtus dicat, Ego ſum lux mundi, parum obſtat, vt etiam alij dicantur, vt dicitur ab eodem, Vos eſtis lux mundi; à ſimili ergo, etiam dum aliquis fidelis errare non poſſet, cum ſic lucis, ac veritatis ſemper vt Magiſtra foret Eccleſia, vtpote diuina Mater obſervanda, & per ipſius infallibilem regulam, etiam cæterorum infallibiles veritates metiendæ, & comprobandæ.

23 Contra in ſecundam partem, & in primis, quia ſi ſic paritate vtantur, poterunt etiam inferre, quod poſſent errare Apoſtoli. Probo, quia nil magis impedire potuit Apoſtolorum errorem, quam Spiritus Sancti promiſſa aſſiſtentia; ſed licet aſſiſtentia Spiritus Sancti ſit Eccleſiæ promiſſa, poteſt hæc errare; ergo & poſſent illi. Contra 2. quia tametſi Spiritus S, ſit nedum toti Eccleſiæ promiſſus, ſed etiam cuilibet parti, at eſt valde conforme rationi etiam naturali (naturalibus hucvſque magis vſus ſui, cum hæretici potius quam divinis gratis adhærere velint) quod ſummè fortior & vehementior ſit aſſiſtentia totius, quam partis, maximè dum hæc inter viſibiles non eſt caput, & inter inviſibiles cor. Suadeo, quia licet anima rationalis ſit ex promiſſione Auctoris naturæ aſſiſtens nedum toti corpori, ſed & cuilibet parti, at compatitur quod poſſit recedere à parte, dum tunc non poſſit recedere à corpore; ergo à ſimili. Rurſus licet ab artifice aliquo vis conſiſtens ponatur in vno funiculo, at dum rationi, & rectæ proportioni conſonet, nunquam ponetur tanta vis ac in triplici, ac proinde dum à contrarianti ſimplex vnus funiculus rumpi poſſit, rumpi non poterit funiculus triplex; ergo à ſimili, dum ſic cum eis, pluribus alijs huiuſcemodi exemplaribus oporteat argui reſpectu Auctoris gratiæ, & Artificis ſuperni.

24 Dices hinc philoſophice arguens, quod indiviſibile non ſuſcipit magis, & minus; ſed aſſiſtens Spiritus Sanctus indiviſibilis eſt, necnon quæ veritatis ſunt indiviſibilia ſunt, quia verum in indiviſibili ſiſtit; ergo dum infallibilis ea veritas præſtetur Eccleſiæ per Spiritus Sancti aſſiſtẽtiam, eadem præſtanda cuicumque, cui Spiritus Sancti aſſiſtentia promiſſa ſit. Contra, & enervatur per inſtantiam, quia pariter poſſent arguere, quod ex divina Spiritus Sancti participatione, omnes erant æquè Sancti, ac proinde quod nec Sanctior

tior Chriſti humanitas, nec minus Sanctus quilibet Apoſtolus, ac omnes Apoſtoli ſimul, ſicque in Domo Dei manſiones multas non eſſe. Tum enervatur, quia in illis habitibus, aut prædicatis, quæ cadunt ſub libero potentiæ exercitio, non datur virtualiter indiviſibilitas, vt patet in Deo, qui ad extra dividit ſingulis prout vult iuxta præfixos fines, quos ſtabilire voluit; necnon patet in nobis, cum indiviſibilibus vtamur, prout volumus, ac proinde habitu vnius gradus charitatis poſſumus, ſi benè velimus elicere actum duplicis gradus, ſicque diviſibilis. Et conſimiliter valet diſcurri circa fidei habitum, ſiquidem eodem gradu poteſt quis maiorem fidei actum elicere, quam alter, prout & Apoſtoli benè agnoverunt, dum modicæ fidei eſſentes, rogarunt Dominum, vt adaugeret fidem. Tum enervatur à paritate animæ rationalis, quæ tametſi indiviſibilis, at vigoroſius vivificat cor, & puriores Spiritus excitat verſus caput; necnon, dum vitalium operationum Princeps ſit cor, diſpoſuit Auctor naturæ, quod in parvo corporis noſtri mundo, cor foret primo vivens, & vltimo moriens; igitur & in magno Orbe, Princeps Vniverſæ Eccleſiæ erit ex officio in his quæ ſunt vitæ ſpiritualis primo movens, & vltimo ſic terminans, quod ſolum vitam cum totius mundi vita, ſeu fine deſinat.

25 Rurſus, quia delicatiorum errorum hæretici, forſam ſemper inſiſtent magis philoſophicè in indiviſibilis veritatis ſiſtentia, cum nonnulli propugnent, quod vna veritas non ſit alia maior, dicam in primis, quod eo dato, erit verum circa conformitatem, ſecus autem circa durationem, quod nimis diſtat, vt patet in his quæ ſunt vera dum contingunt, & in his quæ ſunt neceſſario vera, id eſt, non tranſeunt. Curſus enim Petri verus erit, dum eſt, ac eſt vera quies puncti centralis, at hæc ſemper durat, ſecus autem ille, cùm & in ipſo fervore curſus cadere poſſit curſor. Tum, quia etiam delicatioribus alijs valent ea æqualia veri principia enervari, cum non poſſit magis, nec melius diſcurri de vero, quam de vno, vt patet à paritate entis non magis veri, quam vnius; ſed valet aliquid eſſe magis vnum; ergo & eſſe magis verum. Probo, quia illud eſt magis vnum, quod eſt magis idem; ſed valet aliquod complexum eſſe magis idem; ergo & magis vnum. Probo, quia illud eſt magis idem, quod identificatur vinculo reijciente plures diſtinctiones, ac proinde & eam, quam aliud vinculum non reijcit; ſed datur aliquid ſic reijciente vinculo idem; ergo valet aliquod complexum eſſe magis idem. Probo (in minori extat ſemper difficultas) quia datur aliquod complexum, quod reijcit non ſolum diſtinctionem realem, ſed etiam formalem ex natura rei, dum & apud alios, & minorem aliam diſtinctionem, vt virtualem, dum has non reijcit aliquod aliud complexum; ergo datur aliquid ſic reijcienti vinculo idem. Magis itaque eadem ſunt divina, quam creata, cum ratione infinitatis ſint eadem, ac proinde magis vna, &c ſic. Et in concretis, ſeu complexis noſtris magis eadem ſunt, quæ eadem per vnionem ſubſtantialem, quam quæ de per accidens, & quæ per identitatem metaphyſicam, quam quæ per phyſicam &c. ſic.

26 Quinto arguunt Catholici ex 1. Pauli ad Timoth. cap. 3. ſic aientis: *Vt ſcias quomodo oporteat te in Domo Dei converſari, quæ eſt Columna, & Firmamentum veritatis*; igitur vel quod eſt firmum eſt infirmum, & abſque firmamento firmamentum, quod eſt Cœlorum conſtantiam deſtruere, vel Eccleſia non poteſt errare, aut in errores incidere. Dicunt nonnulli hæretici apud noſtrum Velaſcum quæſt. 12. Eccleſiam dici Columnam veritatis, quia cuſtodit ſcripturas, in quibus nullus eſt error, ſed omnis veritas. Contra arguit ex Bellarmino, quia ſic Eccleſia non deberet compatari cum Columna, ſed cum libro ad cuſtodiendam veritatem, vel Scripturas in quibus veritas continetur. Sic enim officina Bibliopolarum, dumtaxat maxime ſacras res continentium, poſſet dici Columna veritatis. Tum, quia revera, prout ad fidei infallibile magiſterium, & lucis irrefragabilem ducatum propriè ſpectat, nullo ſymbolo debuit aptius vti Paulus, prout Exodi 13. duxerat Dominus populum ſuum per Columnam ignis; necnon in 12. Num. Deſcendit Dominus in columna nubis, & in 14. In columna nubis præcedebat eos. Sic & vt Hieremię firmitatem inter contrariorum perfidiam, & errantium reſiſtentiam Auctor ipſe veritatis, & intimandę doctrinę manifeſtaret, dixit ad Hieremiam, quod credimus dicere ad Eccleſiam, etiam iuxta columnæ phraſim, vt in cap. 1. *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream &c. Et bellabunt adverſum te, & non prævalebunt; quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te.*

27 Dicunt alij, Eccleſiam dici Columnam veritatum, quæ in ſacra Scriptura continentur; at poterit errare in alijs, quæ in ſacra Scriptura non continentur. Contra inſurgunt Catholici, quia quod ille, aut hic liber ſit Scriptura ſacra, ſi aliquando dubitetur, & controvertatur, non eſt in ſacra Scriptura; igitur

tur dum vrgeat Eccleſiæ declaratio, etiam oportebit fore illius veritatis Columnã. Contra etiam inſurgo, quia ob aliquorum malitiam potuerunt inter ipſa ſcripta nonnulli ſpargi errores,& mendoſe circa ſacros codices procedere, & viri maligni dum ſiniſtrè perceperunt, ſic docere, & veras lineas deturbare; igitur oportebit firmum magiſterium, vt valeat infallibiliter verum à falſo diſtinguere, quo pacto ab initio mundi lucem à tenebris. Sic Magnus Gregorius *lib.* 10. *cap.* 16. *in cap.* 12. Job, præveneratt hęc: *Huius mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demonſtrare.* Contra necnon, quia nõ omnia Deus inſimul revelare voluit, ſed iuxta temporum importantiam; non enim nos ad ſciendum ſumus altioris conditionis, ac Angeli, qui dum plura ſciebant per divinam locutionem, tamẽ habuerunt controverſiam circa ſeparationem Populi Dei à depravato, dum per plures dies Princeps Perſarum reſtitit; igitur ſicuti tunc oportuit deciſio, necnon eorum quæ in Scriptura non continebantur, dum divini erant Miniſtri, & eorum qui vltra Scripturæ faciem, ſemper videbunt faciem Patris, qui in Cælis eſt, etiam oportebit ad plura ſic, quæ iuxta temporum varietatem evenire poſſunt, dari veritatis Columnam, vt prope ipſam fundati, quid potius proſit, ſcire poſſimus, tametſi in Scripturis non contineatur. Sed de his, infra agetur exactius.

28 Dicunt aliter, Eccleſiam fore Columnam veritatis, at in ordine ad ea, quæ neceſſaria ſunt, ſecus autem in ordine ad ea, quæ neceſſaria non ſunt. Sed contra, quia ſupra vniverſi ædificij Columnam, nedum cadunt, quæ ſimpliciter neceſſaria, quin etiam quæ in tantum non ſunt, prout illae comprehenderat Doctor Gentium dicens de magna Domo, nedum continere vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lutea. Contra necnon, quia nil firmius, quam ipſa Scriptura ſacra apud ipſos, & tamen Scriptura ſacra (quo pacto intendunt ipſi; nam proſunt iuxta Paulum, quæcumque ſcripta ſunt; vtinam & vos ſpem haberetis per patientiã Scripturarum, tunc enim eſſetis illi Beati mittes, prout ſupra cum Auguſtino expendebamus) plura continet, quæ neceſſaria non ſunt, prout dicitur de cauda canis Tobiæ, de menſtruo Rachelis, & ſic alia; quæ tamen dum vera, voluit Scriptura ſacra recitando non decipere, quia qui deciperet in non neceſſario, in neceſſariſſimis & principalioribus non crederetur deinceps. Igitur & in conſimilibus oporteret Eccleſiam non errare, nec decipere, dum manifeſtaret loqui eodem illo ore, quo in magnis, & principalioribus, cum in tali caſu Dominus labia eius aperiet, etiam ſi ſit circa Jota vnum, aut vnum apicem.

29 Tum comprobari poſſunt, dum ad naturalia recurramus, quorum ratio ſiſtit in eo, quod Auctor naturę, nedum providerit in rebus ſubſtantiam, quæ principaliſſima entitas eſt, quin etiam providit varietatem accidentium, inter quæ conſervaretur, magis affixa quædam, quędam non ſic affixa, aliqua iuxta temporum varietatem ſuccedere, non ſic facile alia, &c ſic, necnon in moralibus ſic principaliores eventus voluit gravioribus, & levioribus circunſtantijs indutos; nec enim bonum, & verum dumtaxat diſpenſavit in ſubſtantijs, ſed etiam in omnibus earum accidentibus, necnon tam ab ipſo, quam à nobis attendi voluit reſpective, cum alteratis accidentibus imminere poſſit ſubſtantiæ corruptio, & alteratis circunſtantijs poſſit depravari principalitas eventus; igitur tametſi, iuxta ipſos, neceſſaria quęque non videantur, at iuxta puros, integros, & ſeveros veritatis ſtillos, in quibuſcunque, dum fidei inſignito labio loquatur, oportebit nec levioribus maculari, ne ſic alteratis accidentibus, ſublimiora ſubſtantiæ corrupta dubitanda occurrerent.

30 Dicunt aliter, vſque adhuc Eccleſiam fuiſſe ſub æquivoco captam. Poteſt enim Eccleſia ſumi pro Congregatione fidelium, & poteſt ſumi pro Congregatione iuſtorum. Si pro prima Congregatione ſumatur, dicunt non fore Columnam veritatis; ſin autem ſi pro ſecunda Congregatione ſumatur. Hunc errorem, quem recitat, & impugnat Canus *lib.* 4. *cap.* 5. & noſter Velaſco *dp.* 13. *quaſt.* 12. exactè impugnatum relinquo ſupra in *quaſt.* 3. in qua pro viribus propugnatur contra Anabaptiſtas, & Calviniſtas, veram Eccleſiam in fidei vinculo fore irrefragrabiliter copulatam. Breviter hinc, quia infallibilitas veri non ſiſtit in amore boni, vt etiam phyſicè pater, eũ ex natura, & ordine potentiarũ, prius & indepẽdens ſit reſpectu amantis intelligens, vnde iuxta Philoſophum, dum quidquam volitum, iam præcognitum; necnon, vt illac dicitur iuxta Aug. Rectus ordo intelligere, vt ames, ſecus autem amare, vt intelligas; igitur poterit corrui in aliquo bonitas, & tamen firmiter ſiſtere veritas. Videantur ſuperius dicta.

31 Sexto, & non minus efficaciter arguunt Chatholici ex propriſſima doctrina Matth. 18. vbi Chriſtus Dominus vltimum remediũ depravatis proponẽs, ait: *Quod ſi non audieris eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audit-*

audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & Publicanus: Sed qui non audit eum, qui decipere valet, & in mala doctrina corrigere, nunquam deberet Ethnicus reputari; igitur dum fides ex auditu, & auditus iuxta Matthæum per Eccleſiæ verbum, vt illac iuxta Paulum per verbum Chriſti, ita vt non præbens Eccleſiæ auditum debeat vt Ethnicus teneri, nunquam hæc poterit decipere, aut errare. Tum, cum Deus præcepit diligere inimicos, multi apud Hieronym. 1. Com. in 5. & 6. Matth. dixerunt, Plus præcipi, quam natura humana patiatur, dum revera cœleſtis Magiſter non præcepit impoſſibilia, ſed perfecta in linea boni; ſi ergo fallibilis, & imperfecta foret Eccleſia in linea veri, quid non dicerent multi, dum Deus ſicuti tunc voluntatem, etiam ſub Eccleſia præciperet captivare mentem? Proh dolor! Nunc aliqui potius obedire volunt errori, quam veritati. At in omnibus veritas vincit, & veritas Domini manet in æternum.

32 Dicent, etiam Chriſtum Dominum paucis lineis antepoſitis dixiſſe in eodem capite 18. Matth. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum*; ſed licet in ore duorum, vel trium, ad quos errantem mittebat Chriſtus, ſtet omne verbum, tamen illi duo, vel tres in ore ſuo poſſunt habere mendacium; ergo & poterit in ore ſuo habere Eccleſia, tametſi errantes ducat Chriſtus ad eam, vtpote in qua eſt omne verbum. Non enervat præſens reſponſio præfatam Catholicorum inſtantiam, vt ſtatim ipſius textus veriſſimo tramite convincam. Suadeo, quia benè poteſt ſtare omne verbum, necnon verum in tribunali duorum, aut trium teſtium (non ignoro, quo pacto valeat, & benè capi Chriſti intentum, dum requirit duorum vel trium præſentiam ad omne verbum illud; at dum loquar cum Eccleſiæ inimicis, volo eis præſtare, quidquid poteſt, & ad rigoroſius, vt intendunt, attendere) vel quia boni, & recti, vel quia à Deo altius illuſtrati, & tamen compati cauſam illam ad Eccleſiam Chriſtum tandem mittere. Ratio eſt, quia licet in tribunali duorum, vel trium aliquorum, omne verbum ſtare valeat, at poſſet dubitare qui in errore corrigendus, an illi duo vel tres haberent omnes conditiones illius tribunalis duorum, vel trium quas pro omni verbo ſiſtendo iuxta Chriſti mentem requirebantur, ac proinde tametſi deficeret, non audiens eos, at non deficeret adhuc, vt Ethnicus, quouſque Eccleſia declararet, aut errorem corrigendi, aut veracitatem illorum duorum, vel trium. In his enim, quæ ſunt fidei requiritur, nedum tribunal intrinſecæ veritatis, quin etiam extrinſecæ auctoritatis, vt ſuadet veracitas, ſicque ſupra in 3. Sentent. diximus actum fidei theologicæ præ cæteris, directè attingere, & concernere in Deo auctoritatem aſſertoriam, dum actus præciſè, quia verſus, dumtaxat, vt iam perceperat Philoſophus, dumtaxat reſpicit conformitatem obiecti. Igitur manifeſte voluit, & claro exemplari deſignavit Chriſtus, quod in cauſis fidei, ſicque ſententiandi hæreſim, vt & declarandi Ethnicum, ſola Eccleſia ſit valida, & infallibili auctoritate gaudens; ac proinde ſic, quod tametſi verum foret tribunal duorum, aut trium, at ſemper reliquit reo appellationem ad Eccleſiam, quo pacto etiam evenit in alijs ſęcularibus tribunalibus, quæ tametſi integerrimæ famæ, & bonæ adminiſtrationis, at licet appellari ad aliquod in quo lites vltimo ſiſtant, & radicitus enerventur.

33 Comprobantur, quia ſi ſingula tribunalia, æquè vera, & veracia tenerentur reſpectu conceptus litigantis, videtur clarum, quod nullus litigans deperdito negotio per primum, intenderet ad aliud appellationem; & idem invenies in ſalutis humanæ remedijs, ſi enim ſciret medicus, quod illud, illud, & aliud remedium non erant vlterioris bonitatis, & efficaciæ, nec infirmus peteret fieri, nec medicus vellet applicare; igitur dum cœleſtis Medicus, & Supremus controverſiarum Judex definivit, quod à tribunali duorum, vel trium, reſtabat fieri appellatio ad Eccleſiam, manifeſtè probavit, quod ſola Eccleſia gaudebat pro noſtro foro perfectiſſima auctoritate aſſertoria.

34 Et quia ex his quæ diſputavi in 3. Sent. diſtinct. de Fide Theologica, ſcio in præſenti puncto ſiſtere principaliſſimum credulorum, & incredulorum impetum, ideo à paritate alterius eventus Chriſti circa præſentem nonnulla dicam, vt præcedentia confirmentur. Dum igitur Divinus Magiſter, vt habetur in cap. 4. Joan. Samaritanam fecit ſalvam, & in fide inſtruxit, hæcque felix mulier fidem Chriſti Samaritanis prędicaret, eamque ſignis & miraculis cōfirmaret narrans quæ apud puteum evenerant, tunc, iuxta Sacrum Textum, *Multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, quacunque feci*: At cum veniente Chriſto in Civitatem, ad eum confugerent Samaritani, *Multo plures crediderunt propter ſermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus, & ſcimus. quia*

hic eſt verè Salvator mundi. En, quod dum primò Samaritani aſſentiebant mulieri, ſeu propter mulieris dictum, verè aſſentiebant,& actum verum formabant: Tum, in ore mulieris illius, omne verbum ſalutis verè ſtabat: Tum mulier, idem dicebat, quod ei dixerat Chriſtus, nec enim aliud dixit hominibus illis, ac quod ei Chriſtus dixit; equidem iuxta Joannem omnia iſta ſic vera ſunt; igitur & pro hominibus illis æquè veracia? Tum illi multi qui plus crediderunt, dum Chriſtum audierunt, improbe dixerunt mulieri, eadem ac Chriſtus dicenti illis, Iam non propter tuam loquelam credimus? Abſit; ei enim tunc tranſlati fuerunt ad ſtatum perfectum fidei theologicæ, cum iam nedum vt antea attingerent veritatem, ſed & veracitatem infallibilem aſſerentis, in qua completur, perficitur, & puriſſime integratur motivum fidei ſupernæ, & maximè ſub expreſſione theologalitatis, cuius ſcopus ſolum quod divinizatum valet eſſe,hoc eſt ſolus Deus, aut ille in quo Deum eſſe, Deus ipſe dicat.

35 Sic etiam quam plurima, iuxta Paulum viſibilia, Deum prędicant; necnon iuxta Subtilem, quin etiam & iuxta curſum Philoſophicum, vix adſunt, quibus verè ire poſſumus vſque ad Deitatis notitiam; at licet plura ſic vera ſint, eaque vere eant, nec aliud indicent & aliud ſit, tamen qui curſum theologicum amat, ſic aſcendit per pręfatos gradus ad vltimum terminum, quod deinceps ſolius Deitatis memor, ſic aſſentiat ab illis inferioribus gradibus præciſus, veluti ſi oblitus talium graduum maneret. Nec aliter per ſimilia imus, ac vt aiebat Magnus Gregorius, ex his, quę animus novit ſurgat ad incognita, quæ non novit. A ſimili theologiza in curſu fidei, dum eas ab vno ad duos, à duobus ad tres, & à tribus ad Eccleſiam, pro cuius veracitatis ſummæ corroboratione, necnon pro reiectione priſtinæ evaſionis, illud Chriſti cum Samaritanis, divinum eſt ſimile.

ART. II.

Nonnulla, quæ principalius obſtant, ſolvuntur.

36 Quam plurima infirmam Eccleſię veritatem opponunt hæretici, quorum dumtaxat aliquorum faciam memoriam; tum quia innumerabiles ſunt Doctores Catholici, qui ſolido veritatis tramite ea enervarunt; tum quia infra in decidendis Articulis attingentur plura,quæ hiſce combinantur; tum quia impræſentiarum quo pacto ad imitationem vnius virtutis plures radicantur, & ad eradicationem vnius vitij plura eradicantur, ſic & ante veritatis vnius faciem plura mendacia infringuntur.

37 Opponent 1. In eo nos Catholicos fundari maximè, ne Eccleſiæ veracitas infirmari poſſit, quod ſcilicet Chriſtus vt veram Sponſam illuminatam relinqueret, ſignans ſuper eam divinæ veritatis aureolam, eamque faciens ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; ſed id non obſtat, vt poſſit Eccleſia errare, vt patet in nobis, vtpote creatis ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, necnon ſignans ſuper nos lumen vultus ſui, quin & illuminans, vt conſtat ex 1. Joan. iuxta quem illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & tamen cum his omnibus luminibus, & divinis participationibus compatitur nos errare poſſe, vt paſſim experimur; ergo & poſſe Eccleſiam errare, tametſi magis illuminatam intueamur, compatibile erit.

38 Reſpondendum,& in primis dicendũ, quod ſi præfatũ argumentũ quid probet, probabit & pluſquam velint ipſi arguentes, cum in via erroris nedum omnes Chriſtianos faciat æquales, quin etiam in via bona omnes homines æquales reddat; ac proinde quo pacto Altiſſimus in ſalvationis via (vt ipſi male putant) poſuit Lutheranos, Calviniſtas, & alios, etiam eiſdem ſalvationis ſuffragijs forent poſiti Gentiles,& ſic omnes qui ignorant Deum. Clarum eſt enim, vt lumen ipſum (reſpondetur argumento) quo pacto Dominus ſuper omnes ſignavit lumen ſuum, & ſic imaginem ſuam, etiam dum ſolo naturæ lumine alloqui velimus, ſiquidem ſimilis eſt iuxta animæ rationalis conſonantiam tribus potentijs diſtinctam, necnon, dum Deitatis vnius lumen non ſit extra vim naturalem ſignatum, vt nonnulli etiam philoſophice noverunt. Unde ad maiorem dicitur, Eccleſiam non poſſe errare, nedum ſumi ex lumine ſignato quomodolibet, ſed ex lumine ſpecialius deſignato, & divinæ lucis confirmatione, quo pacto dum confirmati Apoſtoli, non potuerunt errare, ſicuti nec in eos præfatum argumentum vim facere, ſumendo luminis vniverſi paritatem. Sicuti nec à paritate volendi omnes homines ſalvos fieri, benè argueretur in comparatione electorum dicendo, quod iſti damnari poſſent, ſiquidem ex eo ſalvi fiunt, quia Deus vult ſalvos fieri; ſed licet Deus velit omnes homines ſalvos fieri, paſſim reprobi inveniuntur plures; ergo & electi reprobi inveniri poſſent? Peſſime argueretur; nec melius alibi arguitur reſpectu eorum, quos Deus voluit, nedum luminis

minis diſcipulos, ſed & Magiſtros illuminandorum, ſicque dicens *Vos eſtis lux mundi,* quod dictum inutile prorſus, ſi ſic intenſum & elevatum foret lumen vniverſis ſignatum. Non enim eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec ſtella ſupra Solem, nec flumen ſuper mare, quod ſolum nunquam redundavit, nec vt ſolent flumina, deperdet firmitatis ſuæ limites, eundem locum ſemper conſervans etiam ſi vſque ad nubes frementes erigantur vndę.

39 Dices, etiam hominem ſuperno lumine ſignatum, ac proinde in quo adeſt participatio ſingularis Dei, nedum vt naturæ, ſed vt eminentioris gratiæ Auctoris, poteſt errare; cur ergo vltra talem, vtpote maiorem ſupernaturalitatis lineam ſic debemus Eccleſiam dum viſibilem, ſic elevare altam, vt errare non valeat, cum ſic vltra noſtram cõditionem conſtituamus? Reſpondeo, quia quod mirabile ſit in oculis noſtris non tollit, quod à Domino factum non ſit iſtud: Dextera enim Domini fecit virtutem, & dextera Domini ſic exaltavit eam, vt cum ſit à dextris eius non commoveatur. Dicimus ergo, quod compatitur & oportet vltra ſupernam luminis lineam etiam præſtare Eccleſiæ firmitatem, quin ſic alijs præſtetur. Primo ob tot in Articulo primo poſita. Tum conformiter ad dicta, quia eſt fundamentum & oportet in eo ſupereminentiorem conſiſtentiam apponere, ac in vna aut alia parte, tametſi eiuſdem domus particeps ſit. Reparatio vnius partis facilis foret, ſecus autem ſi fundamenta domus corruerent. Tum, quia Deus ſupernam lineam donorum inſimul cum libero diſpenſare voluit, cum habitibus vtamur, vt volumus, ſecus autem ſic in his quæ fidei diſpenſare voluit cum vnica Sponſa ſua, cuius eſt vir & caput, ac proinde Eccleſia ex Sponſi vinculo, non poteſt facere niſi quod vult Deus, cui ex deſponſatione tribueretur error. Non ſic tribuitur homini qui in ſupernis conſtituto, cum ipſe operetur vt vult ipſe, doniſque libere vtatur, prout altiſſimè prævidit Eccleſiaſtes aiens in fine *cap. 7. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Dominus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Ipſe ſe, non ſic Eccleſia ſe, ſed eam Deus movet, & vult vt Sponſam paratam viro ſuo, ab ipſo ornatam deſcendere, vt viderat Joannes. Tum, quia diſcipuli errorem quiſque ſuſtinere poſſet, nemo autem poſſet errantia ſuſtinere magiſterij primi dogmata. Dum alia infatuentur, iam proviſum eſt ſapori ſal, at ſi ſal infatuatum fuerit in quo ſalietur? Etenim vellet Deus os quod oſculatur oſculo oris ſui, ſi inſipidum, ad nihilum valere vltra, niſi vt mitteretur foras, & calcaretur ab hominibus, vt magnus expendebat Auguſtinus. Tandem, quia *tres ſpecies* (aiebat Eccleſiaſticus cap. 25.) *odivit anima mea, & aggravor valde animæ eorum: Pauperem ſuperbum: & divitem mendacem; & ſenem fatuum, & inſenſatum.* Quid ergo prodeſſent gloria, & divitiæ in domo eius, ſi dum divitem reliquiſſet mendacem? Etenim Domum inter omnes dilectam, odio plenam & ſuo & noſtro animo relinqueret. Non enim Deus volens iniquitatem tu es, nec habitabit juxta te malignus.

40 Opponent 2. cum Calvino illud Chriſti dictum apud Lucam 18. *Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Sed ſi in nullo tempore Eccleſia poſſet errare, inutiliter illud foret prolatum, cum nunquam poſſet venire, quin ſemper inveniret fidem; ergo vel Chriſtus inſcie dixit, vel inſcie Eccleſia poteſt dicere. Reſpondendum, illud dictum nunquam evacuare noſtræ reſolutionis firmitatem; tum quia ibi loquitur de tempore Antichriſti, in quo cum pauciſſimi, vtpote electi dumtaxat fidem conſervabunt, ex paucitate credẽtium in comparatione multitudinis incredentium, optimè ſic de fidelibus loqui potuit tunc, veluti ſi non invenirentur. Sic in tempore legis naturæ ante diluvium dicitur, quod omnis caro corruperat viam ſuam, dum certum eſt, Noe cum filijs ſuis viam veram non corrupiſſe. Quapropter reſtabat probare, vt vim faceret argumentum, plures requiri ad Eccleſiæ conſervationem, quod benè nunquam probabitur, cum ad Dei complacentiam, & Regni cæleſtis fundandam hæreditatem puſillus grex ſufficiat. Non enim ſemper Deus in multitudine triumphat, nam victoriam dare valet, ſivè in multis ſivè in paucis, vt illac dicitur in lib. Reg.

41 Tum, non facile fatebuntur arguentes, quod eorum Secta ſit penitus corrumpẽda, & dum quidquam vrgere velint, etiam in ipſos vrgebunt, ſiquidem cum veniat Dominus, nec inter Calviniſtas, nec inter alios ſic affines inveniet fidem. Tum, quia Chriſtus difficultatem fidei tametſi ſigillatim & prout in quolibet ſeorſim pronuntiarit, at dum arguentium ſumptas doctrinas pro viribus, ſequi vellemus, non ſic iuxta Chriſtum fidei invenietur evacuatio, cum prout ipſi ſæpe docent, vbi duo, vel tres conſentiant de omni verbo, vere eveniet, & duo vel tres non inveniri, difficilius invenietur. Tum venit addenda Magni Patris Auguſtini expoſitio, *de verbis Domini*, tenens, quod cum vt ad conſequendum terminum nil ſit fides abſque charitate, hæcque ſic refrigerata recedet, quod

difficulter invenietur, optime ſalutis æternæ Magiſter fidei proficuę difficultatem expoſuit. Tandem, dato eis, & non conceſo, quod fides, vt intendunt penitus corrueret, tunc non falſificaretur ex hinc propoſito ſcopo reſolutio, S, quod Eccleſia non poſſit errare nunquam. Suadeo ex ſuppoſitione arguentium, quia vt manet ſtabilitum, Eccleſia ſit in vinculo fidei ex vnitate fidelium compacto; igitur ſi fides non inveniatur, nec invenietur Eccleſia, quæ errare poſſit. Si enim ipſi tenentes ſiſtere Eccleſiam in vnitate gratiæ iuſtificantis, reſolverent non poſſe Eccleſiam peccare, ſuaderent, aut reſponderent, prout ſupra conſimiliter catholicis argumentis reſpondere intendebant, quod ſcilicet, peccatores non exigebant Eccleſiam, ac proinde quod nunquam daretur caſus in quo de Eccleſia poſſe peccare diceretur. At ſuppoſitionem nunquam probare poterunt, cum ſemper extituri, qui memores nominis tui in omni generatione, & generationem.

42 Opponent 3. Eccleſiam componi non ex parietibus, lapidibus, aut lateribus, ſed ex fidelibus, ac proinde vltra eorum fidem, nil vltra dicens Eccleſia; ſed ſic eſt, quod quilibet conſtantium Eccleſiam poteſt errare, aut ſaltim non eſt de fide quod errare non poſſit; igitur nec de fide erit, quo non poſſit errare Eccleſia. Reſpondent in primis Catholici, non bene, maximè in moralibus, fieri argumentum à paritate ſingulorum cum tota communitate, & è converſo. Aliquid enim poteſt tota communitas, quod non poſſunt ſingulæ partes, & è converſo. Exemplicant, quia ſuprema communitas punire & præmiare poteſt; dare iura, & auferre, ſecus autem partes ſingulę. E contrario ſingulæ partes poſſunt puniri, & iure privari, ſecus autem tota inſimul communitas; ſic Eccleſia poteſt fidei dogmata definire, & non poteſt errare, dum ſinguli fideles (Papam in dogmatizandis excipe, de quo infra) poſſunt errare, & non definire.

43 Deinde reſpondeo ad argumentum, veram eſſe ſecundam partem maioris (de prima parte non dubitamus) quoad ſpeciem, ſecus autem quoad modum. Eſt vera, quoad ſpeciem, quia non credit aliud Eccleſia, ſeu non proponit Eccleſia aliud, quam quod ſinguli fideles credunt; id enim certiſſimum eſt; at idem diverſo modo in Eccleſia, ac in quovis fideli circunſtatur, cum quilibet fidelis ſic v. g. credit Deum eſſe Trinum, quod poſſit non credere; Eccleſia autem ſic proponit Deum eſſe Trinum, quod non poſſit proponere contrarium. Adapto diſtinctionis terminos in charitate viæ, & Patriæ, quæ cum non excidat, probabiliſſime quoad ſpeciem ex eadem charitate quæ in via, conſtituitur quæ in Patria, cum non aliud ſupee omnia vnius ſtatus, ac alter expendat; ſecus autem quoad modum, cum qui charus in via poſſit corruere, cum ſic amet ſupee omnia Deum, quod omnia ſupra Deum poſſit amare, ſecus in Patria cum ibi ſit manutentus. Sic facile applica, cum de Eccleſiæ manutenentia tot præclariſſimi textus paſſim adducantur.

44 Groſſius adaptabo exemplar in funiculo ex triplici compacto. Etenim non eſt alterius ſpeciei, ac quilibet funiculus, nec aliter, ſeu alijs rebus compactus; ſecus autem quoad modum ſeu conſiſtentiam, cum quilibet funiculus facile poſſit rumpi, ſecus autem vt alijs compactus. Nec benè argueretur, eiuſdem ſpeciei eſt funiculus compactus, ac quilibet funiculus; ſed quilibet funiculus poteſt facile rumpi; igitur & facile poteſt rumpi compactus funiculus. Cur autem dum levis pars, non leve totum? Ob iot iam in præcedentibus articulis dicta, vtpote de virtute quæ vnita fortior. Unde aiebat Eccleſiaſtes cap. 4. *Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quã vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Etſi quiſpiam prævaluerit contra vnum, duo reſiſtunt ei. Funiculus triplex difficile rumpitur.*

45 Opponent 4. per inſtantiam, quod etiam foret melius quod ſinguli fideles non poſſent errare, & tamen non creditur id Deum voluiſſe, dum melior Eccleſia conſurgeret; igitur & ſi melius ſit Eccleſiam non errare poſſe, inde tamen non debet inferri per fidem ſic voluiſſe Deum. Plura iam dixi vt exhiberem motiva firmitatis Eccleſiæ, dum non ſic ſingulorum. Vide dicta hinc, maximè in ſolutione ad primo oppoſitum. Dico nunc brevius, quod iuxta fines vt ab Altiſſimo iuxta hanc providentiam præfixos, nil melius, quam quod prout nunc ab ipſo manet diſpoſitum. Nonnulla enim abſtractè valent dici meliora, quæ non ſic meliora alijs vt in caſibus & eventibus iam à Deo præfixis. Melius enim abſtractè nobis videretur, quod Eva non fuiſſet ſeducta, quod in ſuloce non comederemus, quod lilium non foret inter ſpinas, ſicque quod mare foret lacteum, ſicque agitata contrarijs vndis Petri navis non foret in medio maris; & tamen iuxta fines à Deo prævifos, nil melius, quam quod qui melior voluit. Nec altius eſt noſtrum, noſſe ſic plura, quorum providentiam Pater poſuit in ſua poteſtate. Si enim non foret contrarius ventus navi Petri, nil reluceret divinum, dum præ alijs inconcuſſa ſubſiſteret.

Ee Oppo-

46 Opponent 5. etiam per inſtantiam, quod ab vno in vnum poſſet fides reſolvi, ita vt ſicut in morte Chriſti conſervata dumtaxat fuit fides viva & non refrigerata in Alma Matre, ſic dumtaxat in vno ſiſtat Eccleſia; ſed in tali caſu non daretur in eo emolumentum ſocietatis, vt poſſet ille eſſe vigoroſior ad reſiſtendum, ac fuit quilibet aliorum, qui defecerunt; ergo practicabilis erit eventus juxta quem corruere poſſit Eccleſia, ſicut fides. Reſpondendum, poſt Chriſti mortem, & adventum Spiritus Sancti Paracleti in omni veritate docentis, & confirmantis, non admitti caſum practicabilem à catholicis Doctoribus, quia nedum vni, ſed pluribus promiſſit aſſiſtentiam, vt conſtat ex pluribus, maximè ex illo *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſęculi*, vbi ſoli illi diſcipuli Domini non poterant intelligi, cum non viverent vſque ad ſęculi conſummationem: Tum ex alio dicto Joan. 15. Ego elegi vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter *maneat*. Et ex libro Pſalm. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij. Memores erunt nominis tui in omni generatione, & generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſęculum ſęculi.* Tum, quia ſi revera Diſcipuli legis gratia, eorumque aula non conſervarentur firmius, præ alijs legibus & aulis non dignoſceretur infinita virtus Magiſterij Divini, & ſuperabundans efficacia meritorum, exemplorum, & eruditionum Chriſti Domini, veritatis Maximi Magiſtri, cæleſtem & incorruptibilem aulam ſupra firmam Petram erigentis.

47 At dum eis daremus, quod non concedimus, videlicet, quod tota lex, & fides in vno viro fideli maneret, dicam, quod in eo emineret virtualiter emolumentum ſocietatis, cum in tali caſu in eo poneret Deus cęterorum vim vnitam, ſicque fortem, quod nullus caſus adverſus eam labefactaret. Ratione, & exemplaribus ſuadebo facile. Ratione, vt liquet ex tot ſupra à me formatis diſcurſibus, & maximè ex illo deſpōſationis. Deſpōſatus enim fuit Chriſtus Dominus cum Eccleſia, vt conſtat ex tot quibus eam dotavit; ex tot, quæ vt amans paſſus, vſque ad poſitionem animæ pro ovibus ovilis ſui; & ex tot ſacris textibus, quorum ſufficiat ille, in quo clare vt Sponſam viro ſuo ornatam viderat Joannes: Sed nulli adverſantes inimici poterunt vnquam ſeparare, quos Deus fortius coniunxit, maximè cum ſit in optimorum bonorum aſſumptione inſtar Verbi divini propriſſimæ conditionis, non amittere quod ſemel aſſumpſit; non enim eſt Deus vt homo, qui mutatur paſſim, & nunquam in eodem ſtatu permanens, iam loquitur vnum, iam loquitur aliud; quin è contrario ſemel locutus eſt Deus, verbum bonum, ſemperque firmum eructans, priuſquè quam illud, Cœlum, & terra tranſibunt; ergo.

48 Exemplaribus etiam facile ſuadetur, vt viſum fuit in omni tempore, dum permanente dumtaxat vno, emolumentum ſocietatis per ſpecialem aſſiſtentiam ſuam ſemper Altiſſimus compenſavit (præcave, præfatum Eccleſiaſtes dictum, debere intelligi regulariter, & iuxta ordinarios eventus providentię, prout ſæpe exponitur in alijs proverbijs, quæ more communi capiuntur, vt omnis homo mendax, omnès in Adam peccaverunt, &c ſic) vt patet in Noe, qui incorruptus eximie fuit conſervatus, dum omnis caro corrupta. Sic compenſavit in Abrahamo, qui quando cæteri magis ad idolatriam declinarunt, excelluit in fidei conſtantia, ita vt Pater fidei diceretur. Sic & in Loth, qui inter voraces efferveſcentis carnis flammas indeflexus ipſe ſolus extitit inter viros. Sic & in figurata congregatione filiorum Jacob (dixi in figurata congregatione, quia vidit ſtellas cum Sole, & cæteros manipulos vna cum ſupremo ſuo) quos cum accuſſaret crimine peſſimo, ipſe tamen à culpa immunis, etiam & in populo barbaro dum fortiter tentatus mire conſtans, fidelis, prudens, & Sanctus eluxit. Et dum Moyſem conſulatis, innumerabilia invenietis, & nedum in vnica virtutis virga, quin etiam vt draco inter dracones, quos ſola devoravit à nullo devorata. Sic & in tempore Saulis, cum exprobata fuerit Eccleſia Iſraël ab inimicis Philiſthæis (dixi Eccleſia Iſraël, quia ſic David tunc nominavit eam, vt videri poteſt *in 1. Reg. cap.* 17. vbi ſic ait: *Et noverit vniverſa Eccleſia hæc.* Ubi etiam nota, quam antiquum foret, Dei Eccleſiam, *Vniverſam* nominare) vnicus dumtaxat fuit inventus, qui poſſet maximo illi Goliath Eccleſiæ Dei inimico reſiſtere, at ſic in eo ſocietatis emolumentum Dominus compenſavit, quod omnium fortiſſimum erigeret, ſicque & vno ſolo lapide pro viribus vteretur (nota tam in his, quam in pręcedentibus plura, Sanctiſſimo Romæ Antiſtiti mire conſonantia) ſolus prævalens, & in nomine Dei agminum Iſraël, triumphans. Ubi nota ad intentum, quod Deus tametſi Eccleſiam illam tentaret, at nunquam auxilio ſuo deſtitutam relinquens. Nota ſecundo, quod dum loqueretur David in nomine Domini, etiam fere in eventu deſperabili ſaltim quoad mentem videntium pugnam, tamen noluit Deus falſificari dictum David, vtpote dandi cadavera caſtrorum Philiſthiim volatilibus

Cœli

Cœli eo die (vbi cauſalis notanda nimis venit) *Vt ſciat omnis terra, quia eſt Deus in Iſraël. Et noverit univerſa Eccleſia hæc, quia non in gladio, nec in haſta ſalvat Dominus.* Nota quarto iuxta intenti noſtri propoſitum, quo pacto in eo ſolo Eccleſiæ ſuæ bellatore, quam plurimorum bellatorum vires complicavit Altiſſimus, ſic compenſans, quod vnus ille pro decem millibus computaretur. Et dum ſic tranſeamus vſque ad Chriſti Domini adventum, quando cuncta Synagoga magis refrigerata, & depravata fuit, nedum defuit qui non conſentiret conſilijs & actibus eorum, vt fuit Joſeph ab Arimathæa, quin & quod magis mirandum, eumdem poſt mortem Chriſti, iam non remiſſe, nec occulte, ſed publice, & audacter fidei ſuæ fortitudinem coram impijſſimo Præſide Pilato manifeſtavit, dum ſolus intravit ad conſiſtorium, vt Domino magnificam ſepulturam præſtaret. Et ſicut erat in principio, ſic erit in ſęcula ſęculorum. Amen.

49 Opponent 6. quæ Calvinus per hæc formalia, aut materialia verba: *Sed vnum exemplum, quod eſt præ omnibus memorabile, pro omnibus ſufficiat. In eo Concilio, quod collegerunt Pontifices, & Phariſæi Hieroſolymis adverſus Chriſtum, quid deſideres, quod ad extremam ſpeciem attinet? Fit ſolemnis convocatio; præibat Summus Pontifex; totus ordo Sacerdotalis aſſidebat; damnatur tamen Chriſtus*; ergo (inferunt cum eo) quo pacto Concilium legitime congregatum, & confirmatum, & poterit errare Eccleſia. Ergo (infero ego in Calvinum ſic arguentem *lib. 4. Inſt. c. 8. vſque ad ſect.* 17.) quo pacto abſque iuſtitia ſuperna, ſeu ſecreta electione bonorum, potuit eſſe Concilium legitime congregatum, & vnitum, & ſimiliter poterit ſiſtere Eccleſia, quæ vera, & legitima. Ergo (infero ſecundo in eum) quo pacto pro viſibili Concilio oportuit viſibile caput, vtpote Caiphas, & pro Eccleſia, vt vera & legitima, viſibile caput oportebit. Ergo (infero tertio in eumdem) quo pacto in eo Concilio, dum habeas, quidquid deſideres, & ad extremam ſpeciem attinet, inſtante occaſione impijſſime, & execrabiliter ſupremus Antiſtes, vtpote Chriſtus, negatur Hieroſolymis, etiamſi in Eccleſia Genevenſi habeas quidquid deſideres, non erit ex quo, inſtantibus tentationibus, non poſſit eſſe impijſſimum, & execrabile, Summum Romæ Antiſtitem negare.

50 Ad argumentum reſpondet Bellarminus cap. 14. quod cum in morte Chriſti finitum fuiſſet illud Sacerdotium antiquum, nil mirãdum quod appropinquante Chriſti morte cæpiſſet labi, & declinare, maximè in damnando ad mortem ipſum Chriſtum, prout videtur præviſum à Hieremia cap. 18. aiens: *Peribit lex à Sacerdote, verbum à Propheta, Concilium à Sapiente.* At non ſic oportuit perire Sacerdotium fundatum, & inſtitutum ab eo, qui erat ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdos in æternum, prout Chriſtus Dominus. Tum reſpondent alij Catholici, inter quos noſter Velaſco *quæſtio.* 12. nunquam ſequi totam Eccleſiam erraſſe, quia multi alij erant fideles ex Judæis, & ex Gentilibus, in quibus vera fides tunc extitit incorrupta, & conſervata.

51 Reſpondendum ſentio melius cum noſtro Maſſuccio c. 10. Nullum Concilium, imò nec Conciliabulum fuiſſe magis implicatum erroribus, quam allegatum Phariſaicum; in eo namque Sacerdotes erant ſacrilegi; Pontifex ambitioſus, & hypocrita; Judices erant ſimul rei, & actores; Reus præſumptus non fuit auditus, dum Innocens pluſquam Agnus; Accuſatores erant lupi rapaces, nec fuerunt convenientia teſtimonia, nec à gentiliori vnquam potuit inveniri cauſa; & quod magis horriſonum, Summum Pontificem fuiſſe omni impietate, furore, invidia, conſpiratione, ac inaudita ferę peſſimæ crudelitate amictum, & viperarum lacte nutritum.; ac proinde ſic tale Concilium irrationabiliter compactum, quod nullum peius Conciliabulum, vt erroribus ſubijcibile poſſit vnquam imaginari: Nihil ominus omnes illi congregati qui perverſi, quando ad ſententiam pervenerunt, Caiphas Summus Pontifex coactus inviſibili aflatu ſanctiſſimum non potuit non pronunciare decretum; igitur à paritate ſimilis Calviniſtici, potius in favorem Romani Pontificis, & Eccleſiæ probabitur, quod tametſi antea in conferentijs ſint veluti illi, qui *neſciebant quidquam*, at ad tempus pronunciandi, & formandi reſolutionem, divino aflatu inſpirante, & dum oporteret coagente, nòn poterunt ſanctiſſimum non pronunciare decretum.

52 Et dum Calviniſtæ inſiſtant, vt inſiſtit Calvinus in eo, quod præfatum Concilium habuit eas omnes conditiones, quæ ad legitimum requiruntur: Eis cuncta legitimitatis dabit Maſſuccius, at ex legitima Concilij præmiſſa, inſeri in Approbantes, quæ iuxta dogmata Calviniſtica, aut iuxta ea, quæ Catholicis opponunt, pro viribus reprobare tenebuntur. Infertur ergo primo, quod iuxta illius legitimi Concilij praxim, in quo non fuit tota Synagoga congregata, ſed tantum Pontifices, & Phariſæi, non requirantur om-

nes fideles, vt congregati repræſentent Eccleſiæ Vniverſalitatē. Infertur ſecundo ex legitima praxi illius Concilij, quod non laici, ſed Sacerdotes, ſeu Sacerdotum Principes debeant congregari. Infertur tertio, iuxta Calvini praxim ab eo Concilio ſumptam, quod dum in eo interfuerint homines depravati, non debeant qui probatæ iuſtificationis ad Concilium duntaxat admitti. Infertur quarto, quod ante ſummi Pontificis confirmationem, non debeant ipſi veridica reputare dicta, iuxta illud, *Vos neſcitis quidquam*, ac proinde oportere Pontificis confirmationem. Infertur quinto, quod tametſi Pontifex ſit vitijs involutus, verum at debeat dicere, cum non à ſe ipſo loquatur, ac proinde quod malitia culparum perſonalium, iuriſdictionem Pontificiam non deroget, dum opus ſit manere Dei organum, Verbum divinum, vt illac, etiam apud Calvinum prophetando. En, quod iuxta legitimam formam, quam illi Concilio præſtitit Calvinus, debeat concedere præfatas illationes, dum alibi pro viribus eas repugnat.

53 Opponent 7. reſtaurare cupientes tertium argumentum. Opponent ergo ex Pſalmo 115. quod *Omnis homo mendax* reputetur ab Spiritu Sancto; igitur cum omnis Eccleſia ex hominibus conſtruatur, quo pacto, & omnis Pontifex ex hominibus fuit aſſumptus, contradicet quod aliqua Eccleſia verax ſit. Tum, ſi verax inveniretur aliquis homo deberet eſſe per Spiritum Sanctum; igitur dum Spiritu ſancto conſtet, quod omnis homo ſit mendax, Spiritus Sanctus ſibimet contradicet. Tum, quia veracitas eſt ſpeciale attributum Deitatis, eo pacto quo & immutabilitas; igitur quo pacto non eſt homo vt Deus qui non mutatur, nec erit homo vt Deus, qui non mentitur.

54 Reſpondent Catholici, omnem hominem eſſe mendacem, ſi concipiamus eum alloqui iuxta ea, quæ ipſe habet, ſecus autem ſi concipiamus eum iuxta ea, quæ per ſpecialem aſſiſtentiam habet à Deo. Sic Apoſtoli, prout homines, etiam mendaces erant, vt omnis homo, ſecus autem vt ab Spiritu veritatis edocti, quo pacto etiam ipſe Regius Pſaltes dixit, *Quoniam Dij eſtis vos.* Sic ex noſtris, omnes ſumus filij iræ, & ex ſpeciali Dei gratia habemus, quo *Filij Dei nominemur & ſimus.* Nec alio aptius vti debemus, quam Caipha viro iniquo, & doloſo, dum tamen ex proprijs non alloquens, valuit inter primos & maximos Prophetas numerari. Si enim Deus magnus voluerit Spiritu intelligentiæ replevit quemlibet, & ipſe vt imbres mittet veritatis eloquia; quo pacto Saulus, qui è fœtoris vaſe tranſivit in ictu oculi Chriſti ad divinæ electionis vas. Sic ergo & Roma, temetſi vos non credatis, dum antea ex proprijs erat Magiſtra erroris, ex quo nunc non poterit ex Deo eſſe Diſcipula veritatis? Omnia enim poteſt in eo, qui eam confortat; & firmabitur & non flectetur, quoniam confortavit ſeras portarum ſuarum.

55 Inde iam facile reſpondetur ad ſecundum, videlicet Spiritum Sanctum in his nullam pati contradictionem, cum omnis homo ſit mendax dum à ſe loquatur, vt Caiphas, Saulus, & prior omnibus Saul, qui aliter etiam inter Prophetas; & omnis homo etiam iuxta verbum Spiritus Sancti poſſit eſſe verax, ſi audiat quid in ipſo loquatur Dominus, dans verba in ore eius, vt dedit Moyſi, & Aaron, Hieremiæ & Joanni Baptiſtæ, qui & vox clamantis in deſerto, & pluſquam Propheta. Nec tertium oppoſitū obſtat, nam vt alibi diximus aliud eſt aliquē eſſe veracē per naturā, & aliud per liberam Dei gratiam. Primo modo ſic veracitas eſt Deitatis ſpeciale attributum, quod alteri convenire nō poſſit. Sic per naturam vnicus eſt Dei Filius, ſecus autem per gratiam, cū dediſſet poteſtatē eis, filios Dei fieri. Ergo.

SUBTILE, ET FORTE ARGUMENtum Gregorij Magni.

56 His ita exacte dum ſoluta maneant contrariorum argumenta, ex quo ipſi paſſim adducunt ſententiam illam Pſalmi 115. iuxta quam omnem hominem faciunt pro omni ſtatu mendacem, vellem pro coronide eiuſdem ſententiæ indiſſolubilem vim apponere eis, vt non ſumpta ab eis ſalutari expoſitione noſtra, arrogans ipſorum ſcientia, penitus ignorantia cenſeatur. Inſto ergo Pſalmi ſententiam ſubtiliſſimo argumento Magni Gregorij *lib.* 22. *cap.* 15. *in cap.* 31. *Iob*, vbi ſic arguit: *Ego dixi in exceſſu mentis mea; omnis homo mendax.* Si omnis, *& Tu; falſaquè iam erit ſententia, quam mendax ipſe protuliſti. Si vero ipſe non mendax*: vera iam ſententia non *erit; quia dum Tu verax es, non omnis homo cognoſcitur mendax.* Nunc ſpero, quo pacto ſic enervata vis hæreticalis ſolvatur. Oportet ne ſacram Scripturam aliquando exponere, & verbis aperire? Etenim dum fateri teneatis, magis enervati manebitis, nam revera ſolum poteſt benè fortiſſimum illud ſolvi, quo pacto Gregorius ille Magnus ſolvit, & dum ſic ſolvatis, fateri debebitis hominem aliquem ſic à Deo ſupra homines collocatum, vt non poſſit non verax mendacem facere eum, à quo loquitur dum ab eo elevatus.

Audi-

57 Audite ergo ſolutionem Gregorij Sanctiſſimi æquè ac Doctiſſimi. *Sed notandum,* (inquit Gregorius) *quod permittitur: Ego dixi in exceſſu mentis meæ. Per exceſſum mentis, etiam ſemetipſum tranſijt, cum de hominis qualitate definivit. Ac ſi patenter dicat: De falſitate omnium hominum inde veram ſententiam protuli: unde ego ipſe ſuper hominem fui. In tantum verò & ipſe mendax, in quantum homo; in tantum autem omnino non mendax, in quantum per exceſſum mentis ſuper hominem. Sic itaque ſic perfecti, quamvis adhuc aliquid turbulentum de infirmitate carnis tolerant, iam tamen intrinſecus tranquilliſſimo ſecreto perfruuntur per contemplationem mentis, vt quidquid accidat exterius, in nullo turbet interius;* prout in Sanctiſſimo Papa Noſtro Innocentio Undecimo experimur, & Te Deum etiam ex eo mirabilem prædicamus.

ART. III.

De divina Eccleſiæ Interpretatione.

58 Cum divina veritas, nedum manifeſtetur per ea quę loquuntur, ſed etiam per ea, quæ iam ſcripta interpretantur, dum Hæreſiarchæ nimis in Scripturis fidant, eiſque paſſim vtantur, tria hinc examinare decernimus. Primum, an ſemper ſtandum ſit puræ literæ, & grammaticali ſignificationi? Secundum, an ſolum debeat reputari divinum Verbum, quod in ſacra Scriptura invenimus? Tertium, an veritas divini Verbi in Scripturis innoteſceret nobis, dum Eccleſiæ interpretatio, & declaratio non præirent? Tria ergo per ſequentes Subarticulos dilucidare oportet, cum vanis, & pernitioſis expoſitionibus intrent poſt diſceſſionem Catholicam lupi rapaces, qui non parcentes gregi, exurgent loquentes perverſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate. Nam *ex vobis ipſis exurgent, Quia nimirum* (aiebat Magnus Gregorius *lib.* 20. *c.* 8. *in* 30. *Iob*) *ſub nomine Chriſti militant contra nomen Chriſti.* Unde ipſe Magnus Papa cap. 7. docet, quod *Omnes hæretici ætati univerſalis Eccleſiæ comparati, iuniores tempore congrue vocantur, quia ipſi ab ea, non autem ipſa egreſſa eſt ab illis: unde rectè per Ioannem dicitur 1. Ioan. 2. A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Propter quod & vigilate, cum inter ipſas oves plures ſimulentur lupi, qui ſub Chriſti nomine & ovina pelle exeunt ab ipſis, vt cautius trucident rectos corde. Vigilate neenè, *Quia nonnunquam hæretici* (Magnus Papa ibi) *quanto magis in perfidiæ errorem dilabuntur, tanto amplius ſe ſe in operatione exteriori cuſtodiunt, ita vt agere præ cæteris magna videantur; at Sancta Vniverſalis Eccleſia cuncta eorum opera deſpicit, quæ ex Auctoritate fidei non providere perpendit.* Sic impræſentiarum inter Moliniſtas videmus, qui dum ſimulantes, elevati & exaltati ſuper Cedros libani, tranſivimus, & ecce non erant, cum vigilans Paſtor penetrans eorum magnalia, notaret docere, quæ non oportet turpis lucri gratia. Nunquam magnum, quod ſolum apparet.

SVBART. I.

De pura litera, & ſignificatione Grammaticali.

59 Cum rudes & ſimplices facilius pervertantur (ſi qui dat intellectum parvulis, eos non præſervet) idque pura litera, & groſſiori cortice ſuavius fiat, cum profunda illi penetrare neſciant, inde communiter hæretici eos decipiunt, docendo ſacras Scripturas vſque ad apicem, & iota vnum venerandas, ſicque ſubijciendam grammaticali ſignificationi, vt auferant ſpiritum eorum, cum obſervent Deum vſque ad pedem literæ rigoroſè, & humiliter adorandum; ac proinde impuram mentem per puram literam imprimere conantur. Eſtote ſimplices ſicut columbæ, at dum prudentes ſicut ſerpentes ſitis. Nec ſola columba, nec ſolus ſerpens. Ita nec ſolus ſpiritus, nec litera ſola. Non enim minus ſola ſimplicitate poteſt quis ſuffocari, ac ſola litera occidi.

60 Reſolvendum, inſipidum & pernitioſum fore axioma dicentium, quod in ſacris Scripturis, nudæ literæ, aut grammaticali ſignificationi ſit ſtandum. Hæc eſt Catholicorum reſolutio contra vniverſale hæreticorum fundamentum. Probatur 1. ex Scriptura Pauli 2. ad Corint. cap. 3. vbi ait: *Deus idoneos nos fecit Miniſtros novi teſtamenti, non literâ, ſed Spiritu; litera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Nunc arguo ſic, vel hic textus eſt habendus ad literam, & ſignificationem grammaticalem, vel non? Si ſi; igitur iuxta eum occidet, ſacram Scripturam aliorum textuum intelligere ad literam. Si non; igitur iam hæreticale axioma reprobatur, principaliſſimum ſiquidem Scripturarum Doctorum, ad literam non intelligendum vos ipſi conce-

conceditis. Diceris, inde veſtram reſolutionem non deficere, cum cunctis notum ſit, raro dari regulam quin vnum aut alium eventum non excipiat, prout nunc & iſta Paulina, & Doctoris Gentium. Contra, dum benè ſit, & vobis concedam; quia ob eximiam difficultatem ex eo textu illatam in veſtrum axioma recurritis ad exceptionem; igitur cum non ſemel, ſed paſſim, vt concedere debetis, ex literali captu plurium textuum eximiæ inſint difficultates, præterquam quod ex multitudine exceptionum regula ſuperabitur, ſicque potius exceptio deberet dici regula, & è contrario regula, & caſus poſitus vt axioma deberet dici exceptio, obſtaret ſemper, videlicet, à quo Doctore declarandum foret, in cuiuſvis textus difficili captu dari ibi exceptionem literalis regulæ, & axiomatis? Dum enim inter plures, vt ſæpe ſolet in difficilium captu, cui vni Doctori ſupremo ſtandum? Dices quod inviſibili illuſtrationi, vel rationis maioris Doctori. Benè ſit, ſi reſpondere benè poſſitis, dum plures in controverſia diviſi, illuſtrâti fateantur; necnon, dum, prout ſolitum eſt inter Adæ filios, vnuſquiſque, vel ſaltim illorum duo æqualis rationis, vel forſan altioris vnuſquiſque præſumatur. Nec in his fides ſuperna, ſed mediocris veſtra ratio decidat.

61 Probatur 2. noſtra reſolutio ex monſtruoſis erroribus, quos perfidia Judaica perpetravit, non ex alio motivo, quam ex nuda & grammaticali intelligentia, nuda, puraque litera, ita vt illud occidere Pauli, hinc clare videatur, ſtantes ſiquidem iuxta corticem & grammaticalem verborum ſuperficiem occiderunt Chriſtum Dominum. Hinc enim cum ſolida ſubtilitate Scotus Judaicam literam, & grammaticalem corticem contemplaretur, inſipientiæ eorum ſtupefactus, inter alia, quæ in eos adducit, vrget in quæſt. 2. Prologi, eo quod patere debeat, *Quam inſipida ſint eorum ceremonia ſine Chriſto*. Etenim cunctæ, maximè at principaliores notentur, & clariſſimè invenientur rudes, inſipidæ, quinimo & ridiculæ ſine Chriſto, qui erat corticis illius medulla, corporis iſtius agni anima, literæ illius reconditus Spiritus, & grammaticalis Judaiſmi ſenſus theologi & non abſque humano divinus.

62 Probatur 3. & confirmatur præcedens, quia nullus facile inter contrarios invenietur ſic magnus literalis obſervator legis; nec æqualis ingenij & literaturæ in naturalibus intellectus, & poſitus, ac iam erat Divus Paulus, cum adhuc erat Saulus, prout etiam ſuadet fama qua perfruebatur in Synagogis, & inter primos Scribas & Sacerdotum Principes, vt etiam comprobabat delegatio, & iura præſtita in Epiſtolis in Damaſcum; necnon vt ipſe in 1. cap. ad Galat. fatetur, inde ipſe efficacius arguens, vt notat ly, *Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Iudaiſmo*; ſed dum ſic ad literam, & textus corticem proficiebat Saulus ſupra multos coætaneos ſuos in genere ſuo, abundantius æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum, deſcribit inde inſimul ſequi, *Quoniam ſupra modum perſequebatur Eccleſiam Dei, & expugnabat illam*; igitur quicumque, etiam ſi clarioris ingenij, & legum obſervator præſumatur, dum literaliter & grammaticaliter inſiſtat, & Scripturas paternamque notitiam contempletur, incidet in Eccleſiæ Dei perſecutionem, prout inde eam quam plurimi perſecuti ſunt gratis, quin tamen à verbis vt Domini Cor Eccleſiæ trepidaret.

63 Probatur 4. & præcedentia confirmantur. Quia illa intelligentia debet eſſe ſecurior, quæ potius Deo, quam homini conformior, cum Deus ſit in omnibus prima regula, necnon, vt hæretici paſſim tenent, eſt ſolus Deus verax, omnis autem homo mendax: necnon ex. 1. Reg. cap. 16. vbi ait Deus per Samuelem, *Neque iuxta intuitum hominis ego iudico*, ac ſi diceret ego vere, ſecus autem homo, qui fallitur, & mendax in ſtateris ſuis; ſed qui grammaticaliter, & iuxta ea quæ parent in literis, & rebus iudicant, & ſentiunt, cordis ſpiritum non attendentes, iudicant iuxta fallibilem intuitum hominis, & non veritatis; ergo quia minus ſecuri, Deo & veritati diformes, à prima regula diſtantes &c. Minor manifeſte probatur ex textu citato, vbi Samuel, vt verus Magiſter Alphabeti Iſai, in quo literæ pronunciandæ erant filij, audivit à Deo hanc lectionem ſervandam, vt omnium veriorem doctrinam, videlicet: *Ne reſpicias vultum eius* (notate iam literæ aſpectum, & vultum) *neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum. Nec iuxta intuitum hominis ego iudico* (nunc attendite) *homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Tum augeo vires argumenti. Scripturæ ſaltim aliquæ cor habere debent, nec alius, quam iam à communione hominum exterminandus poterit negare quod internam mentem, & ſpiritum divini libri habeant, vt cum ſigillis ſeptem clauſum vidit Joannes, aliter improprie dixiſſet clauſum: deinde veritas ſiſtit iuxta philoſophicum axioma in conformitate cum re ex parte obiecti, ab eo enim quod res eſt, vel non eſt, oratio vera, vel falſa dicitur, ſicque rei obiectiva veri-

tas

tas eſt inſtar cordis & ſpiritua, quo exteri ſenſua animantur, & vtrificantur; igitur qui in ſignificatione ſenſuum & ſcripturarum non attendit ad ſpiritum, mentem divinam, & myſticum cor, vt ab eo quod res eſt, vel non eſt, reddit impoſſibile quod ipſius vera ſit declaratio.

64 Rurſus hinc venit arguendum ex notabili eiuſdem textus contradictione (& erit probatio 5.) dum ad eam ſolvendam grammaticale Magiſterium non ſufficiat. Prævenerar enim Dominus, dixeratque ad Samuelem, quod penes ſenſum divinæ intentionis non attenderet ad elegantiam vultus, nec ad præclaram altitudinis ſymetriam, prout ſatis liquet ex iam relato textus; & tamen cum inde obiecti forent omnes filij Iſai, & ſolus reſtaret David, hicque iuxta divinam inſpirationem vocaretur, paulo ante nominationem, & vnctionem in Regem, veluti ſi adoleſcentis pulchritudo, & aſpectus elengantia conducerent ad vnctionem, & electionem divinam, ſic eas in cauſam diſpoſitivam ſignat in eodem capite 16. aiens: *Miſit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie, & ait Dominus, Surge, & vnge eum: Ipſe eſt enim.* En clariſſimam contradictionem: Sola Grammatica doceat, & Hæreſiarcha ſolvat.

65 Probatur ſexto ex fundamentali obſervantia catholicorum Doctorum in Hereſiarchas. Ut enim conſtat ex ſolidis experimentis, infirmatur paſſim regula grammaticalis hæreticorum, etiamſi ab eis vt indeflexa foret pro viribus ſtabilita; igitur quia plus habet libertatis errantia, quam regulæ firmiſſimæ. Suadetur intentum, quia vt conſtat veris experimentis, ſi ſcripturæ litera aliquando conducat, & apparenter faciat ad eorum intentum, eam magnificant, & tunc vt Grammatici conſtruentes obſervant; ſin autem literalis aliquis textus præfixis eorum erroribus adverſetur, tunc à grammaticali aula recedunt, eique terga vertentes inquiunt, non debere intra rudes grammaticalium limites contineri; igitur quia eorum firmior regula paſſim retorquetur & infirmatur, ac proinde plus habet liberi erroris, quam prudentis firmitatis.

66 Comprobatur ex experimentis, prout refert noſter Maſſuccius cap. 1. (nec ad intentum, minus validum eſt ſupra poſitum ab vnctione David in Regem) Negabat enim Arrius Filium divinum fore Patri æqualem, & ad ſui intenti probationem adducit literam illam textus Joan. c. 14. vbi Chriſtus de Patre aiens dixit: *Pater maior me eſt*: inde Filij minoritatem inferens, & docens Arrius, inquiens textum id ad literam docere. Opponebatur Arrio eiuſdem Joannis textus cap. 10. vbi Chriſtus de conſubſtantiali æqualitate loquens dixerat: *Ego & Pater vnum ſumus*, quo audito ſtatim contorquetur (& quod illi peius eſt, contorquendum fore, quouſque æqualitas Filij cum Patre non diſſolvatur; infernorum aula per ignem corriget veſtros Grammaticę errores) & perfidus vociferatur, hic non ſtandum literæ, ſed ſic exponendum, S, *Vnum ſumus ſimilitudinarie, non realiter.* Conſimiliter, dum Aquilinus Joannes cap. 1. ſupra omnem aeris, viſibilium, & inviſibilium ambitum volans, rapitur quo volarat calamo vſque ad ſinum Patris, dicens, *Deus erat Verbum*, exclamat Arrius: *Hac ſcriptura intelligitur, non literaliter, ſed myſtico, ſcilicet, in figura Deitatis.* Sic impius, ac inſcius non ne excitiſti, o Arrij? Quid magni loqui intenderet de Verbo Patris Joannes, dum ei non plus daret quam tibi, vel Lucifero? Nedum enim ille proiectus, & Apoſtata Angelus fuit *ſignaculum* ſimilitudinis divinæ, & in figura Deitatis creatus, ſed etiam Tu, cum ad Dei imaginem ex nihilo productus. Dixiſti in promptu, & in æternum obmuteſces. Solum ad literam erunt inferorum cruciatus. Sed quia hæc ad pręſens intentum non ſpectant, ad cætera experimenta tranſeamus.

67 Sic Manicheus dum intendit ſuum probare errorem, adducit textum illum Joan. cap. 14. *Quot ante me venerunt, fures ſunt, & latrones*: & quando Manicheo opponitur eiuſdem Joannis textus cap. 1. *Verbum caro factum eſt*, tunc inquit: *Non ſtandum eſſe literę, ſed eſſe myſtice interpretandum textum, nempe in ſimilitudinem carnis.* Equidem inſipientes eſtis, cum ſolum in myſtico, & ſpirituali ſenſu inveniam, quod ſpiritus carnem & oſſa habeat, ſicut videbitis vos habere. Palpate, & videte melius, & invenietis in Chriſto, quod ſpiritus carnem, & oſſa non habeat, ſicut ipſum habere videbant Apoſtoli, & ipſe Thomas palpavit. Nunc non ſine æterno dolore, palpare poteritis inferorum ſpiritus procellarum.

68 Sic Calvinus fere in omnibus erroribus ſuis amplectitur literam; at dum ſit in materia Sacramenti Euchariſtici eam reijcit. Cum enim cuncti Catholici probant veram exiſtentiam corporis Chriſti, & ſanguinis ſub ſpeciebus panis & vini, & ad id probandum adducunt textum Evangeliſtarum ad literam, S, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, literæ ſicuti & Sacramento terga vertit, dicens, non ſtandum literæ, ſed interpretationi, videlicet: *Hoc eſt figura corporis mei.* Hinc

dum

dum tranſeuntes, tametſi extra quæſiti intentum, quidquam vellem dicere in Calviniſmum. Etenim in veteri teſtamento Sacerdotes erant, & panem & vinum miniſtrabant ante Altiſſimi altare; nec panes propoſitionis, ſicuti Eliæ ſubcineritij ignorari poſſunt. Nûc ſic, illa in figura præcedebant; rogo, cuius figuræ erant? Non figuræ; quia inſipida foret figura figuræ, ſicuti vmbra vmbræ, cortex corticis, pallea palleæ, agnus irrationalis agni irrationalis, &c ſic, vt cuicumque diſſerto patebunt; igitur, vt Subtilis Scotus aiebat, quidquam inſipidum per tot larga ſæcula præveniret, & præpararet Deus, dum non verè & realiter foret Chriſti corpus ſub ſpeciebus panis, ſed dumtaxat in vna aut altera figura. Meditabar inde, quod fere omnes Hæreſiarchæ, vt videtur, habuerunt Judæos in Progenitores, nam ſi benè notetur, nedum plura contingunt hæreticis in figura, cortice, & obſcuritate, quin etiam invenietur, quod ſæpe, vel directè, vel indirectè, inſurgant alternatim hæretici in eas veritates, quas vſque adhuc vellent Judæi ſepelire, nunc vnus Hæreſiarcha in vnam, nunc alius in aliam. Et ſic, dum fatentur Chriſtum, vt Chriſtiani nominari poſſint, at in integrum nunquam recipiunt, modo hanc, modo illam partem truncdantes, vt conſtat ex dictis, cum alius tollat ab eo divinitatē, humanitatē alius, alius corporis ſubtilitatem, alius ſacramentalium medicamen, alius ovilis conſiſtentiam, alius Virgineæ Matris honorem, &c ſic. Quapropter non ſemel exiſtimare valui, ipſos fore ramos illius rudis trunci Judaici.

69 Probatur tandem ex præclariſſimis textibus, dum ſola Grammatica imperceptibiles, & monſtruoſi reddantur. Sic primo dicitur Matth. 13. *Et colligent de Regno eius omnia ſcandala*; ſed vt ait Magnus Gregorius, in illo Regno Beatitudinis, in quo pax ſumma eſt, inveniri non poſſunt ſcandala, quæ colligantur; ergo. Si dicas, quod ibi pro Regno non percipitur quod eſt in Patria, ſed quod in via. Contra, quia talis concordia eſt bona illi Magno Theologo, ſecus autem puro Grammatico, cui materialis eſt concordantia. Tum, quia ſi Regnum eius percipiatur, quod in via, quo pacto concordabit Grammatica, quod Regnum eius non eſt de hoc mundo, vt alibi dicitur? Sic ſecundo, ſi apud Joan. 18. dicatur, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, apud Pſalmiſtam Pſal. 46. dicitur, *Rex omnis terra Deus.* Sic ſi paſſim dicatur apud Evangeliſtas *Filius hominis*, de eodem dicitur apud Pſalm. 21. *Ego autem ſum vermis, & non homo.* Si improbe hunc velis dicere, ibi non loqui Pſalmiſtam de Chriſto, ſed de ſe ipſo, vt indicit ly Ego: Contra, equidem fatear grammaticalem, & literalem prorſus fore ſenſum; at concordet Grammatica, quo pacto David Potentiſſimus Rex Iſraël, & Filius hominis Bethlehemitæ, ſit vermis, & non homo? Equidem maximus barbariſmus erit. Sic quarto ſi apud Joan. 14. habetur, *Vado parare vobis Regnum*, apud Matth. 25. habetur *Eſſe paratum ab origine mundi.* Sic quinto, interrogatus Joannes an foret Elias, aut Propheta, reſpondit *Non ſum*, apud Joan. 1. & apud Matth. 11. dicitur à Chriſto, *& plusquam Propheta, & ipſe Elias qui venturus eſt.* Et quia paſſim in Scripturis ſic invenientur textus, quorum ſolutionibus non ſufficiunt puræ literæ, nec inſtructiones Grammaticæ; aliter ſi credere non vultis, conſulite exactiores Grammaticæ Magiſtros, & tunc videbitis, an poſſint conſimilibus difficultatibus ſatisfacere.

NONNVLLA OPPOSITA SOLvuntur.

70 Opponent 1. Nos increpaſſe hæreticos, quia dum in pluribus eventibus vtuntur pura litera, in aliquibus vtuntur interpretatione; ſed idem facimus qui Catholici, nam aliquos textus intelligimus vt iacent, dum alios interpretamur; ergo vel male increpamus, vel reprehendimus in eo in quo & ipſi reprehenſibiles ſumus. Reſpondemus, improbam, & male fundatam fore ab increpatione noſtra illationem. Ratio eſt manifeſta, quia nos non defenſamus ſemper ſtandum literæ, & puræ Grammaticæ, cum fœcunda mens, & myſterioſum Dei labium, non poſſit ſemper intra corticem vnius labij grammaticalis, & ſenſibilis, rudiſque corticis contineri, & ſic per vnam ſolam Grammaticæ linguam organizari, prout ab exemplari divino ſuadet dies ille vniverſalis Magiſterij in Pentecoſte, dum varijs linguis varia miro modo, & plurium ſtupore loquebantur, prout Spiritus, non grammaticus, ſed ſanctus, & inviſibilis dabat eloqui illis; ac proinde ſic, nil contra nos poteſt inferri, ex eo quod iam per hunc ſenſum, iam per illum, Scripturæ animam, & ſpiritum ſacrum perpendamus. At ipſi, merito ſic facientes increpantur, cum diverſam regulam præfigentes, idem regulatum ac nos participare præſumant. Si enim ſemel ſtabiliunt, literæ puræ ſemper ſtandum, abſque literali & manifeſta contradictione nullum iam poterunt myſticè interpretare locum. Vel enim variare debent Magiſterium, vel nunquam debent variare doctrinam. In hoc ſiſtebat Catholicorum increpatio.

Oppo-

71 Opponent 2. Chriſtum Dominum dixiſſe, quod iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant: Tum prævenit, nil ſolvendum de mandatis illis minimis, aliter ille minimus vocabitur in Regno Cœlorum; ſed nunqu. m melius hæc Chriſti conſilia practicantur, quam quando ad puram literam ſtamus; ergo quia hæc obſervanda, cum ex his minima videatur interpretatio. Reſpondendum, nunquam melius, quam ex oppoſito convinci noſtrum intentum, ſiquidem ex iota vno debet interpretari obſervantia levioris conſilij, ſicuti & ex apice debet deduci advertentia ad quodcunque minimum legis divinæ, nam qui leve contemnit, grave committet. Convincitur Chriſtum ibi ſic myſticè intelligendum, cum non ſit grammaticale aliquod literæ iotæ mandatum, aut lex; igitur, quia altius & perfectius illud capiendum. Tum quia etiam ſunt ſpiritui apices, qui revera obſervandi ſunt iuxta præſcriptam legem, aliter minimus vocabitur in Regno Cœlorum. Si enim ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt. Si terrena dum dixit vobis non creditis, quomodo ſi dixerit vobis cæleſtia credetis. Spiritus vbi vult ſpirat.

72 Opponent 3. Seraphicum Patrem Noſtrum S. Franciſcum, quem Catholici fatemur propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti factum fuiſſe ſapientem à Deo, circa Regulæ intelligentiam hæc tenere prope finem Teſtamenti ſui: *Et omnibus Fratribus meis, Clericis, & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant gloſſas in Regula, nec in iſtis verbis, dicendo, ita volunt intelligi; ſed ſicut Dominus dedit mihi pure & ſimpliciter dicere, & ſcribere Regulam & iſta verba, ita ſimpliciter, & pure ſine gloſſa intelligatis, & eum ſancta operatione vſque in finem obſervetis.* Nunc ſic, Regula B. Franciſci myſterioſa eſt; necnon B. Franciſcus perfectiſſimus inter cœteros Catholicos Chriſti Domini Cœleſtis Magiſtri imitator, prout conſtat ex tot nativitatis, vitæ, & mortis conformitatibus; ſed ipſe firmiter præcipit, vtpote nociva præoccupans, pure & ſimpliciter dicere, ſcribere, & capere Regulam, dum etiam ab altiſſimo Chriſti ſpiritu inſpiratam; igitur quia nec myſterioſam fore ſactam Scripturam, nec à Deo inſpiratam, debent obſtare, vt pure, & ſimpliciter ad literam non intelligatur, ac proinde ſic vt noceat, dum interpretetur.

73 Reſpondendum, non obſtare Seraphicæ Regulæ argumentum. Seraphicus enim Pater in Regula ſua, dumtaxat dedit ad maiorem perfectionem vitæ præcepta, ita vt omnia Regulæ capita ex viginti quinque præceptis componantur; vnde cum ad præceptorum intelligentiam, maximè in materia ſatis clara, & ſimplici, myſtica & profunda interpretatio non requiratur, cum ſint ab omnibus prçcepta ſervanda, & in omni populo dentur plures indocti, & ſimplices, inde Seraph Pater Regulam proponens exiſtimavit non oportere in clariſſimis, & ſimplicibus relinquere Gloſſæ locum, ne forſan aliqui in virtute & obſervantia frigidi, vocum ſplendore, & apparentis eloquentiæ ornatu Regulæ puritatem vitiarent, & ſic ſimplices, veroſque obſervatores deturbarent, & affligerent. At Scriptura ſacra, nedum continet, quæ ſimpliciter ſunt præcepta, quin etiam vltra decem præcepta, quæ etiam revera facile ab imperitiori capi poſſunt, continet vltra nonnullas eruditiones equidem arduas, & difficilis intelligentiæ, prout notarat Divus Petrus circa Epiſt. Pauli, *In quibus* (inquit Pet. c. 3.) *ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut cæteras Scripturas.*

74 Rurſus reſpondendum, quod dum etiam in clare & ſimpliciter obſervandis, iuxta depravatam, & verſatilem filiorum Adami conditionem, nonnullæ contentiones exorirentur, cum nil ſit ſic clarum quod ab iniquo, & doloſo, ſicuti à nube Sol non poſſit obſcurari, & dubitatione involui, aut palliari, tunc Seraph Pater Regulæ Gloſſam non permittens, deberet intelligi, quo pacto nunc prudenter intelligitur, vtpote nunquam præſtare locum vt Regula gloſſetur à quibuſcunque, cum ſic forſan licentia gloſſandi præſtaretur volentibus latiorem licentiam vivendi, ſicque divina providentia ipſis obſervaturis clauſit Seraph ianuam gloſſandi; ſecus autem clauſit gloſſandi ianuam habentibus digne clavem, prout conſpicimus iuxta Decretalia Nicolai, Clementis, & aliorum iuxta temporum neceſſitatem, ſapientiſſima commentaria conſumentium etiam circa ipſam ſignificationem verborum Regulæ Sancti Franciſci, vt videri poteſt in 6. Decretal.

75 Opponent 4. quod Deus intellectum dat parvulis; igitur dum parvulorum ſit ſimplex, pura, & grammaticalis locutio, ea Deus ſufficientem intelligentiam præſtabit. Reſpondendum, pro ea parvulorum ſchola, non debere intelligi aulam Grammaticæ minimorum, vt dicitur vulgariter; ſed aulam humilium, & non habentium carnalium ſapientum elationem. Sic parvulus fuit Divus Petrus cui Deus revelavit non pueriles Grammaticæ concertationes, ſed recondita Paterni ſinus,

& altioris Theologiæ obiecta. Sic parvulus fuit Seraph Pater Franciſcus, qui dum humilium aulam conſuluit, plura, & altiora ſcivit, quam arrogans illa Luciferinæ ſcientiæ Prothomagiſter. Præfatis ergo parvulis dat Deus, non Grammaticam, ſed intellectum, nam vt vulgariter dicitur, purus Grammaticus purus aſinus. Magnam fabricam ſcientiarum cœleſtium vultis conſtruere, cogitate prius de fundamento humilitatis, vt illud aiebat alius parvulus dum revera magnus Pater, & Eccleſiæ Doctor.

76 Opponent 5. quod declaratio ſermonum divinorum illuminat; igitur rectis corde ſat erit grammaticale, & literale lumen. Reſpondendum, quod dum ſtabilitæ arguentium reſolutioni ſtandum ſit, potius noſtra confirmatur, ſiquidem ex literali prolatione textus infertur clare, quod nil plus illuminet, quam declarare ſermones divinos, ac proinde proficere dari ſacrum oraculum, in quo Dei verba exponantur, & declarentur. Tum benè dicebatis, quod rectis corde quilibet literalis ſenſus ſufficiat, nam licet tenebroſus ſit aliquando, at rectis corde exortum eſt in tenebris profundius myſteriorum lumen. Equidem valuiſtis exiſtimare, quod qui recti corde, grammatici dumtaxat intelligantur? Etenim conquererentur quam plurimæ nobiliſſimæ ſcientiæ, quas nimis ſupra puram veſtram Grammaticam, etiam gentiles Philoſophi evidenter elevatas probarunt. Ipſi enim Philoſophi inſurgerent in vos argumentis quibus efficaciter demonſtrarent Grammaticam alijs ſcientijs ſubalternandam, & congruentius inſpiciendam, vt ancillam reſpectu dominarum, atrium diſcoopertum reſpectu Domus ſapientiæ, ſenſum corporeum & externum reſpectu internarum potentiarum animæ, & ſic terrenæ ſemitæ reſpectu mineralium auri, & abſconditæ Margaritæ in profundioribus latentium.

77 Magnus Dominus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non eſt finis, & vos voletis infinitiora eius Grammaticorum regulis metiri? Altitudinem divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ eius, quis ni inſenſatus pauperculo, & infimo literarum palmo poterit obtinere? Quis cognovit ſenſum illius? Non Metaphyſica, non Theologia, ſed Grammatica? Hæc profecto ſcientiuncula Generationem eius enarrabit. Inde tenere deberemus quod mirabilis non foret Deus ex alijs ſcientijs, ac proinde fruſtra, mentem noſtram eas inquirere, & inutiliter & otioſe tantam ſapientiam Altiſſimum creaſſe; & quod magis pudet, hominem, & quodcunque animal iuxta interna, & externa ad omnes ſcientiarum ſpeculationes parare obiecta, Deum tamen tam in eo quod eſt, quam in illis quæ fecit, & loquitur, ſola Grammatica evacuari, perpendi, & exponi, vel internis non conſtare vel profundiſſimè non alloqui, ita vt ſit veluti parvulus fons, qui non creſcens in fluvium, etiam à pueris valeat ſicco pede pertranſiri, & vſque ad minutiſſima arenarum videri, & ad pedem literæ numerari.

78 Nonnulla alia omitto argumenta, tum quia apud plures Catholicos exacta ſoluta extant, tum quia eorum in Subart. 3. mentionem faciam.

SVBART. II.

An ſolum debeat teneri vt divinum verbum, quod in ſacra Scriptura reperitur.

79 Cenſent hæretici, nos Catholicos magnos hæreticos ſatis liberè conſtitutos, cum tot paſſim, quæ pro libito ſtatuimus, circundemur præceptis; vnde ipſi literalem ſenſum vtriuſque teſtamenti dumtaxat retinentes, negant Dei verbum fore vltra ea, quæ in veteri, & novo teſtamento contenta, vt Concilia, traditiones, ſicque Eccleſię determinationes. Contra quorum indignum placitum.

80 Reſolvendum, etiam verbum fore divinum, tametſi in ſacra Scriptura literaliter ſcriptum non ſit. Eſt Catholicorum præſens reſolutio, & rationibus ſuadetur. Primo in eos, qui tenent interiorem motionem Spiritus Sancti fore regulam credibilium. Sic argumentor, dum ſingulariter vnuſquiſque movetur, cum per internam motionem moveatur, pluribus, vel vni, aut alteri ſingulari rei præſtat fidem, vt divino, tametſi ea res literaliter non exprimatur in ſacra Scriptura; igitur non contradicit vltra ſcriptum & in Scriptura expreſſum dari verbum divinum. Dices ſtatim, interne movendos fore per Spiritum Sanctum, iam fore expreſum in ſacra Scriptura. Contra efficaciter iuxta ſolitas alias reſolutiones veſtras. Vel enim tunc habetis quando interne moti notitiam alicuius rei ſingularis, vel dumtaxat moti eſtis ad credendum notitiam iam in Scriptura vobis literaliter expreſſam? Si primum: igitur iam per divinam fidem vltra manifeſtum & ſcriptum literaliter tenebitis aliquid. Si ſecundum: igitur ad divinum ſenſum capien-

capiendum non ſufficiet literalis manifeſtatio, ſed etiam interior motio, & interpretatio occulta requiretur.

81 Secundo, quia etiam, dum vt puri Philoſophi loquamur, debemus percipere, plures expoſitiones congruere dari divinas, quia divinis præmiſſis Scripturæ conformes; ergo. Exponitur intentum in Ariſtot. qui cum in philoſophicis altiſſimi foret numinis, plura ſic profundius dixit, quod alia debeant præire ad alia, & alia inferri ex alijs per Interpretum expoſitiones, ita tamen, vt hæ conformes illi, etiam philoſophicæ dicantur, necnon vt partes quæ integrant Philoſophiam, ad eam applicantur, prout communiter habetur in Porphyrij Iſagoge verſus Ariſtotelicas Cathegorias; igitur cum non minus profundus ſit altiſſimæ Theologiæ Auctoris ſtyllus, nec minus providus in expoſitione verborum ſuorum, congruent plures expoſitiones, quæ quia diviuis præmiſſis conformes, etiam divinæ ſint dicendæ, & ad Scripturarum integritatem ſpectandæ.

82 Tertio à paritate cæterorum operum Domini. In principio enim dum Deus vt ſola cauſa operabatur, non fecit ea omnia, ſic vt omnia creare, & concreare vellet, ſed ſtatuit quam plurima etiam deinceps à cauſis ſecundis procedenda, & veluti cauſarum ordine, & principiorum ſtyllo commentanda; ſicque non proferens omnes cauſarum eventus, ſed relinquens plura in ſemine, & virtute, vt eis conformes, innumerabiles poſſent per expoſitionem cauſarum ſecundarum ſortiri, & inferri effectus, ita tamen vt non minus iſti, quam primi, Dei dicantur, nec ſolum primi in libro dependentiæ divinæ deberent ſcribi; ergo non aliter, ſed conſimiliter congruet naturalizare circa ea, quæ ſunt divini dicti, & labiorum ſuorum, ac circa ea quæ ſunt divini facti, & opera manuum ſuarum. Confirmatur à paritate bellorum Domini, dum non ſolum bella Domini dicta fuerunt quæ mire ipſe pugnavit vt in mari rubro, ſed etiam alia, quæ dedit per Duces ſuos, eos etiam pugnare volens, ita vt non ſolum ea ſint in libro bellorum Domini; ergo &c, ſic, dum non ſit magis Deus exercituum, quam ſcientiarum Dominus.

83 Quarto, quia à nullo mediocris rationis viro poteſt negari, dari in Scripturis ſacris plura valde obſcura, necnon eadem quæ obſcura potuiſſe manere clara: ſic formo argumentum, vel Deus ea obſcure dixit, vt nunquam manifeſtarentur, vel non? Si primum; contra, quia intra obſcuritatis ſtyllum, magis forent in obſcuris, dum nunquam dicta magis recederent à nobis, præterquam quod, quod dicitur ne vnquam ſciatur, nunquam melius dicitur, quam dum ſemper tacetur, prout paſſim apud Salomonem. Si ſecundum; igitur quia voluit Deus iuxta temporum congruentias, revelare mentem ſuam, quæ ſolum divinitus cum poſſit, vltra ſcripta, verba divina deinceps oportebunt. Præcludam imminentem evaſionem, & ex ſecunda illatione intentum corroborabitur. Deus enim qui etiam obſcure, & ænigmaticè plura locutus fuit, non fuit ea locutus, vt nunquam ſcirentur, quia quæcunque ſcripta ad noſtram vtilitatem ſcripta, & quæ pro cunctis ſęculis ignoranda, non facile vtilia pro aliquo ſęculo invenientur. Obſcure enim ſcripta ſunt, vt aliquando ſperantes interrogare poſſimus, vt Auctor Scripturarum aperiat nobis Scripturas, vel per ſe, vel per labium *Petri exurgentis, & aperientis os ſuum* (hic eſt regularis modus aperiendi, & à viſibilibus fidelibus ſpectandus) ſuadetur ex Chriſto Domino, qui dum parabolice loqueretur plurics, fidelium Diſcipulorum animum ſimul excitavit, vt interrogarent eum, *Quæ eſſet hæc parabola*; ergo quia dum non omnia clare voluit Deus dicere, intendit, vt nos cognoſcentes ignorantiam noſtram, humilime interrogantes ſpectemus notitiam ſuam.

84 Quinto, quia quod vltra ſcriptum, non ſit verbum divinum, non datur verbum ſcriptum; igitur ſi ſolum ſit divinum quod ſcriptum, hæreticorum reſolutio quæ huic noſtræ contraria, à Deo non erit. Dices dari contra noſtram ſcriptum verbum, ſcriptum ſiquidem eſt, quod Spiritus Sanctus docebit omnem veritatem. Contra, quia non conſtat ſcriptum, quod omnia docere ſit omnia ſcribere, quinimò ſi connaturalius ſtandum ſit, raro ſcribitur quidquid docetur, vt cuncti experti fuimus. Contra 2. & efficax ſumo ex ſolutione argumentum. Vel quæcunque Spiritus Sanctus docuit ſcripta fuerunt, vel non? Si non fuerunt ſcripta; igitur vel quæcunque docuit non fuerunt ſcripta verba, vel quæcunque eius verba non fuerunt divina, dum ſolum quod ſcriptum, divinum verbum ſit. Si ſcripta fuerunt quæcunque docuit; igitur cum omnem veritatem doceret, omnis veritas erit ſcripta, ac proinde divina ſcripta non poterit à toto mundo capi, prout illac Joannes dixit de operibus Chriſti Domini, ex quibus dum non ſcriptis conſimile poſſet in favorem reſolutionis noſtræ formari argumentum.

85 Sexto, dum etiam poſt adventum Spiritus Sancti non habuerunt Apoſtoli ſcrip-

tum quidquid vndequaque ſpectabat ad formandam reſolutionem, ſed oportebat ſcrutari Scripturas, conferre, & nonnullas difficultates interpretationibus evincere. Si enim omnia ſcripta forent nulla foret circuncifionis controverſia ; ſic nec Petrus repugnaret immunda lintei manducare, & ad Eccleſiam admittere , & quam plurima ſic. Conſimiliter prævaricatio Juda , modus eligendi ſucceſſorem, vtpote, ſortes dando eligendis, non fuit ſcriptus, ſed inſpiratus. Nec fuit in ſingulari ſcripta electio eligendi , cum Divus Mathias vſque ad punctum electionis non fuiſſet nominatus, aut ſcriptus ; ſed hæc non obſtarunt, vt cuncta quæ ſic fecerunt,& narrarunt Apoſtoli divina forent ; igitur ſimiliter etiamſi in genere ſint quam plurima in ſacris Scripturis, id tamen non debet obſtare , vt plura nunc quoad caſus individuos, & temporum & perſonarum circunſtantias poſſint decidi , & definiri , & verba divina dici , ſic nunc , ſicuti & antea per tot prima ſęcula evenerunt.

86 Septimo , quia ſi omnia divina deberent eſſe ſcripta, maximè, quia vt ait Calvinus *in 4. Inſt. c. 8. vſque ad finem ſec. 9.* nemo ſalvari poteſt ni ſolum obediens ſcripto verbo, eique credat ; ſed inde nunquam probatur Catholicorum reſolutioni contrarium; ergo. Maior eſt Calvini apud noſtrum Maſſuccium cap. 9. Suadetur minor , quia quod verbo ſcripto obediat & credat , nunquam probat ratione, nec ſcriptura, quod non ſcripto non debeat obedire, & credere, prout hucvſque probavimus. Tum, quia vt ait Maſſuccius , fide tenetur in lege naturæ plurimos fuiſſe ſalvatos , dum tamen tunc nullum aderat verbum ſcriptum. Tum præceptum Circunciſſionis ad Abraham vſque ad Moyſem non fuit ſervatum per transmiſſam Scripturam , ſed tantum per traditionem, & tamen Abraham meruit dici & deſignari Pater credentium ; igitur quia ſaluti proſit verbum dumtaxat ſcriptum, & non verbum traditum, inde nunquam probatur Catholicorum reſolutioni contrarium.

87 Reſpondet Calvinus loco ſupra citato, *Quod poſtquam Deus verbum ſuum ſcripto mandari, & conſignari voluit, nihil extraneum docendum eſt illi , quod in lege ſcriptum eſt.* Contra, quia vt ait Maſſuccius, ſi poſt legem ſcriptam omnia in Scriptura à Deo revelata fuiſſent, non poſſet ſalvari textus Eſdræ cap. 14. vbi ex perſona Dei loquentis ſic legimus: *Ennarravi Moyſi mirabilia multa,& præcepi ei dicens ; hæc palam facies verba , & hæc abſcondes.* Et ibidem ſubiungitur : *Quædam palam facies, quædam ſapientibus abſconſe trades.* Contra , & clarius ex Pſalmo 48. *Deus auribus noſtris audivimus , Patres noſtri annunciaverunt nobis* ; ſed iſta verba, quæ tradita fuerunt poſt legem ſcriptam Moyſis adducta; ergo.

88 Dices hinc , quod ea , quæ tradita iuxta Regium carmen , iam potuerunt præcedere ſcripta , & deinceps deperdi , prout ſciunt plures veteris teſtamenti Scripturas perijſſe: Bene ſit. Contra ſemper arguo, quia licet ea , quæ innuit David ſcripta forent, id tamen non obſtat , vt etiam prout tradita credantur ; ergo quo pacto vim divinam habet aliquid, vt ſcriptum, & eamdem divinam vim valet ſibi reſtaurare, vt creditum. Tum arguo, quia divina cura, & magna Dei providentia, in nullo magis, quam in verbis & Scripturis ſplenduit , vt ſic *ſpem habeamus* ; igitur dum eorum verborum perijt Scriptura, & perſeveravit traditio , vtrumque tenendum factum iuxta ſingulatiſſimam Dei providentiam , vt quo pacto prius quæ divina voluit oſtendere per Scripturam , vellet & poſterius eadem oſtendere per traditionem , maximè cum fides magis probetur per auditum. Si enim ad ſingulares divinæ providentiæ curas Scripturarum deperditio non pertineret , nunquam perijſſent , ſicuti nec vnquam forent ſcripta, ſi ad eoſdem providentiæ apices non ſpectarent. At in omni caſu verbum Domini ſemper manet , traditum dum non ſcriptum, cum licet Cœlum & terra tranſire poſſint , ſecus autem eius verba. Unde traditionis divinæ ſcopus , & verbi divini continuitas deſcribebat Pſalmiſta ſic : *Quanta mandavit Patribus noſtris nota ea facere filijs ſuis.* Et in cap. 33. Deuter. *Interroga Patrem tuum, & nuntiavit; maiores tuos & dicent tibi.*

89 Et ratio cunctis rationalibus debet eſſe : Quia nunquam plura debet tranſcendere falſum, quam verum, ad plura diffundi malum quam bonum , ſicque infinitiorum fore Pater diabolus non debet , ac Deus qui in omnibus , & ſuper omnia infinitus eſt in factis , in dictis , & in cogitationibus ſuis. Quapropter dum filij hominum mendaces in omnibus vijs ſuis , ſicque in his quæ ſunt verbi ſcripti, & verbi traditi , vt paſſim experimur in quam plutibus quæ narrant, & ab alijs recitant , congruum debuit eſſe vt Altiſſimus per omnes eas vias in contrarium manifeſtetur, ſicque, vt fuit ab initio , è contrario ſpargens lucem vbi tenebræ præibant , ne per aliquam viam potentior ſit vis mali, quam boni , &c, ſic. Igitur dum contrariorum eadem ſemper ratio iuxta rationalem Philoſophiam, oportuit , quod dum non ſolum ſcriptum,

quod

quod diabolicum mendacium, nec ſolum ſcriptum, quod divinum verbum.

90 Dices aliter cum Calvino, quod tametſi argumenta hucuſque facta vrgeant, vt vltra divinum ſcriptum debeat admitti inter divina verbum traditum in illis temporibus; at poſt Chriſti adventum ceſſare debere huiuſcemodi traditiones. Contra inſtat paulo ante dictum, & non minus poſt Chriſti Domini adventum, tum cum foret omnium vniverſalis Magiſter, ſicque per omnes lineas debebat mittere veritatem, maximè cum non venerit ſolvere, ſed adimplere; tum quia ipſe non minus erat via, ac veritas; igitur non minus extenſa via ac veritas; ergo vel per viam traditionis non poteſt veritas ire, quod eſt in divinum, & in humanum, vel non militat in Chriſti adventum per eam viam etiam docere.

91 Dices (inquit Calvinus) *Ita pleno ore nobis ediſſeruit, vt poſt ſe nihil docendum reliquerit* (loquitur de Chriſto Domino) Contra, quia ſi ſic pleno ore, ad quid poſt Chriſti aſcenſionem miſſit Spiritum Sanctum? Si poſt ſe nihil docendum reliquerit, ad quid Apoſtoli ſoliciti erant vt viderent de *verbo hoc?* Si poſt ſe nihil docendum reliquit, ad quid vt foret Doctor Gentium Divus Paulus? Rurſus ad quid Spiritus divinus dans dona hominibus dedit inter alia interpretationem ſermonum? Si poſt Spiritus S. Paracleti adventum loqui velitis, ſolvite quæ ſupra addixi.

92 Contra necnon, quia quod pleno ore docuiſſet Chriſtus, potius comprobat intentum noſtrum, cum inde probetur non omnia fuiſſe ſcripta, quæ pleno infinitatis ore edocta, ſicuti nec quæ pleno Omnipotentiæ robore facta, vt illac in fine Evangeliſta Joannes. Unde quod poſt Chriſti aſcenſionem aliquo temporis intervallo permanſiſſent Apoſtoli vocaliter dumtaxat docendo, priuſquam verbum quod prędicabant Scripturæ mandarent, ſentiunt Irenæus *lib.*3.contra Valentinū, Euſebius *lib.*3.*hiſt.c.*24. Chriſoſtomus *Hom* 1. in Matth. Theofilactus initio Comm. in Matth. Hieronym. Catal. ſcript. Eccleſ. in Matth. & Joan. & ſic alij, quorum dictamen ſolidius corroboratur per textum 1. cap. Luc. Evang. dum ait.ſic Evangelium incipiens: *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationes, quæ in nobis completa ſunt, rerum: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & Miniſtri fuerunt ſermonis: viſum eſt & mihi aſſequuto omnia à principio diligenter, ex ordine Tibi ſcribere optime Theophile, vt cognoſcas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem.* Nunc ſic argumentor, priuſquam D. Lucas ſcriberet Theophilo, iſte ex verbis per traditionem iam eruditus erat; vel ergo per viam divinam, & infallibilem, vel per humanam? Si per divinam; igitur non requiritur, quod ad divinam eruditionem, ſit ſcriptum omne verbum. Si per humanam; inferam quod vt divinum ſit nil probabit fore ſcriptum. Probo, quia non habuit Theophilus maiorem veritatem à Luca in his quę ab ipſo vidit ſcripta, ac in his quæ audivit narrata; non enim eſt divinus calamus eius, cuius non eſt divina lingua; ſi enim quis ſit mendax in his quæ loquitur, & mendax erit dum ea ſcribat; igitur dum divinum non fuerit Lucæ, & aliorum in eruditione eloquium, vt divinum ſit nil probabit fore ſcriptum.

93 Contra aliter, dum nolim omittere hinc ea, quibus noſter Maſſuccius infringit Calvini ſolutionem (nunquam aliquis Auctor erubeſcere debet, dum ennarret aliorum rationes eruditas, ſin autem erubeſcat, dum eas ſibi approprians, cui debetur negat, aut furatur gloriam, prout moris habuiſſe plurimos probavi paſſim, & reprobavi ſemper. Cuius ſit numiſma, videatur imago, & ſuperſcriptio, vt ſint Cæſaris, quæ Cæſari debentur) Arguit ergo Maſſuccius, & in primis contradictione Calvinum vinciens, dum *in lib.* 4. *inſt. c.* 8. *Sec.* 5. ſuper illa verba, *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo,* ſic citatus aiebat: *Rudes adhuc fatcor, & prope indociles erant Diſcipuli, cum illud à Domino audierunt; ſed poſtea à Spiritu veritatis ducti in omnem veritatem ſua ſcripta ediderunt* (igitur ea, quæ vſque tunc acceperant, erant tradita, & non ſcripta, ac proinde tanquam divinis verbis etiam ſtandum erit traditionibus) igitur dum ſic *in ſect.* 5. loquatur nunc Calvinus, non potuit abſque manifeſta contradictione loqui, vt *in ſect.* 12. eiuſdem capitis dicens, quod *Chriſtus, ita pleno ore ediſſeruit, vt nil docendum reliquerit.*

94 Contra aliter ex ipſo Maſſuccio in verborum traditorum confirmationem. Siquis negaret Evangelium ſcriptum fore à quatuor illis nominatis Dei viris, ſi traditionem firmam, & communiter receptam præ oculis, aut auditu non habeas, difficile omnino erit, in quo ſiſtere poſſes eligere medium. Re enim vera, non poſſemus aliam rationem adducere, niſi, quia nos ita à noſtris maioribus accepimus, & ſic ab Eccleſia tradita & credita ſunt, ſicuti & fuerunt; igitur dum divina ſit fidei noſtræ reſolutio, divinæ debent eſſe traditiones in quibus ſiſtat. Confirmat Paulus ſcribens ad Theſſalonicenſes 2. *Epiſt. cap.* 2. dum teſtatur ſe diverſis Eccleſijs vocales

les ordinationes dediſſe, ſic aiens, aut *tradens*: *State, & tenete traditiones, quas accepiſtis, ſivè per epiſtolam, ſivè per ſermonem*. Idem 2. ad Timoth. cap. 2. iubet huiuſmodi traditiones doceri, vt poſteritati transmittantur: *Tu ergo fili mi, quæ audiſti à me per multos teſtes* (ecce traditiones) *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Ibidem cap. 1. ſic ſcribit: *Formam habe Sanctorum verborum, quæ à mè audiſti in fide*. Et ad Corinth. cap. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod, & tradidi vobis*. Item Epiſt. 2. Joan. *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & attramentum, ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui*. Nec omittenda ſunt, quæ ex ſacris & primis Scriptoribus adducit Maſſuccius (eos vide cap. 9.) quorum vnius dumtaxat recitabo teſtimonium, vtpote Dionyſij Areopagitæ, qui fuit Divi Pauli diſcipulus, & ſcripſit iam ſex ſupra decem ſęcula, aiens dum ſcribens ſic condiſcipulo ſuo Timotheo. *Summi illi noſtri Duces neceſſario ſumma, & ſuperſubſtantialia, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus tradiderunt*. Ergo ſolum qui Eccleſiæ Traditor poterit magnificas traditiones, & Gigantium greſſus ſupplantare.

95 Dices generaliter, quod in principio Eccleſiæ erunt nimis rudes, & indiſciplinati fideles, ac proinde oportebat tunc eos potius verbis, quam ſcriptis inſtruere; cum dices, quod tunc traditiones nonnullæ poterant eſſe roboris, ſicque proficuæ, eo quod commorarentur ipſis traditionum Auctoribus, & ipſius Evangelij fundatoribus, ſicque verba cum parum ab illorum ore diſtarent non erant corrupta, nec turbata, quo pacto rivuli qui ipſi fontium origini viciniores ſunt; at pro poſterioribus ſęculis, vtpote ab illis oraculis Diſcipulorum Dominis oraculis, potius debent proficere verba ſcripta, quæ ſemper manent, vt ſolet dici vulgariter ex proverbio; igitur cum Altiſſimus providus fuiſſet, & ſit iuxta temporum conditiones, aptius debuit ſolis ſcriptis Eccleſiam ſuam dirigi, inſtrui, & erudiri.

96 Contra, & in primis inſurgam in primum; quia ex tempore ex quo lex ſcripta incepit, non erant fideles ſubtiliores, & habiliores, quinimo conſtat paſſim ex ſacro textu fuiſſe imbecilles, & mentis tardos, & tamen in nullo tempore plura ſcripta fuerunt, dum etiam in eo traditionibus illi fideles abundarunt, prout conſtat, & partim iam retulimus. Contra 2. quia vt aiebat Paulus ſapientibus & inſipientibus debetur & nunc divinarum doctrinarum ſatisfactio; neque enim poteſt ab aliquo negari, quod in omni ſęculo non ſint quinque fatui ſi quinque prudentes, cum ſolum ſtultorum infinitus ſit numerus, ac proinde iuſcium foret in poſterioribus ſæculis negare rudes, & tardiſſimæ mentis fideles; igitur dum ob tarditatem & ruditatem fidelium iuxta temporum & virorum conditionem diſpenſaret Altiſſimus pabulum traditionum in antiquis diebus, etiam in noviſſimis.

97 Contra necnon inſurgam in ſecundū, quia Theophilus viciniſſimus fuit Apoſtolis, & tamen dum nimis eruditum cum tenebat Lucas Evangeliſta, etiam ob ipſum ſcripſit, vt ex textu nuper poſito conſtat, ac proinde ſic, vt notaret ſacer Scriptor, quod ea quæ erant doctrinæ Chriſtianæ, partim debebant inſtrui per verba ſcripta, & partim per verba tradita. Contra 2. & efficaciter, quia quo pacto poteſt corrumpi traditio, & poteſt corrumpi Scriptura, vt paſſim etiam experimur in actibus politicis, & temporalibus, necnon in ſacris verſionibus, à quibus Summus Pater Familias colligit, ſeparat, & comburit zizaniam, quam ſuperſeminare intendit hæreticus, vt inimicitior homo(dum dico ſaeram verſionem corrumpi, loquor iuxta intentum & malitiam hæreticorum) igitur qui à tot ſæculis purum, & incorruptum valuit conſervari verbum ſcriptum, & debebit & valebit conſervari traditum. Confirmatur, quia dum Deus ob ſibi reconditos fines voluit, non minus aliqua ſcripta defecerunt, ac poſſent deficere traditiones; igitur quo pacto dum voluit nonnulla ſcripta reſtauravit, & reſtauraret nonnulla tradita. Contra 3. quia non minus providus & favorabilis fuit Altiſſimus fidelibus legis gratiæ, ac ſcriptę, & naturæ; ſed dum ab origine eventuum, & verborum traditorum plus vltra in temporibus qui vltimi, & fere vltimi diſtarunt, tamen incorruptas ſervarunt nonnullas traditiones, vt ſupra etiam recitabatur à tempore David; ergo non minus in his noviſſimis temporibus. Et ratio potiſſima omnium ſiſtit in eo, quod pro electo populo ſuo omnium veritatum, & factorum vtilium ſicque bonorum Auctor, ſemper foret vnus & invariabilis Deus, apud quem nec eſt annorū corruptibilis canities, nec viciſitudinis obumbratio, nec mobilium tanſmigratio, quia ante ipſius oculos mille anni, tanquam dies heſterna, quæ præterit. Hæc dixi etiam ex intento reſtaurandi doctrinam Catholici Fratris noſtri Maſſuccij.

98 Octavo & vltimo arguam, vt arguit Maſſuccius in Calvinum, & Lutherum, rogans, à quibus accipere debeamus veritatem princi-

principalium articulorum in verbis ſcriptis non manifeſtorum ? Non ab Scriptura; quia ipſa eos non exprimit ; ergo à traditionibus. Exemplificat Intentum rogatum, nam Calviniſtę, & Lutherani credunt & confitentur tres Divinas Perſonas cõſubſtantiales eſſe in quidditate, ſive eſſentia ; ſed id non inveniunt ipſi expreſe in ſacra Scriptura, vt difficultatibus ex oppoſito intendebant hæretici; igitur ad traditionem debent recurrere. Tum Credunt Spiritum Sanctum infimul à Patre, Filioque procedere ; ſed hic articulus non exprimitur in Scriptura ; igitur ad traditionem recurrendum. Tum nonnulla de parvulis, & de Alma Matre credunt,quæ in Scriptura non exprimuntur ipſis; ergo.

99 Dices,quod in huiuſmodi,& conſimilibus alijs potius debet ſtari internæ Spiritus Sancti inſpirationi,cũ huius aſſiſtẽtia pro quolibet expreſſius habeatur in ſacra Scriptura.Cõtra,ſic reſtauro,quia in caſibus ęqualibus quoad præſumptũ effectum ſemper magis ſtãdum publico & cõmuni, quam privato vnius teſtimonio, dum inter ſingula membra non ſit vnum quod caput ; ſed conſtat non minus Spiritus veri aſſiſtentiã per traditiones ; igitur quo pacto creditis quia ex Scriptura Spiritui interne inſpiranti, credite vt Interne & viſibiliter per Eccleſiam tradenti. Contra 2. quia dum ad internum motum Spiritus Sancti recurratis ad ea, & difficilia alia vos qui primi, vnde ſcient cæteri quod Spiritus Sanctus ſic inſpiravit ? Etenim vos debebitis vt deinceps credant eadem, teſtimonium identici eventus exhibere, vt & tunc alij ex conſueto ſtyllo ſic veritatem ſperent ; igitur opottebit à veſtro tempore vſque ad præſens pro ſectarijs veſtris veſtræ experimentalis motionis internæ traditio. Contra hæc principalius cum agere debeamus in Subatt.3.hæc pro nunc ſufficere videntur.

NONNULLIS IN CONTRARIUM oppoſitis ſatisfit.

100 Opponunt pugnaciſſime, quod dum vltra ſcriptum, & literale, etiam divinum teneamus verbum, ſequitur nos Catholicos depravatos hæreticos fore, ſiquidem tot, tantaque ſunt à nobis confictа præcepta, vtpote dum decernimus, tantas determinationes, & ſanctiones fore obſervandas, & vt Dei verbum tenendas, vt ſunt Concilia, Traditiones, conſuetudines, & alia ſic, quibus fidelium conſcientiæ aggravantur, & depravantur contra Domini voluntatem, & Evangelicum intentum, dum exprimitur, quod *Chriſti iugum ſit ſuave, & onus eius levè*; ſic proinde ſic verificatur de Catholicis, quod de Phariſæis Chriſtus dixit Matth. 23. S, *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum*; igitur cum nil horum ſic gravius imponatur, dum ſoli ſcripto verbo obeditur, iuxta Chriſti Domini intentum, vltra ſcriptum verbum, nullum aliud reputandum divinum.

101 Reſpondendum ſentio, nil minus ſequi, ac quod ex Catholica praxi obſervatum, ſic opponitur. Ratio eſt conſpicua, quia Scripturarum declarationes facete divinas, ſecundum ſe & ex natura earum, non auget, nec plura imponit, tum quia declarare ſecundum ſe non plus eſt habile, vt iuxta Scripturam addatur onus, ac vt minuatur & attemperetur, vt ex ſe patet; tum quia regulariter, & ſic tranſcendenter ad quæcunque literalia, ſivè divina, ſivè humana, declarationes potius reddunt mitem, & benignum literalem rigorem verborum, ita vt dum litera occidat, ſecus autem declaratio, prout illae dicebat Auguſtinus Tract. 11.in Joan. ſub med. *Vide ne tibi ſubrepat,vt te ipſum velis interimere, ſic intelligendo, quod debes odiſſe in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni, atque perverſi homints, & in ſe ipſis crudeliores, & ſceleratiores homicidæ, flammis ſe donant, aquis ſe præfocant, præcipitio ſe collidunt, & pereunt.* Sic enim etiam in Commentarijs cuiuſvis literæ ſivè Philoſophi, ſivè Theologi, ſivè Poetæ, habilis non plus eſt declaratio vt addat, ac vt remittat;necnon ſic quod præfata Commentaria, dum diſſerta, non aggravent, nec maius onus imponant, vt experimur in Commentarijs ſupra Ariſtot. ſupra Magiſtrum ſentent. ſupra ius civile, & canonicum, necnon ſupra Regulam Sancti Franciſci, cuius obſervatores filij ante ſummorum Pontificum declarationem magis cruciabantur, cum nil plus bono obſervatori plus cruciare valeat, quam ſub dubio elaborando, quid clare, & certe obſervare neſciat. Nec aliter poſſet ſalvari, quod ſummum Dei donum foret interpretatio ſermonum.En, quod ſic magis ſplendeat, quam ſuave ſit Domini iugum, cum ſic, aut ſic ſupra humeros noſtros accomodari ſuſtineat.

102 Rurſus & ad textum oppoſitum dicimus, improbe, & extra Chriſti intentum fore in Catholicos adductum. Suadetur ; quia Chriſtus Dominus non prohibuit doctrinarum divinarum Commentaria, nec præceptorum declarationes, quinimò (id etiam obſerva, vt notes in hæreticos, Magiſterium fidei etiam pravis operibus & tranſgreſſionibus

poſſe

poſſe conſervari) contrarium admonuit, dum de edocentibus ex Cathedra imperativè dixit: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, Phariſæi. Omnia ergo quęcunque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundum vero opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt &c.* Dumtaxat ergo prohibuit opera voluntatis eorum, cum ſibi vellent honores, dum præceptorum onera ſolum vellent alijs, ita vt onerosa legis nec digito ſuo vellent movere, ſicque alijs favorabilia reſtringentes, dum philacteria ſua dilatantes. Videte ergo & attendite exactius caput vigeſimum tertium Matthæi in Catholicos oppoſitum.

103 Opponent 2. Chriſtum Dominum etenim fore magis obſervandum Magiſtrum; ſed Chriſtus Dominus circa traditionum obſervationem, nedum fuit anceps, ſed poſitive averſus, vt conſtat dum oblata fuit occaſio loquendi de traditionibus, prout conſtat Matth. 5. vbi reprobat quatuor Antiquorum traditiones, contrarium docens & ſtabiliens, vt legenti patebit, & omnibus notum eſt de vltima, vtpote de inimicorum dilectione; ergo quia traditionum antiquarum doctrina, Divino veritatis Magiſtro diſſonantiſſima. Reſpondendum ſentio, Chriſtum Dominum nunquam divinam traditionem reprobaſſe, ſed dumtaxat eam, quæ dum humana, vel inhumana erat, intendebant ~~qui im~~probi & depravati legis tranſgreſſores obſervari vt divinam. Quod enim alia foret traditio Dei, & alia depravatorum hominum traditio, conſtat. De traditionibus divinis conſtat iuxta Sancti Regis David, & aliorum ſupra mentionem factam: Conſtat necnon de depravatorum traditionibus, vt etiam Chriſtus Dominus aperte dixit, & diſtinctius declaravit in cap. 15. Matth. vbi dum de traditionum tranſgreſſione arguerentur diſcipuli quia non lavabant manducando manus, inſtavit Chriſtus traditionis argumentum opponens, *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Ubi pręterquam quod ſatis exprimit qualem traditionem reprobandam, etiam ex ly *veſtram*, infertur obſervandam fore non ipſorum, ſed ſuam, iuxta quam Antiquorum Bonorum factis conformis Chriſtus D, facta Scribarum reprobavit, & eis contrariam ſuam doctrinam intimavit, vt exemplicat Hierony. dicens, Chriſtum præcepiſſe, *Quę fecit David in Saul, & Abſalon &c.*

104 Rurſus ex oppoſito ab eis ſolum inferre poterant oppoſitores hæretici, quod quo pacto Deus ipſa luce quam plurimos permiſſit obnubilatos, ſic ob Scribarum malitiam, cęcam traditionum obſervandarum, & non obſervandarum permiſſit intelligentiam; vt *videntes non videant, & vt, alibi, audientes non intelligant*, ſicque obſervare quæ non obſervanda, vt ſupra, & non obſervare quæ obſervanda, vt claro mandato de honore Parentũ confutavit Chriſtus circa eorum traditionem, dum ab ipſis de tranſgreſſione diſcipulorũ arguebatur. Patet cæcitatis, & improbæ traditionis eorũ praxis, & intentum. Improbitatis oppoſitarũ traditionũ argumentũ patet, quia traditionẽ ſuam afferebant & obſervabant cõtra clarum & notum præceptum circa Parentum honorem, ab ipſo Deo propoſitum, *Nam Deus dixit, Honora Patrem &c.* Cæcitatis eorum etiam patet propoſitum, vt legi poteſt apud Matth. ſupra cap. 15. dum Chriſtus dixit increpãtibus Judæis, quę & ego increpantibus traditione hæreticis: *Sinite illos cęci ſunt, & Duces cæcorum; cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent.* Oro ſurgatis, ne tenebræ ſic vos comprehendant. Pijſſimus eſt Dominus, & multus ad ignoſcendum, & tenebrę in eo non ſunt vllæ, dum lucem habere poteſtis in eam credite, vt potius filij lucis, quam tenebrarum harum ſitis.

105 Opponent 3. primam regulam, ad inſtar cuius omnia quæ divina perpendenda ſunt, fore Verbum Divinum, cum ſit ſplendor, & ſubſtantia Patris, & ſpeculum immaculatum in quo, & per quod cætera videntur, & regulantur, nam ſicuti prout Filius eſt Primogenitus in multis fratribus, etiam prout Verbum Patris debet eſſe primo dictum penes omnia dicta; ſed Verbum Divinum ſic venit in mundum, quod revera veniſſet ſcriptum elevatius, vtpote præclarius impreſum in vẽtre Virgineo Almæ Matris, & eius puriſſimo ſanguine rubricatum, vnde Sancti noſtri Doctores & Patres dicere ſolent Virginem Mariam fore librum, chartam, & ſic alia iuxta verum rei eventum; igitur dum Altiſſimus operari debeat iuxta perfectiorem conſonantiam, ſic omnia ſua divina verba in nobis, ſeu inter nos commorari vellet, quod vt divinum ſolum reputari velit à nobis verbum illud, quod phyſicè impreſum, aut ſcriptum.

106 Reſpondendum ſentio, quod, ſervatis in infinitæ diſtantiæ materia ſervandis, etiam vt ſic imprimi valeat verbum Dei dictum, aut ſermocinatum vim habet, cum iuxta arguentium conſonantiam imprimi poſſit in corde audientium illud, prout optimè & eleganter propoſuerat Divus Paulus ad Hebreos c. 4. dicens: *Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens vſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum.* Ex

ſiſtis

ſiſtis efficaciæ ratio efficaci ratione, nam efficacia verbi, nec ſiſtit in ea, quod ſit ſcriptum, nec in eo quod ſit ſermocinatum, ſed in eo quod procedat de ore Dei; igitur dum ab ore Dei nedum procedant quæ ſcripta videntur, ſed etiam quæ narrata audiuntur, cum *Audiam quid loquatur in me Dominus*, ſic verbum Dei poterit eſſe efficax auditui per traditionem, ac viſui per Scripturā. Quinimò cum fidei ſtructura potius ſit per auditum, plus ſic imprimi etiam in comparatione phyſicæ impreſſionis Verbi Divini intra Virginis aulam, videtur fuiſſe à Chriſto Domino edoctum, vt apparet iuxta Lucam cap. 11. cum extollens vocem quædam mulier dixit, *Beatus venter qui te portavit &c.* Et Chriſtus reſpondit: *Quinimò Beati, qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud*: vnde Auguſtinus, & paſſim alij Magni Doctores noſtri reſolvunt, Almam Matrem Beatiorem fore concipiendo fidem Chriſti, quam carnem Chriſti.

197 Rurſus, quia dum Divini Verbi conſonantiam in adventu rigoroſo ſtyllo obſervari cupiant, etiam iuxta eam inveniemus proportionem, vt nedum phyſico illo vnionis metro veniat, ſed inter metri traditionum, ſicque audiamus, prout expertum fuit in Paradiſo, dum ad eum Adamo peccante venit Deus, ad auram poſt meridiem deambulans, necnon cum ſic eum alloquentem audivit Adamus. Et licet diverſo modo, at ad intentum ſimilimo venit ad animam quæ gratiam participat, eum ibi per fidei ianuam non magis Verbum, quam duæ aliæ perſonæ ingrediantur, & licet extra metrum illud Verbi Divini ad Almæ Matris clauſtrum veniant, id tamen non obſtat vt ſic veniant, quod valeat veriſſimus reputari trium Perſonarum adventus, ac proinde ſic quod firma valeat reputari talis adventus conſervatio, iuxta illud Ioannis, Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

198 Et pro cunctis tam nuper, quam pro curſu integro huius ſubarticuli dictis ratio ſemper firma, & ſemper conſpicua ſiſtit in his, quæ iam innuimus, videlicet, quod *Verbum Dei manet in æternum*; Deus enim nedum eſt conſtans, & validus in attramento, ſed in aëre, & aquis multis, ita vt ſi Dei ſit, elevabunt flumina vocem ſuam, & conſimiliter vocem infallibilem dabunt nubes, prout teſtes brachij Domini cum potentia fuerunt Thabor, & Hermon, cum voce delapſa è nube, etiam infallibile auditum fuit Dei verbis divinis Divinum Patris Verbum, & ſic habuerunt illi Apoſtoli firmiorem propheticum ſermonem, à nullo ſcripto verbo ſuperabilem. En, ò rigide arguens, quod clari plurium divinarum doctrinarum Magiſtri ſint Cœli, qui revera docent, & enarrant gloriam Dei eam in pulchriori papiro ſtellatis literis ſcribētes, & tamen inſtar traditarum doctrinarum dum nubes illa Thabor in terreſtribus loqueretur, non minus conſtans, & verax cælo, quia ſi Cœli digito Dei ſcribant, ore Dei nubes doctrinam etiam tradidit: Unde cum quæcunque Dei æquè Deum participent, & æquè dum ab eo ſint vera erunt, modo ab eo deriventur per lucem, modo per obſcuritatem, modo per calamum, modo per linguam, modo per Scripturam, modo per traditionem, modo per os ſuum, modo per os alterius, &c, ſic.

109 E converſo, dum facta ſive ſcripta, ſive tradita ex Deo non ſint, non plus traditum eſt fallibilibus, & mendoſis ſubiectum, quam ſcriptum, Patet, quia ſi poſſit male loqui, etiam poteſt male ſcribi; ſi quidquam poſſit addi vel minui in traditione, etiam in Scriptura; ſi poſſit aliquis eſſe ſurdus, etiam poteſt eſſe cæcus; ſi detur homo lumine luſcus, etiam aure; ſi poſſit perturbari aër auditui, etiam ſpecies oculo; ſi poſſit auris aliud quam eſt concipere, etiam perſpicatior viſus, vt evenit & paſſim experitur in baculo immerſo ad aquarum decurſus, in columbę plumulis à Sole irradiatis, & in vivacibus Iridis coloribus. Non enim eſt aliquis ſenſus etiam ex infimioribus, qui ſi ſuo obiecto cōformis ſit nō ſit æquè firmus, & æquè infimus ſi difformis, etiam ſi ex ſupremis ſit; ac proinde nec fallibiliati, nec infallibilitati aderit aliquod organum alio habilius, quin tradere excellatur abſcribere, vt paſſim de mendacibus idiomate Aragonico ſolet vulgariter dici: *A fulano ſe le paſſa el papel.*

119 Non ergo ſtat in prædictis difficultas, etenim in his nullam ſentio. Difficultas ergo ſolum ſtat in origine, videlicet, vnde ſcietur, quod ex Deo ſit verbum, ſivè traditum, ſivè ſcriptum? Nos igitur cum iam ex tot propugnatis reſolutionibus Petri Succeſſorem, & Chriſti Vicarium firmaverimus, habemus Paſtorem bonum, & verum, cuius vocem, vt vnius ovilis oves audiamus. Ad ovile enim ovium intramus, & per oſtium intramus per quod intrat ipſe Paſtor, qui verus, nam ſi oporteat, ponet animam ſuam pro ovibus ſuis, vt tot iam Romani Paſtores fecerunt. Audimus ergo vocem eius, quia etiam ex ovilis vinculo, quod eſt fides, ex Deo ſumus, propterea vos non audiſtis, quia ex Deo non eſtis. Audite diſciplinam, & ſtote ſapientes, & nolite abijcere eam, cum ſit Beatus homo qui audit, & vigilat ad fores eius quotidie, & obſervat ad poſtes oſtij eius, per quod ad Deum intratur. Pulſate & aperientur.

111 Opponent 4. Fidei meritum revera fore magnum, quia arduum, ſicque quia in obſcuris ambulat vna ex nobilioribus animæ potentia: Tum magnum, quia cæterorum ſupernorum operum eſt primum, & indiſpenſabile fundamẽtum: Tum magnum, quia debet fidelis captivari vt meritum lucrari queat, ſicque ſępe cædere quaſcunque rationes & diſcurſus in contrarium apparentes; vnde ne in tantis periculis fidelis conſtitutus pereat, non debebant augeri credibilia, ne aggravatus inter tot obſcura, cadat, & omnia perdat; igitur cum fidei merito, & fundamento, quæ à tempore Apoſtolorum fuerunt ſcripta, ſint verba, quæ divina ſufficiant nobis revera in natura depravatis, & debilibus, ſi non inhumanum, ſaltim imprudens vel liberum videbitur ampliando divinitatem in verbis Pontificum, reſtringere libertatem, vires ſuffocare, & fideles plures qui aliter forent, perdere, & conturbare.

112 Reſpondendum ſentio, & in primis negando ea, quæ fidei nobiliſſimo merito præſtari videntur. At dum ea præſtemus, nil obſtare debent, quæ ad ſuave fidelium obſequium intendunt ex verborum, vt divinorum extenſiori veneratione, & credulitate. Tum, quia ſuavitas, aut aſperitas credibilium, non pendet ex credibilibus, ſed ex conceptu atteſtantis, & ex bono & præparato corde obedientis, vt etiam patuit in ſermone illo Chriſti circa primam Eucharistiæ propoſitionem, qui ſermo ſuit durus aliquibus, dum fuit ſuavis alijs, vtpote Petro, & ſub eo militantibus, non aliunde niſi ex ſolido conceptu aſſerentis, & ex ſubiecto animo obedientium. Sic ergo vnica difficultas pro omnibus credibilibus eſt, vtpote de recto aſſenſu Succeſſoris Petri, hac enim evicta, nil reſtat quod facile non ſit; eaque non evicta nil dabitur, quod non ſit difficile. Tum, ſi eorum argumentum ex benignitatis colore debeat rationalius reputari, pari paſſu poſſent arguere increpando Deum, dum quodcunque credibile non reliquit evidens in atteſtante etiam phyſicè; nam etiam ſi phyſicam evidentiam in atteſtante haberet luce clariorem quilibet fidelis, locum aliquem poſſet retinere fides dum ei credibile vt in ſe phyſicè evidens non foret, ſicque dum tem atteſtatam non videret, ſemper haberet aliquod obſcuritatis medium, dum ſic appareret benignior conditio, cum forſan plures crederent, qui non credunt per ſolam moralem evidentiam connexionis Revelantis cum materia revelata, & credenda. Sic etiam poſſent increpare Altiſſimum, dum auxilia efficacia non præſtitit omnibus merito paſſionis Chriſti, appareret ſiquidem abundantior benignitas, necnon merito præſtaretur locus, ex liberi conditione, vt evenit in gratiæ confirmaris.

113 Omnis igitur Chriſtianorum infidelium ruina, non ſtat in onere, ſed in corde & depravato animo. Qui enim perfecte obediens eſt, nedum obedit in his quæ ſunt conformia appetitui, ſed & in illis, quæ adverſantur, ita vt Patrem, Matrem, & vxorem, ſi oporteat odio proſequi debeat, & ſe ipſum, quod magis eſt. Sic Petrus dum perſectus ab alio debuit ſerri quo ipſe nollet iuxta carnis appetitũ, nec aliter clarificaretur. Obedire enim in his quæ appetitur, non eſt Dei ſed propriã voluntatẽ complere. Si enim ob benignitatis colorẽ ſolum nobis amicabilia diligamus, *quam mercedem habebimus*? Nonne, & Publicani hoc faciunt? Sic ſi credamus, quæ noſtro captui dumtaxat conſona, in quo ab Ethnicis differremus? In corde non puro, & mente ficta ſtat penitus vniverſorum difficultas. Qui enim cor purum, & ſanam mentem habet, non minus credet centum quam decem, nec minus aſpera quam proprio appetitui dulcia, dulcis enim & rectus Dominus ſemper eis fuit, dum nunquam præcipit impoſſibilia, ſed perfecta. Nec vlli fideliũ negat abundantia, at fruſtratur ab eo qui mente ſana, & corde puro non præparatur, ita vt defectus non ſtet in virium reſtrictione, & credibilium ampliatione, ſicuti nec in Atteſtantis non exacta propoſitione, vt ipſi putant, ſed in ipſis, ſic iam depravatis, quod non plus crederent etiam ſi Divus Petrus reſurgeret & credibilia proponeret, prout futura intuens & penetrans manifeſtavit Chriſtus Dominus Matth. 16. dum Dives ille damnatus rogabat Abraham vt Lazarum mitteret, vt teſtaretur quinque fratribus ſuis, ne & ipſi venirent in locum tormentorũ, & ſic reſponſum fuit ei: *Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non Pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*

SVBART. III.

Regula pro Scripturarum divina veritate, & declaratione, Eccleſia noſtra Catholica.

114 CUm circa divinarum Scripturarum intelligentiam, firmumque pulſan-

pulſandum ſenſum nonnullæ, & aliquando non leves difficultates, & controverſiæ exoriantur,ac proinde iuxta mentis noſtræ elevatam, aut ambitioſam ſphæram, inquieta dum ſiſtat arrogans ſpeculatio noſtra, velit vſque ad ima inquirere, & penetrare, indeque pluries ſequatur erroribus confundi & obnubilari, oportet firmam regulam,& infallibile ad conſimiles controverſias Magiſterium deſignare, vt nedum iuxta pientiſſimam Dei providentiam, apud nos teneamus ſcripta quæ dixit, ſed & quo ea intelligamus, vt cum, non evidentia, veneratione prudentum veneremur. Obſcurabitur equidem ſublimius ingenium, ſi minus docile divinæ lucis regula non metiatur, cum nil ſit in vita hominis, quod ſub militia non ſit. Inde oportet veritati capiendæ Magiſter, ſicuti & militię erigendæ Dux. Neque in campo intellectualis certaminis, vbi iam mentis vanitas ferit, iam litera ipſa occidit, ſi fides non ſit comes, difficile credetur, quod veritas vincat. Quæcunque enim ſcripta, & divina teſtimonia, ſi conſtans ſit Fidei Magiſterium, credibilia facta ſunt nimis.

115 Verum enimvero, cum aliquando eveniat quamplurima Scripturę ſacræ non intelligere, ſicque errare (Auguſtinus lib. 83. quæſt.q.*69. Non poteſt error oriri palliatus nomine chriſtiano, niſi de Scripturis non intellectis)* vel ob intellectus ignorantiam, vel ob voluntatis malitiam, dum etiam in arrogantis volatus pœnam, inde vt aliqui non cadant, & qui ceciderunt exurgant, oportet,prout dixi lucis ſignare columnam, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Quæ ſit iſta, eſt nũc tota difficultas. Anabaptiſtæ, & aliqui ex Lutheranis quos referunt Valentia §. 2. & Aragonius ad initium *Ars.* 1. apud noſtrum Velaſcum *dp.* 14. *q.* 13. defenſant, nullam aliam dari ad intelligendum, quæ credi debent,præter internam ſpirationem, qua vnuſquiſque interius à Deo docetur. Conſimiliter reſoluit præſentem quęſtionem Calvinus *lib.* 1. *Inſtitut. c.* 7. *ſect.* 4. Dum enim nos Catholici ad Eccleſiæ declarationem,& approbationem referimus certitudinem ſciendi has Scripturas fore divinas, ſecus aliàs, v. g. Evangelium Marci, qui nunquam Chriſtum vidit tenetur vt à Deo dictatum, Nicomedi autem qui cum Chriſto extitit vt à puro homine deſcriptum: Dum enim Catholici iuxta Eccleſiæ lucem reſpondemus ducti, reſpondet Calvinus ſupra apud Maſſuccium ſic: *Altius, quam ab humanis rationibus, vel indicijs, vel coniecturis petenda eſt hæc perſuaſio, nempe ab arcano teſtimonio ſpiritus.*

116 Reſolvendum eſt contra prænominatos,& quoſcunque alios hæreticos, firmam Regulam intra Catholicam,& Romanam Eccleſiam contineri. Et cum ferè totum robur ſiſtat principaliſſime in motione interna cuiuſvis reputati fidelis, etiam principaliſſime noſtra reſolutio propugnabitur, dum ab eis ſtabilita rationibus noſtris infringitur.

117 Primo, quia ſi præfatam regulam ad internam motionem reducere oporteret, maximè, dum divinarum doctrinarum Magiſtri vel in fide, vel in operum pravitati ſuſpecti forent, aut clarè deſpecti deberent eſſe; ſed iuxta Chriſti publicum decretum, & pręclaram eruditionem, ab omnibus vt exemplar lucis attendendam, nec caſus depravati Magiſterij probavit fideles per ſpiritum proprium regulandum, ſed per declarationem edocentium ex Cathedra viſibili; ergo.Maior conſonat iuxta providiſſimam cœleſtis Medici, & divini Magiſtri conditionem. Minor patet ex Phariſæis,& Scribis, qui dum in operibus depravati, & peſſimum erant fidelibus exemplar, tamen ſat fuit eis,ſedere ſuper cathedram Moyſis, vt vnuſquiſque fidelis nec tunc ab interna motione doceretur, & ſic faceret quod ſpiritus induceret, ſed vt ſemper quidquid dixerint ſuper cathedram ſedentes; ergo &c.

118 Secundo ex Evangeliſta Joanne, qui dum circa difficilem veri ſpiritus diſcretionem, voluit firmam regulam ſtabilire, ait in Epiſt.1. cap.4. *Qui novit Deum audit nos; qui non eſt ex Deo, non audit nos, in hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* In huiuſmodi textu, maximè vos,qui, quo pacto divini ſcientiam vocis habere vultis, notate, quod dum iuxta ea quæ ſingularis perſonæ eſſe poterant, incompatibilis elucere debebat Joannes,& tamen noluit dicere, qui ex Deo eſt, *audit me, ſed audit nos,*& ſic pluries loquitur, vt parebit legenti caput quartum; igitur quia voluit Joannes regulam diſtinguendi ſpiritum veritatis, & erroris ad Apoſtolicam Congregationem reducendam. Confirmatur ex ipſo Joanne dum in cap. 2. Apocalypſis plura docens, & de morum correctione alloquens, cum venit ad ea quę ſpiritus dicit, ait: *Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſijs.*Rurſus ex ipſo textu,vbi ſupra Joan. 4. ſi diſcretio ſpiritus veri non ex auditu, ſed ex illapſu, ſicque non ex docente exterius, ſed ex interius dũtaxat movente, probaretur,otioſe,imò & inſcie magnus Joannes ad audiẽdum diſcretionem ab ipſis Apoſtolice factam,fideles illos ſuaderet,vt patet, ipſi ſiquidem,edocti & in ſacris Scripturis illuſtrati manerent quia per internum auditum audirent quid eis diceret ſpiritus, & non ſic, quia per externum

& modo regulariter viſibili Joannis doctrinam audirent. Sic enim qui ex Deo ſint, iuxta Epiſtolam Joannis ad Scripturarum captum tenebuntur.

119 Tertio, quia quidquid irregulari modo per internam motionem illuſtret, & illuſtrare queat, vt velit Spiritus Sanctus, quod non negamus, at mihi, iuxta regularem providentiam fidelium, ſemper firmiter conſonat, quod in his, quæ ad vniverſalem fidelium intelligentiam ſpectant, proprius exemplar, & directior norma pro omnibus Spiritus divini illuſtrationibus, & exercitijs ſit exemplar completi temporis Pentecoſtes, dum ſolemnius habetur, & celebratur adventus Spiritus Sancti Paracleti; nec quidquam facile in aliqua die, aut in aliquo fideli inveniri poterit verſus ſupernum aliquod donum, quod non eveniret in illa die; ſed ſic fuit, quod tametſi vt crederent, & plura plures intelligerent eorum qui convenerant ad Apoſtolos etiam ab Spiritu divino interius moverentur, tamen oportuit, quod Apoſtoli viſibilibus argumentis, & declarationibus inſtruerent, & ſolidarent; ergo. Tum dum facta hac voce Spiritus convenit multitudo, & controverſiæ exorirentur, quod Spiritus Sanctus repleviſſet Orbem terrarum, non fuit obſtaculum, vt exurgeret Petrus, & ſignis, virtutibus, & præclaris interpretationibus occurreret, inſtrueret, & decideret; ergo. Tum, quod Spiritus Sanctus inflammando corda, eorum diſcipulorum mentes viſitaret altius, non fuit obſtaculum, vt etiam viſibilibus linguis concurreret; ergo.

120 Quarto, & à diviniſſimo alio exemplari. Dum enim duo ex diſcipulis Jeſu in Chriſti mortis fraganti caſu ibant ad Caſtellum Emaus, ipſique nondum benè Scripturarum ſenſum intelligerent, Cœleſtis Magiſter aperiebat, & interpretabatur, in ipſo tunc cor exardeſcere ad invicem ſentientes: Nunc ſic: etiamſi cor eorum exardeſcere feciſſet ſic Deus, quod ad invicem non poſſint cohiberi interiora flammantia, vt exterius combinarentur, necnon, qui cordibus immittebat flammam potuit & ſic internè mentibus æqualem imprimere intelligentiæ lucem, tamen cum Chriſti Domini facta, deberent vſque in ſeculum ſeculi manere futuris in ſolatium & exemplar, ſic interiora movere voluit, quod ab ipſo etiam vt ſupremo, & pro tunc viſibili Eccleſiæ capite vellet, per externas interpretationes & intelligentiam ſenſibilem inſtructos manere, dubia removere, illorum duorum conferentiam in medio ſtans præſidere, & controverſiam obſcurantem declarare, & decidere; ergo & à ſimili multo melius & nos, maximè cum quod ſtultius fuerit Apoſtolorum ſapientius ſit limitatis noſtris, & non ſic facialiter iuſtitiæ Solem, & veritatis Magiſtrum participantibus.

121 Quinto, quia fidelium pabulum debet eſſe iuxta ovium proprietatem, vtpote manifeſte ſic à Cœleſti & Paſtore bono Chriſto toties Petro, & Apoſtolico gregi deſignatam, vt cunctis conſtat, prout etiam conformiter ad veteris teſtamenti Paſtores: ſed tametſi ovibus inſit interna inſtinctus motio vt circa diſcretionem herbarum, nocivas reprobent, & alterius vallis fertiles & proficuas eligant, nihilominus ne in vallium, & pratorum electione decipiantur, cura Paſtorum oportet: Tum, licet ex inſtinctu præceptiua poſſent diſtinguere, tamen ne perdatur, aut pereat ovis Paſtoris ſolicitudo oportet: Tum licet ex inſtinctu eis præſtitum foret lupos fugere, ſicque alia concipere contraria, vires tamen non ſic Auctor naturæ voluit inſtinctui adæquatas præſtare, quod Paſtorum, & canum ſuorum viribus, curis, & vigilijs non egerent, ac proinde ſic, quod etiam ſi interna inſtinctus elevatiſſima forent intus, tamen abſque Paſtorum viſibili præſentia, & intelligentia ſenſibili ſemper forent errantes, vt alibi dicitur; ergo à ſimili dum nos, vt vnius ovilis oves, à Chriſto revera fuiſſemus.

122 Sexto, quia revera, veræ viæ, & ſectæ amplectendæ, eſt omnium maximum negotium, vt etiam provida animantia ratione carentia ſuadent paſſim, vt vitam ſalvent, & modum vivendi teneant; ſed ſingularia, & privata ad ſic vniverſaliſſimum proventum non videntur rationabiliter ſufficientia, maximè dum internæ motiones ſint diſſonantes; igitur ad maiorem aulam, & vniverſalius magiſterium recurrendum petit negotij tanti ſublimitas. Suadeo, & expono intentum, tum in Redemptionis negotio, cuius remedium non dumtaxat voluit Chriſtus infiniti valoris orationibus & internis doloribus adſcribi, ſed & viſibilibus & externis operibus, ſicque vt patiens redimere voluit: Tum quia dum ad tam vniverſale & maximum negotium (ex privatis, & ſingularibus præmiſſis nullus vſque adhuc vim concludendo fecit, & dum ex ſingularibus, deberet eſſe, vt inductione ſit, v. g. ille id intus ſentit, ille idem ſentit, ille etiam, & ſic cæteri; ergo benè ſentit; ſecus induceretur ſingularium fractione concluſio, vt ſciunt Dialectici) privatæ, & ſingulares motiones ſufficere poſſent, deberent pro veræ intelligentiæ captu ad invicem ſervare interio-

interioris conſonantiam, ſecus autem diviſionem, vt evenit in Auctoribus contrarijs. Suadeo id, à paritate illorum duorum Diſcipulorum Chriſti, paulo ante relatorum, illi enim bene ſuadere poterant veritatem, cum ſic adinvicem exardeſcerent corda, quod adinvicem per vtriuſque os inſimul apparerēt flammantium cordium ſcintillæ; nec leviori interiorum ſtupendo ſigno maximum Redemptionis negotium comprobarent, & credendum docerent; igitur cum id non eveniat, ſed ſemper contrarium in internis eorum motionibus, & aliàs non ſic ſtupore mirabili confirmatis, prout infra ſtatim, revera in huius viꝫ omnium maximo negotio minus habentes invenientur.

123 Septimo, quia Scripturarum intelligentia dum interpretatione egeat, non benè adſcribi debet interno magiſterio, vt dubitantium Apoſtolorum exemplo ſenſibiliter comprobabitur; igitur ad viſibilis magiſterij deciſionem pro vniverſali fidelium vnitate reducenda. Suadeo & expono intentum in Chriſti Domini Reſurrectione, quem fore ipſum eum interius dubitarent Apoſtoli, dum è corde eorum illæ cogitationes aſcenderent, noluit explicare curationis medicamen magiſtrale per internam motionem, ſed per externam efficaciam mediorum, arguens & viſibiliter probans à paritate ſpiritus carnem & oſſa non habentis. Tum ex Divo Thoma patuit, eum potuit eum ſic interius movere, quod ſimiliter exclamaret, Dominus meus, & Deus meus, & tamen explicuit dubitationum deciſionem per viſibilia loca clavorum expetendam. Tum, quia vt omnes Apoſtolos in articulo & doctrina Reſurrectionis firmos relinqueret (nec vnquam intendi internam divinæ lucis illuſtrationem negare, ſed ſolum intendi, quod ad vniverſalis fidelium vtilitatem viſibile magiſterium Eccleſiæ requiratur, ita vt eo quæcunque interius habita approbentur; non enim Magiſter qui approbat alterius factum, inde decidit quod alterum non probet, ſicuti nec inde quod reprobet ſequitur: ſed infertur fuiſſe verum ſi approbet, ſecus autem ſi non approbare decernat) elegit vt medium, quod viſibile, vtpote præbens ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam, per dies quadraginta *apparens eis, & loquens de Regno Dei.* Tum, omnis comprobat viſibilis magiſterij eventum, etiam vti pluribus argumentis, vt refert Sanctus Lucas in 1. Act. Apoſt. quæ equidem inutilia, & otioſa forent, ſi eos per media interiora vellet convincere, vt æquè ei poſſibile erat.

124 Octavo, dum eviſcerantur, quę ſunt ex principalibus contrariorum fundamentis. Vel enim Scriptura non eget viſibili magiſterio, quia ſecundum ſe eſt clara; vel quia Spiritus Sanctus omnem iam docuit veritatem, eamque primis noſtris Magiſtris, vtpote Apoſtolis patefecit; ſed id nil probat pro eis, cum id ipſi non probant; ergo vlterius requiritur probatio. Comprobatur intentum per partes, & in primis primum non probare; quia ſi quia clara viſibili magiſterio non egeat, pari claritatis ratione nec inviſibili, & interno egebit; non enim ſolis oculis corporis extiterunt clara, quæ evidentia; ergo ex eo claritatis medio nunquam probabunt non egere ſcripturam viſibili magiſterio. Deinde nec probabunt, eo quod Spiritus Sanctus omnem veritatem edocuiſſet; ergo. Probo, quia dum iam per Apoſtolos, & Evangeliſtas omnis veritas ſcripta maneat ab Spiritu Sancto edoctos, nemo deinceps egebit interna motione vt ſciat, ſed dumtaxat oculis vt legat; ergo. Tum ſequenti ratione confirmabitur intentum.

125 Nono, quia ſi dum cuncta clara, & ab Spiritu interno edocta, inſcie Divus Petrus admoneret prope finem Epiſt. 2. Chariſſimum Fratrem Paulum iuxta ſibi datam ſapiētiam ſcripſiſſe quædam in Epiſtolis, *difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant*; igitur ex difficultate aliud infertur ac intendebant ipſi ex ſpiritus doctrina, ſicuti & ex depravatione aliquorum indoctorum, & inſtabilium, non ſiquidem quidquam eſt difficile Deo interne moventi, ſicuti nec quidquam indoctum, & inſtabile. Dices hinc, Divum Petrum iam diſtinguere inſtabiles & depravatos, quos Spiritus benè non movere conſonat. Bene ſit, at ſemper vrget, quia revera eſto difficilia ſecundum ſe quædam ſint, eaque alius ſic, & alius ſic intelligat, & forſan ad ſenſum, vt aliquando evenit, pulchrioribus coloribus mendacium induatur, ſicque in contentione poſiti tot ſint vnius, ac alterius Patroni, quis decidet, dum vnuſquiſque ſe interne motum pro viribus teneat? Etenim hoc, quod aliorum Catholicorum eſt argumentum, mihi ſemper extitit irrefragabile, vt penetranti, á paſſione abſtracto, patebit.

126 Decimo, quia non videtur negandum toti, quod parti conceditur; ſicuti nec Paſtori, quæ ovi cuicunque; ſecus autem è converſo, vt cunctis rationabilibus Philoſophis notum eſt; igitur cum inde eſto ſit eorum deciſio vera, noſtra, vtpote totius Eccleſiæ non poſſit eſſe falſa, infallibilius tendent dum nos ſequantur, ac dum è converſo. Dices, idem poſſe difficultari ſivè de Eccleſia, ſivè de ſummo eius Antiſte, cum revera etiam ve

deci-

decidant requirant divinam motionem. Abſit, & pro nunc dicimus, divinæ providentiæ ſemper fuiſſe vniverſis malis parare remedia, ſicque magis ad ea, quæ ſunt fidei, & æternæ ſalutis; igitur dum cuncta Deus ordinate collocaret vt patebit diſcurrenti per res cuiuſvis prędicamenti, cum opus foret ad vltimum venire, vt in his quæ mentis habeamus requiem, tametſi eam per Spiritus Sancti aſſiſtentiam, credamus vni datam, aptius deducendum datam capiti, quam alteri ab eo diſtincto membro. Non enim Deus in his quæ ſuperne operatur, rerum proportionis oblivíſcitur, ſed dum poſſibile ſit, etiam mirabilius operans eis accomodatur. Et quia de his plura dixi in præcedentibus quæſtionibus, necnon forſan infra in argumentis, ea omitto. Solum addncam pro Auctoritatibus privatis ea Auguſtini verba Epiſt. 119. & in Proæm. ad lib. de Doct. Chriſt. S, *Tentatio eſt, propria Auctoritate velle interpretari Scripturam.* Sic paſſim tentati cadunt improbi, ad internum motum confugientes, vt ſic libertate inſolentius perfruentes, ad recta non cogantur (ſic nonnulli pigri & tæpidi Chriſtiani, vt laborem communicatum fugiant, infirmi finguntur, at capitis dolore, aut ſic alio interno, qui viſibilibus pulſationibus non percipiatur) quinimo rectis iuxta malignam relaxationem vtantur internis motionibus interpretantes, prout etiam Auguſtinus contra Manichæum penetravit per hæc verba: *Id vos agitis, vt omnis de medio Scripturarum Auctoritas auferatur, & ſuus vnuſquiſque ſpiritus, non Divinus Auctor ſit, quid in vnaquaque Scriptura probet: hoc eſt, vt non Auctoritati veſter animus ſubijciatur, ſed contra Scripturas vobis ſervire iniqua tyrannide cogatis.*

127 Undecimo, vt ſingularius inſtem, proponam illum textum cap. 8. Act. Apoſt. ab aliquibus Catholicis Doctoribus adductum, videlicet, dum Eunuchus Reginę Ætiopum legebat Iſaiam Prophetam ſuper illa verba, *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt &c*, eique dixit Philippus: *Putas ne intelligis, quæ legis?* Et Eunuchus reſpondit, *Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi? Obſecro te, de quo Propheta dicit hoc? De ſe, an de aliquo alio?* Unde ſic formo argumentum: Ibi proprie oblata fuit Eunucho controverſia, vt patet dum ex vna parte poterat intelligi de Iſaia, & ex alia poterat non minus intelligi de alio; deinde bonus erat Eunuchus ille, vt ſuadet dum etiam iter faceret, & in lectione ſacrorum verſabatur; necnon dum miraculoſe providit ei Altiſſimus Philippi occurſum; nihilominus tanta magnalia piè voluit, uoluit tamen interne decidere controverſiam, & per internam motionem ſpiritus intelligentiam præſtare, tametſi ei pluribus etiam inviſibiliter auxiliaretur; igitur quia dum quæcunque facta & ſcripta ad noſtram doctrinam & præbendam normam ſint; debemus colligere, quod etiam ſi pluribus interne Altiſſimus adiuver, velit tamen circa doctrinam fidei intelligentiam, etiam viſibile oraculum, & Apoſtolicum magiſterium conſulendum.

128 Dices, quod ſi benè eventus ille attendatur, invenietur, quod vt Philippus ea faceret, fuit ab Angelo admonitus non ſine ſpiritu divino inſpirante vt iret contra Meridianum, & adiungeret ſe ad currum Eunuchi; igitur quia ſivè ſic, ſivè ſic, randem ad internam Spiritus Sancti motionem eſt ſacrorum intelligentia reducenda. Contra ex ipſa veritate antecedentis: Dum interna Spiritus Sancti illuſtratio dari oporteat, conſtat ex illo facto, eam non dari fideli edocendo nuda penitus à viſibili Doctore, & Apoſtolico Magiſtro, ſed vt inſtructioni in rebus fidei conveniens data fuit ipſi Apoſtolico Magiſtro, vt iſte deinceps *aperiens os ſuum* evangelizare queat, & Scripturam declaret, vt aperiens os ſuum Philippus declaravit, & evangelizavit; igitur inde magis ſuadetur, quod tametſi in fidei controverſijs teneamus Apoſtolicum Antiſtitem non decidere quidquam, nec docere quin divina illuſtratio præcedat, ſecus autem de alijs, quouſque ille aperiens os ſuum decidat aut approbet.

129 Dices aliter imparem cum noſtris fore illius Eunuchi eventum. Ratio eſt, quia nos iam à tempore magiſterij Apoſtolici habuimus ſcripturarum lucem, ita vt v.g. non poſſimus ignorare Chriſti Domini eventum ab Eunucho ignoratum; in omnem enim terram exivit ſonus Apoſtolicæ eruditionis, ſicque nos non egebimus magiſterio, vt ex contrario motivo egebat Eunuchus ille, cum Scriptura illa non fuiſſet ei declarata; igitur nunc dum cuncta declarata ſint, ipſa Scriptura ſatis erit fidei rerum magiſterio. Horum ſolutio graditur per aliam viam, vtpote nunc in ipſis Scripturis contineri magiſterium, contra quæ iam plura dixi iu præcedentibus Articulis, maxime at attende quæ manent *in quæſt.* 4. *Art.* 3. *ſubart.* 1. Contra tamen hunc, quia Eunuchus ille è Jeruſalem revertebatur in ipſo Chriſti mortis fragranti eventu, & non erat facile quod qui vt peregrinus in Ieruſalem ignoraret quę in diebus illis acciderant. Tum, quia dum in omnem terram exiret ſonus, etiam à principio exire poſſet in vicinos terrę illius. Tum quia ad diem Pentecoſtes convenit

venit multitudo ex omni genere. Tum, quia qui ſic curioſus ſcrutabatur Scripturas, multo magis factum omnium ſtupendum vt fuit illud mortis Chriſti; ergo.

130 Contra 2. quia ex eo Eunuchus ille non poterat iuxta infallibilem ſenſum oblatam illam controverſiam decidere, quia ipſi difficilis erat intellectus; ſed prout toties diximus plura paſſim in Scripturis difficilia offeruntur; igitur quo pacto ob difficultatem, controverſiam non decidit Scriptura Eunuchus, ſed Apoſtolico magiſterio, ob eamdem noſtrę controverſiæ non decidendæ Scriptura per Scripturã abſque Apoſtolici Antiſtitis declaratione. Minor patet, tum ex epiſtolis Pauli iuxta infallibile dictum, & notam Petri; tum ex controverſijs quas paſſim habemus cum hæreticis, necnon ipſi eximie inter ſe, vt toties ſupra propoſuimus; tum, quia vt patet in omni ſerie ſcibilium, nunquam ſic omnia ſciuntur, quod plura non ignorentur, cum hæc ſit conditio mortalium, ac proinde ſi alicui Deus *addat ſcientiam, addet & dolorem*; infinitus enim theſaurus eſt ſapientiæ, & ſcientiæ divinæ, nunquam per tot ſæcula exauſtus, maxime dum doctrina eſt obſcurantis aulæ, per ſpeculum potius ænigmatibus quam facialibus ſplendoribus reverberans.

131 Dices, quod tametſi non facile poſſit negari plurima difficilis intelligentiæ in Scripturis contineri, alias hæc Jeruſalem foret dicta pacis viſio vt ea cuius lucerna Agnus eſt, at ea quæ ad fidem, & bonos mores principalius ſpectant, iam adſunt in ipſa Scriptura deciſa, & declarata, ſicque aliorum difficilium, quę parum attinent, non ſic eſt curandum, vt curamus nos. Contra quia ea quæ Paulus v.g. in pluribus ſcripſit difficilis intelligentiæ, per ſemetipſa non ſic facile declarantur; ſed iuxta Petrum etiam eis non benè captis plurimi depravantur, dum revera non ſic eveniret ſi magiſterium Apoſtolicum conſulerent, & vt mites ſpectarent, dum verbum eius cuſtodirent; ergo. Rurſus, quid plus prodeſſe poteſt, quã veritas vel falſitas (loquor contrariorũ labio) Corporis Chriſti verè in Euchariſtia vbicati? Nil plus, cum controvertatur vetus vel figurativus animæ cibus. Tum & nimis interceſſiones Sanctorum prodeſſe, & ſic quam plurima, hæc ab hac, & illa ab alia ſecta negata, quis negare poterit, qui Advocati cupidus favorabilem ſibi cupit ſententiam? Nemo profecto: Sed horum, & aliorum plurimorum habent de importantiſſimo negotio controverſiam, dum ipſi dicunt claram in Scriptura fore pro ipſis deciſionem, cum prout de hoc alibi recitavimus, ipſimet pro viribus dividuntur; quis decidet? Si Scripturæ claritas, quomodo tot Viros relinquit plus confuſos? Sol enim non generat noctem, ſunt tamen plures, qui vltra lucem tenebras diligunt.

132 Duodecimo tamen à paritate omnium ſcientiarum, in quarum præclarioribus elatior intellectus eſt fallacijs ſubiectus, nedum egens vivacior principijs, ſed & magiſterio, quo viſibiliter inviſibiliter maneat inſtructus. Quibus addo meritum obedientiæ, quod nimis facit, ne quis proprio conſilio inhærens, decipi permittatur. Oportet enim ſicuti ad ea quæ ſunt voluntatis habere præcipientem, ad ea quæ ſunt intellectus habere Præceptorem.

SOLVUNTUR, QUÆ PRINCIPALius oppoſita: & pro eximio hæreticorum impetu, in Catholicæ credulitatis favorem, ſingularis eruditio Auctoris expenditur.

133 Opponunt contrarij principalem impetum, nedum in hunc, ſed in fere omnes Articulos pugnaciſſimè dirigentes, cum ex circuli anguſtia intendant Eccleſiam conquaſſare, vtpote ſuadere conantes etiam iuxta aliquam circuli partem fallibili, & humana auctoritate penitus circumamictam. Sic ſolent oppoſitionem formare: Catholici credunt quæcunque ſunt Scripturarum (eadem circulatio fieri poteſt circa fidem traditionum, & definitionum) quia Eccleſia dicit, definit, & approbat, iuxta illud tritum verbum Auguſtini, vtpote Evangelio non credentis, niſi ipſum Eccleſiæ auctoritas commoneret; & vlterius, cum oporteat Eccleſiæ dicenti, & approbanti prꝑſtare infallibilitatem, hæcquè non poſſit à Catholicis niſi ex Scripturis ſacris ſuaderi, dicunt credere Eccleſiam infallibiliter alloqui, quia Scriptura probat, & dicit. Inde ergo Catholicos dum enervare circulo intendunt, vociferantur illudentes ſic: Creditis Scripturæ, quia dicit Eccleſia; & creditis Eccleſiæ, quia dicit Scriptura.

134 Priuſquam ad ſolutionem circuli acerrime hęreticorum menti fixi deſcendam, cum vim vi repellere liceat, vellem circulum circulo conſtringere, quo pacto virgas illas Aaron virga ſua contorquit. Sic ergo oportebit, vt clavo clavus retunditur, & in 7. Exod. virgam virga devoratur, circulum circulo opprimere. Tam enim malefici Ægyptiorum, ac Aaron circulum habuerunt ad oculos, cum iam virga verſa fuerit in colubrum, & coluber in virgam, at cum hac differentia nimis notan-

notanda in eo circuli argumento (arguebatur enim ibi, & in pluribus rebus fidei , & Religionis , vt clarum erit cuicunque eam hiſtoriam legenti) quod ſcilicet , ſereno animo quieſceret in fine circuli ſui Moyſes,dum virga verſa in colubrum , idque turbaret , at in caſus reſolutione coluber fuit verſus in virgam tractabilem , & pulchram , ſicque iam firmiter apprehendens, & divinam fidem docens , probavit circulum illum non fore vitioſum , ſed myſterio & perfectione plenum, dum etiam vis ſtantæ , quod maleficorum circulos confunderet , & virgas eorum virga ſummi Sacerdotis Aaron devoraret , cum forent ignobilioris vis , & vitioſæ , ac inhabilis circulationis , vtpote è virgis fuerunt verſæ in dracones , in hocque ſtatu draconum ſemper ſiſtentes, ſicque ſpirantes ; non enim dracones illi verſi fuerunt vlterius in virgas animum, viſumque pacificantes ; nam virga fuit à Deo, & dracones (illo permittente) fuerunt ab ipſis maleficis , quorum circulus imperfectus , & vt vitioſus non reddens iterum in Deum , vt circulus ſummi Sacerdotis , qui à Deo exiens , in Deum ſemper parat. Conſimiliter ergo evenit apud hæreticos , dum *in circuitu ambulant* , & circa fidei res circulo volunt Catholicos vrgere , & virgam virtutis per incantationes confundere , & in manu ſummi Antiſtitis èvaneſcere. Experiuntur autem quæ illi malefici , dum ipſi nunquam benè à fidei & argumentorum circulis liberentur , quin vitioſe appreſſi vertant virgam fidei , & divinæ virtutis in horriſonos dracones , ſicque ſiſtentes , vita cum gemitu fugit indignata ſub vmbras. Et dum quis velit dicere (interpretare volens textum illum , S, *devoravit virga Aaron virgas eorum*) etiam poſt , dracones verſos in virgas , ſemper virtutis divinæ argumentum , & ſummi Sacerdotis circulus , vt alterius conditionis ſplendet , ſiquidem ſivè ſic , ſivè ſic fuerit , ſalvabitur dracones verſos in virgas debiles , & infirmas , cum iſtæ devoratæ fuiſſent ab alijs , & per conſequens circulum vitioſum à primo vſque ad extremum manifeſte probantes.

135 Ut igitur videam, quo pacto Magiſtri hæretici , vtpote præſentis noſtri Ægypti ſapientes inter circulos voluptantur, nonnullos proponam in vniverſa materiarum varietate, ſperans, an indiſcriminatim reſolvant omnes circulos vt vitioſos reputandos ; eos inde circulare intendens,vt vitio carentes nonnulli circuli ſuadebunt. Sin autem è converſo circulo, veliut reſolvere non omnes circulos vitio formatos, ſperabo eorum doctrinam, vt ſic diſtinguere ſciam , quo pacto & diſtinguere ſciant ipſi.

136 *Primus circulus* ſit ille , qui ſimpliciter divinus , vtpote inter divinas Perſonas verſatus,vt ab omni volitione ad extra præciſus , vt patet in Verbi generatione , v.g. *Ideo ex vitalis proceſſionis Pater communicat Eſſentiam ſuam quia generat Verbum , ideo generat Verbum quia ex vitalis proceſſionis communicat Eſſentiam ſuam* Non turbetur cor veſtrum, conſimilem enim circulum ex Scripturæ divinæ verbis perpendite, vt ex Joan, 14: *Creditis in Deum, & in me credite; Creditis in Deum, quia in me creditis , Creditis in me, quia creditis in Deum.* Præfatū circulum ſolverat Chriſtus Dominus, ſicuti conſimilem ſolvit interrogante, & viſionem Patris concupiſcente Philippo (noto me in hiſce cum peritis, & conſummatis Viris dumtaxat alloqui ; nec facile alij intentum & horum circulorum harmoniam penetrabunt) dum ei dixit, *Tanto tempore vobiſcum ſum & non cognoviſtis me? Philippe, qui vidit me, videt & Patrem meum.* En circulum, & Chriſti ſolutionem: *Qui videt Patrem meum, videt me,& qui videt me, videt Patrem meum.* Expoſuit ſolutionem dicens: *Non creditis , quia ego in Patre , & Pater in me eſt?* Nunc contrariantes vos , aliter expendite & ſolvite circulum, dum Catholici ſolvent,quo pacto & ſolverat Chriſtus , ſcilicet , oppoſitum illum circulum Dei , aut Scripturarum divinarum ad Eccleſiam , & Eccleſiæ ad fidem in Deum , vel in eius Scripturas , cum credimus quod Eccleſia in Deo , & Scripturis, & Deus cum illis in Eccleſia eſt. Dum enim tanto tempore vobiſcum (vt male putatis pro vobis) ſicut nobiſcum fuit Eccleſia, quomodo non cognoviſtis, quod qui videt Deum videt Eccleſiam (ſi clare , videt Triumphantem , ſi per fidei ſpeculum, videt Militantem , ſi enim ante ſpeculum quis adſit, quo pacto adſit, vtpote vel clare, vel obſcure, qui videat ſpeculum, videbit eum , & qui tunc videat eum , videbit ſpeculum) & qui videt Eccleſiam , videbit Deum ? Sic expendet, qui credat , quod quo pacto Pater in Verbo & Verbum ſit in *Nobis* (ſervatis ſervandis) *vſque ad conſummationem ſæculi.*

137 *Secundus circulus* ſit nedum divinus, quin etiam humanus, dum per Incarnati Myſterium venit in Mundum. Re enim benè inſpecta, adventu ſuo puriſſimo perfectiſſimum ad fidem noſtram formavit circulum, cum exiret à Patre, & veniret ad nos , & rurſus exiret à nobis , & iret ad Patrem , vt non ſemel Evangeliſta Joannes deſcripſit, ſed expreſſius in cap. 16. dum ait : *Exivi à Patre, &*

veni

veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Credis veniſſe in mundum, quia exivit à Patre; Credis exiviſſe à Patre quia venit in mundum. Nec tibi ſint, ò hæretice, facilia ſicut apparent. Nam vellem à te ſcire, quo pacto circuli huius extrema componas: Si enim quod deſcendit eſt idem quod aſcendit, igitur qui aſcendit, & homo ad Patrem vadit, exivit iam à Patre homo, & ſic deſcendit Incarnatus vt incarnaretur. Si exivit prout Filius naturalis, & ſic reddit, oro dicas quo pacto ſic circulatur? Semper enim fuit in Patre, & Pater in eo, prout fides credit, & ratio theologica docet. Sin autem extrema circuli componere vultis per eorum diverſitatem, cum alia ſit natura quę divina, & alia quæ humana; ſoluite quo pacto fecit circulum, quis idem debet eſſe ad circulum quod venit & vadit. En, quod ſi velitis ſolvere, debeatis recurrere ad vinculum, catholice vnio hypoſtatica dictum, quo diverſis in natura, idem ex vinculi pacto ſine vitio circulatur; quo etiam pacto promiſſionis ſuæ verbo ſine vitio voluit per fidei vinculum cum Eccleſia tenere circulum, tametſi diſtans phyſicè in natura, ſecus autem moraliter ex pacto. Sic enim idem venit ad Eccleſiam, & vadit, cum fidei vnitate durante vadat, & veniat ad nos, prout alibi dixit. Sic Eccleſia exivit ab Scripturis divinis, & Scripturæ divinę etiam infallibilitatis tramite per viam fidei exeunt ab Eccleſia. Veruntamen hęc, quæ dicimus, altius ſunt exponenda, vt infra, Deo dante, faciemus, dum exhibeamus principia ad circuli non vitioſi penetrationem, maxime ex naturalibus, & phyloſophicis, cum quę theologica & divina impie audiantur ab Eccleſiæ contrarijs.

138 *Tertius circulus* tametſi etiam divinus & humanus, ſit alius qui phyſice videtur prædictis remiſſior, licet ad Catholicorum intentum equidem vniformis, & proportionatus, prout eſt ille qui practicatus inter Chriſtum creditum, & Samaritanos credentes, vt habetur in cap. 4. Joan. vbi ait: *Multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, Quia dixit mihi omnia quacunque feci.* Videte ſtrictiſſimi circuli non minus difficilia extrema, ſcilicet, *Crediderunt propter verbum*, necnon, *Quia dixit mihi*: Sic argumentor, & ſpero vt circulum ſolvatis: Cur Samaritani crediderũt verbo Chriſti? Propter verbum mulieris (patet ex textu, S, Propter verbum mulieris multi crediderunt in eum) & cur crediderunt verbo mulieris? Propter verbum Chriſti (patet non minus ex textu, S, Quia dixit ei Chriſtus &c.) Numquid male crediderunt? Infideles ne referuntur à Joanne viri illi Samaritani? Erant ne leves corde? Quid nunc dicetis dum ſtrictioris circuli conferatis anguſtiam? Eum ſolvite, & interim in Catholicos ex Eccleſiæ verbo ſuſpendite, cum ſit illa mulier quæ generoſior, dum matet veracior, extollit vocem ſuam Scribis, & Phariſæis Dominum tentantibus, inſimul & blaſphemantibus.

139 Dices, quod tametſi crediderint propter verbum mulieris, at poſtquam Chriſtum audierunt Samaritani, ipſi crediderunt aliter, & dixerunt mulieri, *Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt vere Salvator mundi*; igitur quis in circulo erat vitiata eorum credulitas, necnon debet inferri, quod non bene credatur, quouſque ſciatur per ipſum Dominum. Bene equidem ſit, plura hinc ſunt, quæ ſolvam ego, & neſcio ſi vos ſolvatis. In primis ſemper vos premet circulus. Crediderunt enim Samaritani deinceps, rogo cur? Dicetis, quia ipſi ſciverunt eum fore Salvatorem: & vnde ſciverunt fore Salvatorem? Equidem non aliunde niſi propter Chriſti loquelam, quo pacto antea propter loquelam mulieris; & vnde crediderunt Chriſti fore loquelam? Non aliunde niſi quia ſciverunt. Solvite circuli preſſuram. Rurſus & non minus vos efficacius intendam premere. Rogo, an dum mulieri crediderunt, verus foret aſſenſus, an falſus? Si falſus: Contra, quia Chriſtus eadem dixit de ſe, ac quæ mulier dixerat Samaritanis, ſed circa indivisibile non datur verum & falſum, cum eidem obiecto duplex oratio conformis non poſſit iuxta claram lucem rationis vna ſiſtere vera, & alia falſa; quo igitur pacto falſus fuit Samaritanorum aſſenſus ob verbum mulieris de Chriſto? Si verus, vt infertur; igitur eorum fides intra lineam veram poterat per prętatum circulum ire. Ulterius, ſi vera de Chriſto dixit mulier, & ſic ſatis, quod ipſi credere potuerunt, ſiquidem crediderunt; igitur intra veri lineam poterat illorum fides reſolvi in mulierem, dum ſcilicet deſcendere voluiſſent per eoſdem paſſus per quos vſque ad Chriſti veracem divinitatem aſcenderant; ſolvite ergo, quo pacto male crediderunt, necnon quo pacto viziato circulo crediderunt aliter. Catholici enim bene ſolvent, vt ſolvemus, etiam dum philoſophice, & theologice teneamus, quod idem intra lineam veri aliter credendum ſit, non quia ex vno extremo credatur male, vtpote ex muliere; ſed quia ex alio, ſeu propter aliud credatur perfectius, ſeu ſublimius, de quo infra, dum circulati diſcurſus ſtructuram exponamus.

140 *Quartus circulus* ſit naturaliſſimus re-

tum,cum ea quę naturę,nimis arguãt,& cõprobent,maximè apud eos qui fidei robore nõ eriguntur. Naturę igitur circulos multiformiter propoſuerat Eccleſiaſtes cap. 1. in initio dum aiens: *Luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus,& in circulos ſuos revertitur.* Exemplificarat, & primo in Luminari primo, dum *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur: ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Cur occidit Sol? Quia naſcitur. Cur naſcitur? Quia occidit. Cur gyrat per meridiem? Vt flectatur per Aquilonem. Cur flectitur per Aquilonem? Vt gyret per meridiem. Exemplificarat iterum in circulo aquarum, dum *Omnia flumina intrant in mare,& mare non redundat:ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, vt iterum fluant.* Cur flumina intrant in mare? Quia exeunt ab ipſo. Cur exeunt ab ipſo? Quia omnia intrant in mare. En liquidum circulum in fluxu & refluxu claro aquarum. Oro nunc dicatis mihi, in quo ſtet vitioſus, aquarum circulus? Cuncta, quæ Altiſſimus fecerat vidit, & non fuerunt mala, ſed valde bona. Igitur quo pacto Deus iuxta ſapientiſſimam providẽtiam ſuam quam plurima valde bona circulis luſtravit in puro ordine naturæ, & potuit in valde bonis quam plurima luſtrans conſtruere, & adaptare in puro ordine gratiæ. *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & divinitas.* Igitur in circulis viſibilium operum Dei intellectis, inviſibilis ordinis circuli abſque vitioſo tramite ligantur. Unde hinc

141 *Quintus circulus* viſibilium,& inviſibilium conſtruitur, & ad intentum proficuus adaptatur. Percipit enim mens noſtra,quæ inviſibilia per viſibilia, vt ſolide Doctor Gentium philoſophicè, & theologicè ſupra ad Rom. cap. 1. propoſuerat. Inde enim fideliſſimus, dum & ſcientificus erigitur circulus. Per viſibilia enim imus ad inviſibilia, quia hæc in his viſibilibus ſplendent, & Deitatis ſcintillæ in fumigantibus ad Deum creaturis exoriuntur: Nunc ſic,cur aſcendis ad inviſibile? Quia viſibile ducit. Et vnde ſcis quod viſibile ducat? Quia intellectum viſibile dum eſt vſque ad inviſibile aſcendit, & terminatur. Curſus enim Pauli per viſibilia incipit, nam naturaliter inviſibilium per ſe non eſt immediata ſpecies in natura; per viſibile enim, & per ea,quę animus novit ſurgit ad inviſibilia, & ad ea quę per ſe, & immediatè non novit;in his enim ſiſtis, ibique ſiſtere poteſt animus dũ dumtaxat in his quæ vltimo perfecta ſunt cupiat animus exerceri;ſecus autem dum terminativa, & etiam diſpoſitiva totius lineæ velit comprobare, nam tunc, quo pacto à primo gradu aſcendens ad vltimum, ab vltimo deſcendet vſque ad primum,ſic qui aſcenderat à viſibili creatura vſque ad inviſibilem Deum, ab hoc inviſibili deſcendet iterum vſque ad viſibilem creaturam. De quo infra dum maximam & generalem doctrinam expendam pro circulorum captu, & expoſitione. Solum licet tranſeunter noto hinc, prætatũ Divi Pauli circulum fore nimis conſonum circulo fidei noſtrę,qui nunc eſt ſcopus huius maximę,& revera omnium importantiſſimę controverſię,cum ſit confuſior nox ſedentium in tenebris, & in fide debilium. Conſonat enim nimis, quia inviſibilia myſteria, cunctoſque eorum inviſibiles nunc articulos credimus,& fide cognoſcimus per Eccleſiam noſtram Romanam, & viſibilem. Sic enim inviſibilia Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt in Eccleſia noſtra, intellecta conſpiciuntur, *ita vt ſint inexcuſabiles*, qui non aſſentiant, vt ibidem aiebat Doctor fidei. Conſonat necne, quia ſicuti per viſibilia intramus, & à gradu in gradum vſque ad inviſibilia dum aſcendimus, ibi ſi velimus perfectiſſime terminare, inveniemus quo poſſimus, ſin autem curſum comprobantes viam iterum percurrere cupiamus, ab vltimo vſque ad primum viſibile deſcendemus; ſic pariter dum intramus per Eccleſiæ ianuam, & vſque ad vltimum gradum fidei aſcendimus, inveniemus quo ſiſtere poſſimus, vtpote Auctoritatem Dei aſſertoriam in ipſa Deitate radicatam, ita vt plus vltra nil ſit, ſin autem curſum fidei comprobantes, vniverſa lineæ percurrentes reſolvere velimus, ad Eccleſię atria deſcendemus, ibique ſolide etiam, licet non tam perfecte quieſcamus, cum ſtantes ſint pedes noſtri.

142 *Sextus circulus* ſit politicus,& in Sereniſſimo,& Auguſtiſſimo Noſtro Aragonum Regno ſolemniſſime expeditus & vſque inpręſentem diem irrefragabiliter obſervatus. Ut enim Hiſpaniarum Rex noſtra Aragonica Corona, & Imperio perfruatur, debet publice præſtare regalem fidem, Supremo Aragonici Senatus Judici, nec non vt Supremus iſte Judex valide regiam functionem expendat, ſuæ Dominantis poteſtatis iura ab ipſis Hiſpaniarum Regibus ſuſcipit. Rurſus ſic manet qui coronatus Rex, quod debeat Aragoniæ foris & conſtitutionibus ſubiacere, & ſic conſtitutiones,quod ipſo regio patrocinio, & corroboratione egeant, vt ſolidius ſubſiſtant,& inviolabilius obſerventur.Nunc ergo audite circulum, quem, quam plurimi verè magni Reges, & aliquando Cæſares Orbis pro viribus venerantes

rantes

rantes obſervarunt. A quo ſumpſit Hiſpaniarum Rex Aragoniæ Dominationem? A Supremi Aragoniæ Senatus Judice. A quo ſumpſit iura Supremi Aragoniæ Senatus Judex? Ab ipſo Hiſpaniarum Rege. Rurſus conſtitutiones noſtræ exigunt corroborari à Rege, & Rex noſter exigit corroborari iuxta vim conſtitutionum noſtrarum. En circulos non violentos, dum conſtantes & perpetuos attendimus, & veneramur. Non vitioſos, cum ſint eorum, aliorum Regnorum Cives honeſti dum ſapientiſſimi æmulatores. Ibi enim per viam Dominationis, & Poteſtatis Regnum noſtrum tendit & terminatur ad Regem, & Rex noſter tendit, & terminatur ad Regnum. Regnum videmus obedire Regi, & Regem vidimus ſubiacere Regno. Nec ignoro quæ ſit diſtantia, & in his extremis diſtinctio, vt ſic vitium à circulo repellatur. Aliter enim vnum eſt cauſa alterius, ac huius eſt cauſa illud; quo etiam pacto diſtincta extremorum norma circulus ille Eccleſiæ conſtruitur vt diximus; ſi enim par vndequaque cuiuſvis extremi foret conditio, & ſcopus, impoſſibilis abſque vitio foret circulus, vt patet in entibus naturalibus, vbi licet materia ſit cauſa materialis verſus formam, & forma cauſa formalis verſus materiam, ſecus autem dum par proponeretur vtriuſque extremi conditio, cum ſub eodem cauſalitatis ſcopo ſit imperceptibilis, prout ſubtiliſſime Scotus iuxta Philoſophum expoſuerat, eviſcerans quo pacto dumtaxat ex non vnis aptius conſtruatur vnitas, & ex difformibus combinetur intimitas, & non ex alijs è converſo, prout horum Scotum refero *in Tom. 2. Philoſophiæ Diſt. 1. quæſtione 1. à num. 5.*

143 *Septimus circulus* ſit qui omnium vniverſaliſſimus, & notiſſimus, vtpote abſque vitio manifeſtus omnibus ſapientiſſimis Philoſophis ab Ariſtotile vſque ad noſtri temporis Doctores. Talis igitur inter ſcientificos actus verſatus conſtruitur ex naturis omnium rerum, quę demonſtrantur *Quia*, & demonſtrantur *Propter quid*, vt dum quidditas demonſtratur per paſſionem; & paſſio demonſtratur per quidditatem. Sic enim evenit in ipſo diſcurſivo tramite tam demonſtrationis *Propter quid*, quam demonſtrationis *Quia*, dum primo ad inferendam proprietatem occurrit actus contingens, v.g. ex ipſo accidenti riſus diſcurſivè imus ad ſubſtantiale principium ridendi, quod eſt riſibile, ſicuti etiam ex ipſo actu diſcurrendi imus ad ipſam virtutem diſcurrendi quæ iam eſt ipſa ſubſtantia entis rationalis, & naturæ diſcurſivæ. Et idem, vt bene ſciunt cuncti probi Philoſophi, evenit in quibuslibet à priori, & à poſteriori ſcibilibus, cum dum adſit ratio cauſæ, & effectus non poſſint aliter conſtrui & ſcientificè pulſari demonſtrationes. Primo enim, virtus demonſtranda ſcitur per actum, cum ob effectus veneremur cauſarum entitates, iuxta tritum Philoſophi proloquium, & deinceps actus ſeu effectus perfectius ſcitur per virtutem, modo loquamur de virtute quidditativa, modo loquamur de virtute proprietativa, idem enim reſpectivè evenit in quavis linea. Et vlterius vnius entis, & naturæ virtutes per circulos ſuos per ipſaſmet iam ſciuntur, & reſpectivè demonſtrantur, ita vt virtus quidditativa primo dum eo ipſo à poſteriori, demonſtretur per ſui ſubiecti paſſionem; & vltimo, dum eo ipſo à priori, proprietativa virtus demonſtretur per ſui ſubiecti quidditatem, ita vt cunctis ſcientificis Auctoribus horum indiſpenſabilis circulatio notiſſima ſit, quin poſſit negari niſi ab illis qui inſcie negare velint principia, & præclaros demonſtrandorum ſcopos, quorum poſſibili cura plura cum Scoto elucidare, & eviſcerare intendi *in lib. 8. de Poſter. Diſt 1. maximè a quæſt. 4. & Diſt 2. quæſt. 2.* Vos igitur qui gloriamini, dum veritatum naturalium, & rationum philoſophicarũ veneratores eſtis, ſolvite ſcientiarum omnium circulum, & dum admittere debeatis, ne tot maximis Philoſophiæ Principibus terga vertatis, rogo dicatis, an poſſit dari circulus abſque vitio certitudini, dum datur demonſtrationi, ſitque & fidei dum præſtatur ſcientię? In naturalibus enim nil eſt ſcientia, & demonſtratione delicatius, cum ibi potentiæ rigoroſo nativæ lucis ſplendore ſic abſque fræno tendant, quod quicũque opponatur, vmbrę atomus viam eam ipſę deſerat, eãque opinãtibus principijs relinquãt ambulandam. Non enim ibi quidquã Auctoritati extrinſecæ principiorum ſubiacent, nec quidquam cedere poſſunt in occultæ veritatis obſequium, quo pacto animoſa fides, quæ per viam obſcuram abſque obuiantium metu ſecura tendit, & dum oportet extrinſeco conceptu ducentis & imperantis penetrat condenſa, & intonante Maieſtatis Deo confringit cedros, quouſque ſedeat in monte Sancto eius. Si ergo luce comite, & innato mentis appetitu pro viribus vrgente, circulis abſque vitij rumore ſplendeſcens ire & circuire valeat, ſic quin remurmuret ſciens, aptius videtur quod debeat ire, & pręterire credens.

144 *Octavus, & vltimus circulus* ſit qui conſtruitur vt ipſorum hæreticorum proprior, dum nec Calviniſtę plus facile eum ſolvere poſſint. Scripturarum enim captum, fideique noſtrum terminum in ſpiritu, & interna motione

tione ſtabiliebant: contra quos ſic Catholici Doctores opponunt circulum in eos: cur teneris veſtram Scripturarum intelligentiam firmam, infallibilem, & divinam fore? Quia ſpiritu, aut interna motione ducti: & cur teneris veſtri ſpiritus, aut internę motionis firmitatem, & infallibilem aſſiſtentiam? Quia ſic intelligitis contineri iuxta Scripturam. Unde abſque vlla mentis formidine probatis Scripturam per ſpiritum, & ſpiritum per Scripturam, hic que circulus perfectiſſimus, & abſque vitio erit, dum ſic varij veſtri ſpiritus paſſim appareant, quod vltra ſcintillas viſibiles Pentecoſtes ſplendeſcere abſque ſolitis circulorum fumis præſumatis.

145 Dicetis, circulum vitio implicatum non dari in veſtra reſolutione, ſed dari curſum perfectè inceptum, & terminatum, v.g. credimus Scripturis, quia interne movemur ab ſpiritu, hincque, ſiſtimus, cum interna motio ſe ipſa vere probetur. Contra, quia vel interna ſpiritus veſtri ſubſiſtentia continetur in Scripturis, vel non? Si continetur: igitur internam motionem debetis reſolvere in Scripturam, ſicuti effectus in cauſam, & rivulus in fontis originem. Non enim facile poteritis fumete ſpiritum, & non ſcire à quo, & propter quid deriveiur, cum abſque principio nil fit. Si non continetur; igitur libere in ro ſubſiſtitis, nec habetis quo probetis, an ex Deo ſit, dum iuxta Joannem haberi debeat, cum abſque periculo non poſſit aliquis credere omni ſpiritui. Tum, quia ſic talis ſpiritus per ſpiritum contradictionis probatur à vobis, et m eſſetis antea per tot dogmata rigidi Scripturarum obſervatores, ita vt nec ſpiritum voluiſſetis dum in ſacris Scripturis ad literam non legeretis etlam grammaticaliter conſtructum, & nunc iam totam literaturam veſtram intra occulta cordis, neſtio quo ſpiritu recondiitis.

EXPOSITIO AUCTORIS, ET OPPOſiti circuli ſatisfactio.

146 Cum præſens difficultas ſit omnium dogmaticarum centrum, cuncta ſiquidem fidelis curſus in huiuſcemodi punctum tendant, inde plura dixi, vt dum iuxta ignorantiam meam non poſſem exactam exhibere ſolutionem, vim tamen tot circulorum viribus repellere, aut enervare quilibet Catholicus valeret. Circa quod vidi plura, quę vt ſolvant, Catholici Doctores parant, quorum dum nil reprobo, ea parare intendam, quæ etiam rationibus, & puris Philoſophiæ principijs adhæreant, cum, prout jam notavi, qui fide debiles, vt Hæretici, ſcientiarum principijs aptius conſenſum exhibebunt.

147 In primis enim dicimus, Eccleſiam non dare ſcripturis infallibilitatem, quoad ſe, & ex parte obiecti, ſed quoad nos, & ex parte actus. Exponitur, quia quæ ſcripta, vel ſunt à Deo inſpirata, vel non? Si non Eccleſia non poterit facere Dei, quæ à Deo non ſunt, vt clarum eſt. Si à Deo inſpirata ſint: iam ea invenier divina in ſe, ſicque Eccleſia non faciet, quod iam factum eſt, ac proinde iam ſicuti divinum præexiſtit infallibile. Verumtamen, cum aliud ſit eſſe aliquid verum in ſe, & aliud eſſe verum quoad nos, etiamſi ex parte obiecti ſcripturæ ſint veræ, præſtant Eccleſiæ locum, vt eas reddat veras quoad nos; ita vt id abſolutè non ſit facere verum, ſed verum quod in ſe, nobis manifeſtare, ſignare, diſtinguere, & declarare. Sic Petrus non fecit Chriſtum in ſe divinum in Cæſarea, ſed ſolum quoad nos, dum dixit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Nec Samuel ex parte obiecti elegit David in Regem, ſed iam à Deo electum declaravit, iuxta illud, *Nec hunc elegit Dominus.* Nec effectus dat virtutem cauſæ ex parte obiecti, ſed ſolum eam indicat, & demonſtrat, ſicuti nec demonſtratio *Quia* radicat veritatem principiorum quidditativorum, cum ex ipſis vetiſſima ſint, quam ſolum per eam demonſtrator innoteſcere facit fidelibus Philoſophis.

148 Sic enim quo pacto Chriſtus Dominus non foret Filius Dei apud Cæſareos niſi ob Petrum; nec David foret Rex apud Bethlehemitas niſi ob Samuelem; nec cauſa nota menti niſi ob effectum; nec quidditativa manifeſta niſi ob paſſionem, & ſic innumerabilia; conſimiliter nec Scripturæ haberentur divinæ apud vniverſos fideles niſi ob Eccleſiam declarantem, diſtinguentem, & approbantem. Sic enim, quo pacto niſi per paſſionem non præberem aſſenſum quidditati, nec niſi per effectum, cauſæ exhiberem notitiam, & ſic, pari ſcopo Auguſtiſſimus ille Doctor proloquiabat, quod Evangelio non crederet niſi ob Eccleſiæ Auctoritatem, quo pacto & nos dicimus, quod Scripturas in ſe divinas, vt divinas non teneremus, ſi vt divinas non teneret Eccleſia. Igitur quia Petrus Chriſto divinior? Samuel Deo potentior? Paſſio natura ſublimior? Effectus cauſa præſtantior? Eccleſia divinis verbis infallibilior? Omne abeſt, vt cunctis probis Theologis, & Philoſophis indubitanter notum eſt, & non poteſt concedi niſi à principia finitatis infinitatis negantibus. Prædictarum linearum vera ſunt omnia, aliter quævis prædictarum linea, vera non foret, vt patet ex cunctis; at intra lineam veram varij & diver-

diverſi ſunt veritarum ſtructuræ, cum nonnulla iuxta aliquem modum ſint veritatis principia, dum talia non ſint iuxta alium, quinimo vera vt principiata, & è converſo aliquando; quorum opus labor nunc noſter eſt, prout Deo dante, ſaltim differtis patebit.

149 Totius enim curſus creduli, & fidelis concluſionis primum principium (primum, inquam, vt infra explicandum) & cognita præmiſſa, eſt, vt mater, & cauſa, Eccleſia Catholica, & Romana, ita vt tametſi circulus occurrat, quin tamen ineptus, & vitioſus ſit. Et vt propoſitum compleamus, advertendum eſt, quod iuxta naturam, congruentiam, & exigentiam rerum, quę ſunt priora quoad perfectius, & ſimpliciter eſſe, & cognoſci, ſunt poſteriora quoad ducere, & minus perfecte cognoſci, vt patet in linea Dei, & creatorum; in qua dum Deus quoad in ſe eſſe, & perfectius cognoſci primus eſt, at quoad ducere, & minus perfecte cognoſci primo ſunt creaturæ, cum, prout propugnavimus *in Diſt.* 1. *lib.* 1. *Sent.* per creaturas Deum infallibiliter & evidenter convincamus. Sic evenit in demonſtrabilibus quia, & è converſo propter quid, vt Subtili Doctore commentor in Philoſophia *tom.* 1. *lib.* 8. *Diſt.* 1. *queſt.* 4. *ab Art.* 1. quæ ſi videantur ibi, hinc dicenda clariſſime percipientur. Sic enim vt eſſentia, & cauſa prima quidditativa magis perfecte cognoſcatur, & in linea perfectiori vtpote demonſtrationis propter quid ſit principians, oportet quod per lineam minus perfectam ſit cognita, & per paſſionem ſuam principiata, vt bene ſciunt omnes ſcientifici. Necnon vt paſſio ipſa, quæ virtus, cognoſcatur, oportet quod præcognoſcatur effectus proprius.

150 Ubi invenies, quod ſimpliciter perfectiora computando in homine v. g. prius ſit radicale conſtitutivum, quam paſſio, cum prius ſit animal rationale, quam riſibile, & flebile; necnon prius ſit virtus riſibilis, quam riſus; at autem cum radices, & principia non ſint nota ſenſibus, & aliàs quod ſenſui non eſt notum, ab intellectu non ſit agnitum, inde vt poſſimus cognoſcere riſibile, quod in ſe revera eſt prius, debemus primo percipere riſum, qui revera eſt quid poſterius. Et ſimiliter vt cognoſcamus primum perfectivum naturę cognoſcimus eiuſdem paſſionem, quę, tametſi eiuſdem naturæ, tamen quid ſecundum eſt in linea eſſendi. Et ratio eſt, quia dum ſpecies infuſas rerum non habeamus, (tametſi habitus aliquos habeamus infuſos, quos regulariter nemo habere cognoſcit) debemus rerum ab ipſis vt ſunt recipere notitiam, & cum ſolum ob effectus, vt aiebat Philoſophus, veneremur cauſas, inde ob riſum noſcimus riſibile, & per diſcurſum rationale, quia licet ſint poſteriora quoad ſtructuram naturæ, ſunt priora quoad manifeſtationem, & ex illis ſic à poſteriori diſtinguimus, reſolvimus, aſſentimus, & naturas veras approbamus.

151 Occurrit circulus, ſed ſcientifico non obſtat, quia nec eſt ineptus, nec vitioſus, cum circuli extrema diverſa ſtructura coinferantur. Patet occurſus circuli, cum eſſentia demonſtretur per paſſionem, & paſſio demonſtretur per eſſentiam, vt benè ſciunt ex demonſtrationibus quia, & propter quid. Sed non obſtat, quia licet vera ſit mutua vtriuſque comprobatio, at per diverſam viam, cum dum per paſſionem aſcenditur ad eſſentiam, aſcendatur per medium minus nobile, & perfectum, tametſi infallibile, vnde dicitur à poſteriori; at autem dum iam fuit quidditativum cognitum, tunc perfectius attingitur terminus qui ſcitur, cum attingatur propter radicem, & primum ac perfectius principium, ſicque nil ſic prius, ac proinde nec perfectius, ità vt nec per quid prius, nec perfectius queat probari, ſed ibi ſiſtendum ſit, cum vltra vltimum in quiete nil moveri poſſit, & dum moveatur à perfectioribus deſcendet. Videantur à me expoſita vbi ſupra in *lib. Poſter.*

152 Conſluit præfatarum rerum paritas, tametſi ex rerum varijs materijs diverſa appareat. Credimus rebus à Deo revelatis propter Eccleſiam & credimus Eccleſiæ propter Deum. Hic & conſimiles circuli equidem vitioſi, & inepti forent, ſi circulantia extrema pari metro & norma metirentur, ſecus autem ſi diverſa eorum ſtructura attendatur. Exponitur; in lineà enim fidei, quo pacto & in linea ſcientiæ, dantur prima principia, quæ ſunt quidditativa & perfectiora, dantur etiam alia quę ſunt veluti paſſionalia, & ſic inſtar effectuum. Quoad eſſe enim, principia prima ſunt veritas & divina veracitas (elige quod velis pro obiecto formali, & principaliter conſtitutivo, ad rem nil faciet) cum ſint radix, & prędicatum perfectius in linea credulitatis, vltra quę nil formaliter valet ſpeculari: deinde ſubſequitur Eccleſia, quæ ſe habet vt paſſio eorum primorum principiorum: vbi Eccleſia licet perfecta & infallibilis, cum ab eis divinis prædicatis ſit moraliter dimanata vt paſſio, at reſpectu lineæ credulitatis minus perfecta ac illa, cum ſit modo creato & adextra, tametſi ſupremo derivata, & ſolum ſit moraliter & à poſteriori infallibilis, & divina, dum Deus ſit à priori & ratione ſui verus & verax, &c. ſic;

As

153 At autem quoad cognoſci iuxta noſtrorum actuum conditionem, quo pacto primo paſſionale, ſic primo per lineam fidei cognoſcitur Eccleſia, cum quo pacto ſcientificus prius invenit quod eſt poſterius, ſic etiam credens, quia ſicuti quemodo ſcient fore riſibilem quem ridere non viderunt, quomodo credent divinum ei, quem non audierunt, ac proinde oportet ſenſus auditus fidei, ſicuti ſenſus viſus ſcientiæ. Incipit ergo curſus fidei ab Eccleſia loquente (cu quam conforme ſit quod Eccleſia viſibilis teneatur, vt fides iuxta noſtrarum potentiarum, & naturæ rationalis & ſenſibilis conditionem expendatur) cuius loquela eſt veluti actus paſſionis; inde aſcendit ad Eccleſiæ virtutem, quę eſt vt paſſio ſemper ſiſtens & nunquam deſinens, quia licet ſemper non loquatur, aut decernat, at ſemper virtus perſeverat, quo pacto & fidelium congregatio vſque ad conſummationem ſæculi. Ulterius ab Eccleſia aſcendit fidelis ad Deum vt verum & veracem, veluti primum principium, & cauſam omnium veritatum, ita vt à priori nemo fidelium prætereiri poſſit, cum prima principia non poſſint à priori probari, cum ipſa non ex alijs, ſed ex ipſis omnia habeant ſicuti ſic fieri, ſic cognoſci, aliàs daretur proceſſus in cauſis, quem ſicuti natura, repugnat & ratio, & ſicuti ſcientia in demonſtrandis, ſic & fides in credendis. Par eſt ratio, licet ob materiam diverſa ſit vtriuſque conditio.

154 Credimus ergo in Deum, & in Eccleſiam credimus; credimus enim myſterijs quia à Deo veraciter informatis, & credimus veracitate informatis, quia Eccleſiæ credimus; ſicque, licet mutua cauſa reſultet, non tamen inepta, nec vitioſe regreſſio. Ratio eſt ex dictis, quia aliter habetur ratio cauſalis, vt paſſio, aut conditio, & aliter habetur dum eſt ratio cauſalis vt quidditas, aut forma. Penes neceſſitatem eſſendi, non minus ſonant quæcunque conditiones, & requiſita, vt cauſales rationes, ac ſonent ipſa prima principia, & rationes formales illius lineæ, vt patebit diſcurrenti per ſingula, ita vt æquè videatur formari circulus mutu & conſiſtentiæ ex primis formalibus, ac ex habitis vt requiſitis, v. g. philoſophicè, quoad præciſam neceſſitatem ſiſtendi, ſicuti ſi non daretur forma in ente naturali non daretur vnio, nec daretur vnio ſi non daretur forma; & ſicut quia dantur formæ dantur diſpoſitiones, quia dantur diſpoſitiones dantur formæ; ſic, quia datur actio, datur terminus, ſicuti quia datur terminus, datur actio? Sicuti ſupra, quia cognoſcitur paſſio cognoſcitur eſſentia, ſicuti quia cognoſcitur eſſentia cognoſcitur paſſio. Et quia in omnibus rebus [illegible] & [illegible] ntibus id clarum eſt, ſat [illegible] a ſint. At non minus clarum eſt, vt bene ſciunt cuncti rationales Auctores, quod longe alia ſit ratio cauſalis vt ſpecificans, & cauſalis vt conditionans, & ſic cauſalis vt præſuppoſitivè inchoans, ac vt formaliſſimè terminans, ita vt quod iuxta vnam conſiderationem ſit prius, ſit iuxta aliam poſterius, & è converſo, vt illic diximus cum Philoſopho, quod ſcilicet quæ priora ſunt generatione ſint poſteriora perfectione. Ac proinde licet per aliquem actum potentiæ cuncta attingi debeant, diverſimode tamen; ſicuti ſub diſtincta formalitate, & norma ſunt. En quod in præmiſſis, dum circulus prætendatur, nunquam tamen ineptus, quia non eſt eadem ratio in extremis, vt patuit. nam quo pacto eſt cauſalis ratio in vno extremo formaliſſimè, non regreditur per circulum, ſed ſiſtit in ſe, prout cuncti Philoſophi exponere ſolent de principijs entis naturalis, quæ ſub formali ratione talium non regrediuntur, nam licet forma ſit ob materiam in genere cauſæ materialis, ſecus autem in genere formalis, & ſic licet materia ſit ob agens in genere efficientis, non in genere materialis, ita vt ſic ſint ex ipſis abſque regreſſu & circulo, ac proinde ſi detur regreſſus, & circulatio, erit per aliam viam, & ſub diverſa formalitate, vt bene ſciunt Philoſophi.

155 Conſimiliter ergo metiendum eſt in linea fidei dum quoad ſe inchoata per Deum, & terminata per Eccleſiam, & quoad nos inchoata per Eccleſiam, & terminata formaliſſimè per Deum. Dum enim circulus offeratur, non erit ineptus, quia aliter credo Dei dictis ob Eccleſiam, & aliter Eccleſiæ dictis ob Deum. Primo modo credo, quo pacto ſcio eſſentiam per paſſionem, & quo pacto attingo formam ob conditionem, & quo pacto reſolvo terminum in applicationem potentiæ ad actum. Talis enim fides eſt inſtar cognitionis demonſtrationis *quia*, quæ minus perfecta eſt, tametſi infallibilis, ſicque ſicuti ſciens per *quia* non eſt in linea perfecta ſcientiæ, nec credens per *quia* erit in linea perfecta fidei; vnde non levi fundamento dixerunt nonnulli Catholici, quod ſic credentes, non credant vt oporteat, cum oporteat ad fidem attingere obiectum formale credendi. Secundo modo credo, quo pacto ſcio paſſionem per eſſentiam, &c, huiuſmodi, & talis fides eſt inſtar demonſtrationis propter quid, quæ licet non infallibilior quoad neceſſitatem abſolutam verificandi, ſublimior tamen, & longe perfectior, ita vt ſic credens penetret lineam & centralem ſcopum fidei divinæ, quo pacto ſic

ſciens

ſciens penetrat lineam, & centralem, vtpote eſſentialem ſcopum ſcientiæ.

156 Præfaro enim modo, iam patet, quod licet cauſalea rationes circulentur, at ſub diverſis rationibus, & motivis, cum formaliſſimè loquendo ratio propter quam creditur dictis Eccleſiæ propter Deum ibi ſiſtat, cum ſic regredi non poſſit, cum formaliter non poſſit Auctoritas Dei aſſertotia ſicque principium ſeu obiectum formale probari per aliud, cum in nulla linea poſſit dari duplex formalis terminus, ſicuti nec duplex vltimo centrum, vt etiam clarum eſt. Sic, ratio cauſalis credendi dictis Dei ob Eccleſiam valde diſtincta eſt quoad ſcopum, tametſi etiam neceſſaria, nam Eccleſia non eſt ratio vt forma, & centrum, ſed vt diſponens, applicans, conditionans, & veluti per actum & paſſionem curſum certitudinis inchoans, &c, ſic, prout expoſuimus. Quapropter dum contingat extrema lineæ circulari, tunc regreſſus non eſt ineptus, quia licet ab eodem extremo ad idem extremum regrediatur, at ſub diverſa ratione, principio, & modo, vt iam declaratum eſt.

157 Et quo pacto vltimum formaliter attingendo ibi valet ſiſti, & non regredi, quia prout formaliter in termino quieſcendum eſt, ſic reſpectivè dum devenitur ad inchoans vt tale formaliter & in ſe, ſiſtere valet, cum vltra primum (dico primum à poſteriori, vt ab initio declaratum eſt) motum, prius moveri repugnet. Sic invenies dum ab actu riſus aſcendas vſque ad eſſentiam, & dum ab eſſentia velles reſolvere aſſenſum vſque ad actum riſus, ante quem, ſeu poſt quem nil invenies quo probes & ex quo inferas, niſi quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud, vt Scotus in conſimilibus rerum cruciatibus paſſim Ariſtotile reſolvebat. Pariformiter, ſicuti intrando per Eccleſiæ ianuam, & gradum primum vſque ad Dei veracitatem, formaliſſimè ſiſtes ibi, ſic dum aliter deſcendens regrediaris ad Eccleſiæ ianuam, ibi ſiſtes, quin vltra illos ianuæ probatos combinationis lapides, quidquam vltra invenire poſſis, quod iam extra Eccleſię ambitum non ſit. Et quia exiſtimo de hoc individuo puncto ſatis dixiſſe in *Diſt. de Fide Theologica, vbi de Fidei reſolutione*, breviter hinc ſcopum curſus fidei ianuam. En, credo Incarnationem, quia Deus verus & verax revelauit: Credo Deum revelaſſe, quia Eccleſia quæ infallibilis propoſuit: Credo Eccleſiam infallibilem, quia tot vrgent motiva, quot ſufficiant vt quemvis virum prudentem moraliter certum reddant, ita vt infallibiliter debeat eſſe ſic ſtultus & inſipiens qui diſſentiat, ac qui Deum, & bonorum conſervatorem non eſſe, dixerat in corde ſuo.

158 Et licet quæ nunc obſtant, alibi exponi debeant, tamen hinc breviter occurrere, & digredi oportebit. Dices ergo quod ſic, tametſi non formaliter, prout expoſuimus, ſin autem diſpoſitivè, & veluti materialiter originem ſumet Catholicorum linea fidelis ex ſignis, & alijs eventibus Eccleſiaſticis, quorum plura naturali ordini ſubiacere videntur. Reſpondendum hinc, & in primis dicendum, quod omnia Eccleſiæ ſigna, & mirabiles eventus (horum plura dicimus & deſignamus *in quæſt. vltima Diſt. de Fide Theologica*, quare nunc omitto) dum ſupernaturalem, & divinam lineam non probent formaliter, & phyſicè, ſin autem inductivè, & moraliter, cum omnibus Eccleſiæ ſignis prudenter perpenſis, & examinatis non poſſit non occurrere ſuperna, & divina Dei aſſiſtentia; quare parum obſtat quod diſpoſitivè cuncta fidei fabrica incipiat à ſignis. Nec aliud proprius ſimile poſſum adddducere quam Nicodemi comprobatio, dum dixit Chriſto per Joan. cap. 3. *Scimus, quia veniſti à Deo Magiſter.* Et vnde ſcivit? *Quia nemo poteſt hæc ſigna facere, quę tu facis, niſi fuerit Deus cum illo.* Unde ſignis mirabilibus conſideratis non potuit ille prudens Judæus non inferre Deitatis magiſterium, & ſic non potuit non ſurgere vſque ad ſupremorum contemplationem. A ſimili ergo qui prudentes, conſiderantes Eccleſiæ doctrinam, præcepta, venuſtatem, & vetuſtatem, & per tot ſæcula firmitatem inconcuſam, pręclaram ſucceſſionem, miracula, mira martyria, vniverſum Maximorum Doctorum conſenſum, contra naturæ violentias dulciſſimam conſtantiam Virginum, & quam plurima ſic, non poterunt lineam ſupernam non penetrare, ſaltim inductivè, & connexivè, ita vt debeant ſurgere vſque ad cognoſcendum, quod venit à Deo Magiſtra, quia nemo poſſet ea ſigna tenere, niſi fuerit ſummè verax cum illa.

159 Verumtamen Contrarijs do gratis, quod primum à poſteriori ſumptum naturale ſit, ac proinde alterius ordinis ac fidei habitus theologicus, & formale obiectum &c. Hoc enim eis dato ſemper compatietur; quod dum fides elicitur lineam ſupernam tranſcendat. Suaderem in eos inſtando à paritate demonſtrationis propter quid, dum reſolvendo ſcientiam deveniat cognitio vſque ad proprietatem, necnon vſque ad riſus contingentem actum. Scientia enim quæ infallibilis, quomodo ſurgit à contingenti & fallibili? Principia quæ eſſentialia, quomodo ſurgunt à

rebus

rebus extra eſſentiam ? Media potiſſima demonſtrationis quæ virtutes identificatæ, & inſeparabiles, quomodo ſurgunt ab actibus & accidentibus ſeparabilibus ? Necnon demonſtratio illa inviſibilium à Doctore Gentium toti Orbi propoſita, quomodo ſurrexit à viſibilibus? Et tandem vertite ſenſum ad ſenſibilia veſtra, & his combinate, an ſit levior difficultas quam ſuperat noſter agens intellectus, dum corporea, & ſenſibilia vſque ad ſpiritualium, & inſenſibilium ſpeciem elevat, ita vt ſenſu corporeo incipiat ſpecies, quæ ſic ſurgit, quod nec divinitus poſſit deinceps ab eo percipi.

160 Sic etiam ſi à naturalibus Catholicam lineam inchoatam ſurgere darem vobis (loquor cum hæreticis) inde tamen non poſſetis vnquam repellere à fide deinceps ſupernaturalitatem, & infallibilitatem, cum aliud foret incipere, & aliud aſcendendo progredi, vt patet ab inexpugnabili demonſtrationum ſimili. Et crede mihi, quod nil poterunt opponere contra infallibilitatem fidei, quæ non opponantur contra infallibilitatem ſcientiæ, prout non ſemel radicitus penetrare valui. (Itaque, quo pacto infallibilis claritas ſcientiæ ſecura quieſcit, dum ſic prius ſurgit, & infallibilis obſcuritas fidei ſecura quieſceret, dum ſic ſurgeret.) Et ne theologicum ſimile deficiat, inſimul & philoſophicum, *Cui ſimile erit Regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud?* (Iuxta Magnum Gregorium Regnum Dei hinc Eccleſia dicitur) Ab ore Chriſti per Luc. cap. 13. *Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſſit in hortum ſuum, & crevit, & factum eſt in arborem magnam, & volucres Cœli requieverunt in ramis eius.* Hinc plura noſtrum intentum comprobantia, conſiderate. Et prius dicite mihi, quiſnam ille homo ſit? Dicite necne, cuius ille hortus ſit? Deinceps conſiderate granum, & notate quam exiguum incepit in hortu, quomodo crevit, ita vt ſurgeret vſque ad ſuperandum cæterarum arborum magnitudinem, ac proinde ſic, quod dum antea non poſſent ſatis ſiſtere aves, tamen à gradu in gradum ſic ſumpſit incrementa, quod etiam in ramis ſecure quieſcerent aves Cœli. An obſtavit illis infima origo in ſemine ? *Minimum* fuiſſe in initio inconvenit vt vſque ad Cœlum erigeretur, & maius foret omnibus oleribus ? *Fit arbor*, inquit Matth. c. 13. ergo ab initio non ſic facta, tametſi iam ab initio habebat in ſe ſatia, quo fieret. Clara ſunt omnia, applicatione non egent. Et dum hæc arbor non ſatisfaciat, ad crucis arborem confugite, & notate, quomodo incepit, & quomodo divina crevit, dum licet diverſo metro, tamen ab origine vſque ad Calvarium ſemper firma, & nunquam corrupta permanſit.

161 Verumtamen etiam ſic credulitatis conceſſo exordio, poteſt, & debet dici, quod deinceps illud primum quo incepit linea credulitatis veluti debili naturalium luce, per deſcenſum ab obiecto formali, & alijs ſupernaturalibus Deo immediatis, informatur fortius, infallibilius, & supernis copulatur. Philoſophicè nullum eſt aptius, & conſonantius ſimile, ac iam expoſitum principiorum *Quia*, & *Propter quid*, dum notitia quæ incepit debilis, & extra eſſentiæ ſcopum, ab ipſis eſſentiæ immediatiſſimis deinceps deſcendendo fortius, & præclarius vſque ad ima corroboratur. Philoſophicè, & theologicè nullum eſt aptius ſimile, quam grani ſinapis, cum à prima facie incipit, ita vt tunc difficilius noſcatur magnitudo ramorum in ea ſeminis parvitate, at deinceps dum quis à ramorum culmine deſcendit, ſic fortius & quoad fidem expeditius attingit granum ſinapis, quod iam ſumam magnitudinem cum eo copulet, illudque maius intueatur.

162 Et quia revera, vt notavi, hæc eſt inter ſublimiores fidei magis ardua difficultas, eam vineam practico fidei exemplari, prout fuit illud fidei Samaritanorum. Multi enim, vt conſtat ex relato iam textu Joan. crediderunt *propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis*. Conſiderate prius teſtimonium mulieris, & revera dum incipiebant lineam credulitatis Samaritani, illud invenietis ſatis debile, ſurrexerunt tamen ſic ab eo fœmineo medio vſque ad attingendam ſupernam lineam fidei, vtpote Chriſti ſtructuram, aliter Samaritanos credidiſſe in Chriſtum non affirmaret Joannes : Deinceps autem tam ipſi, quam alij qui crediderunt, dum ipſum Dominum audierunt, tametſi Chriſti veracitatem ſumerent in fidei principalem ſcopum, & non mulieris teſtimonium, at non ſolum non poterant non aſſentire dicto mulieris, cum ipſa revera dixiſſet quæ ipſi propter Chriſtum crediderant, quin etiam dictum mulieris debebant attendere vt tunc iam infallibilius, & ab ipſa Chriſti veracitate elevatius corroboratum, à Chriſto ſiquidem deſcendentes, ipſius veracitatis robore pervenientes vſque ad primam lucem mulieris, non poterant eam non invenire conformem cum vigoroſo illo ardore Solis Iuſtitiæ, ita vt iam mulieris lucerna repugnaret obnubilari, & ſupernis radijs non coruſcare; dum enim duo conformia ſunt, repugnat per locum intrinſecum quod verum ſi ſit primum etiam eiuſdem partici-

pata veritate, verum néceſſatiſſime non ſit aliud.

163 Sic practice percipe ſacrum Eccleſię propoſitum, dum in fidei lineam ingreditur fidelis, incipiens ab Eccleſiæ propoſitionibus per Miniſtros eius. Licet enim quis debilis inciperet, ſicque gradatim aſcenderet vſque ad fidei robuſtiora, nil inconveniret, vt deinceps ipſa initia atrij Eccleſiæ firmius, & etiam per ſupernaturalitatis robur intueretur, quo pacto deinceps Samaritani etiam immediatius ipſi Chriſto credentes, debebant eo ipſo mulieris dictum inſpicere altius. Nec obſtat, quod ex ſimili debeat inferri, quod propter loquelam Eccleſiæ non debeamus credere, cum deinceps plures eorum Samaritanorum dixiſſent mulieri, *Quia iam propter tuam loquelam non credimus:* Non obſtat quinimo fidei noſtræ ſcopum elegantius indicit, & conſonantius confirmat. Tametſi enim initiando credamus ob Eccleſiam, cum ſit credibilia nobis primo applicans, at deinceps dum evolvit animus vſque ad attingentiam divinorum prædicatorum, ibi formaliſſimè ſiſtendo, iam bene dicetur, quod non eliciatur purus & ſupernus actus fidei theologicæ propter Eccleſiæ loquelam, ſed dumtaxat propter divinam. Sic demonſtrator qui prius, dum à poſteriori incipiens per lineam paſſionis ob eam ſcibilia tetigit, deinceps vtpote iam prima principia penetrans valet dicere paſſionali medio, quod iam non propter ipſum aſſentiat primis principijs, & maximis veris, ſed propter ipſa. Iterum tibi noto, quod nunquam fidei noſtræ principia evertere poterunt, niſi qui evertere poſſint vniverſalia, & maxima ſcientiarum principia; quorum necne ſimili paſſim vſus fui, cum prout toties notavi, incredulis, & in fidei imbecillibus potentiora ſint principia naturæ, & ſcientiæ, quam excelſa principia cæleſtis Theologiæ.

164 His ita, ex difficultatis aſpera, dum nobili conditione, vtinam & intimo fidei divinæ, & Catholicæ Eccleſię amore, diffuſe expoſitis, & propugnatis, reſtat ex dictis nonnulla parare, vt ſolvatur circulus, vtpote in ſcopum poſitus, & oppoſitus, hincque ab eo ad tot fidei lineas, vſque ad ipſius centri attingentiam pro viribus, tametſi meis, anxie excitatus.

165 Dicimus ergo, quod ſemel Eccleſia, ſivè ſic, ſivè ſic, pro viſibili credibilium infallibili inſtrumento ſtabilita, non obſtat quidquam circulus ſupra oppoſitus. Non enim pari metro credimus Eccleſiæ propter ſcripturas, & ſcripturis propter Eccleſiam. In primis enim infallibilitatis linea quoad nos viſibilibus etiam Sacramentis inſtructos, incipit ab Eccleſia, vt à conditionante, & potentiam applicante; Eccleſiæ loquela infallibiliter habita, inter alia manifeſtat nobis, has ſcripturas eſſe divinas, & fuiſſe ab ipſo Deo prolatas; tunc enim in ipſis ſcripturis inter alia continetur etiam Eccleſiam fore infallibilem, & Deum aſſiſturum vſque ad conſummationem ſæculi: His ſic poſitis quoad nos, quod prius tenetur infallibile eſt Eccleſia, deinde propter Eccleſiæ dictum, infallibiles tenentur ſcripturæ, quibus iam *propter quid* non credimus propter Eccleſiam, ſed propter ipſum Deum veraciter revelantem illas, quo pacto terminatur formaliter fides, & circulus non obſtat, cum ſolum certitudine *Quia* crederentur ſcripturæ propter Eccleſiam, quo pacto per tot ſimilia ab initio expoſuimus, & convincere intendimus.

166 Rurſus dum Eccleſiæ Auctoritas augeri videatur ex ſcripturis in quibus ipſa continebatur, priuſque ab ipſa Eccleſia confirmatis, tunc venit notabiliter exponendum, non poſſe dari circulum, qui inepte vrgeat, & ex inculcata, & reppetita vi comprimat. Quod vt percipiatur advertendum eſt, Eccleſiam vno dumtaxat modo poſſe influere, aut inducere in veritatem divinarum ſcripturarum, vtpote, vt definiens per medium *Quia*, & inſtar paſſionis, prout iam toties expoſuimus, non autem vt principium *propter quid*. At ſcripturæ dupliciter poſſunt inducere, & veluti comprobare veritatem Eccleſiæ, vtpote poſtquam Eccleſia eas definivit, & antequam Eccleſia, quæ contenta erat ſemper in eis, vt definiens intelligatur. Si enim ſcripturæ intelligantur, & concipiantur, vt in illo priori ad Eccleſiæ definitionem, tunc ſcripturæ (percipe quoad nos, & quo pacto de primis actibus, vt à poſteriori oblatis ad demonſtrationem *Quia*) non inferunt veritatem Eccleſiæ, vt medium ſunt ad eam propter quid, ſed vt ſunt de linea actuum conducentium ad inchoandum, & ſic inadæquatè inferendum medium principale ad definiendum *Quia*, ita vt ſic tale medium non ſint ſcripturæ, ſed Eccleſia, quæ inadæquatè in ſcripturas reſolvitur, quo pacto medium principale demonſtrationis *Quia* reſolvitur in terminos ſimplices, vtpote in actus viſus, & diſcurſus, è quibus neceſſario ſemel viſis, ad virtutes eorum aſcendimus. Igitur ſic debent reputari ante Eccleſiæ definitionem ſcripturæ, & per hanc viam, in altiori gradu eſt Eccleſia, cum hæc ſit in gradu paſſionis, ad quem gradum, veluti ad medium vnicum & principale verificationis *Quia* confluunt ſcrip-

ſcripturæ inadæquatè, ſicque per hanc viam primum & formale medium infallibilitatis eſt Eccleſia, & tam ſcripturæ, quam cætera credulitatis motiva, habentur vt diſpoſitiones integrantes moraliter infallibilem aſcenſum ad potiſſimum medium *Quia*, quod à poſteriori eſt Eccleſia. Dixi inde inadæquatè per hanc viam conducere ſcripturas, quia motivum, & diſpoſitiones è quibus ſurgit fidelis ad dandum, & ſtabiliendum præfatum medium *Quia* Eccleſię, non ſtat ſolum in ſcripturis, nam alia ſunt etiam è quibus prudens actus ſtabilientis Eccleſiæ aſcenſum moraliter infallibilitatur, vt *Pronuntiatio prophetica, ſcripturarum Concordia, Aucteritas ſcribentium, Rationabilitas contentorum, Irrationabilitas ſingulorum errorum, Eccleſiæ ſtabilitas, Miraculorum claritas, Exterorum comprobabilitas, & circa ſecta noſtra cupidos, magnifica, & divina pietas*. En ergo, quod ſic intellectæ ſcripturæ ante Eccleſię definitionem, reſpectu ipſius definientis, ſeu aſcendentis ad ſtatum definiendi *Quia*, non conſtruant ineptum circulum, nec vtrumque extremum æquè inſiſtat, vt patet, & patebit à paritate medij & terminorum demonſtrationis *Quia*, quod in principaliori gradu eſt, reſpectu mediorum à poſteriori.

167 Si ſcripturæ poſt Eccleſiæ definitionem conſiderentur, tunc etiam inducunt Eccleſiæ Auctoritatem, at aliter, cum eam inducant, & comprobent *propter quid*, vtpote prout verba quæ in ſe Dei erant, etiam quoad nos Dei verba habentur, quę cum ſint de conceptu obiecti formalis, & de immediato ſcopo Auctoritatis aſſertorię, per hanc viam in ſublimiori gradu reputantur, ita vt ſic iam non propter Eccleſiam arringantur (percipe in linea formali, & propter quid) ſed propter ſe, aut ipſum Deum; quo pacto ſicuti quæ eſſentialia, & immediatiora ſubiecto demonſtrationis, ſemel attractis, & habitis ex demonſtratione *Quia*, deinceps iam propter ſe ſic attinguntur propter quid, quod medium quod ante fuit *Quia*, vtpote paſſio, etiam propter ipſa nobilius attingatur, ſic ſervatis in fidei, & ſcientiæ curſu ſervandis, divina ſcripturæ verba dum ſemel attacta ſint ob medium *Quia* Eccleſiæ, deinceps iam propter ipſum Deum ſic valent attingi, quod medium quod ante fuit Eccleſia, per ſublimem ipſarum viam, etiam attingatur. En quo pacto, nullus adeſt circulus, qui inepta, & mutua eiuſdem normæ, conditionis, & principij repetitione obſtare valeat, vt patebit differto, & cui terminos demonſtrationum *Quia*, & propter quid valeat perpendere, & penetrare, Si enim, qui hæc legat diſſertus non ſit, potius manebit confuſus, quam edoctus; ſin autem elegantis ſit ingenij, Deo dante, & Alma Matre ſcientiarum Domina, manebit convictus. Qua propter ſyncretis Catholicis, potius proderit ſimplicium fides, quæ vulgari idiomate noſtro dici ſolet, *la fe de los Carboneros*.

168 En, quod pari doctrinæ metro, quo pacto vltimi circuli fuerunt expoſiti, & ſoluti, valeant cæteri ſolvi, & penetrari, prout etiam practice ſatis habes erga circulum fidei Samaritanorum; necnon breviter in vltimi confirmationem, ſatis habebis in illo circulo Petri manifeſtantis Chriſtum Filium Dei vivi. Crediderunt enim illi auditores Cæſareę Chriſto propter Petrum, & crediderunt Petro propter Chriſtum &c. Sed aliter vnicuique propter alium. Primo enim crediderunt Chriſto propter Petrum certitudine *Quia*; Petro autem deinceps propter Chriſtum certitudine *propter quid*, in quorum circulo, linea, terminis, initijs, &c. invenies, quæ nuper vltimi circuli diximus; ſicque, quod etiam ſi vt Eccleſia, tunc Petrus viſibiliter foret primum infallibilitatis principium Chriſto, tamen deinceps ipſe Petrus contentus in verbis Chriſti etiam altius in fidei linea confirmaretur, &c ſic, prout pauloante de Eccleſia exponebamus; necnon quo pacto Chriſti ſublimitas, & propter quid non obſtavit, vt *Quia* diſpoſitio ſic requireretur, quod Chriſto illi Cæſarei non crederent vt divino, niſi propter Petrum, ſic divinorum verborum ſublimitas non obſtat vt eis, & Evangelio non credamus niſi ob Eccleſiæ *Quia* &c. quæ, & minutiſſima quævis invenies à Petrinæ definitionis, & declarationis paritate. Et hæc, quæ laboris mei maiora cædant Divo Petro, Fidei Protho Magiſtro, & Patrono totius animæ meæ obſervantiſſimo, vt humilime è ſumma eius dignatione ſpero.

QVÆSTIO V.

De viſibili Romanæ Eccleſiæ Capite ſecundum ſe.

1 EGimus vſque adhuc de principalioribus Eccleſiæ attributis, examinantes, & reſolventes tam quæ ſpectant ad primam Eccleſiæ ſtructuram, quam quę, ad partium integrantium vnitatem; vltra necne veritatis, & veracitatis caractericas proprietates cum inſignioribus actibus earum dilucidantes, pro viribus noſtris, defendentes, & propugnantes: & licet in pręfatorum examine etiam

etiam de compacto vnius Catholicæ, & Romanæ Eccleſię corpore tractantes, maiori ex parte ad ipſum viſibile Caput attenderimus, vt præſcripta legenti, patebit, tamen cum Caput ſecundum ſe, vtpote obſervantiſſimum Patronum meum Petrum ſingularius & directius repræſentans, fuerit dulcior & fortior nobilioris mei laboris ſcopus, inde nunc quæ difficultates ſequentur, tam de capitali Petri Succeſſore ſecundum ſe, quam in comparatione ad cætera remanentis corporis membra movere, & iuxta vires noſtras parare, Deo dante, conabimur.

ART. I.

An ſit fide tenendum, SS. Patrem Innocentium Vndecimum fore Summum vniverſalis Eccleſię Antiſtitem.

2 CONſulto inter cęteras Romani, & Catholici Antiſtitis aſſertiones, inquirimus in titulo articulatam, cum ex eius deciſione, plurimatum principalium deciſio pendeat, vt patebit cuicumque cuiuſvis ædificij fabricam conſideranti. Si enim Innocentium Undecimum fore Papam fide non teneamus, pluribus alijs dubitationibus involvemur; ſin autem eum talem fore fide teneamus, quam plurimas alias, quo pacto ex certiſſimis præmiſſis concluſiones pari infallibilitate ſubinferemus. Nec enim Domus Dei poſſemus facile credere ſtabilitatē, ſi fundamēti eius dubitaremus. Similabimus Deum viro ſapiēti, qui ædificavit domū ſuam ſupra petram, non ſupra terram, & ſic levia, quæ à quovis vento valido dilabuntur, & à fundamentis commoventur. Igitur quouſque non credamus, quod ſapiens ſit inſipiens, credere non debemus, quod vellet Domum ſuam firmam, & in longitudinem dierum, imbecille eius, & abſque omnium ſumma firmitate relinquens fundamentum.

3 Ut igitur pro viribus tenendam reſolutionē formemus, vnicū pro nunc iuxta Catholicorum Doctorum ſcopū prenotandum ſentimus, videlicet hinc nos ventilare quæſitum de quibuslibet illis Pontificibus, qui ſic extiterunt Petri Succeſſores, quod de eorum legitimitate non fuiſſet ambigendi locus, ita vt ab Eccleſia ille, quem diſputamus, eligatur, adoretur, & ſuſcipiatur, quo pacto Sanctiſſimus noſter Antiſtes Romæ Innocentius Undecimus, qui feliciter vndequaque Petri navim in hoc mari magno gubernat. Circa quod quam plurima vniverſalia, & præclara principia dilucidata, & non levi cura propugnata relinquimus ſupra *in quęſt.* 2. vbi per tres ſequentes Articulos, necnon & per quartum, in quo Hæreticorum argumentis ſatisfit, quibus ibi, hinc maiori ex parte difficultas evicta manet, & ea videre oportebit, vt tam in favorabilibus, quam in quęſito adverſis, Catholicus Doctor expeditius habeatur. Illis igitur iam radicitus ibi præiactis.

4 Reſolvendum firmiter, Sanctiſſimum Patrem Innocentium nunc Undecimum, fore Summum Vniverſalis Eccleſię Antiſtitem, Fide Catholica tenendum. Præſens reſolutio, licet vt pie credo ſit ex diverſis motivis, militat tamen contra nonnullos Catholicos Auctores, qui ſequentes Caietanum 2.2. *queſt.* 1. *art.* 3. contrarium docuerunt, quorum licet vnus Bañez, at cum aliqua limitatione. Pro nobis autem graviſſimi ſunt Doctores cum Eximio Suario *dp.* 5. *Sect.* 8. *n.*12. ſed præ omnibus ſat ſit Auctoritas ſumma Clementis Octavi, qui (prout teſtatur Petrus Hurtado *dp.* 37. *Sect.* 2. §. 5.) carceravit nonnullos Auctores oppoſitum defenſantes, iuſſitque eos Romam adire, vt redderent rationem opinionis, cuius Auctores merito recludi debebant. Et re benè inſpecta, etiam dum à Catholico zelo abſtractus, mirarer nimis iuxta doctrinarum, & creditorum conſequentias, poſſe contrarium à viris probis & prudentibus defendi, prout ex quæſiti curſu manifeſtare intendetur.

5 Primo propugnatur, quia de fide teneri debet dari vnum Eccleſiæ viſibile caput; igitur & fide tenendum eſt, tale fore illud quod videri poſſit à nobis (noto, quod nunc, intendam alloqui etiam cum Catholicis Doctoribus; cum hereticis enim loquutus fui ſupra in primis huius Tractatus quæſtionibus dum vnitatem, & viſibilitatem Capitis ſupremi ſuadens; nunc autem expreſius, iam ad individuum attendo, in quo ſiſtit ſpecialis inter præfatos Catholicos concertatio) ſed dum fide ſic non teneatur Innocentius Undecimus, nullum reſtabit caput quod videri poſſit; ergo vel ipſum tale quoad individuum tenendum, vel non minus negandum, fide tenendum in Eccleſia vllum viſibile caput; quod foret evellere fidem, caput, & Eccleſiam.

6 Secundo propugnatur, quia de fide tenendū eſt, quod Petrus habuerit Succeſſores; igitur & de fide tenendum eſt eos quoad individū fuiſſe Eccleſiæ manifeſtos; vt nunc eſt Innocentius, ac proinde quod iſte de fide teneatur, quo pacto Succeſſores illos fuiſſe tene-

tur, & tenebatur. Dices aliud fore, fore de fide Petrum habuiſſe Succeſſores, & aliud eos diſtinctè & quoad individuum patuiſſe. Primum enim non poteſt negari, quo pacto non poteſt negari, debere ſuccedere Paſtorem, vbi ſuccedunt oves; ſecus autem ſecundum, cum dum certus credatur Paſtor, iam non obſtet quod quoad individuum pari certitudine agnoſcatur, vt gubernare queat.

7 Contra, & efficaciter, quia de fide tenendum, Petri Succeſſores prodeſſe, vt ex tot dictis, & factis etiam inſcio patebit; ſed ſi Petri Succeſſores diſtinctè, & quoad individuum æquali certitudine non conſtaſſent, nil Petri ſucceſſio prodeſſet, quia nil prodeſt viſui quod in ſingulari non videtur, nec alicui individuo quod ab ipſo, ſeu ad ipſum non contrahitur; ſicuti nec individuis ovibus Paſtor in genere, aut in ſpecie, ſi quoad individuum non paſcat; ergo nec quidquam aliter habuiſſe Petrum Succeſſores, prodeſſet Eccleſię huic, & his fidelibus ſi quo pacto credunt, non crederetur ab eis. Exponitur, & confirmatur ex ſimili ovium, quæ forent errantes ſi quoad individuum non viderent, aut per auditum agnoſcerent Paſtorem; nec mihi perceptibile quomodo poſſet eas gubernare, & à malis herbis, & præcipitijs abſtrahere; quapropter Divinus Paſtor fidei individuam agnitionem in ovibus ſuis exigens, non dixit otioſe, *Oves meę vocem meam audiunt, & cognoſcunt me meæ*. Et revera, ſi intime, quoad omnia dicta, & facta id perpendatur, nullius vtilitatis invenietur fuiſſe, Petrum habuiſſe Succeſſores quoad ſe, dum quoad nos ipſi non fuiſſent habiti. Eccleſia enim de occultis non iudicat.

8 Tertio propugnatur, & confirmatur ſecundum. Quia nobis Catholicis non minus eſt fide tenendum Petrum habuiſſe Succeſſores, ac quodcunque aliud creditum, excepta materiarum diverſitate; ſed foret contra cæterorum credibilium praxim, necnon contra iam ſecundum ſe fidei divinam providentiam, relinquere credendos vage Succeſſores, & non individualiter; ergo. Exponitur & ſuadetur minor iuxta cæterorum creditorum praxim, cum Deus nedum revelaret divinam perſonam incarnandam, ſed oporteret revelare eam fore Verbi individuam, patriam, locum, & nomen: Sic nedum paſſurum, ſed mortem, & mortem crucis: Sic nedum inſtituta ab eo Sacramenta, ſed numerum, & cætera alia quoad materiam, & formam individuantia, & ſic de cæteris quæ nunc credimus: Tum ſuadetur iuxta fidei divinam, & conſonam providentiam, nam iam fides ſecundum ſe obſcuritate capit animum, cui naturaliter non conſonat libertatis captiverium, ac proinde ſi vltra aſperam fidei conditionem, per individuam ignorantiam rei credendæ, confuſione augeret Deus difficultatem, equidem plus præciperet, quam quod fragilis noſtra natura poſſet pati; igitur dum Altiſſimus mitis, & abundantis providentiæ ſit, non ibit contra cæterorum credibilium praxim, & iam anxiam fidei conditionem, volens proponere fidei, Petri Succeſſores vage, & confuſe, eoſque determinate ab ea abſcondere, ac proinde ſic quod obliget ad credendum, quod non proponendum, ſed ignorandum.

9 Quarto propugnatur, & confirmantur prædicta, quia ſi non foret ratio vt fide teneretur Innocentius Undecimus, nec eſſe poſſet in negantem Petrum habuiſſe Succeſſores; ergo vel fide tenendum eſt primum, vel nil de ſucceſſione. Suadebitur, quia qui negaret, firmaretur argumento mathematico annorum, & incipiens ab hoc anno diceret, non fore de fide dari in eo aliquem Petri Succeſſorem, nec eum dari in antecedenti, & ſic vſque ad Petri tempora; igitur cum nullum poſſet ei ſignare tempus in quo poſſet ſignari Succeſſor, & nil ſit quod extra tempus ſuccedit, non poſſet aptius ſuaderi in negantem fide tenendum Innocentium, ac in negantem Petrum habuiſſe Succeſſores. Comprobatur diſcurſus, nam ſi argueretur Succeſſorum certitudine, qui negaret, diceret, tale promiſſum non fore vſque ad tempus præſens, ita vt ſalvaret pro temporibus futuris; vrgeret enim ſic redarguens; Si non dari maius motivum vt aliqui numero homines forent Pontifices in præteritis, ac in anno præſenti; ſed non eſt de fide quod aliquis numero ſigno ſit Pontifex in pręſenti, aliàs quinam iſte ſit deſignetur; ergo nec erit de fide fuiſſe aliquem ac proinde nunquam fuiſſe potius tenebitur, & ab inductione omnium hominum hucvſque creatorum aſſeverabitur.

10 Quinto propugnatur, quia abundantius, clarius, & diſtinctius providit Altiſſimus quæcunque ſpectantia ad legem gratiæ, quam ad legem veterem, vt patere debet cuicunque conſideranti diſtantiam rerum, quæ in veteri lege contingebant illis fidelibus ſub vmbris, & rudiſſimis figuris, dum in tempore noſtro gratię, quæcunque pręceſſerant habuimus clare, & in ſe ipſis diſtinctè, cum & quod omnium erat finis viderimus gloria, quaſi vnigeniti à Patre; ſed dum tunc confuſius, & ſeverius procedebat Altiſſimus, tamen providit iuxta temporum claſſes illos numeros homines fuiſſe creditos, vt Summos Sacerdotes, vt conſtabit ſcienti veteris teſtamenti hiſto-

riam

riam, ita vt, vt talem ; etiam impiſſimum illum numero hominem , S , Caipham teneri vellet; igitur plus vltra in temporibus Eccleſiæ Militantis , quæ eſt ipſi prę omnibus Synagogis Spooſa formoſiſſima , ſplendens & lucem Solis ſpargens ab ortu vſque ad ocaſum,claritatem doctrinæ diffundens à mari vſque ad mare.

11 Dices forſan iuxta expoſitionem Dominici Bañez, Caipham merito reputandum vt Pontificem cum prophetaſſet , quo pacto etiam de fide reputandus erit Pontifex Iooocentius anni illius in quo aliquid definiat, cum non poſſit intra fidem teneri hoc numero definitum , quin intra eamdem teneatur bic numero definiens; ſecus autem fide tenendum , quouſque in rebus fidei non exprimatur,& manifeſtetur. Contra, quia Evangeliſta Joannes ſic deſcripſit Caiphæ prophetiam, quod deſignaret in cauſalem rationem , fore Pontificem , cum eſſet enim Pontifex anni illius, prophetavit , ita vt Sanctus Evangeliſta non ex prophetia inferret Pontificatum , ſed ex Pontificatu inferret prophetiam ; igitur quia quo pacto quis tenetur, ſie alloqui reputatur. Rurſus , quia nedum ex penetratione terminorum, ſed & iuata extrinſecos conceptus , manet imperceptibile in rebus puræ atteſtationis dictum Petri audire vt fidei dignum, & non dictum Pauli, ſi eadem fide oon concipiam Petrum veracem,ſecus autem Paulum; ergo & erit imperceptibile poſſe dictum Innocentij teneri vt definitionem fidei, ſi non pręconcipiam eum , vt fidei Definitorem. Id nimis confirmatur (& præcavetur inmioens evaſio)dum nou altius,& ſupernaturalius concurrant aliqua viſibiliter mirabilia ad propoſitionem huius numero definiti , ac ad erectionem & primam propoſitionem illius numero hominis definientis, ſed æque in ſignis, & alijs tam ad tempus definiendi , quam habendi Pontificatum participante Innocentio, ac participaret ipſa ad ſuum tempus definitio; in huiuſmodi enim caſu , inpereeptibile prorſus quod præſtetur definitioni , quod prius non fuiſſet præſtitum Definitori. Unde dignoſces imparem fore caſum aliorum virorum, qui magni , & nominati non fuerunt reputati niſi à poſteriori, ita vt quouſque magni & mirabiles effectus , ipſi magni & mirabiles non fuerint reputati; quia talia mirabilia, fuerunt in ipſo opere , & non à primo intuitu illius qui operantis; tum, quia potentiæ, & dignitatis operantis illius non fuit pręhabita notitia, quouſque eam præſtitit ipſum opus ; dum enim arboris non habemus conceptum , ex fructibus debemus prius credere bonitatem, ſecus autem dum iam ſciamus quod illa arbor ſit bona , & quod ſit a Deo plantata ita vt ſi illa non, nulla ſit ex ramis radicis Petri inſerta &c. ſic tuoc enim non credimus arborem bonam è fructibus, ſed fructus è radice & bonitate arboris , ita vt priuſquam declaret fructum , iam ſciamus, & eum firmiter ſperemus. Sic conſimiliter diſcurre circa fidem præſtandam definitioni , & Definitori, dum non plura in linea mirabilium videntur pro declaratione definitorum , ac definientis , necnon dum cunctis Eccleſiæ operarijs , & cultoribus nota fuit erectio illius Patrisfamilias cum omoibus ſpecialibus conditionibus &c.

12 Sexto propugnatur , quia ſaltim cuncti Catholici, circa Innocentium Undecimum , crederemus , vt credimus nullum alium hominem impræſentiarum eſſe Summum Pontificem , eſto Innocentius non ſit; aliàs poſſemus dubitare poſſe nunc aliquem fore abſque electiooe , & nominatione , aut ſorte divina, vt evenit in Mathiæ Apoſtolico Epiſcopatu ; igitur ſaltim debemus tenere, quod quo pacto poſſibile eſt à nobis teneri, dumtaxat ſit Innocentius Undecimus ipſe, & non alius , qui Regni Cœloruoı claves ſuſcepit ; nunc ſic , ſed eſt conſtans Catholicorum reſolutio , quod dum Chriſtus dixit Petro , *Tibi dabo claves* , non minus in ly. *Tibi* intelligerentur cæteri omnes qui habituri erant claves iuxta poſſibilem captum noſtrum , ac ipſe Clavicularius Petrus ; igitur eſto fide teneatur , quod dum iſte non foret , nullus foret , dum aliàs vltra Petrum Clavicularius debeat eſſe , quo pacto ex ly *Tibi* , manſit ob Eccleſiam nobis de fide Petrus , & ob eamdem , ex eodem *Tibi* , nobis manebit fide Innocentius.

13 Septimo propugnatur, quia eſto ſciamus , nunc non poſſe aliud fore Eccleſiæ caput , quam hoc Innocentij individuum , ſic ſcire debemus , quod fide ſciamus ; ergo. Suadetur à paritate conformi corporis phyſici , eſto loquamur de principatu rationis, & intentionalitatis , eſto loquamur de principatu vitæ , & ſenſationis. Primo de principatu rationis , cum imperceptibile ſit quod poſſimus rationalia exercitia per firmum aſſeoſum præſtare membris , & ſaltim æquali firmitati, ac toti corpori non præſtare capiti, quæ eſt elatioris rationis ſedes : Secundo de principatu vitæ, cum imperceptibile fit, poſſe alicui corpori vitæ præſtare aſſenſum , eamque ſaltim æquali firmitate non præſtare cordi, quod eſt vitæ Princeps, & principium à quo omnis motus vitalis derivatur : Nunc

ſic

ſic argumentor ab his conſonis exemplaribus: Quo pacto corpus benè organizatum habetur reſpectu cordis (conſimiliter in linea interriorialium formæ argumentum reſpectu centri capitalis) in his quę ſunt vitalitatis, habetur moraliter Eccleſia reſpectu illius, quod exiſtimat Pontificale in his, quæ ſunt credulitatis, &c. ſic; igitur dum fide tenearur Eccleſiam nunc fore, vt fide ab omnibus Catholicis tenetur, quo pacto contradicat credere certiſſimè corpus vitaliter exiſtere, & non exiſtere individuum illam partem, quæ vt exiſtimatur, contradicet credere infallibiliter, & de fide, Eccleſiam exiſtere, & ſic non exiſtere illud individuum, quod Pontificium, vti capitale & cordiale ſcitur, & nunc ipſum, & non aliud ab omnibus Eccleſiæ membris exiſtimatur.

14 Confirmantur, dum ab eodem exemplari aptius exponuntur. Quo enim pacto totius corporis pulſationes (præoccupatur etiam præfata expoſitio Bañez, & aliorum) inchoantur, & derivantur à corde, quod eſt vitalium Princeps, ſic definitiones, cęteręque credibilium pulſationes inchoantur in Romæ Antiſtite, & derivantur ab eo, qui eſt veritatum credendarum, & fidei Princeps; & quo pacto vitam non inchoante corde, nulla vitalis ſiſteret pulſatio, Concilia non inchoante Papa, nulla credenda ſiſteret definitio; igitur quo pacto non poteſt percipi pulſatio, quin eadem firmitate perciperetur præextitiſſe pulſans, quod cor, nec poterit ſuperna fide credi aliqua Concilij, aut Corporis Eccleſiaſtici definitio, quin eadem firmitate credatur præextitiſſe definitor, qui Papa.

15 Octavo non parum ſuadet ille textus *Luc.* 22. dum Dominus rogavit pro Petro vt non deficeret fides eius, ſicque nec Succeſſorum pariter, vt cuncti Catholici credere debemus contra Calvinum literam illam intra ſolam materialem Simonis Petram ſuffocantem, & ſepelientem; qua propter ſi ſic intrà fidei lineam tam præfatus, quam conſimiles textus non habeantur, vt ex capite vnam, Apoſtolicam, & Catholicam, Romanam teneamus Eccleſiam, omnino imbecilles, infirmi, & irrationales manetemus Romanæ fidei profeſores: ſed foret penitus diſſonans rationi, necnon prudenti credulitati percipere Dominum rogaſſe, vt non deficeret fidei exiſtentia, non tamen rogaſſe, vt pariter non deficeret exiſtentia illius hominis, in quo fides extitura; igitur & pariter diſſonans, quod ex Domini oratione, teneamus de fide, illam fidem, fore noſtram & quod illum, pro quo Dominus oravit, de fide eſſe hunc non teneamus.

16 Inſiſtes ſemper in eo, ſcilicet, eum Succeſſorem, pro quo Dominus oravit, non minus, ac ipſam fidem, fore de fide; at ſemper reſtat ſcire, an ille, iſte ſit, vt fide credatur. Contra eſt ſemper, quia loquimur iuxta prudentium fidem, aliter enim iam video plures eſſe inter hæreticos hunc fore illum negantes, quod in fidei robur nil facit, vt nil facit ſic plurima nos fide Theologica credere, quæ iuxta improbam diſpoſitionem mentium incredibilia ſunt hæreticis; per viam enim prudentium ingrediebatur Regius Pſaltes, dum teſtimonia Dei credibilia facta nimis. Si enim totius Orbis individua intueremur, vt Samuel filios Iſai, non minus infallibiliter ac ille ſciens, neque illum elegiſſe Deum, & ſic de alijs, dum alias ſcivit quemdam elegiſſe, certiſſimè credidit, & credere debuit eum qui remanebat electum fore in Regem, ſic dum nos ſciamus infallibiliter neque hunc, neque illum à primo vſque ad penultimum fuiſſe Petri Succeſſorem, & aliàs non minus infallibiliter teneamus quemdam debere eſſe, ſi prudenter teneamus, illum fore hunc, qui remanet, credere profecto debemus. Qui enim aliter ſe gerat, & imprudentiæ ſubiaceat, quo pacto audeat negare Innocentium hunc, & negavit Petrum illum. Tum ſemper in adductam evaſionem militant, quæ iam ſuperius tetigimus. Rurſus, quia ſic, pari metro poſſent ſolvere tam præadductam quam quemvis alium textum firmitatem & infallibilitatem noſtræ Romanæ Eccleſiæ probantes, nam poſſent dicere, infallibile fore illi Apoſtolicæ Eccleſiæ, Eccleſiam, ſicuti & oves ſuccedere, necnon ſuccedentem Eccleſiam ſemper duraturam, at non ſic infallibile, illanc eſſe hanc numero, ſicuti nec Apoſtolicam, fore noſtram, ſeu Romanam. Quo enim pacto poſſint dubitare Paſtorem, & poterunt oves, & ovile dubitare.

17 Nono venit reſolutio noſtra propugnanda validiſſimo revera fundamento, quo iam vſi fuere Catholici Doctores, qui reſolutionem noſtram ſecuti. Propugnatur, quia ſi fide non teneamus hunc numero hominem fore Summum Eccleſiæ Antiſtitem, corruent nedum quæ ab eo definita, vel definienda, ſed & quæcunque definita vſque adhuc à quibuslibet alijs Pontificibus; quin & etiam corruent cuncta myſteria vſque adhuc credita; ſed omnia hæc corruere, eſt corruere omnia fidei; ergo. Maior ſatis efficaciter convincitur, quia licet omnibus certum ſit ſcripturam divinam fore infallibilem, necnon myſte-

myſteria à Déo revelata fore abſque dubio credibilia, at nobis, qui nec facta Apoſtolorum vidimus, nec Chriſtum audivimus, nec Deum alloqui, & revelare ſentivimus, nec Prophetas agnovimus, reſtat ſemper habere medium quo infallibiliter ſciamus, ea omnia ſic eveniſſe, aliter enim mihi, & cuilibet rationis participi incredibilia, vel abſque dubio non credibilia forent, vt patebit à paritate cuiuſvis ſenſus, & potentiæ tam internæ, quam externæ, tam materialis, quam immaterialis, dum licet teneret obiectum ſuum, tamen ex parte potentiæ deficeret applicans; ſed ſi hic numero homo fide non teneretur, præfatis omnibus vt crederemus, vt ſic fuiſſe à Deo ſciremus reſtaret ſemper nobis tale medium applicans; ergo dum fide eum non teneamus, corruent quæcunque fidei noſtræ.

18 Dices, iam dari Concilia generalia, quorum definitiones cum infallibiles ſint necnon circa omnia, quæ fidei prædiximus, ſufficienter nobis applicant quæcunque credenda, & fidei Catholicæ obiecta. Benè ſit, at ſemper vrget penetrativa fidei noſtræ reſolutio, vtpote, quæ tametſi magna & ſolida, at more rationali & prudenti, vt vertat mentem docilem ad rectitudinem dicentis, & probitatem fundamentalem aſſeverantis, quo pacto edocti fuimus à ſuprema fidei Magiſtra, & ſcientiarum Domina, quæ licet Concilium, & divinum conſilium non ignoraret, & Angelicum Nuntium intueretur, tamen cogitabat Virgo Prudentiſſima, qualis foret illa ſalutaris definitio; & revera ſi nuntians ei verbum non foret Virgini infallibile ac verbum nuntiatum, & derivativè ac ipſum Concilium cœleſte, quo pacto dubitaret de Nuntio, & de nuntiato verbo Concilij dubitaret, ita vt in Marianæ fidei reſolutione, non præſtaret fides legationi Concilij, ſi eam in ipſum fidelem legatum non poſſet, ſervatis ſervandis, reſolvere; ſed quo pacto fuit habitus Angelus Virgini reſpectu Concilij triumphantium Perſonarum, nobis habetur Summus Antiſtes, qui & Eccleſiæ Angelus, reſpectu Concilij militantium perſonarum; igitur quo pacto omnium Prudentiſſima dum cogitans ſalutationis qualitatem, præſtans fidem verbis Concilij, debuit ante præſtare Angelo, ſi prudentes nos fideles ſimus, nunquam benè præſtabimus definitioni Conciliorum fidem, ſi prius non cogitemus eam Summo Antiſtiti præſtare.

19 Exponitur, & eviſceratur, nam non poſſet eſſe infallibile quidquam à Concilio definitum, quin per theologicam reſolutionem etiam infallibiliter ſciatur tale Concilium fuiſſe benè, & legitimè congregatum (aliàs non daretur fundamentum, vt increparetur. Conciliabulum, dum non minus præſumens vera definiſſe) Tum, non poteſt ſciri infallibiliter fuiſſe benè & legitimè congregatum, ſi infallibiliter non ſciatur legitimum fore congregans Caput; igitur quo pacto in Domus firmitate, cæteris eius factis, fabricis, & exornationibus non poteſt maior conſtantia præſtari, quam fundamento, & primo congregatarum columnarum principio, nec in Conciliorum firmitate poterit excogitari maior infallibilitas factis, & definitionibus, quam quæ primo omnium Concilianti præſtetur. Hæc omnia equidem conſonant etiam philoſophicè à paritate innumerabilium rerum, & vt ſupra à paritate corporis in quo primum Concilians omnes rationis ſenſus eſt caput, ſicuti & à paritate cordis, quod eſt primum movens, ſpargens, & ſpiritus vitales Concilians.

20 Exponitur amplius, quia dum quis diceret, non poſſe dubitari, omne Concilium legitimè congregatum fore infallibiliter verax, at poſſe dubitari, hoc numero Concilium fore legitimè congregatum, vt hæc dicens impugnaretur, quo medio vteremur tunc Catholici? (En, quod prout ſupra innuebamus, idem argumentum, quod faciant in Pontificatũ huius numero hominis, fieri poſſet in legitimitatẽ cuiuſvis numero Concilij, qua propter mirabor ſemper viros aliàs fide & doctrina plenos poſſe noſtræ reſolutionĩ contrariam nec leviter dubitare) Dicemus, quia ipſi congregaverunt ſe? Aut quia boni, & timoratæ erant conſcientiæ viri? Aut quia Spiritus Sanctus eos interius, vel externis ſignis movit? Si ſic reſpondeamus, nunquam fidei ſcrupulis ſatisfaciemus, quouſque ad primum vocis divinæ labium recurramus. Quis enim ſciet, ſe ipſos benè congregare, timoratos fore, & ab Spiritu Sancto motos extitiſſe? Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aliunde, ille male intrat. Percute Paſtorem, nunquam benè congregatas habebis oves. Infirma primam Petram, & ſpera cæterum corruere ædificium. Tolle genus ſupremum, & etiam dum purus ſis Philoſophus, totam bonæ ſubſtantiæ arborem vel eradicabis, vel ſcindes. Nil enim abſque primo principio vnquam extitit divinum. Nec benè reſolveretur omnium ſuprema Trinitas, ſi vna prima non inveniretur perſona.

21 Decimò propugnatur, & nonum confirmatur etiam ex aliorum ſolida doctrina, ex qua ſic formo rationem. Quia non eſt infimioris, quinimo famoſioris conditionis, qui

confir

confirmat, & terminat, ac qui lineam, aut conflatum aliquod componit, & ex alijs integrat, vt patebit à paritate innumerabilium factorum, tam phyſicorum, quam moralium, necnon politicorum, vt patuit in Aragoniæ ſororum confirmatione per Sereniſſimum Carolum ſecundum: in naturalibus & phyſicis, vt in tot cauſis producentibus, & vna dumtaxat conſervante; in moralibus in tot gratiarum modis, quorum æſtimabilior eſt qui confirmat; tum & in ipſo Collegio Apoſtolico, quorum maior, & melior, Tu Petrus, qui confirmas Fratres tuos; Tum & in ipſo Eccleſiæ ſolito erga Deum ipſum, diſtinguendi modo, dum ea, quæ ipſe in nobis operatua fuit, confirmatione perficere ſperat ab eodem, iuxta illud Pſalmi, *Confirma hoc Deus &c.* (vnde nunc duas infero concluſiones) igitur quo pacto in linea perfectionis contradicit fore perfectum factum, & non fore, dum non magis, ſaltim æquè perfectum confirmans, contradicet in linea veri fore fidei facta Conciliorum, & fidei, dum non magis, æquè non fore Papam, qui confirmaturus; necnon, quo pacto ex præformatis exemplaribus vpote ex numero factis, infertur, contradicere quod Concilia de fide faciant, & quod non ſit hoc numero Concilium quod facit, contradicet, quod Pontifices de fide confirment, & quod non ſit, aut agnoſcatur hic numero Pontifex, qui confirmat.

22 Exponuntur hæc, dum in ſingulari praxi fidei confirmantur. Nam tametſi omnis cura adhibita foret ab Eccleſiæ Patribus, eximię virtutes ſplendeſcerent, & maxima ſcirentur mirabilia, ſi fide non teneremus iuxta ſæcula temporum illos numero homines veros fuiſſe Pontifices, imperceptibile foret, fide tenere Beatos Patres Noſtros Dominicum & Franciſcum canonizatos à Gregorio Nono fore Beatos, eorumque animas in gratia finali è vivis ſublatas: Sic ſi hic numero homo de fide non teneatur Pontifex, deficeret, quæ circa viam ſalutis nunquam defecit divina providentia, dum declarans, & ex Spiritus Sancti aſſiſtentia reſolveret, hanc & illam doctrinam fore viam erroris, & ducere ad perditionem, contrariam fore veritatis, & ducere ad cœleſtia, & quam plurima ſic: Sic etiam, vt ait Petrus Hurtado *dp.*37.*ſubſec.* 1. plura mediorum ſalutis, fide tenemus ob individualium Pontificum confirmationem, v. g. in Euchariſtia ſola accidentia remanere, & iuſtitiam eſſe inhærentem cognoſcimus fide divina ex definitione Concilij Tridentini confirmati à Pio Quarto: Tum abſolutionem eſſe invalidam in abſentia credimus ob definitionem Clementis Octavi: Tum ſacras Imagines fore adorandas credimus ex definitione Concilij Nicæni ſecundi confirmati ab Adriano; ſed nulla horum vt monita ſalutis, & vix veritatis poſſent à nobis fide teneri, niſi fide teneamus Pium, Clementem, Adrianum, & nunc in Moliniſtas Innocentium, fuiſſe legitimos, veroſque Pontifices; ergo.

23 Dices, & inſiſtes cum Bañez, ad ſcienda monita ſalutis ſemper manere infallibilem lucem, & viam provide infallibilem, vpote conſenſus, & receptio totius Eccleſiæ, quæ non poteſt errare. Contra, quia id pluribus contradiceret, dum etiam æqualis ſaltim fides non præſtaretur Pontifici. Suadetur primo, quia ſic eſt nunc, circa non poſſe errare, ac fuit in tempore Apoſtolorum Eccleſia; ſed tunc non poſſe errare, non obſtavit, vt etiam Altiſſimus caput fidei ſecundum ſe vellet, & ni exurgeret Petrus, primum Concilium nullum foret iuxta regularem providentiam; ergo ex nunc non poſſe errare Eccleſiam, aptius iuxta primæ praxim, indefectibilitas vnius numero capitis fatenda, ne illi primitivæ opponatur. Secundo, quia Altiſſimus nil monſtruoſum fidelibus ſuis reliquit; ſed nimis monſtruoſum foret, relinquere certum corpus cum capite incerto, corpus ſecundum ſe poſſe regulare viam ſalutarem, ſecus vllum numero caput; omnia membra non poſſe niſi bona recipere, & omnium principale ſic firmiter non poſſe bona dare, &c, ſic, quæ revera vniverſaliſſimis, & omnium primia principijs opponuntur; ergo. Tum, & iuxta vetera, & figurativa, dum via omnium in ſalute maxima, vpote totius generis humani ſalvandi, *neſciebant quidquam* Synagogæ, & Concilij membra, tamen circa illud maximum ſalutis non permiſſit Deus, quod non daretur vnus numero homo, qui agnoſceretur Pontifex anni illius, & qui vera, & infallibilia diceret, ac proinde qui irrefragabili definitione cæteros informaret; ergo. Rurſus opponitur vndecimo fundamento ſtatim propugnando.

24 Undecimo propugnatur, & enervatur vltimo reſponſum. Finis enim omnium myſteriorum, Sacramentorum, ſalutarium doctrinarum, & ſic omnium divinorum inſtitutorum, legum, præceptorum &c, eſt homo vt ſalvandus, propter noſtram enim ſalutem paſſus, & præfata meruit, inſtituit, docuit, & Eccleſiam cum capite, & membris erexit, & pro viribus divinis propugnavit; ſed ſi quo pacto fide teneretur Eccleſia, non teneretur numero caput, quia ipſa eſt quę abſque eo in linea fidei valet omnia media ſalutis aperire,

vera

vera à falſis diſtinguere, &c, quæ diximus, prout nunc hæretici, otioſe, & libere Innocentium Undecimum v.g. deſignaret Deus in caput, cum vt liberum, & nobis otioſum ad omnia imaginabilia ſalutis, quæ eſt præfatorum finis illud reputaremus; ergo ab hoc ptæ omnibus peſtifero inconvenienti aliter fide intuendum. Comprobari poteſt minor pluribus exemplaribus tam in linea morali, quam phyſica, quorum ſat ſit illud cordis, ſine quo ſi quæcunque vitalia poſſet corpus exercere, cum corporis conſervatio ſit finis tot elementorum, mixtorum, indicantium, præcaventium, &c, nec Deus in viræ Principem erexiſſet cor, nec nos aliter, quam liberum & otioſum reputaremus: ſic ſi greges ovium defenderentur à lupis, & præſervarentur à præcipitijs, otioſa fuiſſet cura Paſtorum, & canum; & ſic applica plura, quæ diximus. Si enim ille ſit finis ſalutaris, & omnia media in præfatis abſque capite inveniantur, abſque capite inquiretur caput. Ergo &c.

25 Dices, quod licet ea omnia in Eccleſia ſola inveniantur, & omnia fidei præſerventur, tamen ſemper oportet habere caput viſibile, vt poſſit aliquis congregare, & inter congregatos præeſſe, aliter reſultaret confuſio, & vnuſquiſque præſumeret ſibi ius præſidendi, & congregandi. Contra, quia ſic Pontifex ſolum foret caput politicum, ſecus autem Apoſtolicum, ac proinde dicere deberemus eum hæreticis, otioſum & libere poſitum caput viſibile fidei. Tum, quia vt ſciretur præciſè, quis congregare, & præeſſe debebat, ſat erat Decanus Collegij Cardinalium, vt nunc evenit in ſingularibus Eccleſijs, necnon in politicis Tribunalibus, ac proinde ſic, nunc foret Papa ſecundum ſe, vt noſter Aragoniæ Judex, qui nullius ſuffragij eſt, ſed ſolius politici apparatus.

26 Dices, quod dum benè probemus, nimis quam velimus probabimus, ex eodem ſiquidem hominis ſalvandi medio deducetur, otioſam fore fidei, & alijs ſic ſalutaribus Eccleſiam, dum fide teneatur ad ea omnia hunc numero hominem infallibiliter fore caput, & ſummum verorum principium. Non enervat rationem noſtram hæc increpatio inſtans. Ut enim iuxta arguentis rationis noſtræ ſcopum enervare deberet, deberet eſſe, dum nos diceremus fide divina tenendum hunc numero Romanum Antiſtitem fore Summum Eccleſiæ Pontificem, ſecus autem fide divina tenendum, hanc numero Romanam Eccleſiam fore dilectam ſponſam, & fidelium Matrem, oviumque omnium vniverſale ovile. Si enim ſic nos reſolueremus, poſſet aliquem locum præoppoſita inſtantia tenere, quia dum intra fidei lineam ſolum ſtabiliremus Papam, ita vt extra eam ſtabiliremus Eccleſiam, hanc fore fidei otioſam poſſet ſuaderi, cum formaliter otioſum ſit alicui lineę omne illud ſine quo integre linea valet ſubſiſtere, vt patet.

27 Nos autem, nec ſic reſolvimus, nec ſic probavimus, quinimò, inde vrgere intendimus, eum impoſſibile ſit iuxta regularem providentiam, fide tenendam ſponſam viſibilem, & non fide tenendum aliquem numero viſibilem ſponſum; has numero oves dari velle Patremfamilias, & non velle aliquem ſic numero deſignare Paſtorem; ſicuti velle habere vineam & ex ea percipere fructus, & non velle deſtinare Procuratorem qui per omnes horas curet, & ſolicitus ſit circa operarios. Dicimus itaque, vtrumque fore de fide, & tamen neutrum otioſum fore, vt ſuadent quamplurima exemplaria, quorum pro nunc à divina paritate ſufficiat erectio primitivæ Eccleſiæ, cuius ſtabilitas erat de fide, & dum ſic fore oportebat, non fuit otioſa Prælatia Divi Petri, ita vt iſtum numero hominem fore viſibile caput opotteret; necnon ipſum ſecundum ſe non poſſe errare in rebus fidei, & in bonorum morum doctrinis, non impedivit infallibilitatem, & importantiam Eccleſiæ,& Apoſtolicæ Congregationis. Similiter Divum Petrum ab ipſo Domino fore viſibile caput inſtitutum, & confirmatum, necnon immediatiſſime fore primam perſonam pro cuius fide, & indefectibili directione rogavit, necnon Divum Petrum ſecundum ſe poſſe divina loqui, & altiſſima myſteria revelare, vt inſpirante Patre luminum revelarat Chriſtum Dominum fore Deum verum, & ipſius Dei vivi Filium; necnon Divum Petrum poſſe viros doloſos & mendaces diſtinguere, ſegregare, & viſibilis mortis ſtupendo miraculo punire, vt conſtat ex actibus Apoſtolicis; hæc enim, & ſic infallibilitatis, & ſuperni ſtuporis quamplurima alia, non obſtarunt, vt etiam Petrus attenderet ad Coapoſtolos, Eccleſiam conſuleret, inquirere de verbo aliquo præmoneret; namque Deus ſtabilivit Eccleſiam ſuam more rationali, & iuxta regularem ſcopum Regni benè ordinati, & directi, quo pacto exemplificavimus de corpore humano, cuius in vitalibus operationibus Princeps, etiam coexigit membrorum congregationem; qui enim dando, & vitam diſtribuendo vivit, ſi non habeat quibus dare, & diſtribuere poſſit, ſtatim morietur. Sic Dux, qui in militaribus primus, milites ſuos gubernat, eis imperat, eoſque ſæpe conſulit vt pugnam definiat, & licet in cunctis primus,

mus, & principaliſſimus, ſi tamen milites quos ducere, & dirigere poſſit non habeat, ſtatim Ducis potentia veluti ſuffocata infirmatur, aut reformatur, prout nunc vulgo dicitur.

28 Dices, non poſſe negari maiorem ſtabilitatem, & infallibilitatem Eccleſiæ, ita vt nunquam ſic poſſit Pontificum ſtabilitas ſuaderi; ergo ſemper enervari poterunt rationes noſtræ, cum infallibilitas & ſtabilitas vnius, non ſint inſtar alterius, ac proinde licet debeat teneri hanc numero Eccleſiam fide tenendam, ſecus autem hunc numero hominem tenendum Pontificem. Suadebunt enervans intentum, cum Eccleſia ſemper extiterit continua, ſecus autem Pontifices, cum moriantur, & quamplurima interfuerint intervalla à tot Pontificum mortibus, vſque ad tot Pontificum erectiones; igitur cum non providerit eos ſemper, & pro ſemper ſtabiles, ſin autem Eccleſiam, ab huius infallibilitate ſemper enervabitur paris fidei argumentum.

29 Nunquam enervatur ratio noſtra, cum ſtabilitas & continuitas Pontificum ſemper ſubſiſtant modo quo poſſibiles ſunt iuxta ipſius Eccleſiæ proportionem, prout à Chriſto primus Succeſſoribus inſpiratam. Ratio eſt conſpicua, quia Pontificatus ſummus apex debet cadere ſupra vnicam perſonam humanam (omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus) qui licet eam relinquat infallibilem, at non immortalem, cum humana ſit; inde oportet fieri electionem, quæ ex natura regularis providentiæ proportionatum tempus requirit, ſicque intervallum; ſecus autem eſt de Congregatione fidelium, & ſic cuiuſvis Reipublicæ, cum imperceptibile ſit omnem vnam Rempublicam, & Monarchiam inſimul perire; dum enim varij Duces, Reges, & Imperatores ſuccedunt, ipſa tamen ſemper vna ſubſiſtit, & perſeverat, quin tamen inde corona eorum non conſtans, & in continua debeat ex indiſpenſabilibus vitæ intervallis reputari. Idque extat conforme Actibus Apoſtolicis, dum Collegium Apoſtolicum ſemper exiſtens, ſecus autem omnes Apoſtoli, vt patet ex caſu Judæ, & ex electione Mathiæ, quin tamen illud indiſpenſabile intervallum obſtaret pro Apoſtolatus illius conſtantia, ita vt non minus fide tenendum, Judam fuiſſe à Chriſto electum, & firmiter Apoſtolum, necnon cum eo electionis intervallo divinitus electum fuiſſe Mathiam, & cum cæteris connumeratum, ac fuerit fide tenendam totam Congregationem Apoſtolici Collegij. A ſimili ergo, & exemplar nota,

30 Duodecimo tandem propugnatur noſtra reſolutio in hæreticam pravitatem (hucvſque fere omni ex parte extiti ab hæreticis abſtractus, cum in ipſos ex altiori radice nunc deberet ſumi argumentum, vtpote vnius & viſibilis caput probans neceſſitatem, prout propugnatum extat in primis quæſtionibus huius tractatus) omnibus medijs, quæ adhibuimus *in quæſt.* 2. per quatuor ſequentes Articulos.

SUBART. VN.

Principaliter oppoſitis ſatisfit.

31 Opponunt primo: non poteſt aliquid teneri de fide, quin conſtet ex ſcriptura, traditione, aut definitione; ſed ex nulla harum indiſpenſabilium regularum conſtat hunc numero hominem fore Summum Eccleſiæ Antiſtitem; ergo nec talem fore poteſt hic & nunc conſtare de fide. Maior eſt certa iuxta præfixas fidei normas, nec enim alias, niſi ſit pro libito noſtro poſſumus adducere. Minor non minus, cum Innocentij Undecimi nec minima in illis ſpecies habeatur. Conſequentia ſequitur iuxta cæterorum principiorum regulas.

32 Rurſus confirmatur, & præcavetur ſolutio, quia licet generalior Eccleſiæ acceptatio poſſet facere infallibilitatis regulam, at iuxta prudentiæ conditiones, necnon iuxta ea, quæ cadunt ſub ſphæra ipſius, cuius non ſunt quæ occulta, & quæ non viſibilia, cum Eccleſiæ Tribunal debeat eſſe viſibile, vt ipſa dicitur, & non de occultis; ſed ad legitimitatem Pontificatus plura requiruntur occulta, & extra Eccleſiæ forum, vt fuiſſe Sacerdotem, & baptizatum; ergo quouſque horum Eccleſia non poſſit eſſe ſecure perceptiva, exactè non proficiet generalior eius acceptatio. Adaptatur ex minori diſcurſus, quia licet fuiſſet intra Eccleſiæ forum, & viſibile Tribunal, illum hominem fuiſſe externe baptizatum, & Miniſtrum verba dixiſſe, ſecus autem habuiſſe intentionem, cum hæc occulta ſit, & idem dicendum de receptione ordinis Sacerdotalis; ergo plura requiruntur quæ occulta, & extra viſibile Eccleſiæ forum.

33 Ulterius, quia in lege Evangelica nil valet excogitari infallibilius, quam veritas Euchariſtiæ, & Sacerdotum, ita vt in ſerie veritatis, & fidei, tam quoad ſcripturam manifeſtantem, quam quoad eiuſdem Dei noſtri inſtitutionem paritatem teneant, vt parebit;

ſed

ſed non eſt de fide, etiam cum omnibus illis, Petrum v.g. fore Sacerdotem, cum non ſit de fide fore baptizatum; nec eſt de fide hanc numero hoſtiam fore conſecratam, cum non ſit de fide eum fore Sacerdotem, aut intentionem habuiſſe, eo quod ea omnia vtpote occulta non ſint intra Eccleſiæ captum; igitur quo pacto ex tot præmiſſis æquè divinis, nunquam fide infertur conſecratam fore hoſtiam in hac infraoctava Corporis Domini die, tot fidelibus patentem, nec fide inferendum fore Chriſti Vicarium hunc numero hominem tametſi phyſicè patentem tot Eccleſiæ fidelibus. Ex maiori adaptatur diſcurſus, quia ſi dictum fuit in Petro cæteris Pontificibus *Tibi dabo claves &c.* etiam dictum fuit in Apoſtolis, *Hoc facite in meam commemorationem*, & ſimiliter, *Accipite Spiritum Sanctum*: Si ex illis verbis, *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, teneatur Eccleſiam ſemper fidem conſervaturam, etiam tenetur, Corpus Chriſti ſemper extiturum: Si fides in ſola Maria ſemper præſens, & ſemper præſens Corpus Chriſti à feria quintâ in Cœna Domini; Si Chriſtus Dominus fuit Pontificatus inſtitutor in Cœſareis, etiam in Hieroſolymis fuit Auctor huius Sacramenti: Si fides conſtruat hanc maximam, & vniverſalem propoſitionem ex tot præfatis motivis, *Omnis rite & canonice electus in Roma Epiſcopum, eſt Petri ſucceſſor*, etiam fides hanc aliam maximam conſtruit propoſitionem: *Sub omni hoſtia rite conſecrata eſt corpus Chriſti*; igitur tam quoad ſcriptutam manifeſtantem, quam quoad cætera hæc duo, Pontificatus ſcilicet, & Euchariſtiæ ſuſtinent paritatem. Igitur quo pacto ex tot maximis pro Euchariſtia, ob minorem hanc, Sed *hæc hoſtia eſt rite conſecrata*, non ſequitur de fide, illud eſſe Corpus Chriſti, nec ex tot maximis pro Pontificatu, ob minorem illam, Sed *hic numero homo eſt legitime electus*, *ſequetur de fide*, illum eſſe Vicarium Chriſti.

34 In primis inſtati poteſt argumētum, ſi ſint Catholici qui eformarſit illud. Nam ſi benè attēdatur, pari metro vrget in legitimitatē Conciliorum, vt iam notarat Petrus Hurtado citatus ſupra, & ego circunſtare intendam, tum, quia licet conſtet ex ſcripturis, & traditione legitimitas Concilij, at Concilium Nicœnum v.g. nec in ſcripturis, nec in traditione invenietur nominatum; tum ſicuti licet fide conſtet quod omnis homo legitimè electus in Petri Succeſſorem debeat eſſe verus Papa, tamen circa hunc numero hominem Maxima illa fidei temperatur, non minus licet fide conſtet omne Concilium legitimè congregatum fore infallibile, Maxima eadem valet temperari; tum, quo pacto illac circa hunc numero hominem dabantur viſibilia, & inviſibilia requirebantur, ſic etiam circa illud numero Concilium dabantur viſibilia, & requirebantur inviſibilia, tum ob Spiritus Sancti aſſiſtentiam, tum ob ſanam intentionem, & bŏnam fidem illorum viſibilium Congregantium, &c, ſic; igitur quo pacto, præfatis non obſtantibus, teneatur fide fore legitimum illud numero Concilium, & poterit fide teneri fore legitimum Pontificem hunc numero hominem.

35 Sin autem hæretici ſint, qui arguant, non minus vrgebit in eos inſtantia noſtra, nam licet conſtet ex ſcriptura, & traditione Spiritum Sanctum ad omnes credituros filios, & filias diffundendum, at non invenietur ibi nominatus Calvinus, nec Lutherus, &c; & licet infallibile ſit, quod quæcunque Spiritus Sancti interna motio vera, & ſuperna ſit, nonque errori ſubiecta; at quo pacto dubitent circa hunc numero Petri Succeſſorem, dubitare poſſunt, quinimo, prout iam pro viribus propugnavimus, multo magis dubitare debet circa individuam participationem divini Spiritus pro illa numero motione interna; necnon quo pacto temperare velint quamlibet vniverſalem Maximam fidei noſtræ, dum contractam circa ſubiectam materiam Pontificatus, à fortiori temperare debent circa ſubiectam materiam ſuæ veritatis privatiſſimæ, &c, ſic, prout ſupra pluries rationibus, & exemplaribus, nedum moralibus, ſed naturaliſſimis, & philoſophicis eos enervando propugnavimus. Similiter dum litera textuum velint arguere, ipſos potius litera relinquemus occiſos, vt non ſemel fecimus, dum grammaticalem ipſorum ſignificationem, vt futilem, ineptam, & nocivam retundimus. Quæ extant dicta, videantur.

36 Reſpondentes igitur ad argumentum, dicimus, quod eſto omnis Petri Succeſſor contentus fuerit, in illa voce *Paſce oves meas* (id iam ſupponimus, cum in præcedentibus, Succeſſorum continua veritas probata ſit, maximè ex textu Paſtoris, nā qui per *Oves meas*, non ſolum illas, ſed ſuccedentes alias voluit, ita vt oves ſuccederent ovibus, pariformiter per *Paſce*, non ſolum illum, ſed ſuccedentes alios voluit, ita vt quo pacto oves, Paſtor ſuccederet Paſtori; ſi iam non velint hæretici, Chriſtum voluiſſe oves abſque Paſtore, ſic enim velle poterant oves abſque Paſtore, necnon abſque paſtu) ibi iam erat contentus, & nominatus Innocētius Vndecimus, quem tamen vſque ad tempus electionis non audivimus,

 cum

cum eius ſpecies vſque tunc ad aurem noſtram non perveniſſet, & nemo poſſit credere ei quem non audivit. Exponam exemplaribus, cum alio id non egeat, principaliſſimis Succeſſoris principijs iam propugnatis.

37 Si enim à longe quis ſic plures nominaret, quod vellet ſucceſivè audiri, iuxta temporum & ſpatiorum circunſtantias,& proportionem,ſic vt iuxta vnius ſpatij organum, & determinatæ viæ diſpoſitionem, hic & non ille, & ſic de alijs, audiendus eſſet, omnes tametſi ipſe nominaſſet, at de præſenti ille audiretur, cui numero diſpoſitiones correſponderent iuxta perſonale ſpatium, tempus &c, tunc enim benè poſſet dici, quod ab illo infinito ore quilibet nominatus erat, tametſi non poſſet audiri adhuc, quia auditui numerales diſpoſitiones deficiebant, ſicuti quoad Deum vt vocitantem non defecerunt, tametſi defeciſſent quoad nos huius Innocentij in tempore Clementis.

38 Sic enim, dum Innocentius fuit Romæ electus, Deus qui per ſe ante, dedit in ipſa die vocem ſuam per Collegium Cardinalium; & dum iam nominatus erat ibi, ita vt exacta, & completa forent omnia, adhuc tamen Innocentium fore Papam, non fatebamur Cæſarauguſtani, quia ſicuti Innocentius, qui ante iam nominatus à Deo, S, in tempore illius vocis: *Paſce oves meas*, non dum venit vox ad Collegium Romæ, ob tempus, ſpatium, & ſic alias circunſtantias indiſpenſabiles in ſucceſſoribus entium, ſic Innocentius ob idem nondum pervenit Cæſarauguſtam, non defectu nominationis Romanæ, ſed diſpoſitionum Cæſarauguſtæ: Sic enim iam à Deo nominatus fuit, & exactè electus, at à nobis non auditus, quia medijs his circunſtantijs, quæ nondum erant, vt ſucceſſu temporum fuerunt deinceps primo Romæ, & poſtea Cæſarauguſtæ. Sic applica.

39 Et confirma à divina paritate omnium Apoſtolorum, qui iam electi, & nominati erant ante mundi conſtitutionem; necnon Chriſtus Dominus iam elegit, nominavit, & novit eos, tametſi quoad ipſos id non pervenerit, niſi iuxta hoc tempus, & circunſtantias pro ipſorum auditu, ita vt duo audirent primo, quinque deinceps, & ſic alij. Conſimiliter quis negare poterit, quod apud Pſalmiſtam nominatus fuerit Sanctus Mathias, dum dixit, *Epiſcopatum ſuum accipiat alter?* Ly enim *alter* quoad Apoſtolos ante electionem, & caſum Judæ ſi legiſſent ſcripturam illam, ſenſibili grammaticæ ſignificatione, & nominatione, non indicerent pro eo tempore Mathiam, nec ibi Mathiam illum numero invenirent,& tamen vere, & realiter ly *alter*, erat Mathias, ſicuti ille numero Judas, qui ſuſpenſus crepuit medius. Nominatus tamen à Deo, cum audivit David, dum tunc non erant diſpoſitiones, vt audirent Apoſtoli, qui deinceps audierunt, & ſic pro eodem reputarunt ly *alter* quod legerent, vt nos nunc, *Suſpenſus crepuit medius Iudas, & Epiſcopatum ſuum accipiat Mathias.* A ſimili ergo in ly *Paſce*, iuxta præfatas circunſtantias lege omnes numero Succeſſores vere, & realiter, quos Eccleſia iuxta diſpoſitionum applicationem audivit, prout nunc vt ab ore Chriſti tunc electus, & nominatus Innocentius, lego certiſſimè, & infallibiliter: *Innocentij paſce oves meas, Ego rogavi pro Te, & Tu aliquando converſus confirma fratres tuos, &c.* quę vt ſupremo Antiſtiti dicta fuerũt Petro.

40 Sic etiam, dum Paulus dixit, Omnes in Adam peccaverunt, extiti nominatus ego, tametſi non fuiſſem nomine meo grammaticaliter auditus, quouſque mihi in lucem exeunti fuit nomen impoſitum. Nec melius quidquam nominatur, quam dum veritate facti, & aliorum requiſitorum in vniverſalis veritatis propoſitione includitur, & in ea contineri probatur. Et quo pacto probat ſic fore, qui naſcens exit in lucem, & fit patens in foro viſibili Eccleſiæ, etiam probat quicunque numero, qui canonice creatus exit in lucem, & patenter ab Eccleſia viſibiliter Pontifex recipitur.

41 Dices hinc, me fore hominem, eſſe evidens, & ſic nil mirum, quod ipſo facto humano probetur me fuiſſe a Divo Paulo nominatum. Dicam, hunc numero hominem fuiſſe canonice electum, & ſic creatum, etiam eſſe moraliter evidens, quod ſufficit. Ipſa enim creatio Divi Mathiæ tandem pro nobis reſolvitur in evidentiam moralem, quæ exactus gradus eſt vt aſcendamus ad ſupremam infallibilitatem, quare qui dubitet de Innocentio ad Pontificatum, dubitare poterit de Mathia ad Apoſtolatum, cum dubitare poſſit de Eccleſia, quæ Innocentium admiſſit, & Mathiæ electionem cum cæteris factis Apoſtolicis canonizavit. Dices, non poſſe negari Apoſtolos fore maioris vis ad eligendum, cum forent maioris ſanctitatis. Dicam, aliud eſſe fore magis ſanctum, & aliud magis electioni Miniſtrum. Primum de per ſe ſequitur perſonam; ſecundum vero ſequitur officium, in quo ius æquale datur, cum ſit æquè à ſupremo legislatore derivatum. Sic, vt alibi dixi cum Auguſtino. *Petrus baptizet, Chriſtus eſt qui baptizat, Iudas baptizet, Chriſtus eſt qui baptizat.* Ita etiam, iſti eligant Miniſtri

Apoſto-

Apoſtolici eligunt; iſte eligitur, Chriſti Vicarius eligitur, ita vt licet Petrus abſque dubio cæteris ſanctior ex perſona, at ex officio omnes Sanctiſſimi, ſicuti omnes Chriſti Vicarij Summi, & vltra Summum, imperceptibile plus. Et vlterius hinc, ad illud de evidentia eſſendi hominem, & ſic de alijs, quibus turbare velint infallibilitatem moralem huius numero Pontificis, recurre ad ea quæ diximus ſupra in vltimo circulorum Articulo, vbi invenies, meæ humanitatis evidentiam ſumere primum gradum ex diſcurſu, qui licet contingenter eliciatur, non impedit vt infallibiliter ſiſtat ſcientificus animus in terminis demonſtrationis; & ſimiliter de proprietativis per quæ valet aſcendere, vt abſque formidine formetur evidentiſſimus aſſeoſus quidditativorum &c. ea vide, & enervabis, quæ per has vias noſtræ reſolutioni opponantur.

42 Deinde ad ſecundum in confirmationem poſitum, reſpondendum, non poſſe negari Eccleſiam noſtram fore viſibilem, ita vt de pure, & ſimpliciter occultis non expendat iudicium, niſi dum interna externis ſubiacent, & copulantur; at dum tenemus Eccleſiam viſibilem, non exiſtimetis ſic dumtaxat viſibilem, quod ipſa viſibilia gubernans, nullus adſit inviſibilium Gubernator. Sic enim Sapientiſſimus Dominus, quo pacto circa remedium fecit dum Auctor Sacramentorum, circa directionem & gubernationem fecit dum Auctor Eccleſiæ. Itaque quo pacto in ſalubri remedio Sacramentorum reliquit inviſibilia inter viſibilia, cum forent ordinata homini viſibili, & inviſibili compacto (vbi ad rem, ait Chryſoſt. hom. 60. *Si enim incorporeus eſſes, nuda & incorporea tibi dediſſet ipſe dona, ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi prabet,*) ac proinde ſic quod inviſibilia præſtanda Deus reliquerit ſibi, dum viſibilia præſtanda reliquerit viſibili Miniſtro, ita vt donum inviſibile cum viſibili etiam donante copulare & concordare vellet: Sic etiam ſervatis ſervandis in ſalubri gubernatione fidelium, & in directione fidei, morum, & definitionum, inviſibilia viſibilibus copulare voluit, ita vt dum Eccleſia debeat ſe gerere circa viſibilia, & ſic circa ea quæ ipſi dirigenda, declaranda, & definienda reliquit, iuſimul Deus ipſe aſſiſtat interiora gubernans, ne aliud ſit quod latet, ac quod Eccleſia ſub viſibilibus iudicat, aliàs ipſa paſſim errare poſſet, quo pacto paſſim erramus qui more humano viſibilium producimus cenſuram, & pro inviſibilibus non habemus aſſiſtricem ſapientiam.

43 Ex quibus iam facile poteſt reſpondere ad oppoſitum, dum dicas, quod ex quo Chriſtus promiſſit cum Eccleſia fore vſque ad conſummationem ſæculi, eo ipſo dum vrgeat Eccleſiæ directio, infallibilis hæc manebit etiam circa inviſibilia, vtpote copulata cum viſibilibus, quorum indiſpenſabilis eſt declaratio, receptio, aut deciſio; ac proinde, quo pacto nec fuit, nec erit Pontifex, qui non Sacerdos & baptizatus, ita nec tenebitur ab Eccleſia vt Pontifex, qui non teneatur ab ipſa, vt baptizatus, & Sacerdos, vnde, quo pacto dum teneatur Pontifex, talis infallibiliter erit in ſe iuxta Spiritus Sancti aſſiſtentiam, dum teneatur vt Sacerdos, & baptizatus talis ex eadem infallibiliter erit; igitur nec erit alterius ordinis, nec altioris difficultatis credere Innocentium Undecimum fore Summum Sacerdotem, ac fore Sacerdotem, & fore baptizatum externe, ac Miniſtrum Baptiſmi habuiſſe intentionem; & ſic, dum nonnullas alias, vt aliqui iam ſolent, ſubinferas conſequentias, ſit pro quibuſcumque tibi generalis doctrina, eadem fide admittere eas omnes, ſine quibus per de per ſe connexionem, prima illa Pontificatus veritas non poteſt ſalvari; dum autem devenias ad conſequentias alias, quæ tametſi iuxta naturalitatis ſcopum videantur propriæ, at autem iam ad moralis lineæ, vt fidei ſcopum, ſint impertinentes, & non de per ſe potius illi numero homini, quam ali requiſitæ, nonque iuxta hanc connexionem Pontificatus propriæ, eas parvi pende, & vt pure philoſophicas mitte alibi diſputandas. Nonnulla, quæ in hæc opponi poſſint, reſolventur per doctrinam ſequentis reſponſionis.

44 Ulterius ad tertium in vltima confirmatione oppoſitum, reſpondendum, ea omnia vera eſſe, & paritatem facere quoad inſtitutionem in ſpecie, & ſic quoad Maximam in vniverſali, ſecus autem quoad individui applicationem. Et ratio eſt, quia Altiſſimus iuxta divinam ſapientiam ſuam, conformatur ad proportionem participantium, ac proinde cum quoad ſpeciem omnia ea inſtituta æqualia ſint, & æqualiter reſpiciant divinum Auctorem, conſimiliter æqualis pro omnibus ſtat Verbum Chriſti, ſcripturarum, & traditionum; cum autem quoad individuum inæqualia ſint participantia, cum vnicum individuum ſit ſupremum, & ſummè excellens, & aliud ſit infimum, & ſimmè ab illo exceſſum, inde quoad applicationem congruebat, quod circa vnum individuum præclarius, & excellentius quodvis myſterioſum provideret Sapientiſſimus Inſtitutor.

Sic

Sic enim noſtra natura provida licet cuilibet parti corporis adminiſtret alimentum, motum, & ſpiritum vitalem, at vitæ Principi indiſpenſabilius, & excellentius, cum puriores & generoſiores miniſtret ſpiritus, necnon quoad firmitatem, & ſecuritatem certiores præ qualibet alia parte, ac proinde dum poſſimus, pro omnibus ſuppoſita illa Maxima vitæ, dubitare motum vitalem de vna, aut altera parte quoad individuum, ſecus autem vnquam de corde, cum huius cura naturæ propter plura oporteat præſtantior, & robuſtior, vt patebit penetranti; & ſimiliter philoſophandum de capite corporeo quoad intentionalitatis principatum, vt etiam quoad materialem locum intentionalium ſolet proloquiari, videlicet, Quando caput dolet, catera membra dolent, ſecus autem quando quodlibet aliud membrum dolet, ſi caput ſit firmum, ſanum, & ſerenum.

45 Igitur licet Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per providam naturam gratiæ cunctis membris per ſe diſpenſaret divina miniſteria, ita vt omnia ab ipſo forent immediatè participata, & participanda, tamen iuxta ſapientem proportionem oportebat, quod per amplius, & perfectius quoad individuorum applicationem magis attenderet ad cordis, aut capitis principatum, & poteſtatem, cum eorum firmitas, & ſiſtentiæ certitudo penitus præ quavis alia parte, neceſſariſſima ob plura quæ patenter ſe offerunt, ac proinde cum capitis defectus deberet eſſe totius Eccleſiæ dolor, quo pacto Paſtoris percuſſio omnium ovium detrimentum, ſecus autem vnius aut alterius ovis deperditio, cum puſillus grex poſſet Paſtore ſalvari. Itaque, cum nunquam poſſint pro vniverſali Eccleſia ex ſingularis Sacerdotis defectu ſequi inconvenientia, ac ex defectu Summi Sacerdotis, vt etiam ipſi termini ſecundum ſe manifeſtant, inde non ſic oportet credere ſingularem Sacerdotem fore baptizatum, & in ſacris vere conſtitutum, ſicuti nec hoſtiam fore conſecratam, ac oporteat ob dicta credere, hunc numero in Summum Sacerdotem non ab hac, aut ab illa, ſed ab vniverſali Eccleſia receptum, fore legitimè electum, in ſacris conſtitutum, baptizatum, &c, & hanc numero ab ipſo prolatam definitionem, fore infallibilem, & plus vltra credendam, ac eam numero hoſtiam fore conſecratam, vtpote nec à poſteriori ab vniverſali Eccleſia receptam (puta hoſtiam) ſed ad proportionem dumtaxat, etiam ab hac, vel illa numero Eccleſia.

SECVNDVM ARGVMENTUM.

46 Opponent 2. non minus fore de fide dari oves, quæ conſtruant hoc numero Eccleſiæ ovile, ac dari vniverſalem, & Summum Paſtorem; ſed licet ſit de fide dari tales oves, ſeu fideles componentes Eccleſiam, tamen compatitur non fore de fide, ſcire quales ſint numero oves eam conſtituentes; igitur tametſi de fide teneatur debere dari Summum Paſtorem, & Eccleſiæ caput, poterit compati non ſcire intra eandem fidem, cum Paſtorem fore hunc numero hominem.

47 Reſpondendum, quod eſtò Eccleſiæ ſiſtentia infallibilis ſit, vt eſt, & ſic debere dari fideles certum ſit, non ſic oportuit, vt nuper dixi, relinquere regulam viſibilem infallibiliter correſpondentem inviſibili veritati, & certitudini cuiuſvis numero fidelis, ac correſpondentem inviſibili veritati Pontificis; quia quinam fideles conſtruant Eccleſiam non poteſt ſciri, quin de quolibet ſecundum ſe ſciatur, & de quolibet ſecundum ſe non ſic providere debuit regulam Altiſſimus, ac providere debuit de ſummo inter omnes, prout ſupra expoſuimus. Sicque pro ſummo providit electionem, & vniverſalem acceptationem, & ſic alia, quæ moraliter ſunt infallibilia; ſecus autem pro quolibet ex omnibus, vt diximus. Sic enim etiam providit Altiſſimus, vt ſciremus Chriſtum Dominum fore Principem gratiæ, & habituum ſupernorum, & tamen dum certè etiam membra, & ſic gratos fideles habet, nos eos ignorare voluit, cum ſæpè non oporteret, dum ſemper ipſum fore Auctorem ſupernorum oporteret. Sic indiſpenſabiliter oportet habere, & ſcire Vicarium eius, quem ſcire principalem oportet indiſpenſabiliter, non tamen ſic oportet, præterquam nec providit regulam (loquor in foro interno, qui requiritur vt quis verè, & quoad Deum fidelis, ſicuti & Chriſti membrum ſit; quoad externum enim, reputatur fidelis, qui baptizatus ore fidem profitetur, corde tamen creditur ad iuſtitiam) vt fideles numero agnoſceremus, ſed relinquit ei, cui cognitus eſt numerus prædeſtinatorum. Interna enim, ſicuti, & cordis ſecreta regulariter ſemper ſibi Dominus reſervavit, qua propter licet iuxta promiſſionem ſuam ſemper conſervet veros fideles, in quibus immobilis Eccleſia militans perſeveret, idque ſufficiat, vt per organum ſuum cælitus & ſuperne reſpiret, noluit manifeſtos fieri veros fidelium auditus, vt voluit manifeſtam fieri veracem ſui divinizati organi vocem.

48 Tum etiam, dum oporteret, veros fideles poſſet agnoſcere Summus Pontifex, cui id competit, cum mihi, nec tibi id competat de vllo, dum cuilibet competit ſcire de veracitate, & exiſtentia Superioris, ac proinde dum Papa poſſet diſtinguere veros fideles, ſicuti falſos, haberetur ſciẽtia in eo, in quo debet eſſe. Uſque adhuc enim, nullum fuit ſæculum, in quo Chriſti Vicarij non deſignaſſent fideles veros, qui ſufficerent, vt vera Eccleſia conſervata in eis agnoſceretur, cum nullum ſit ſæculum pro quo veri fideles non fuiſſent canonizati, itavt cum revera prius fuiſſet in via extitiſſe bonos, quam in Patria deſignatos, tametſi poſterioriſtice ſemper individua pro quovis tempore Eccleſiam Militantem conſtruentia infallibiliter ſubinferimus, & provt proficuum eſt nobis viatoribus comprobamus.

TERTIUM ARGUMENTUM.

49 Opponent 3. non poſſe aliquid in foro fidei cognoſci, niſi per fidei vocem, loquela enim manifeſtum facit quemlibet; ſed in foro fidei loquela manifeſtans Papam eſt aliquid intra fidem definire; igitur quouſque Papa aliquid definiat, non datur motivum, vt in foro fidei manifeſtus habeatur. Comprobatur primo ex Petro, qui vt firma Eccleſiæ Petra non fuit habitus in partibus Cæſareæ, quouſque ſe manifeſtum fecit definiendo Divinitatem Chriſti, ſcilicet dicens, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, ad quæ definitiva verba ſtatim ſequitur Beatitudo Summi Antiſtitis, ſcilicet, *Beatus es Simon &c. & ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.* Rurſus comprobatur ex Chriſto dum Samaritanæ manifeſto, *Ioan.c.4.* vbi dum Chriſtus Dominus ſecreta cordis revelavit mulieri, ſtatim, & non antea fuit creditus, cum dixit ei mulier, *Domine video, quia Propheta es Tu*, ac proinde controverſiam fidei Patrum ſuorum circa adorationem, vt ſupremo controverſiarum Judici propoſuit, ſperans deciſionem; igitur quia requiritur fidei manifeſtatio per loquelam propriam, vt Pontifex fide teneatur &c.

50 Reſpondendum, & in primis iuxta doctrinam primi argumenti, videlicet, Papam hunc v. g. iam fore in fidei foro cognitum, necnon per definitionis vniverſalis applicationem, prout ſupra expoſuimus circa fore hunc numero in ſcriptura contentum, & ab ea verbis divinis manifeſtum. Neque vt ipſe manifeſtus fiat, eſt opus vt ipſe loquatur, ſed ſat eſt vt per loquelã alterius in fide veracis manifeſtetur, vt patuit in Paulo, qui nil loquens fuit electus vt vas divinizatum; necnon ipſe Chriſtus, dum in Jordane vox Patris intonuit, eum fore verum & veracem. Sic enim ipſa Pontificis electio ab Spiritu Sancto directa infallibiliter ſatis loquitur, & eum manifeſtat, ſicuti & eum manifeſtum facit totius Eccleſiæ receptio, quæ vt Æterna Mater, ſatis dicit, Hic eſt ſponſus, & caput meum electum, &c, ipſum audite. Sicuti enim, vt aiebat Bernardus, rerum præſentia, non ſolum oculis comprobatur, ſic rerum veritas non ſolum manifeſtatur oris loquela.

51 Deinde, quia ſatis in fidei voce loquitur, & manifeſtatur, qui dum creditus poſtquam definitivè locutus, nunquam ſic poſt foret creditus, ſi fidè ipſa ſic poſſe, & debere loqui, non exiſtimaretur, antequam loqueretur. Uſque adhuc nulla fuit mortalibus propoſitio, quæ in terminos non reſolvatur, vt paſſim in philoſophicis Ariſtotele Scotus, ita vt veritas iudicij enuntiati debeat reſolvere ſic veritatem prædicati, quod fiat iuxta quam præſupponit entitatem, & veram, aut falſam conditionem ſubiecti; igitur erit imperceptibile quod poſſit in aliqua oratione ſtabiliri verum quod dicitur, quin pari certitudine præhabeatur ſubiectum de quo prædicatur. A ſimili ergo in theologica fidei noſtræ linea, ita vt ſit imperceptibile me poſſe credere aliquem fore veracem poſtquam verum dixit, dum in priori ad dictum pari fide ipſum non credam veritatis ſubiectum, prout circa ſubiectam materiam iam ſupra in probationibus ſatis diximus. Nec enim ſic quieta eſt noſtræ mentis conditio, quod etiam dum magis cupida veritatis, non reſolvat quæ audit, quouſque præ termini ſimplicitate, ſolum ei reſtat audire nil. Audi tranſeunter, quo pacto nec præclarior aliqua definitio, penetrativam terminorum reſolutionem impediat per eamdem viam. Cur credis, aliquem ex omnibus Pontificibus fore talem de fide? Dices, quia nonnulla fidei definivit. Cur credis fore fide credenda nonnulla fidei quæ definivit? Dices per vnam viam, quia ipſum fore Definitionum caput conſtat ex Concilij definitione. Cur credis tale Concilium de fide tenendum in his, quæ definivit? Dices, quia credis illud fore legitimè congregatum. Cur credis legitimè congregatum? Dices, quia qui verus tunc erat Petri Succeſſor ex ſpeciali inſtructione Spiritus Sancti illud congregavit. En quo pacto, vt prius eadem firmitatè curſum illum fidei in terminum ſimplicem ſubiecti Pontificalis reſolvens, ipſum præhabeas, ſub

vero tota fabrica imperceptibilis tibi; aliàs dic mihi, an ſi ex primo termino infirmare præſumas, firmaberis ſupra illam? Crede, quod, vt aiebat profundiſſime Tertullianus, *Eadem diſcordia eſt rerum, quæ & Auctorum.* Et dum per aliam viam dicas, credere quæ definivit, quia Deus non ſineret errare eum, per quem ipſe loqui reputatur; vrget ſemper, nam cur credis cum numero errare, Deum non velle? Equidem non aliter de illo, & non ſic de alio, niſi quia ille numero vt ipſius Dei Vicarius reputatur.

52 Nec obſtant præadducti textus. Non obſtat ille Petri, quia tunc nulla Maxima Pontificatus vox audita erat, nec Eccleſia viſibiliter quoad ipſos conſtructa, & confirmata, ita vt nec illius fabricæ fuiſſet pro fundamento viſa, & poſita vlla Petra, vſque dum tunc Dominus vt divinus Artifex poſuit primam, S, dicens, *Et ſuper hanc Petram ædificabo*; ac proinde oportuit illam fore primam Petram non credere, quouſque ipſa manifeſta viſibiliter & inviſibiliter fieret, & ſic vſque dum ipſa definitione ſitus ſolidata pateret. Tum, quia non fuit formaliter Petrus ad Pontificatum erectus, quia Chriſtum Filium Dei revelavit, ſed fuit formaliter, & à priori, quia Chriſtus Dominus eum deinceps erexit; dicens, *Et ego dico tibi &c.* Licet enim Petrus divinitatem revelaret, Eccleſiæ tamen eo præciſè non foret, ſi Chriſtus Dominus deinceps primam Eccleſiæ Petram non diceret, & Beatum Patrem non deliberaret. Sic etiam, & ſi credam verum fore Pontificem, quem in fide definientem audirem (& ſi crederem quemvis alium vera revelaſſe, inde tamen Chriſti fore Vicarium non tenerem) inde tamen non crederem eum fore Petri Succeſſorem, quia in fidei materia infallibiliter definiebat, ſed crederem formaliter (formaliter, quo pacto de conditionantibus, & applicantibus alibi expoſui in circulis) in fidei materia infallibiliter definire, quia crederem ipſum fore Petri legitimum Succeſſorem. Sic, nec obſtat illud Samaritanæ, cum illa mulier non habuiſſet aliam lucem numero applicatam, ac proinde oportuit vt divinum reputaretur candelabrum ſuimet propriam lucem manifeſtare; ſic plura ſigna in Eccleſię exordio fuerunt importantiſſima, ſecus autem nunc, cum iam ſit provecta, & iam ſciat ſedem, ſicque quis debeat eſſe qui ſupra ſedem eam ſedens, ſicuti quæ ſit lux, quæ ſupra præclariſſimum, & noviſſimum Petri candelabrum luceat omnibus qui in eius domo ſunt, & ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

QVARTVM ARGVMENTVM.

53 Opponent 4. quod iuxta principalius dicta à nobis, ſolidius fundamentum ad applicandam illam vniverſalem Succeſſorum Maximam ſiſtit in vniverſali acceptatione, & adoratione Eccleſiæ Catholicæ; ſed inde impropriè caput ſupremum fidei probaretur; tum quia Auctoritas Eccleſiæ non valet ſpecificare, & perficere actum fidei ſupernum, & theologicum; tum quia Regula fidei potius reduceretur ad membra, quam ad caput, cum caput ipſum certificaretur per membra in linea fidei; igitur vt fide teneatur caput aliquod individuum, niſi impropriè ſit, nunquam probabitur. Rurſus quæcunque ſit Eccleſiæ acceptatio, non eſt ſemper vt Concilij, ac proinde ſic fit à fidelibus, quod poſſit ſubiacere errori, dum in Concilij vnita virtute non poſſet ex divina aſſiſtentia; igitur nunquam ex Eccleſiæ acceptatione ſuadebitur in eo numero capite infallibilitas per fidem, ſed dumtaxat per probabiliſſimam opinionem.

54 Reſpondendum negando minoris intentum. Et ad rationes ibi appropriatas dicimus, inde impropriè probari, nunquam inferri. Rationem exactè tetigimus ſupra in Subart. 3. ibi enim horum omnium, ni fallor, ſublimem relinquimus doctrinam, tam philoſophicè, quam theologicè exemplificatam. Nunc breviter dicimus, nil obſtare extremo potiſſimo, & proprietati capitis, quod primo ſuadeatur, & probetur per poſterius, cum ſit ea probatio de linea viſibilium tametſi inviſibilibus intus conſerta, & quæ ſic probari debent, ſemper quæ priora per poſteriora oſtenduntur, vt ſuadet cordis vitalitas, quæ probatur per poſteriorem tametſi infallibilem manus pulſationem, ita vt dum vitales Spiritus à totius corporis compage ſuſcipi videamus, Principis infallibilem vitam probamus, & probamus, quin vitæ primatui obſtet talis probatio per poſterius. Sic etiam per paſſionem, & per actum ipſum diſcurrendi in Republica potentiarum, probamus primo, & infallibiliter ſuademus infallibilitatem radicis diſcurſivæ, quin obſtet, vt, per ea media aſcendentes, virtutem diſcurſivam primam, & inſtar ſupremi capitis vere & per viam demonſtrationis intelligamus. Et quia horum plurima alia expoſui vbi ſupra, hæc ſat ſunt, vt intelligatur, quo pacto regula fidei reducitur ad membra, & per ea ſupremum caput comprobatur.

55 Sic etiam non obſtat, quod revera

Eccle-

Eccleſia non poſſit fidem noſtram theologicam ſpecificare; quia licet nos tunc ſumamus Eccleſiam vt normam infallibilius illius fidei, at intra lineam applicantis, & conditionantis, & non intra lineam formalis obiecti, vt etiam abunde expoſui, quo pacto intra hanc lineam non eſt paſſio ſcopus pro demonſtrandis, tametſi aliter ſit ſcopus, & medium; pro quo applica nuper poſitum exemplar vitæ, &c, alibi. Nec obſtat, quod ſi Eccleſia non reciperet, revera Pontifex non foret: Non obſtat, quia quod poſterius ſit medium, infallibiliter tamen connecti habet cum priori, vt patet ab exemplari paſſionis cum radice, ac proinde inde non benè deduceretur, quod Pontifex non ſtaret inſtar capitis, & prioris, vt eſt clarum in alijs à poſteriori, nam ſi totum corpus non manifeſtaret recipiſſe vitam, revera non foret vivum cor; & ſi illud numero ſubiectum non diſcurrere, ſed rugite audiretur, revera intelligeremus in eo non fore radicem diſcurſivam, & è contra, ſi è contra non rugire, ſed diſcurrere notaremus, & tamen inde ſemper haberetur in corde primatus, ſicuti & in virtute diſcurſus, &c, ſic. Ergo à ſimili in obiectis.

56 Ulterius ad illud quod vltimo opponebatur, dicimus, quod etiam dato, quod externa illa ſolemnitas Conciliorum nō daretur formaliter in vniverſali ea acceptatione Eccleſiæ, daretur ſemper indeficiens vis, cum daretur per infallibilem fidelium vnitatem, & concordiam conciliarem in cauſa; tum quia eſt de fide ſemper dari Eccleſiam, & nedum hanc dari intra ſolemnem formalitatem Conciliorum; tum quia præfata acceptatio ſemper radicaret infallibiles actus Concilij, nam ſi infallibilitas eorum reſolvatur, reſolvetur in Eccleſiam quæ Pontificem eum acceptavit, aliter enim ab vniverſis Catholicis non vt Concilium, ſed vt Conciliabulum teneretur; igitur eſt imperceptibile poſſe infallibilitatem præſtare Concilio, & eam non præſtitiſſe Pontifici ab vniverſis fidelibus recepto, ſicut eſt imperceptibile quidquam ex cauſa præſtare effectui, & illud auferre, ſeu non, præſtare ex cauſæ indiſpenſabili & directa cauſa, prout alibi Philoſophus evidenter agnovit.

QVINTVM ARGVMENTVM.

57 Opponent 5. contingere electores fore in vita, & moribus minus perfectos, necnon procedere conſpiratos, ſicuti & à Principibus temporalibus allectos, aut metu amittendi ſæcularia bona inclinatos; igitur videtur Inhoneſtum, & incredibile poſſe ſic ſanctiſſimum, & perfectiſſimum producere effectum, quod eum fide Catholica, & Apoſtolica retinere, & venerari poſſimus, & debeamus.

58 Reſpondendum, ſolum probari, fore mirabile in oculis noſtris, ſemper tamen à Domino factum eſt illud, qui infirma, & contemptibilia eligens valet efficere fortia. Sic enim eum in Paulo mirabilem prædicamus, dum eum ex Saulo fecit Paulum, imò & mirabilius videtur ex lupo producere ovem, oviumque Paſtorem, & ex activiori veneno formare puriſſimi licoris non ſine divina electione vas. Sic etiam fecit brachij ſui potentia mirabilium ſuorum maximum quod ſic, dum elegit Immaculatam oriri Matrem ſuam ex Parentibus macula infectis, valens & volens inter ſpinas exoriri lilium, & lucem inter tenebras, ſicuti & inter inimicas filias Adæ ſibi omnium ſupremam eligere Sponſam. Quapropter inde aptius ſuadetur divinum fore electum, dum ex infirmis aliter electoribus firmiſſimum Eccleſiæ ſuæ caput ſcit Deus præparare. Nec enim navim fructibus agitari, & contrarijs ac minus favorabilibus ventis ventilari, fuit Petri navim immunem non oriri.

59 Inter mundanas enim varietates, dum admirabiles & ſibi electos effectus oportet valet Altiſſimus, vt rerum & ſcientiarum Dominus præparare ſibi cogitationes quæ ſibi parare non videntur nobis, & vnius facere voluntatis, & ſuæ, quod maius eſt. Memor etiam eſto Rahab, & Babylonis, Ecce alienigenæ, & Tyrus, & Populus Æthiopum, hi fuerunt illic: Memor eſto Thamar, Ruth, & Bethſabe, quarum fructum eligit Deus in hæreditatem ſibi; Homo, & Divinus homo natus fuit ex eis, dum magis ſtabilire voluit fundamenta eius in montibus Sanctis. O altitudo divitiarum in electionibus ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! Memor eſto Miniſtrorum Sacramentorum ſuorum, & Diſpenſatorum myſteriorum, an iuxta Auguſtinum, quia Judas baptizet, non erit quoad verum effectum Chriſtus qui baptizat? Sic non ſemel evenit, quod poſſimus in ſe Miniſter vim habeat, vt ad ſuorum verborum prolationem Chriſtus de cœlo deſcendat, ita vt malus Sacerdos Summum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ibi adducat, ſivè vere producat. Plurima alia poſſem nimis conſona adducere exemplaria, ſed videntur ſufficere præaddućta, vt à præclariſſimis paritatibus credere poſſis, poſſe Summum Eccleſiæ Antiſtitem ex Electoribus minus in

vita probis legitimè exoriri fidelibus, quo pacto exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, dum inſpirare dignatur miſericors, & miſerator Dominus.

SEXTUM ARGUMENTUM.

60 Opponent 6. non conſtare de fide numerum Electorum, cum eveniat vnum Pontificem eligi per plures Electores, & alium non per tantos, cum Summus Pontifex non debeat nunc eligi niſi per Sacri Collegij Cardinales, & poſſit mori Pontifex quam plurimis in Pontificio pectore ſepultis; igitur dum fide non teneantur qui numero ſint electores, nec fide videtur tenendus, quis ſit numero electus.

61 Reſpondendum, quod eſto nunc ex divina inſpiratione,vt credo firmiter, Summi Antiſtitis electio inter Sacri Collegij Cardinales deſtinata ſit, & aliàs ſolum ex vivis, & electis ibi lapidibus præparandum ſit Succeſſoris habitaculum, quoad effectum electionis, pro tanto moraliter reputandus numerus plurium, ac paucorum, qui ſupervixiſſent, cum ſicuti ſalvare, nunquam fuerit Domino difficile erigere *vel in multis, vel in paucis*. Sic, *vt ſciret omnis terra, quia erat Deus in Iſraël, & noverit vniverſa Eccleſia illa*, elegit David quinque lapides, dum tamen antea pluribus, & maioribus armis Dominus Deus exercituum ſolebat firmare Eccleſiam illam; necnon,dum quatuor alij lapides ruerent, vnus ille quo Eccleſiam firmavit, pro alijs quatuor, & pro millibus foret, ſicuti Militantis illius Eccleſię Dux pro decem millibus reputabatur. Non enim quæ Dei, vt eius ſint, ſiſtunt in multitudine ſemper. Patet, quia ſi quo pacto impęnitens extitit Judas, nonnulli alij Apoſtoli (vtpote, qui increduli nimis) impęnitentes defeciſſent, quo pacto dum numerus Apoſtolorum à Deo relictus fuit duodenarius, & tamen id non obfuit, vt Mathias eligeretur, nec obſtaret, vt plures alij Apoſtoli eligerentur etiam paucis Apoſtolis ſuper exiſtentibus; & ſimiliter dum tunc Petri Succeſſor foret eligendus, eſto ad Petrum nonnulli Apoſtoli ſupervixiſſent. Et ratio eſt, quia cum tam iſti, quam illi, omnes reputantur, cum conſtituant totum quod reputandum, & nihil deſt, vbi adeſt totum quod eſt, maximè in eis (hinc Auguſtinus ad rem ſuper Pſalmum 86.) *In quibus Sacramentum eſt cuiuſdam vniverſitatis*, (vt in duodecim illis ſedibus) *quia per totum Orbem terrarum futura erat Eccleſia: vnde vocatur hoc ædificium ad Chriſti compagem. Non ſolum ergo illi duodecim, & Apoſtolus Paulus, ſed quotquot iudicaturi ſunt, propter ſignificationem vniverſitatis ad ſedes duodecim pertinent*. Prædixerat cauſalem rationem. Auguſtinus, *Cum dicuntur duodecim portæ Ieruſalem, & vna porta Chriſtus, & duodecim portę Chriſtus, quia in duodecim portis Chriſtus*.

62 Confirmatur dum conſimiliter valeat in prædictis diſcurri, ac in ipſa Eccleſia, quæ iam puſillus grex, iam numeroſitate longe, lateque diffuſa; etenim licet de fide ſit numero Eccleſiam extitiſſe, exiſtere, & ſemper extituram, ipſamque vnam ſemper fore, vt conſtat ex Symbolo, tamen incertum fore quoad tempora numerum fidelium eam conſtruentium, non obſtat, vt patet tam apud Catholicos eam fundantes fide, quam apud hæreticos eam fundantes prædeſtinatione, aut aliter, prout alibi impugnavimus. Non enim pro infallibili Eccleſiæ ſiſtentia, vt firma, & certa obſtat, quod iam couſtet de cem fidelibus, iam duodecim, iam centum viginti, vt Primitiva, iam mille, &c, ſic; & ratio eſt, quæ ſuperius, ex vniverſitatis repræſentatione,fuit à Divo Auguſtino adducta. A ſimili ergo diſcurrendum circa Pontificis vnitatem, & infallibilem ſiſtentiam, dum Electores iã ſunt plurimi,iam ſunt pauciſſimi,quo etiam pacto evenit, ſervatis ſervandis in quibuſlibet imaginabilibus electionibus, ſive politicis, ſive regularibus, & canonicis, vt dum Patres pro definiẽdis in Concilio à Sanctiſſimo Patre deſtinati,iam ſunt in maiori,iam ſunt in non tanto numero, cum plures mori contingat etiam dum pro eodem, vnoque legitimo Concilio conſiderantur.

SEPTIMUM ARGUMENTUM.

63 Opponent 7. quod non videatur poſſe eſſe de fide Pontificem electum, cuius determinatus, & individuus eligendi modus non facile invenietur de fide, cum hic numero eligendi modus cum omnibus ritibus, & iam requiſitis ceremonijs, alijſque circunſtantijs non fuerit ſic expeditus in primis Petri Succeſſoribus; igitur non magis nunc, ac ſemper eligendi modus, erit determinate, & in individuo hic electus tenendus de fide.

64 Reſpondendum, quod etiam eis data quaecunque in modo eligendi varietate, nunquam obſtare poſſet firmitati, & infallibilitati effectus, vtpote electi, aut ſic, vel ſic reſultantis. Ratio eſt, quia finis ſemper eſt maximè attendendus, cuius indiviſibili firmitati, & certitudine nec opponitur plurali-

tas

tas mediorum, nec varietas actionum, vt patet in Phyſicis, & in moralibus, necnon in quam pluribus factis tam veteris, quam novi teſtamenti, dum ſine ſtabilito etiam penes gloriam iam hoc, iam illud provideret medium; & ſic dum Eccleſia circundata eſt Religionum ſacrarum varietate, ſivè per hunc ſivè per alium vivendi ſcopum, vt etiam ſalutis æternæ infallibilis adeptio ſplendet in ipſorum votorum, præceptorum, & conſtitutionum varietate. Sic etiam, dum æquè infallibiliter, aliter vocavit Petrum, & aliter Paulum ad Apoſtolatum. Sic etiam ad infallibilem coronam gloriæ, aliter ducit virginem,ac deſponſatam.Sic etiam ad Pōtificatum aliter elegit Petrum, ac Succeſſores, ſicuti & aliter elegit Judam ad Apoſtoli dignitatem, ac eligere voluit Mathiam, vtpote, ſortes dando eligendis, & Petrum per ſemetipſum vivæ vocis ſuæ divino oraculo nominando; & tamen præfatarum actionum, & mediorum varietas non impedivit infallibilitatem individuorum finium, & effectuum pro quibuſlibet deſtinatorum à Deo, qui habet plura media, vt circa individuum finem, prout velit diſtribuat.

65 Quod enim Altiſſimus invariabiliter, & infallibiliter decrevit, ſiſtit in eo, quod Divus Petrus habeat viſibilem Succeſſorem; hic enim eſt finis, & iuxta divinam intentionem indiſpenſabile aſſumptum; quod dum ſit infallibiliter eredendum, ſemper tale erit, ſivè fuit,etiam ſi per diverſa media reſultaret. Si enim v. g. Deus decerneret ſemper hunc, vel illum effectum producturum, idque conſtaret, vt fide teneretur effectus, nil obſtaret, quod eum Deus eliceret per duas, tres, aut quatuor cauſas, aut quod eum ſe ſolo produceret, ita vt varietas actionum nunquam confunderet, aut infirmaret infallibilitatem ſemel efficaciter decreti effectus, ſivè permanenter, ſivè ſucceſſivè expediretur. Sic enim dum Deus promiſſit populum ſuum alere in deſerto,nil infirmaret alimoniæ infallibilitati, quod præberet cibaria per manna, vel per aves pennatas; & ſic abundant exemplaria; igitur pariformiter, dum ſemel Deus promiſſiſſet, vt efficaciter promiſſit Divum Petrum habiturum Succeſſorem, oveſque ſuas Paſtorem, nil huius fidei firmitatem infirmaret varietas erigendi vtpote, quod voce elapſa è Cœlo ſignaretur, vel quod Anteceſſor eum nominatum relinqueret, vel quod Deus per ſortes electionem inſpiraſſet; vel quod per aliorum libera ſuffragia, ſivè publica, ſivè occulta; vel quod omnes nemine dempto confluere deberent; vel quod maior pars ſupervenientium ſufficeret; quo enim pacto liberum fuit relinquere Succeſſore Eccleſiam, & libera fuerunt media; circa quæ, prout dixi, tametſi poſſet oportere varietas iuxta temporum circunſtantias, ſecus autem circa finem, vtpote principaliſſime præfixum, cum ſit id, ratione cuius ſolius plura alia exhibentur.

66 Ex quibus ſolum reſtat inferre, quod quo pacto ſi per varietatem actionum diſpenſaret Deus effectum, eſto effectus foret infallibiliter credendus, & infallibiliter eredenda foret illa actio per quam Deus vellet effectum pro tunc manifeſtare, ſi quomodo viſibilem proponeret effectum, viſibilem relinqueret actionem per quam, ſeu ex qua talis numero effectus reſultaret, & pariformiter dum per aliam actionem vellet effectum viſibiliter derivandum, vt manet exemplificatum in tot ſimilibus; à ſimili etiam, ſemel ſtabilito Pontificatus effectu viſibiliter ſic, vel ſic derivando, ſi infallibiliter teneam hunc numero Innocentium viſibiliter Eccleſiæ manifeſtum, etiam infallibiliter tenebo pro eo, & quibusliber ſic electis Cardinalium liberam electionem; & dum aliter, vt dixi, eligeretur, vt per ſortes, &c. ſic, dum poſſem fide credere ſic electum, & pro tunc penes eam electionem fide poſſem credere eum eligendi modum. Media enim, & diſpoſitiones, ſi ſemel ſtabilitæ ſint, quoad claſſem & certitudinem, naturam, ſeu conditiones finis imitantur.

OCTAVUM ARGUMENTUM.

67 Opponent 8. non poſſe negari fuiſſe Schiſmata in Eccleſia Romana, vt cunctis Catholicis notum eſt; ex quibus infertur iam Eccleſiam extitiſſe abſque Pontifice vero, ac proinde, quo pacto ſemel Eccleſia fuit in ſtatu in quo, fide nullus numero tenebatur Pontifex, non erit, cur iam aliquando aliquis numero Pontifex tenebitur? Tum infertur, legitimitatem electionis non debere eſſe de fide, tunc ſiquidem ex Electoribus legitima electio non reſultavit. Tum infertur, quod in eo Schiſmate, pro cuius reiectione fuit congregatum Concilium Conſtantienſe, non fuerit de fide, aliquem ex illis tribus Schiſmaticis non fuiſſe verum Pontificem; igitur nec potuit fide conſtare fuiſſe verum Pontificem, electum deinceps vt fuit Martinus Quintus; ac proinde, nec fide poterit conſtare, cæteros poſt eum, veros Succeſſores fuiſſe, cum quod ſuccedit, veritatem, & conditionem antecedentis obſervet, & imitetur, ſicque iam nul-

lus numero de fide tenendus Pontifex, cum poſſit ex falſo antecedenti de quolibet infallibilitas dubitari. Nimis nonnulli in his inſiſtunt, quibus etiam, Deo dante, exiſtimo exactam exhibere ſolutionem.

68 Reſpondendum, & in primis non negando, quæ revera negari non poſſunt. Concedimus ergo præfata ſchiſmata in Eccleſia, eo pacto quo & neceſſe in ea habemus concedere ſcandala iuxta verſionem Magni Gregorij ea in Regno Cælorum præſentis temporis concedentis; at credimus, quod quo pacto Altiſſimus providit Angelos, qui ſcandala de ipſius Regno colligerent, & de medio auferrent, etiam providit veros Miniſtros, qui ſchiſmata de medio Eccleſiæ ſuæ colligerent, eamque quietam relinquerent. Neque afflictam, & conturbatam Dei Eccleſiam videre mirentur Catholici, nec irrideant hæretici, quinimo cuncti ſcire debeant, labores pati, & tormenta maxima ſuſtinere, fore iuxta hæreditariam, & legitimam conditionem Navis Petri, dum eam non voluit Deus in medio Cœli glorioſi, vbi eſt iam perpetua quies, & beatifica, paxquè ſerena; ſed voluit eam Altiſſimus in medio maris, in quo horribilibus agitata vndis, ipſius firmitas magis probetur, & non ſine merito fidei fluctuantium amaritudines experiatur, ita vt Miniſtri laborent in remigando tametſi vt Apoſtolici à Deo ſint admiti; quo pacto Apoſtoli etiam *ad ipſius Chriſti præſentiam*, dum ſic ſe habuit apud eos, quod videretur phantaſticus, & non verus fluctuantis navis Protector, cum revera Summus Protector fuerit, quia non vult perire, qui potius vult ſervos ſuos laborare, nec negat victoriam, qui militibus ſuis permittit, & diſponit pugnam; non enim quia Petrus cæpiſſet mergi, fuit merſus vndiſque ſepultus, ſcit Deus extendere manũ, vt ſalvet, dum permittit apparere periculum, vt probet.

69 Inde enim Eccleſia hæc non dicitur Triũphans, ſed Militans, quia ſub pœnalis crucis vexillo etiam magis Catholico militia debuit eſſe, licet fortis, & terribilis, vt ordinata caſtrorum acies. Fundarat eam Altiſſimus, & ſuper maria lachrymarum fundavit eam, vt ſic deinceps in ea militantes in exultatione meterent. Nonne oportuit ipſum Fundatorem pati, & ſic intrare in gloriam ſuam? Igitur nunquam magis erit eius Eccleſia, quam dum nobis pati videatur. Irrationale prorſus, & inhoneſtum foret, velle ſub capite ſpinoſo coronari nos roſis. Amica eſt Dei, Eccleſia noſtra, cum ſit veritatis Magiſtra, at ex quo inter filios Adæ, ſicut inter ſpinas lilium. Intuere vniverſa noſtra, diſcerne ſuperna, examina quæque perfectiſſima, & ſi in via invenias, tametſi per ea recto tramite ad patriam pergas, nec ſine angoribus ibis, nec ſine motibus arduis requieſces. Igitur licet Eccleſia noſtra Catholica, ſit à Deo hinc vnice dilecta, Sponſaque formoſiſſima, è manu ipſius firmiter tenta, & ne vnquam cadat præſervata, à nemine tamen mirandum, quod ſcandala, ſchiſmata, & ſic quæcunque alia contriſtantia permittat, maximè, dum triſtitia eius probaretur divina, vſque adhuc ſiquidem ſemper fuerit in gaudium verſa.

70 Reſpondentes nunc ad argumentum oppoſitum, dicimus ad primum, tunc Eccleſiam extitiſſe abſque aliquo Pontifice, quem talem fore, de fide crederet, quin quidquam intento, & reſolutioni noſtræ obſtare videatur. Ratio eſt, quia, quo pacto, vt iam alibi dixi, eſto immortales non vellet Deus ſtabilire quos aſſumendos in Pontifices, & aliàs vellet media electione, & deliberatione conſtituendos, non inconvenit per aliqua ſpatia temporum Eccleſiam fuiſſe abſque viſibili capite, quin per aliqua ſpatia ſic exiſtere, infertur conſequens iuxta ſcopum eligendi, quem more viſibilium Deus inſpirare voluit, dum ſic velle potuit, quod nec per vnicum inſtans caput ſponſæ ſuæ viſibiliter deficeret; conſimiliter eſto Deus voluerit relinquere in Miniſtros Electores Gubernatoris Navis dilectæ, qui per aliquod ſpatium forent ante maris elationes conturbati, & vndarum temporalium metu in conſilijs diviſi, & ſic permitteret ad maiorem oſtenſionem potentiæ ſuæ, quod veluti cæpiſſent mergi, pro eo tribulationis tempore non inconveniet reſolutioni noſtræ, Eccleſiam neminem eorum habere, quem firmum, & vnicum ſibi Gubernatorem fide fateatur, cum hæc omnia, ſic ſequantur, ſicuti providerat Altiſſimus, & aliàs ſic mirabilius ſalvetur, quod divina promiſſio ſubſiſtat, vtpote, non prævalituræ portæ inferi, vt evidenter cernimus, & fuit viſum, cum Eccleſia tandem poſſet, licet remigando, vincere, & quietare tempeſtatem, & ſerenitate fruens intra ſe Gubernatorem ſummi videre, quo pacto etiam poſt tempeſtatem habuerunt Chriſtum clarè, & viſibiliter. Dum enim benè attendatur, Eccleſiæ ſuæ non dixit Chriſtus, non patieris à portis inferi, non experieris impetum, non tentaberis vento contrario, non ſuſtinebis turbationem, &c, ſic, quæ inter hoſtes & horribiles pugnas indiſpenſabilia ſunt; ſed dumtaxat ei dixit, portæ inferi non prævalebunt; tempeſtates non demergent te; ventum contrarium videbis, ſed non proijciet te,

nec

nec inter fluctus maris proſternet, ſic vt ſuffocata moriaris, & Spiritus Sancti afflatu reſpirare non poſſis. Sicuti enim hoc fuit promiſſum, ſic & fuit mirabiliter expertum.

71 Ex quibus facile infringitur ſecunda pars primæ illationis, ſcilicet, dum tunc non creditum de fide, nunquam iam poſſe ſuccedere aliquem, qui de fide non teneatur. Improba profectò illatio. Navis Petri fuit aliquo tempore tempeſtate cruciata; ergo ſucceſſu illius temporis non videbitur in portu ſerena? Fuimus aliquando triſtes; ergo immediatè non ſuccedet lætitiæ tempus? Sol eſt pro aliquo tempore nubibus confuſus; igitur pro immediato non ſuccedet refulgens? Indociles illationes, ſicuti & ſic innumerabiles, vt paſſim quiſque videt. Ubi ab vltimo ſimili dicimus, quod quo pacto Sol poteſt nube turbari, ſed non ſic ex ea penitus ignorari quod pereat illa dies; necnon nube pugnare, ſed perdendo diem non evinci, ita vt tandem Sol ſemper prævaleat, quia nec pugnare, nec victoriam contravertere, eſt contrarium inpugnantem prævalere, vt viſum fuit in illo prælio magno Cœli (hoc prælium nota in Cœlo, vt ſimile in terris non mireris) in quo prius pugnare, non fuit Luciferinos prævalere in cœleſtis militię Ducē, ſed è converſo, ita vt veram victoriæ ſucceſſionem, Cælica pugna non impediret; ſic etiam dicimus, quod Solarem Eccleſiam, diſcordiarum, & ſchiſmatum nube pro aliquo tempore tribulari, non eſt ſchiſmata prævalere; & ſtatim in tempore pugnæ non vincere, non eſt vinci, nec impedit ſemper vincere, verumque Pacis Angelum, & militię Eccleſiaſticę Ducem non ſuccedere &c. Non enim vult Deus auferre victoriam, licet ad Eccleſiæ meritum permittat dilatari certamen; ſicuti nec intendit deſpicere aurum, qui ad maiorem ſplendorem illud in igne probat; vult aurum pati, non conſumi.

72 Ad ſecundam illationem dicimus, quod legitimitas eligentium non erit inſubſiſtens, tametſi effectus in eligendo retardetur. Ratio eſt, quia Deus nunc ſicuti & tunc inſimul cum eligendi virtute reliquit libertatem, ita vt Spiritus Sancti aſſiſtentia ſit ex vna parte, & ex alia libera eligentium conditio; vnde dū diviſis dilatatur electio, provenit ex circunſtantia liberi, & dum concordant & vnitas perfecta eſt, provenit ex circunſtantia cooperādi cum aſſiſtēte Spiritu, eique ſemper vnitas tribuenda eſt principaliùs. Exemplificatur in nobis vt habiles ad rectam operationem. Dum enim voluntas noſtra eſt divina gratia præventa, & in actu primo ſuperne adiuta, & adæquata, quod conformem effectum non producat, non probat voluntatem non extitiſſe rectam, & legitime electricem, ſed dumtaxat fuiſſe inſimul liberam. Necnon, voluntatem noſtram ſic legitime habilem nunc non elicuiſſe rectam operationem, & bonum non elicuiſſe, non probat quod deinceps non poſſit, vt patet cunctis Theologis; ergo à ſimili. Itaque ſicuti dum Deus opus elicitum à voluntate acceptans, requirit voluntatem benè operatam fuiſſe, ita vt eſtō Deus acceptet, repugnet voluntatem male fuiſſe operatam, ita vt à regula firmiori ſumendum eſt in omni caſu per Eccleſiæ acceptationem, ac proinde ſic, quod dum Eccleſia acceptet, contradicat, nedum legitimam fuiſſe virtutem eligentium, ſed etiam effectum ipſum ab illis derivatum. Qua propter in omni eventu, quo pacto dicimus Scotiſtæ, quod divina acceptatio perficit, & complet in inviſibilibus, ſic Eccleſiæ acceptatio in his quæ videmus; hæc enim ſequitur famoſam vim terminantium, ſicuti alia ſequuntur conditionem inchoantium, & diſponentium.

73 Et ratio omnium manet ſupra, cum dilatare non ſit virtutem auferre, nec effectum deſtinatum ab ipſo Deo, impedire, ita vt divinam virtutem ſuam ſtatim non manifeſtare, ſit probare navim, non autem immunem in tempeſtate non velle. Quia enim in primo virium ſcrutinio Apoſtoli navim veluti vndis vagientem non elicerent liberam, non ideo improbi Operarij, & mali Miniſtri, nec à divino favore deſtituti. Per plurimos enim dies Eccleſia Dei militans in valle Terebynthi fuit laboribus oppreſſa, ita vt per plura ſpatia conſuleret eligere virum, qui eam defenderet, & gloriam Dei exercituum exaltaret, & poſt tot ſcrutinia, ſeu inita conſilia, inventus fuit vir, qui fuit iuxta cor ipſius Dei; vbi per dilationem, divina aſſiſtentia non fuit improbata, nec extra ſpecialem electionem providentiæ divinæ, ſtatim medium conveniens non offerre, & in vnum tot magni militiæ Dei miniſtri in vnum non convenire ſicuti quod ipſi fratres David in initio fuerint diviſi, dum poſtea, eum acceptaverunt. Conſimiliter non foret extra ſpecialem Dei aſſiſtentiam, quod illum Eccleſiæ Iſraëliticæ inimicum non proſterneret David per primum lapidem, dum proſterneret per quartum, aut quintum, omnes enim lapides illi, legitimæ electionis, & divinæ, dum & humanæ virtutis lapides forent. Sic applica, clarum eſt exemplar.

74 Ad tertium quod inferebatur, etiam manent ſupra parata exemplaria ſynceris doctrinis

trinis & expoſitionibus ſolidis, ni fallor, diſpoſita; pro quo vide etiam dicta ad quintum argumentum. Et ad illud, quod ſcilicet, non conſtabat de fide aliquem ex illis tribus non fuiſſe Pontificem; dicimus in primis, poſſe dici neminem ex illis fore verum Papam, fore de fide. Ratio eſt, quia Eccleſiæ acceptatio eſt infallibilis, ita vt ſi id fide non teneamus, nil fidei tenere poſſimus; igitur ſi aliquis illorum de fide foret Papa, non poſſet eum vniverſalis Eccleſia nedum reprobare, ſed nec poſſet eum non acceptare; igitur dum nedum non acceptavit, ſed alium eligendo cæteros reprobavit, ſi de fide ſit Eccleſiam non poſſe in his fore falſam, & de fide erit, eorum neminem fuiſſe Papam verum.

75 Dicimus deinde, quod dato, quod non fuiſſet de fide, neminem eorum extitiſſe Papam, ſed manſiſſe ſub opinionis terminis, eo ipſo magis confirmatur intentum reſolutionis noſtræ. Ratio convincens eſt, quia ſi dum alicuius Pontificatus extitit probabilis, & intra limites opinionis, Eccleſia tamen noluit acquieſcere, quouſque alius eligeretur, eumque acceptaret; igitur quia Eccleſia ſentit non poſſe habere quietem circa Pontificem, cuius exiſtentiæ veritas opinioni ſubiaceat, & omnem dubitationem non tollat, ita vt ſolum poſſit ipſa quieſcere ſub capite indubitabili, & infallibili, vt eſt ſolum illud quod fide Catholica tenetur, & vniverſaliter acceptatur. Unde diximus in quæſtionis initio, hinc nos alloquuturos de illo numero homine, qui circa Eccleſiæ acceptationem non relinqueret ex viſibilibus dubitationem, nam vt benè aiebat Pater Petrus Hurtado §. 44. quando eſt probabile fundamentum dubitandi de legitimitate Pontificis, & ſi re ipſa in ſe legitimus eſſe poſſet, non credetur fide Catholica eius legitimitas, nec eius definitio; quia quoties eſt probabile fundamentū, poſſumus prudenter dubitare, & quamdiu poſſumus dubitare, fide Catholica non poſſumus credere. Qua propter tunc pertinet ad Eccleſiam non quieſcere, donec aperte de legitima electione, & acceptatione conſtet, & ſi id aliter obtineri non poſſit, niſi Pontificem, aut Pontifices deponendo, id poteſt efficere, prout evenit in obiecto caſu Concilij Conſtantienſis ad annum 1414.

NONUM ARGUMENTUM.

76 Opponent 9. Pontificem aliquem renuntiaſſe Pontificatum, vt fecit Sanctus Petrus Cęleſtinus; igitur vt Succeſſores poſt eum veri & legitimi haberentur, debuit eſſe de fide Papam poſſe renuntiare; ſed Papam poſſe renuntiare nec eſt, necnon eſt de fide; igitur nec erit, necnon erit cæteros Succeſſores fuiſſe veros, & legitimos, quod ſufficiet, vt corruat noſtra reſolutio.

77 Reſpondendum, ex Maxima illa acceptationis vniverſalis Eccleſiæ, mihi indubitabile fore de fide tenendum, Papam poſſe renuntiare Pontificatum, quia ſi poſſe renuntiare non foret infallibile, non foret infallibile Eccleſiam non poſſe errare, Eccleſia ſiquidem ſupponens eum, qui renuntiavit, Pontificem non manere, acceptavit Succeſſorem, vt verum, & legitimum ipſius Eccleſiæ caput, in quo deciperetur, vtpote tenens eum vt legitimum, & ex ſuppoſitione non tenendi vt talem, eum qui legitimus foret. Abſit enim exiſtimare, poſſe Eccleſiam decipi in principaliſſimo omnium puncto, vtpote circa caput ſuum, dum propugnavimus ſupra, non poſſe decipi in alijs, quæ ſpectant ad compagem membrorum.

78 Dices, illam renuntiationem factam à Cęleſtino, non fuiſſe ſine dolo inſtructam, vt etiam nonnulli Catholici Auctores referunt; igitur Cæleſtinum manſiſſe à Pontificatu abſolutum non poteſt de fide induci. Reſpondendum, quod etiam data, & non conceſſa illa in nocturno ſilentio doloſa ſuaſione (quo enim pacto ſervi Dei dicuntur ſeductores, etiam poſſunt dici ſeducti: ſicque quo pacto Chriſtus ſeductor, & ille Chriſti Vicarius potuit dici ſeductus) nil obſtaret, vt legitima foret Succeſſoris electio, tum propter dicta in argumento quinto, & alibi hinc; tum quia dum reveta ipſe Cęleſtinus poſſet renuntiare, vt probavit infallibilis Succeſſoris promotio, & acceptatio, Eccleſiæ infallibilitati non officiebat, quod eſto valida fuerat renuntiatio, foret occaſionata ex hoc, vel illo perſonali motivo, à Deo tunc permiſſo ob fines ſibi ſoli reſervatos. Tum, perſuaſionem illam, prout vnus, aut alter Auctor refert, fore partum tuttam, ſuadet ipſa Sanctiſſima vita Petri merito Cęleſtini, ita vt prout ipſa Eccleſia in eius laudibus ſacris recitat, potius renuntiatio Pontificatus ad ipſius ſolidam, veramque humilitatem ſit reducenda. Dum enim tot magnæ virtutes in illo viro Dei radicatæ inveniebantur, frivolum, & impium videtur, profundæ, & cœleſtis humilitatis triumphum alterius dolo impingere, & ipſius Cęleſtini virtutibus non appropriare. Magiſter enim diabolicus iam poterit vt fallat, vti aliquarum virtutum imitatione, nunquam tamen facile credam, quod poſſit, aut velit humilitate, cum nec ſic te-

nebræ

nebtæ fugiant ad faciem lucis, nec cæra ſic fluat à facie ignis, ſicuti tota iufernorum acies fugit ante faciem veræ humilitatis. Sicuti enim hæc eſt virtus, quam verbo & exemplo magis edocuit Magiſter divinus, ſi contrariorum eadem ſit ratio, etiam eſt quam magis horreſcit Diabolicus; nedum tentare, ſed nec eam valet reſpicere, ex quo à ſummo Cœlo egreſſio eius, nil plus reſpexit quam humilitatem Ancillæ ſuæ, quam ex hac Beatam nunc, & ſemper dicent, & nunquam ſatis, omnes generationes, excipe pravam, & perverſam, quæ ex Patre diabolo eſt.

DECIMVM ARGVMENTUM.

79 Opponent 10. plurimos Pontifices fuiſſe ſeditioſos, luxurioſos, ſcortatores, negromanticos, & ſic pluribus vitijs involutos; igitur de eis numero hominibus improbum foret aſſerere, infallibiliter fuiſſe veros Petri Succeſſores. Rurſus ad idem intentum, quam plurimos eventus recitant, maximè hæretici, quibus errores, idololatrias, à ſexu incapacitates, & ſic alia ſuadere intendunt, vt cuiuſvis numero Pontificis infallibilitatem Capitis Eccleſiæ enervent, & confundant.

80 Ad primum reſpondendum ex illis, quæ reliquimus in primis quæſtionibus, maximè *in quæſt.* 3. *& in* 4. vbi pluries impetus inimicorum retardatur, & retunditur. Rurſus hinc, quia nos non reſolvimus in Pontificibus, quæ ſunt bonitatis, (maximè, vt quod, vt quo enim & in actu ſignato reſpectu proponẽdorum ad vniverſalem Eccleſiam, omnes debent eſſe boni, & non poterunt eſſe mali) ſed quæ ſunt veritatis. Aliud enim eſt aliquem eſſe veracem, & aliud eſſe bonum, ſieque dicimus, aliud fore, fuiſſe veros Petri Succeſſores, & aliud, bonos, ſeu Sanctos Succeſſores fuiſſe. Qui enim Pontifex valet vt verax hæreticorum errores condemnare, valet per ſuæmet voluntatis opera, vt malus ipſe condẽnari, ac proinde veriſſimè in Cœlo aliquos eſſe, ſtabilire, dum ipſe in infernum iturus, quod abſit, & non facile credam. Benè enim compatitur alijs infallibilia prædicare, ipſumque reprobum fieri.

81 Per peccatum enim licet ſit *caput languidum*, erit tamen ſemper verum caput. Sic Chriſtus Dominus malos Paſtores dum in malis Paſtoribus prævidiſſet, præcepit tamen eos audiendos in doctrina, & in eis, quę erant fidei, licet in pravis operibus, & perſonalibus criminibus monuerit non eſſe imitandos, prout conſtat ex illis, quos videbat ſedere ſuper Cathedram Moyſis, eoſque ſic quoad lineam veri approbavit vndequaque infallibiles, vt penes doctrinæ, & veri propoſitionem non limitaret fidelium auditum, ſed vniverſaliter audiendos ſtatuit dicens; *Quacunque dixerint vobis ſervate, & facite.* Nec enim aliquorum Pontificum opera fuerunt peiora, ac ea quæ in malitia Scribarum, & Phariſæorum ſic iniuſta, quod ſi cæterorum iuſtitia, opera non plus abundarent, nemo ſalvari poſſet. Sic etiam, dum D. Paulus ad Rom. 13. inquit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ait Gloſſa, *Poteſtatibus bonis, vel malis in eo, quod ſublimiores ſunt, obediendum eſt.*

82 Ad vltimo poſitum, vbi tot impij, improbi, & irreligioſi eventus aliquorum Pontificum narrantur, exiſtimo in quæſtione ſequenti reſponſurum. Dum autem non reſponderem, in nullo deficerem, tum quia quamplurima ſe manifeſtant conficta, & ab hæretica pravitate ſeminata, quæ, vt ſolet, fecit inimicus homo, dum nocte ſurrexit, & ſuper ſeminavit zizaniam: Tum, quia abundant Catholici Doctores, qui talibus oppoſitis ſatisfaciunt, iam veritate doctrinarum, iam ſinceritate hiſtoriarum, iam diſtinctione perſonatus, & officij, iam diſtinctione facti, & dogmatis, iam diſtinctione permiſſi, & decreti, &c. ſic, vt in ferè omnibus dogmatum Magiſtris paſſim invenies. Nec his conturberis, cum ab origine mundi, tenebræ forent ſuper faciem abyſſi, & quot Altiſſimus dies, tot permiſſerit noctes, vt ſic videret eos, qui diligunt lucem, & qui potius tenebras, harum etiam permittens Principes.

VNDECIMVM ARGVMENTVM,

in quo maxima capitalis fidei doctrina expenditur.

83 Opponent 11. quod ſi de fide foret aliquem numero hominem fuiſſe Summum Antiſtitem, ab aliquo ex tot Romanis Pontificibus fuiſſet definitum de fide; ſed nullibi invenietur definitum; igitur ex eo quod nullus Pontifex ſenſerit noſtrã reſolutionem fore fide tenendam. Rurſus, quia revera intra fidem indefinibile videbitur; nam non videtur poſſe de fide definiri aliquem fore caput fidei, dum non poſſit infallibiliter ſciri, eum in ſe habere fidem, cum ab omnibus Doctoribus communiter teneatur, fidem fore indiſpenſabilem tam ad rationem capitis, quam cuiuſvis membri, ac proinde nullo peccato niſi infidelitatis poſſe aliquem à Pontificatu deponi, & repelli; ſed aliquem numero ho-

minem

minem habere fidem infallibiliter non poteſt ſciri, cum liberum ſit ei eam habere, vt etiam communiter habetur, vtpote circa ea, circa quæ ingreditur vt privats perſona; igitur nec aliquem numero hominem fore caput fidei, poterit definiri, aut ab vniverſali Eccleſia teneri de fide.

84 Reſpondendum, & ad primum ſemper dicimus, fuiſſe de fide definitum, ſicque talem definitionem inveniri, vbicunque Pontificum definitiones inveniantur, necnon vbicunque Concilia legitime inveniantur congregata. Ratio fundamentalis extat ſupra, quia quo pacto per actum, & lineam ſcientiæ non poſſum attingere, ſeu probare effectum, qui nil foret ſine cauſa, ſicuti concluſio ſine præmiſſis, quin per eamdem ſcientiæ lineam probem, & attingam cauſam, & præmiſſas, vt cunctis Scientificis maximè notum infallibiliter eſt, etiam dum à minus neceſſarijs curſum ſcientiæ inciperem, cum non poſſim de aliquo intelligere diſcurrentis actum, quin pari firmitate in eadem linea virtutem diſcurſivam intelligam; ſimiliter, ſervatis in vnaquaque materia ſervandis, inveni imperceptibile, poſſe aliquam definitionem vocalem fore de fide, & de fide non invenire eam proferentem, ſicuti poſſe eſſe de fide Concilij legitimitatem, & intra eamdem fidem non invenire eum, à quo infallibiliter tota eius legitimitas procedit, &c, ſic prout iam ſupra expoſuimus.

85 Dices, quod ſic, Pontifices illi qui nec congregarunt Concilium, nec de fide quidquam definierunt, non erunt ex aliquo intra eamdem fidei lineam, ac fuerunt Pontifices congregantes, & definientes. Non tenet, quia nec definientes Pontifices ſunt de fide, quia definiant, cum ſi prius non fuiſſent infallibiles diffinitores, non poſſent deinceps infallibiles definitiones derivari, vt ex natura terminorum pateт; ſed præfata diximus, vt à poſteriori ſolent dici plura, vt ſic etiam ex his, quæ eſſe percipimus, quæ præfuiſſe debuerunt intra eamdem infallibilitatem percipiamus. Qua propter nunc etiam per lineam fidei circa diffinibilia, credam Innocentium Undecimum fore vniverſalis Eccleſiæ Antiſtitem primum, non à priori & de per ſe, quia definivit aliquid, ſed quia cæteris alijs de per ſe requiſitis conditionibus tam in pacifica electione, quam in acceptatione conſimili rite, & rectè in eo numero præhabitis, & ſuppoſitis, poteſt definire, ſi caſus vrgeat; vbi, eo ipſo quod quis firmiter debeat credere, quod ſi caſus vrgeat, poſſit definire, & Concilium congregare, intra eamdem lineam debet credere definitum eum, quem poſſe definire credit, ſicuti fore extra cauſas animal rationale ſubiectum illud, quod licet non diſcurrat, poſſit tamen ſi velit. Exiſtentia enim vſque adhuc, ſemper in aliquo priori convenit principio, & virtuti, quam actui ipſo, ac proinde ex quo certo ſciam aliquem diſcurrere, ſcio eum eum virtute ad diſcurrendum præextitiſſe. A ſimili ergo.

86 Circa ſecundo oppoſitum, equidem maior eſt difficultas, vt cuicumque terminos penetranti patebit. Communiter enim, nedum apud hæreticos, ſed & apud Catholicos tenetur, Pontificem, vt perſonam particularem, vel vt privatum Doctorem, poſſe errare, tam in quæſtionibus morum, quam fidei, de quibus infra exactius eſt agendum. His ita, reſpondebitur, ſat fore ad credendum de aliquo fore Summum Antiſtitem Eccleſiæ, ſcire infallibiliter, non poſſe ab eo deficere fidem, vt edocendam, vel, vt quæ fidei, ſunt proponenda vniverſali Eccleſiæ, eſtò in ipſo deficeret fides intra privatæ perſonæ ambitum, cum Eccleſiæ, nec alieni noceat, quod in occulto manet, & ſenſibiliter non percipitur.

87 Fateor inter ſolidiores, præfatum exponendi modum ſolidiorem videri, at vrgent nonnulla alicuius momenti in oppoſitum, videlicet, quod dum etiam private fides in Innocentio deficeret, revera non maneret Eccleſiæ vnitum, ſed penitus vt mortuum à vivo ſeparatum; ergo quod non haberet vitam vt poſſet eſſe membrũ, multo minus vt poſſet eſſe maximum membrum, vtpote caput. Tum, quia non videtur credibile, quod Spiritus Sanctus aſſiſteret, & res fidei loqueretur per eum, qui nil fidei habebat, ſic enim non facile poſſent increpari, qui tuentur, Spiritum Sanctum poſſe aſſiſtere, & loqui per Pſeudo Pontificem. Tum, Eccleſia poſſet errare, cum acceptans eum in caput ſuum, fidem habere exiſtimans, falli poſſet, cum aliud foret ex parte obiecti ab eo, quod ipſa ſentiebat de ipſo.

88 Reſpondendum, & ſemper firmiter ſtandum in eo, quod fide tenendum ſit, Innocentium fore Summum Eccleſiæ vniverſalis Antiſtitem, quin huic veritati obſtet, non fore de fide, Innocentium habere fidem. Ratio eſt mihi, quia quo pacto diximus, & expoſuimus in quæſt. 3. aliud eſſe, eſſe bonum ſibi, ſeu in ſe, & aliud eſſe bonum alijs, ſic aliud eſſe, eſſe verum in ſe, & aliud, eſſe verum alijs, quod propriè loquendo, non ſic importat conceptum veri, ſed conceptum veracis. Exponitur huius intentum, quo expoſito cuncta hæc clarebunt, & oppoſita, eo ipſo manebunt

bunt ſoluta. Quæ enim dona alicui præſtantur non ſic ſibi, ac de per ſe vt alijs diſtribuat rectè, dum rectè diſtribuere alijs ſciatur, & ſi ſibi proficere ignoretur, parum obſtavit, vt non teneatur bonorum præſtitorum rectus & iuſtus diſpenſator. Sic in his, quæ intellectus ſunt, ſiquis Magiſterium benè exerceat, conſtetque veras & probas docere doctrinas, ita vt ſic ex Cathedra inſtruens firmiter ſemper fuerit viſus, vera, & honeſta docere, nil obſtaret ad Magiſterij ſanam Auctoritatem, quod ipſe aliud faceret, & aliud doceret reſpectu bonæ inſtructionis audientium, prout iam dictum manet pluries de Chriſto D. qui ſeparans Diſcipulos, & filios Synagogæ à Phariſæorum, & Scribarum factis, ſecus autem à doctrinis, ita vt reſolveret Divinus Magiſter, ex perſona fugiendos, ſecus autem dum ex Moyſis Cathedra alloquentes, & Synagogam doctrinis in linea morum, & legum inſtruentes. Si circa hæc latiorem velis expoſitionem vide dicta *quæſt.* 3. vbi invenics, quo pacto quis ſibi malus, ex infallibili dicto Chriſti certe valeat eſſe alijs bonus.

89 Conſimiliter circa perſonæ opera, & Cathedræ doctrinam intuetur Pontificem vniverſalis Eccleſiæ Aula, pro qua infallibiliter fuit electus, & nominatus Magiſter. Pontifex enim aliter conſiderandus vt verus ſibi, & aliter vt verus Eccleſiæ, quod prout dixi, reſpectu eius quod importat ad Eccleſiam, potius dicendus verax (ſuppono ſolitam diſtinctionem veri, & veracis, in Diſtinct. de fide Theologica poſitam, & trite à Theologis habitam) nam licet ſecundum quid profit Eccleſiæ, quod verus ſit, & non fallatur in ſe, S, cognoſcens aliud quod eſt, at ſimpliciter & de per ſe neceſſario, quod prodeſt Eccleſiæ, eſt, quod in Cathedra Eccleſiæ ſedens, & vt Magiſter vniverſalis alloquens non poſſit eam fallere, ſicque quod non poſſit ipſi non eſſe verax. Et dum hinc offertur, quædam theologica terminorum oppoſitio, ei ſtatim, dum ſolide ſatisfacio.

90 Dices, fore verum alicuius actum, ſiſtere in eo quod cognoſcat res vt ſunt in ſe, iuxta Philoſophi proloquium, S, *Ab eo quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera*; fore autem veracem alicuius ſermonem, ſiſtere in eo, quod loquatur & dicat res, vt cognoſcit, ita vt veracitas non petat conformari cum obiecto, vt in ſe, ſed vt in mente, ac proinde quis ſi eat contra mentem, mentietur, etiam ſi quia dictum conforme obiecto, ſit verum, & è contrario; vnde benè ſciunt Docti, aliud fore mentiri, & aliud dicere falſum: Nunc ſic, ſi Papa non haberet in ſe fore verum, vtpote alicui Myſterio diſſentiens, dum ex Cathedra loquens non poſſet dicere falſitatem ſuam, ſed veritatem divinam, tunc non foret verax, nec verus; non foret verus, quia aliud erat in ſe obiectum, ac ipſius Papæ actus; non foret verax, quia licet ex Magiſterio Cathedræ diceret verum, at contra mentem ſuam, vt patet dum infidelis; ergo nec verus, nec Eccleſiæ verax.

91 Solves ſolidiſſimè, dum dicas in eo caſu Papam ſemper fore veracem. Ratio eſt, quia dum ex Cathedra loquitur, & vt Magiſter Summus in rebus fidei docet Eccleſiam, tunc ſimpliciter, & de per ſe principaliter, non manifeſtat mentem ſuam, ſed mentem divinam, cum tunc manifeſtet mentem in eo tunc in eo, vt inſtrumento nudo aſſiſtentem, quæ eſt mens Spiritus Sancti, cui de per ſe dictum ſuum conformatur, cum non à ſeipſo loquatur, aliter tunc maximè, neſciret, vt neſcivit Caiphas, dum revera, etiam ſi abſque veritate in ſe, verax fuit, vtpote non ſuam, ſed veram alterius mentem manifeſtans, non quia ex perſona, ſed quia Pontifex anni illius, cuius vt Pontificis alia erat mens. Conſimiliter (ſervatis in perſona Innocentium honeſtate ſervandis) dum infidelis foret Romanus Pontifex, ſemper tamen ex Cathedra ad Eccleſiam alloquens foret verax, quia non quæ ſua, ſed quæ alterius diceret; idque ſic intelligeret, vt intelligit Eccleſia, cum ſciat, quod ſic, non doceat, quod ipſe diſcurrit, ſed quod audit, & à divino inſpirante impellitur, quo pacto organum, quod non propria vi, ſed alterius motoris aere reſpirat; qua propter, dum ex Cathedra alloquens, ſi per impoſſibile poſſet Eccleſia intelligere, aliquem mentiri, non intelligeret Papam mentiri, ſed ipſum Deum, cum ipſe ſe manifeſtans & per alterius os alloquens, iret contra mentem ſuam. En, quam impoſſibile ſit hoc; non igitur minus impoſſibile ab extrinſeco, & ex divino pacto, eſt ſic ſummum ex Cathedra Antiſtitem mentiri.

92 His ita, eo ad cætera, quæ pro ſolutione reſtant. Eccleſia enim cum aliqua diſcretione reſpicit, & veneratur Papam, vt ſibi verum, & vt Eccleſiæ veracem, cum ſciat ſummam Dei protectionem & aſſiſtentiam non exhibitam æquè Papæ, vt ſibi in perſona, ac vt Eccleſiæ Magiſtro, vt patet, cum omnes Pontifices hoc ſecundo modo habeantur ab Eccleſia vt æquales, cum definitio vnius non fuiſſet infallibilior, nec venerabilior definitione, & doctrinis decretis alterius; ſecus autem primo modo, cum non omnes æquè ſic venerabiles, cum non æquè pij,

æquè docti, æquè religioſi, pœnitentes, ſtabiles, pauperes, veraces, ſicuti nec æquè Sancti, dum ex ſecundo modo æquè omnes Sancti, omnes ſiquidem ſunt Santiſſimi in gradu ſuperlatiuo, in quo non ſuſtinetur exceſſus. Igitur ad proportionem theologizandum eſt circa attributum veracitatis, ac proinde dicendum, non ſic firmiter Eccleſiam reſpicere, & venerari fidem & veracitatem Papæ, vt ſibi, ac vt ipſimet Eccleſiæ, ſicque liçet infallibiliter credat Innocentium vt primum Cathedraticum non poſſe deficere in fide, compatietur, non ſic firmiter, ſed ſolum piè credere ipſum ſibi etiam retinere fidem.

92 Igitur & ad proportionem, dum Eccleſia infallibiliter credat, Innocentium, vt membrum capitale, fore intra lineam fidei cum Eccleſiæ corpore vniverſali, compatietur non ſic infallibiliter credere, fore intra lineam fidei cum corpore illius, vt membrum particulare. Si enim Innocentius vt duplicis membri conceptu compactus haberi debeat, nil iam mirandum, quod ex vno ſit fortis, & ſanus, & ex alio debilis, & infirmus, quo pacto evenit in nobis, dum cordis robore, vel capitis perfecto vigore, immediatum capiti membrum debile habere poſſimus, necnon ipſum caput, vt vigoroſum ad diſcurſum, ad alia exercitia fragile habere poſſumus, & minus aptum, ac caput alicuius ruſtici. Sic aliquis ruſticus licet poſſet vt particulare membrum excedere fidem Papæ, ſecus autem aliter, & per aliam lineam. Et ad caſum, nullum aptius exemplar quam Ducis vniverſalis exercitus, dum conſideratus vt Dux, & vt perſonalis certator, ita vt quoad perſonale certamen poſſet à pluribus militibus excedi, ſecus autem quoad directionem, & ea, quæ Ducis erant, ita vt poſſent milites non multum fidentes circa vires particulares ad pugnam, nimis fidere circa ea, quæ vt ad vniverſalis exercitus directionem ſpectabant; igitur à ſimili circa aſſenſum Militantis Eccleſiæ vt perſonale membrum, & vt capitale membrum, & ſic, cum Altiſſimus licet in Pontifice ad omnia attendat, at maximè ad eum, vt Eccleſiæ importantem, vtpote vt Ducem ab eo ſic ſemper ducendum attendit. Sic Seraph Pater, dum interrogatus cur Eliam in ſuum Vicarium deſignavit, reſpondit, quia in tota Religione nullus melior (& ſic debuit percipi, quia ſi melior foret alius, rectiſſimus Pater eum deſignaſſet) dum tamen pauci peiores. Igitur quia voluit compati, nos poſſe credere (vt hæc debent credi, & non aliter) Eliam fore Chriſtiferi Patris pro omnibus Religioſis benè inſtitutum Vicarium, dum poſſemus in his, quæ perſonæ improbum fore Religioſum, ac proinde poſſe dubitari, an foret ex perſona Religionis membrum, dum non poterat dubitari, ex officio, fore membrum principaliſſimum. *Iudas baptizet, Chriſtus eſt qui baptizat.*

93 Et vlterius eſt ratio, quia licet inviſibiliter aſſiſtere debeat ex pacto Deus, at pro Eccleſia, vt infallibiliter acceptante, ſat eſt ipſam viſibiliter non pati contradictionem, ita vt, dum habeat viſibiliter ea omnia motiva, & externa ſigna, quæ moraliter dant evidentiam, vt ille homo & non alius ſit legitimus Petri Succeſſor, ex parte requiſiti perſonalis fidei, ſolum requiratur, non ſcire, quod, vt contrarium in linea fidei, poſſit Succeſſoris conceptum repellere, ac proinde dum piè poſſit credere eum internam habere fidem, infallibiliter & ſimpliciter poteſt credere, eum fore externum fidei caput, cum ad externum & viſibile id ſolum requiratur, eo quod Eccleſia nec eum concernat, nec eum requirat vt caput inviſibile, tale ſiquidem ſolum fore Chriſtum requirat, & credat; igitur dum non habeat quo deſtruat conceptum capitis, vt ab ea requiſiti, prout revera ex internis non haberet, ſiſtere poſſet, & deberet firmiter eum in Succeſſorem & fidei viſibilis caput tenere. Deus enim vltra rationabiliter, & prudenter poſſibile, nil vnquam præcipit, nec credendum proponit; igitur cum Eccleſia vt viſibilis, non poſſit modo regulari ſcire, quæ ſunt cordis, ſed quæ ſunt confeſſionis, quouſque iſta non contradicat, fidem ſuam facere infallibilem, tenebitur Deus, eique ne erret aſſiſtere, eam ſiquidem ſic credere, voluit ſtatuere.

94 Conſtans ſemper, & habilis ratio ſtat in eo, quod Eccleſia more prudentum, non debeat, nec poſſit intendere maiorem vim præſtare actibus, & aſſenſibus ſuis, ac potunt motiva, & ſic alia quæ aſſentienda objiciuntur, vt evenit in cuiuſvis lineæ aſſeverationibus, dum non poſſim ego pari metro aſſeverare vinculatum accidens cum ſubſtantia, & quæ phyſicè poſſunt eſſe vnita ſicuti ſeparata, ac poſſum circa quæ metaphyſicè vrget identitas; & ſic in linea morali Religionis, obedientiæ, & aliorum actuum, qui iuxta inæquales conditiones obiectorum exercentur. Conſimiliter, dum Eccleſia diſcretè concernit fidem Papæ vt privatæ perſonæ, ſcit quod ſic circa eam non ſit tam ſpecialis, & ſimpliciter efficax divina providentia, ac circa capitis fidem, & Succeſſoris firmitatem, vnde, elicit aſſenſum, quo pacto Altiſſimus vtrique

exer-

exercitio auxilium; ſicque quo pacto Deus non ſic efficaciter decrevit, & reſpicere voluit exercitium perſonale, ac vniverſale, etiam Eccleſia prudenter agens, circa vtrumque inæqualiter vertitur, ita vt Altiſſimo conformis, credat fidem habere, vt membrum perſonale, & vt capitale, at non æquè credit circa vtrumque, quo pacto nec æquè circa vtrumque divina voluntas diſpenſatur.

95 Et licet ex iam dictis, & hinc expoſitis, ſciam poſſe exactè diſſertos viros ſatisfacere ad tres illas rationes ſupra veluti per inſtantiam à me oppoſitas, tamen cum ſciam, quantum oporteat huius omnium ferè principalioris puncti, in quo minus docere, vel aliquantulum vacillare nonnullos Doctores notavi, ideo ad tria illa determinatè reſpondere intendam, & amplius præfatorum expoſitionem protendam, forſan alium dicendi modum attingens, dum tranſeunter innuam. Quæ enim fidei, vel ſolum ſimplicium fide attingenda, vel dum aliter, penitus eviſceranda.

96 Ad primum ergo, quod ſcilicet, ſi non haberet fidem, foret mortuum, vt membrum, dum vivum vt caput, cum magis in quavis linea, & ſic in fidei, requiratur ad maius, quam ad minus &c. Dico, quod quo pacto (ſuppono fidei defectum fore occultum, aliter enim, nil novi, quod aliter diſcurratur) quoad Eccleſiam vivit, adhuc foret vivum, etiam vt membrum, cum quoad Eccleſiæ forum vivat, per quod vivere videtur, & vivere creditur, dum vita pulſatur; & ex pulſu confeſſionis, & aliorum fidei motuum, poſſet, & deberet (quo pacto ſupra reſpectivè diſtinxi) ipſum, non mortuum, ſed vivum reputare membrum. Quibus enim corda penetrare datum non eſt, vt aliquem vivum fore, vitamque in corde conſervare regulariter credamus, ſat foret, & eſt, in exteriori manuum pulſationes percipere. A ſimili ergo, dum regulariter loquamur. Sic enim dum abſque fide foret, non foret vnitum Eccleſiæ membrum quoad Deum ſecundum ſe, & interne ſe continentem dumtaxat; foret autem vnitum Eccleſiæ membrum quoad Eccleſiam, & quoad Deum vt decernentem, ſeu vt decrevit, intra viſibilia Eccleſiam permittere, vt paſſim expendit circa Miniſtrum Sacramenta exercentem, dum Eccleſiæ bonum poſſe reputare vult, cum ſibi non ſic. Sic non ſemel evenit in Dei politicis, vt viſum fuit cum Saule, qui quoad populum Dei fuit Rex quouſque vixit, ſecus autem quoad ſe ſecundum ſe, cum ipſe iam proieciſſet eum, ne regnaret, ſic aiens de præterito in cap. 16. Reg. 1. *Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim, ne regnet ſuper Iſraël?* Sic revera, quoad Chriſtum Judas non fuit Apoſtolus ex quo venditor poſſidere incepit agrum de mercede iniquitatis, fidem, ſpem, & charitatem amittens, & Regem Apoſtolorum odio mortali, & immortali deſtruere intendens, ſecus autem quoad Eccleſiam, & quoad Chriſtum viſibilibus membris ſe conformare volentem.

97 Et dum dicitur, magis, aut melius fore, fore in fide caput, quam particulare membrum: dicam, hæc duo ad invicem excedi. Reſpectu Eccleſiæ enim, magis importat, & proficit fore caput, necnon plura requiruntur; at reſpectu ſui non ſic, cum Innocentio ſecundum ſe magis proficiat fides membri privati, quam capitis, eo pacto quo ſibi magis proficiet fore Sanctum, & Beatum, ac fore Sanctiſſimum, & Beatiſſimum, cum Sanctiſſimus (quod nunquam eveniſſe pie credam, & meritò) poſſet damnari, ſecus autem vt Sanctus. Eccleſiæ autem è converſo reſpectivè, cum Eccleſiæ potius proſit, non poſſe docens vt Sanctiſſimus damnari, etiam dum alios errantes damnare, ac proſit eum perſonaliter damnari, licet, vt dixi reſpectivè, etiam ipſum non damnari perſonaliter, Eccleſiæ proſit ſecundum quid. Et vt hæc rectè compares, & quo pacto mutuo ſe excedant percipias, necnon quam plura aliæ adaptes, memorare ſubtilitatis Scoticę, ſupra in Diſtinc. vnionis hypoſtaticæ, vbi exponimus, quo pacto gratia vnionis hypoſtaticę, & vnio gratiæ habitualis ſuperexcedantur ad invicem. Necnon, quo pacto hypoſtatica, quæ erat gratia capitis, formaliter (radicaliter, & ex decentiæ congruo, expoſitione illius opinionis, aliter loquimur Scotiſtæ) non ſic incompatibilis cum damno, & carentia æternæ fruitionis, ac habitualis, ita vt hæc potius ſic formaliſſimè prodeſſet Chriſto ad actus ſupernos, & è converſo, Chriſtus etiam vt de facto exiſtens, licet abunde prodeſſet nobis ex gratia habituali, ac vt Eccleſiæ vniverſalis filios concernens, plus profuit gratia Capitis, & vnionis hypoſtaticæ, cum pactum ſupra illam fuiſſet radicaliter, cum abſque ea, nos non redimere poſſet iuxta Angelicum, etiam ſi ſummam gratiam purus homo cum omni poſſibili merito haberet. Hæc, & alia, vales à paritate in hiſce theologizare de ſummi Chriſti Vicarij fide vt tali, & de fide privata perſonę.

98 Itaque etiam dicimus, quod, quo pacto per vnam partem expoſuimus, magis requiritur fides vt ſit membrum, quam maximum membrum; cum vt ſit præciſé mem-

brum, requirat meritum in fide, eam libere exercere, & non aliorum fide, ſed propria & notionali, tale eſſe; vt autem ſit maximum, & capitale, non ſic requirit propriam, ac extrinſecam aliorum, cum vt Succeſſor Petri potius firmetur & credatur fide electorum, & Eccleſiæ acceptatione, nec vt caput expendit fidem merito, cum non alloquatur libere quæ vt quo docet, non enim ſic infallibiliter dicit verum, quod poſſit dicere falſum, &c ſic. Unde, habebit in fide eſſe caput, quouſque eſſe credatur ab alijs; habebit autem in fide eſſe membrum, dum ipſemet credat. En nunc quo pacto facile iam vales diſtinguere, quo modo fides quæ requiritur ad membrum, non ſic requiratur ad caput, & quo pacto è converſo &c, ſic, quæ combinate clare valebis.

99 Ad ſecundum, ſcilicet, incredibile fore Spiritum S, per eum intus infidelem alloqui, &c. Dico, non dari improportionem, neque apparere indecentiam. Ratio eſt, quia de per ſe Spiritus Sanctus non loqueretur per eum, vt intus infidelem, ſed vt exterius catholizantem, & in foro Eccleſiæ fideliſſimum, cum Spiritus Sanctus loqui intenderet iuxta conceptum, quem de illo Antiſtite tenebat Eccleſia, ad cuius, vtpote fideliſſimæ magis de per ſe attenderet Sanctus Spiritus, cum per illius Paſtoris voces vellet oves ſuas paſcere, & gubernari, & eam manere deceptam nollet, vtpote firmiter credentem per illud vas electionis Deum infallibiliter divinos, & incorruptos licores labij ſui parare; ac proinde, vt iam patet, nec obſtaret improporrio, nec appareret indecentia. Si enim manifeſta fuiſſet Apoſtolico Collegio proditio, & mala conſcientia Judæ, Divinus Magiſter non cibaret immaculato ſuo corpore, nec pretioſo ſanguine potaret; indeceret etenim, & tamen Chriſtus nil indecens operatus fuit, dum per os illius voluit tranſire, & velnti divino verbo alloqui; quia ibi non operabatur niſi iuxta Eccleſiæ illius conceptum, ſicque ad forum viſibile attendens, dum ipſi cuncta cordis infidelitas manifeſta erat, ac proinde quoad ſe non ignorans, eum reputatum Apoſtolum, ſacrilegè communicare. Sic, quia Caiphas in Synagogæ foro tenebatur vt Pontifex, non reputavit indecere Spiritum Sanctum alloqui per eum, ita vt dum intùs erat vt privatum membrum ſeparatum, tam à Synagoga, quam ab Spiritus Sancti gratia, ſecus autem in foro Eccleſiæ, iuxta quem, voluit tractare eum veluti legitimum caput reputatum, vt tale non ſeparatum à Synagoga, ſicuti nec ab Spiritu Sancto, vt Synagogam concernente. A ſimili ergo plane theologizare vales, ſervatis tamen in Catholico noſtro Antiſtite ſervandis.

100 Unde nunc facile reſponderi poteſt ad illud, quod ſcilicet, non poſſet increpari dicens, etiam Spiritum Sanctum poſſe aſſiſtere, & alloqui per Pſeudo Pontificem. Increpari enim poſſet, cum ex noſtro caſu non haberet paritatem. Ratio ex dictis equidem conſpicua, nam tunc quoad idem ſubiectum, & iuxta eumdem forum appareret contradictio, cum eadem Eccleſia videns non fore ipſius membrum, etiam rationabiliter deberet colligere non fore ipſius caput, ſicque Deum velle ſeparatum ab ipſo reputari, quem ſecundum ſe ſeparatum ab Eccleſia, Eccleſia ipſa notabat. Quapropter, cum Deus per fidem non præcipiat contra regulas rationis, & probabilis prudentiæ, aliter plus præcipere, quam quod humana natura patiatur, dicerent hæretici, inde Eccleſia quę eſt prima de numero prudentum, ſic & non aliter deberet cenſere de Pſeudo Pontifice, & de quovis Antiſtite Summo, quem à fide ſeparatum agnoſceret, dum Deus iuxta extraordinariam providentiam, aliud fieri non moneret, at id deberet manifeſtare. Oves enim poſſunt habere in Paſtorem, ſeu in cuſtodiæ canem, quem videant extra, veſte lupina indutum, at ſi eum ſcirent revera fore lupum, quis poſſet præcipere, quod ab eo non fugerent, ſed eum audirent, eique approximarentur? Rationaliter, nemo profecto, vt quoad forum Eccleſiæ repræſentarat Ananias ipſi Domino præcipienti, vt iret ad Saulum, dum lupus rapaciſſimus ab vniverſa Eccleſia intuebatur. Id enim eſt, quod foret improportionatum, indecens, & impracticabile; & in hoc ſenſu capienda ſunt vſque adhuc oppoſita.

101 Ad tertium ſcilicet, Eccleſiam poſſe errare, eum acceptans &c. Dico non ſequi, vt ſatis iam liquet ex ſupra dictis. Ratio eſt, quia Eccleſia diſcretiſſima, ita vt expendat aſſenſus, temperans eos iuxta motiva quę habet, & iuxta generalitatem, & ſingularitatem providentiarum divinarum ipſimet propoſitarum quoad forum ſuum. Scit enim Eccleſia, aliam eſſe providentiam circa punctum privatæ fidei Innocentij, & aliam circa punctum vniverſalis ſucceſſionis Vicariatus Chriſti; nam ſcit, providentiam quoad privatam fidem Succeſſoris, fore ſufficientem, licet vberiorem, & maiorem alijs, in linea ſufficientiæ, cum vſque adhuc quoad actum efficax fuerit viſa, de nullo ſiquidem Pontifice Romano credam in fide perſonaliter defeciſſe; at

autem,

autem ; quoad firmitatem Succeſſoris, ſcit Dei providentiam fore efficacem, ita vt potentiam contrariam præoccupet, cum nedum defecerit vmquam Succeſſor, ſed nec vſque ad finem mundi deficiet, quia eſto aliquis deficeret, ſtatim eligeret alium, ſi foret defectus per mortem, & ſi per errorem, ſtatim provideret remedium, circa quod immediata Dei aſſiſtentia terminaretur ad ipſam, ſicuti antea ad ipſam per Caput. Cum igitur hæc ſciat Eccleſia iuxta ipſi à Deo hos providentiæ præfixos ordines, ſic etiam credit, ita vt aſſentiat Innocentium habere fidem, & habere ſucceſſionem, at aſſentit habere fidem ſufficienter, dum prudenter & rationabiliter; & aſſentit habere ſucceſſionem efficaciter, cum eum quem ipſa reputat electum rite, & recte, & aliàs videt habere omnia quæ ipſa quoad forum ſuum videre poteſt, dum Deus iuxta ea quæ ſic ipſa poteſt intelligere, & videre, ſemper Paſtorem habiturã infallibiliter promiſit, valet & debet eum credere ſucceſſorem quoad officium efficaciter, dum eum credat fidelem quoad privatum perſonæ ſufficienter.

102 Dices à contrario intento, non videri Papam ſemel electum poſſe averti à Papatu etiamſi hæreticus in perſona ſciretur ; ergo ex hac parte non expedimus probam doctrinam in præfati argumenti ſolutione. Suadetur à firma paritate, quia non minus videtur concipiendum à fidelibus de Summo Sacerdote, ac de infimo, vt ex ipſis terminis patere videtur ; ſed ſi aliquis Sacerdos etiam ſi iuxta perſonam peſſimus, tamen dignitatem, & poteſtatem Sacerdotij ratione officij ſemper retinet, ita vt licet ſciatur à nobis peſſimum fore, tamen ſemper credere poſſimus per eum in linea Sacramentorum Deum operari, & concurrere, & non minus certe Sacramenta per eum miniſtrata eſſe, iuxta tritum Proloquium, *Iudas baptizet, Chriſtus eſt qui baptizat* ; ergo pariter concipere deberemus de peſſimo iuxta perſonam Pontifice, ac proinde ſic, quod licet malam eſſe ſciremus, ſemper poſſemus credere, per eum Deum res fidei miniſtrare, quia licet malus Pontifex decernat, Chriſtus erit qui decernit, ſemperque licet in perſona malus, erit Chriſti Vicarius bonus.

103 Reſpondendum, ſemper negando primum antecedens. Ad probationem dicimus, vniverſaliter non fore ex vtroque extremo parem & firmam æquè maiorem, nam Pontificatus non imprimit caracterem ſicuti Sacerdotiũ, ac proinde Sacerdotij poteſtas eſt incorruptibilis, & ab hominibus indelebilis, ita vt poſſit quoad forum noſtrum enervari, ſecus autem quoad internam vim, & abſolutum dominium auferri, cum tametſi ſuſpenſus, ſemper poſſet rigoroſe conſecrare. Secus autem Pontificalẽ poteſtatem providit Deus, cum per electionem reliquiſſet Deus, ita vt quo pacto, licet inſpirante, & aſſiſtente Deo, eſt Papa, quia ſub fidei conditione voluerunt illi Electores, ſic ſemper & quando fides deficeret, foretque defectus illis notus, & non retractatus, poſſent & deberent eum deponere, ſicuti cum ſic, & non aliter ponere potuerunt ipſi ex liberali providentię diſpenſatione. Hæc imparitas percipitur quoad formarum radicationem in vtroque ſubiecto.

104 Quoad effectum enim dum loquamur, reſponderi, ni fallor, bene poteſt etiam ad ſupra ex contrario intento oppoſitum, dicendo eandem rationem, ſervatis in dignitate, & materia ſervandis, verſari circa miniſterium Sacerdotis, ac Summi Sacerdotis, ſi habenda paritas benè attendatur. Ratio eſt, quia quo pacto etiam ſi malæ vitæ ſit Sacerdos, & in peccatis involutus, tamen valet Sacramenta expendere, & per eum Chriſtus Dominus gratiam ſuam, ipſumque corpus ſuum fidelibus miniſtrare, etiam licet Summus Sacerdos, perſonaliter malus, & peccatis commixtus ſit, valet catholicam doctrinam expendere, & per eum Chriſtus Dominus ipſum ſuum divinum verbum fidelibus manifeſtum facere, & ſic verba vitę aperire, & miniſtrare: In hoc enim æquè currit, & capiendum eſt tritum illud Proloquium, *Iudas baptizet, Chriſtus eſt, qui baptizat.* Rurſus, quo pacto Pontifex in cunctis malus, in fide tamen verax, manet habilis ad ea, quæ ſunt fidei, & vt per eum eam Deus Eccleſiæ miniſtret, ſecus autem ſi in fide defeciſſe ſciretur, quia quod ex parte perſonę ſuæ requiritur, dumtaxat fides eſt, tum quia per eam redditur habile, & capax ad miniſterium, tum quia per eam quoad effectum Eccleſia vnitur, & copulatur ; pariformiter ſimplex Sacerdos licet in cunctis malus, ſi tamen in intentione verax, manet habilis ad ea, quæ ſunt Sacramentalis lineæ, & vt per eum, eam Deus fidelibus ſuis miniſtret ; ſecus autem ſi intentione defeciſſe ſciretur, quia quod quoad effectum ex parte perſonæ ſuæ requiritur, dumtaxat intentio eſt, per quam redditur habile, & capax ad miniſterium, cum per eam quoad effectum vt quo vniatur & copuletur cum linea Sacramentali ad fideles bonos.

105 En, quo pacto iuxta paritatem, licet reſpectivè habendam, perſonarum, & officioſum illud à prima facie difficile, ſolvitur argumen-

argumentum, ac proinde habetur, quo pacto vtraque perſona habilis, ſicuti & per parem lineam inhabilis vtraque. Et huius rationem pro vtraque iam expendimus ſupra, videlicet, cuncta hæc fieri iuxta praxim rationalem, iuxta quam in eadem linea, & quoad eumdem forum non poterit percipi effectus cum contradictione in linea eiuſdem ſuæ cauſæ, vt eveniret manifeſte contradictio quoad forum externum, dum ſciretur in ſimplici Sacerdote non dari veracitatem defectu intentionis requiſitæ, ſicuti nec veracitatem dari in Summo Sacerdote defectu fidei etiam in intentione requiſitæ.

DVODECIMVM ARGVMENTUM, in quo circumſtantia Epiſcopatus vt Romani expenditur.

106 Opponent 12. vt ſit de fide, Innocentium Undecimum fore Petri Succeſſorem, a quo requiritur quod ſit de fide, Epiſcopum Romanum debere iure divino fore Petri Succeſſorem; ſed Epiſcopum Romanum fore, aut debere eſſe Petri ſucceſſorem non eſt de fide, cum nec iure divino ſit; igitur nec de fide erit talem fore Innocentium Undecimum.

107 Circa præſentis puncti deciſionem nonnulla alicuius momenti relinquimus expoſita, & propugnata in quæſtione 2. Art. 3. maximè ad argumentorum ſolutionem in Art. 4. vbi præcipuam controverſiam cum hæreticis tenuimus, dum reſolveramus in Art. 3. quod Eccleſia, quæ à capite viſibilis, debebat eſſe, quæ à capite Romana. Nunc autem etiam inter Catholicos verſatur aliquod diſſidium, non quia cuncti Catholici, non teneant verius eſſe Epiſcopum Romanum Petri Succeſſorem negare, fore temerarium, & parum tutum, ſed quia nonnulli reputant, id non ſic fore de fide ſimpliciter, quod probabilitas aliqua non poſſit dari contrariæ reſolutioni.

108 Scotus enim *in 4. diſt.* 24. *q.* 2. *Art.* 5. tenuit, Epiſcopum Romanum fore Petri Succeſſorem, & totius Eccleſiæ caput, non eſſe de iure divino, ſed ex ſola voluntate Petri. Noſter Velaſco *dp.* 16. *quæſt.* 5. poſtquam reſolvit num. 20. Petrum habuiſſe præceptum divinum transferendi ſuam ſedem ab Antiochia Romam, & hinc perpetuo remanendi; idque ſuadet ex Marcello Papa, & Martyre Epiſt. ad Antiochenos, vbi ait: *Petrus veniens* Domino tranſtulit ſuam ſedem Romam ab Antiochia; necnon poſtquam num. 23. collegit, fore de iure divino Epiſcopum Romanum extitiſſe Petri Succeſſorem, id ſuadens ex Lino Papa, & Martyre præfatum præceptum declarante; ex Anacleto Epiſt. 3. aiente: *Eccleſia Romana, non voluntate Apoſtolorum, ſed ipſius Chriſti habuit Primatum, &c:* Ex Innocentio 3. cap. *Damnamus* de ſumma Trinit. vbi dicitur: *Sancta Romana Eccleſia Domino diſponente, cunctorum fidelium eſt Mater, atque Magiſtra:* Ex Julio 1. in Epiſt. ad Epiſcopos Antiochiæ declarante: *Sanctam Romanam Eccleſiam Dominus allocutus eſt, dicens, Tu es Petrus:* Ex Gelaſio in Concilio Romano 70. Epiſcorum, tenente: *Sancta Romana Eccleſia, voce Domini prælata eſt cæteris Eccleſijs, voce Domini habet Primatum:* & ſic poſtquam alia refert teſtimonia Canon. in num. 25. quærit ipſe, quam certa ſit horum recitata Sententia? Et reſpōdet, Bellarminum tenere, fore multo probabiliorem, quam oppoſitam: Valentiam tenere, oppoſitam non eſſe tutam; dum ipſe Velaſco ibidem tenet, ſententiam ab ipſo defenſatam non eſſe de fide, quia magna ex parte fundatur in hiſtoria illa de apparitione Chriſti ad Petrum, quam licet referant Pontifices, tamen illam de fide non definiunt. Ubi rurſus ait, oppoſitam non fore erroneam, tametſi eam aſſerere non auderet ipſe.

109 Noſter Lanterius *dp.* 18. *pag.* 380. *& pag.* 382. licet ex parte bene diſtinguat, at abſolutè controverſiam reſolvere non videtur. Ait enim, quod in quæſtione de facto, non poſſit ab vllo Catholico dubitari, Epiſcopum Romanum iure divino teneri Pontificem Summum, ac proinde, quod nunc Innocentius, qui eſt Romanus Epiſcopus, ſit Summus Pontifex, & probat eo diſcurſu, S, iure divino Petri Succeſſores ſunt Sūmi Pontifices; ſed quicunque eligitur in Epiſcopum Romanum eſt Petri Succeſſor; ergo &c. Quod enim controvertitur, inquit, non eſt ex ſuppoſitione, & in facto, in quo Epiſcopus Romanus eſt Summus Pontifex; ſed abſolutè, hoc eſt, an Epiſcopus Romanus ſit iure divino annexus Pontificatui, an vero ſolum iure poſitivo? Dum enim ſic benè diſtinguere videtur, reſolvit tamen in fine, dicendo, quod ſi ex ſuppoſitione, erit ex iure divino; ſi vero abſolutè, quod ex determinatis pendebit; nam vel eſt iure divino Epiſcopus Romanus, Pontifex, vel non? Si ſit: dicendum, Primatum Eccleſiæ Romanæ ſuper alias eſſe de iure divino; ſin minus; non erit, ſed ex iure poſitivo, & ex conſuetudine. Hæc Lanterius, in quibus ſemper irreſolutum manet principale.

Nonnulli

110 Nonnulli RR. ſequentes diſtinctionem,& reſolutionem Monteſinos *Tract.3. de Poteſtate Papæ , quæſt. 5.* & Soti citati quoad primam ipſorum diſtinctionem, exponunt, circa Epiſcopatum Romanum dupliciter penes Pontificatum poſſe attendi divinam inſtitutionem. Prima , vt facta fuit à Chriſto exprimendo Petrum & Succeſſores , vt vniverſalis Eccleſiæ Antiſtites. Secunda , prout deinceps Chriſtus mandavit Petro , vt ſedem Pontificiam primo inſtitutam, transferret, & Romæ ſtabiliret. Si conſideretur Primatus Pontificalis ex vi primæ inſtitutionis , ſic Epiſcopus Romanus non eſt Petri Succeſſor, cum tunc nulla per Evangelicam inſtitutionem fiat mentio Epiſcopatus Romani , ſed Pontificatus ſupremi : Tum , ex facto Petri, qui multis annis prædicans Evangelium, nullo loco addictus fuit Summus Pontifex, cum revera talis abſolutè eſſet : Tum cum prinſquam venerit Romam , ſediſſet Antiochiæ, quod non feciſſet, ſi illa coniunctio foret ex iure divino, & ex Chriſti præcepto. Si vero ex vi adiunctæ, & ſecundæ inſtitutionis conſideretur Pontificia ſedes , de iure divino tenendum eſt , Epiſcopum Romanum fore Eccleſiæ vniverſalis Antiſtitem , cum ſat ſit ad ius divinum Petrum id feciſſe ex Chriſti præcepto, idque conſtare ex illa apparitione, ex Epiſtolis tot Pontificum , & ex plurium Patrum teſtimonijs , in quibus abunde invenies fere omnes Dogmaticos Theologos, quorum etiam vide Petrum Hurtado *dp. 36. Sect. 2.* vbi intentum probat ex antiqua conſuetudine pro Romano Pontifice in dirimendis cauſis fidei , pro quo adducit Pontifices, Patres , & Conciliorum aliqua iubantia non parum. Verùm, dum magis principaliter quæ adducunt teſtimonia fundentur in locali morte Petri , & illa Chriſti apparitione , ſi quæratur ab eis , an ſit de fide illa Chriſti apparitio, non ſic conformes videntur aſſeverare, ſed contrarium temerarium fore, dicere, de quo ſtatim.

111 Alij ſequentes Caietanum *Tract. 3. cap. 13.* quibus etiam noſter Lanterius ſubſcribi videtur, dicunt conſimiliter , dupliciter poſſe aliquid conſtare de iure divino : primo modo ſic, vt fuiſſet immediatè à Chriſto ; ſecundo vero modo ex revelatione ſpeciali facta alicui Apoſtolorum ; primo modo iuxta Evangelij publicam lucem , tenent non fore Romanam ſedem de iure divino Pontificiam; ſin autem iuxta privatam à Chriſto Petro factam , dum dixit : *Venio Romam iterum crucifigi*,& circa infallibilitatem pro ſuperna fide illius revelationis requiſitam , recurrunt ad ea teſtimonia , ad quæ cæteri ſupra , in quibus quoad infallibilem fidei propoſitionem , vt abſolutè tenendam , non æquè ab illis deciditur controverſia ; pro cuius deciſione ſectionem ſequentem inſtituam.

SECT. VN.

Epiſcopatus Romani Controverſiam reſolvens.

112 RE vera quæ examinamus quæſita , capitis participant conſonantiam , cum quæcunque capitis equidem deciſioni, eo difficiliora, quo delicatiora, & ſubliniora habentur. Sed, cum in difficilibus fidei quæſtionibus , prout in quibuslibet arduis moris habui , vel non movere, vel dum moveantur, eas quietare oporteat, ideo hanc, prout iam brevius poſſim , cum alibi attactam relinquam , eviſcerare conabor , vt per reſolutionem diſcretionem aptius videbitur.

113 Reſolvendum firmiter , à tempore Principis Apoſtolorum Petri ex quo Romæ ſedentis, vſque ad Innocentium Undecimum nunc fœliciter Romanam Eccleſiam gubernantis, de fide tenendum omnes Urbis Epiſcopos fuiſſe Petri Succeſſores , & Catholici Orbis Summos Antiſtites. Hanc reſolutionem tenere debemus omnes, qui ſupra reſolvimus , & pro viribus fidei propugnavimus, hunc numero hominem , ſub Innocentij nomine exaltatum fore Petri Succeſſorem , ſummumque Eccleſiæ vniverſalis Pontificem, Nec enim iuxta facti infallibilitatem poſſumus aliter, vt nunc, defendere hoc vltimum, quin illud primum etiam defendamus, vt patebit intuenti quoad factum , terminorum vſque adhuc non fallibilem, ſeu non falſificatam conditionem. Itaque , quo pacto nunc infallibiliter credimus hunc numero Epiſcopum Romanum eſſe Petri Succeſſorem , credimus præcedentem Epiſcopum Romanum fuiſſe , & ſic aſcendendo vſque ad vltimum, qui Petrus, & primus Romæ Epiſcopus. Iuxta quæſtionem enim , & veritatem de facto, quo pacto quis poſſit dubitare de Innocentio circa Epiſcopatum Romanum , poterit & dubitare circa ſupremum Pontificatum, & è converſo circa vnius ex altero quoad factum infallibilem certitudinem. Neque ſentio in his iam amplius detinendum.

114 Reſolvendum 2. quod quoad exigere, & de per ſe ex inſtitutione, & habitione vnius deberi nunc habitio, & divina inſtitutio

tio alterius, foret temerarius, qui negaret prę-ſatam connexionem vtpote pluribus adminiculatam. Nec ad manifeſtandam temeritatem eximiam indigetur alio, quam opponi tot Magnorum Patrum aſſertionibus, vt videri poſſunt apud Hurtadum relatum ſupra, & ex Noſtris apud Macedon, Belaſcum, Lanterium, & Maſſuchium, maximè *in cap.15.* Tum nimis probaret temeritatem continuatio inconcuſſa, & perennis extrinſeci facti, vt valide interpretetur ſic Chriſtum Dominum voluiſſe providere, & non caſu accidere, Epiſcopum Romanum ſemper fore Petri Succeſſorem, prout ſic videntur annuere tot Pontifices referentes apparitionem illam Chriſti ad Petrum, vt Romæ inſimul ſingularis Epiſcopus, & Eccleſiæ vniverſalis Pontifex viveret, & moreretur, vt quo pacto ab eo in minoribus imitatus Divinus Magiſter nunquam dimiſſit quæ aſſumpſit, ſic, ſervatis ſervandis, Petri imitator Succeſſor, & ipſius Chriſti Vicarius, nunquam ex natura aſſumptæ inſtitutionis poſſet dimittere, quæ morte Petri, vti teſtatoria intercedente, inſimul ab eo accepit. Tum plurimis magni momenti congruentijs Catholice applicatis ſuaderi poſſet, pro quibus ſufficiat ea à Sanctiſſimo Leone ad intentum noſtrum producta, dum in Serm. 1. Apoſt. Petri, & Pauli, ibi vult Caput fidei, vbi extitit Caput temporalis dominationis. *Quę eras Magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Ut gens Sancta, populus electus, civitas ſacerdotalis & regia, per Sacram Beati Petri Sedem caput Orbis effecta, latius pręſideres Religione divina, quam dominatione terrena.*

115 Reſolvendum 3. quod attenta natura intrinſeca inſtitutionum, & iure proprietativo earum, etiam vt concernentibus importantem fidei, & Religionis Catholicæ obſervantiam, & noſtram virtutum, & bonorum morum vnam, veram, Sanctam, & Apoſtolicam ſphæram, benè potuit inſtitutio & tentio vnius exiſtere abſque connexione cum inſtitutione & tentione numero alterius. Hęc reſolutio dumtaxat petit exponi, vt ſtatim faciam. Si enim inſtitutionis naturam, & iuris proprietatem quoad Chriſti notionale, & textuale promiſſum attendamus, nedũ quoad poſſe, ſed quoad factum in primitivo illo tempore puta, proficua, & integra abſque Epiſcopatu Romano valet percipi præciſa, dum adæquata Succeſſoris Pontificis inſtitutio, tum quia, vt ſupra dicebant, nulla Romæ facta fuit mentio; tum, quia Petrus veri Vicarij Chriſti exercuit iura quæque Pontificia ante Romæ ſpeciem; tum, quia legitimo Concilio præfuit Ieruſalem, ibique Scripturam declaravit, Judam & Principes Sacerdotum damnavit, Apoſtolum eligendum ex Cathedra propoſuit, & ſic per aliquos annos prædicans, ordinans, dirigens, oves paſcens, & Eccleſiam protegens, & gubernans proceſſit; igitur dum per ſpatium vitæ quod reſtabat; ſic proceſſiſſet, Romamque ignórans moreretur, in integrum ſalvaretur officij Paſtoralis proprietas, necnon proficua valerent eſſe quæcunque munera de per ſe, & ex inſtitutionis natura Pontificiam Poteſtatem concernentia.

116 Tum, & quoad Religionis noſtræ obſervantiam, bonorum morum ſiſtentiam, virtutum pabulum, ſacrarum ceremoniarum & Rubricarum plenitudinem, & ſic ad quæcunque noſtræ legis ſemper foret vna, vera, Sancta, & Apoſtolica. Manifeſtatur clarè, tum à paritate obſervantiæ Apoſtolorum, & cæterorum fidelium priuſquam Petrus Romę moreretur; tum quia licet Roma foret anichilata, ita vt per poſſibile, vel impoſſibile nil Romani Epiſcopatus maneret, tametſi eadem fide crederemus, vſque tunc Pontifices, quia quoad veritatem facti, vſque tunc fuerunt qui Epiſcopi Romani, at ab illo deſitionis, & ſeparationis die, ex natura rerum inſtitutarum, ſemper ſalvum, & incolume teneremus fundamentum, vt verus Petri Succeſſor continuaret, eadem fides ſubſiſteret, integra noſtra lex Religioſa, ceremonioſa, rubricata, vera, vna, Sancta, & Apoſtolica conſervaretur. Explicatur, & ſuadetur melius ex ſuppoſitione ſtatim ponenda. Sit non minus de fide, Chriſtum Dominum voluiſſe ad Petri imitationem Sedem Pontificiam extituram Sedem Romanam, ac ſemper extiturum Petri Succeſſorem, ita vt decretum de Succeſſore Petri præextitiſſet, vt revera præextitit, & decretum de additione Epiſcopatus Romani fuiſſet deinceps, & ex adiuncto annexus; his ita, dum Chriſtus Dominus revelaſſet contrarium decretum dicens Eccleſiæ, decretum meum de addito, & annexo ad Sedẽ Romanam revoco, quia ſolũ fuit poſitũ à me vſque ad Innocentium Undecimum, exinde autem non ſic (tunc decernens huic, vel alteri annectendũ, vel nil decernens, ſed ad liberam electionem Pontificis relinquens) in hoc caſu, æquali iure, & poteſtate Apoſtolica, necnon vna, Sancta, & ex natura Religionis Catholica, ſemper maneret cum Capite proportionato Eccleſia, ita vt Succeſſoris primum decretum nequiquam violatum, & revocatum deberet intelligi, quo pacto ſic æquè inviolatum manſit, dum, prout præfati Auctores ex revelatione divina Petro fuit dictum, vt ab Antiochia Romam iret, ſedemque transferret: igitur quia circa Epiſ-

copatum

copatum Romanum, quoad cuncta Religionis noſtræ, aliter potuit evenire iuxta naturam inſtitutionum, proprietatem rerum Catholicarum, & iura de per ſe cæterorum.

117 Nec inde aliquis minus diſtinctè mearum reſolutionum formam percipiens præſumat, me intendiſſe in linea fidei æqualis vſque ad præſens tempus non ſtabilire ſic Epiſcopatum Romanum, ac Pontificatum Petreum; reſolvi iam, & firmiter iterum reſolvò, quod vſque adhuc, omnes illi qui fuerunt Petri Succeſſores, ſic fuerunt qui dumtaxat Epiſcopi Romani, quod de nemine ipſorum maiori fide quoad infallibilitatem (aliter enim, intra infallibilem lineam fidei, vt dixi loquendo de circulis,& ante, diverſæ ſunt in attingendo obiectum conditiones) credam fuiſſe Pontifices, & Petri Succeſſores, ac fuiſſe Romanos Epiſcopos, quo pacto hucvſque quæ Romana, eſt Eccleſia quæ Catholica. Aliter enim, & in ſenſu diſtanti vltimam, & immediatam reſolutionem ſtabilire intendi, prout manifeſtare conabor exemplari præclariſſimo Regni Juda. Cum enim David præextitiſſet verus Rex Juda, iuxta Domini conſilium, vt conſtat ex cap. 2. Reg. 2. Regiam ſedem poſuit in civitate Hebron, vbi poſtquam regnavit ſeptem annis, & menſibus, tranſtulit regiam ſedem ad Hieruſalem: nunc ſic, æquè intra fidem eſt, quod in eo tempore Dominus qui Hebron, fuit idem David qui Rex Juda, ita vt non poſſit iuxta factum infallibilius credi Regem fuiſſe Juda, ac Dominum Hebron; & conſimiliter dum deinceps ſedit in Hieruſalem, non credam maiori infallibilitate Regnantem in Juda, ac Dominantem Hieruſalem, ita vt non poſſet credi Rex vniverſi Iſraël alter, quam ipſe qui Dominans ſingularis civitatis Hieruſalem. Inde tamen quoad intrinſeca & proprietativa rerum, poſſet aliter vtriuſque fieri comparatio, cum præciſè vel deſtructa Hieruſalem, vel mutata ſede per decretum divinum, nunquam variaretur Regnum David vt Regis Iſraël, quia de per ſe aliud teneret vniverſalitas Sceptri, & aliud ſingularitas loci, prout convincit diverſa ſedes in Hebron,, & Hieruſalem cum eadem poteſtate in vniverſum Iſraël. A ſimili ergo ſervatis ſervandis, dum in facto Epiſcopum Romanum credimus vniverſalis Eccleſiæ Paſtorem, æquè vſque adhuc infallibile, vtrumque, cum æquè vſque adhuc Eccleſia acceptaſſet, ac proinde inferamus vſque adhuc ſic à Deo Eccleſiæ inſpiratum; necnon à ſimili, dum Deus aliud vellet circa Epiſcopatus ſingularitatem providere, & quoad nos, dum Eccleſia acceptaret, inde præciſè vniverſi iuris poteſtas invariata ſuccederet,&c,vt ſupra.

118 Reſolvendum 4. quod dum ſolum non loquatur intra quæſtionem facti, ſed etiam iuxta omnem rigoroſum ſenſum, abſolutè vndequaque captum, non videtur ſic fore certum de fide aliquem extiturum ſimul Epiſcopum Romanum, & Petri Succeſſorem, ac aliquem ſemper extiturum Petri Succeſſorem, ac proinde vniverſalis Eccleſiæ Antiſtitem.

119 Stabilita reſolutio ſatis videtur colligi ex præcedentibus, Tum, quia revera Petri Succeſſor manet expreſſe decretus, & iuxta Evangeliſtas ipſos promiſſus à Chriſto, ſicque definitivè, ab vniverſali Eccleſia receptus, ſecus autem Epiſcopatus Romani ſucceſſio, cum oppoſita ſententia ſit probabilis apud Bellarminum, vt inquit noſter Velaſco, *qui pag.*440. *num.*25. cenſet, præfatam vtriuſque officij ſimultatem non fore de fide; igitur cum nulla penitus ſit probabilitas pro contraria ad Petri Succeſſorem, necnon ſit vſque ad conſummationem ſæculi de fide Petri Succeſſor, non videbitur in linea vniverſa fidei æqualis. Tum, quia maior certitudo annexi Epiſcopatus Romani fundatur apud Auctores poſitivæ opinioni magis favētes, in apparitione Chriſti ad Petrum; ſed vnus eorum Velaſcus cenſet, quod licet vera ſit illa hiſtoria, & à Pontificibus relata, tamen eam de fide non definiunt. Tum quia vt iam notarat Soto apud Lanterium *dp.* 18.*pag.*381. etiam ſi foret penitus infallibile præceptū Chriſti de morte Petri in Urbe, inde tamen infallibiliter non ſequitur; ergo voluntas illius fuit etiam, vt ibi eſſet Petri ſedes in perpetuum. Tum, quia ſivè ſic, ſivè ſic dogmatizare velimus, ſemper certum erit in fide, etiam iuxta proprietatem, & rerum credibilium exigentiam, quod ſi Petri Succeſſor deficeret, ruta fides, cum vniverſali Eccleſia deficeret, tum iuxta manifeſtum in Evangelio ex Auctoritate,tum etiam ex divina ratione, cum percuſſo Paſtore conſequens debeat ex ſe eſſe ovium diſperſio, ſicuti dolente capite dolere debent cætera membra, & mortuo corde cuncta ſpirituum pulſatio debet ceſſare; ſecus autem ſic deſtructa Roma, nec iuxta exigentiam credibilium, nec iuxta Chriſti primam inſtitutionē deſtruetur Eccleſia, nec deficiet ovile, ſicut nec bonus Paſtor ovibus, ac proinde nec ſanus capitis vigor, nec conſtans Principis omnium vitalium ſpirituum pulſatio, & diſtribtio;ergo non videtur, quod ſic ęquè vndequaque, & pro omni tempore ſic fide teneamus Romæ conſtantiam, ac vniverſalis Eccleſiæ firmitatem vſque ad ſæculi conſummationem.

120 Dices,non videri poſſe dici,quod ca-

ſu accidiſſet, vſque adhuc à tot ſæculis, Epiſcopum Romanũ extitiſſe Petri Succeſſorem; igitur videtur tenendum, fuiſſe ex divina voluntate, ac proinde ſic procedendum vſque ad conſummationem ſæculi. Ex hoc argumento purius mearum reſolutionũ intentum manifeſtabitur. Reſpondeo concedendo antecedẽs, necnon conſequentis primam partem, ſic autem non ęquè de fide vndequaque ſecundam, prout in vltima reſolutione expoſui. Credo enim non caſu, ſed ex divina voluntate Epiſcopum Romanũ vſque adhuc Petri Succeſſorem fuiſſe; necnon, vt reſolvi, id fide tenendum firmiter credo, cũ infallibilitas in facto Epiſcoporum Romanorum firma ſit ac Petri Succeſſorum; æquè tamen vndequaque mihi non videtur æquè intra fidem inferenda vſque in finem vtriuſque cõnexa ſucceſſio, cum prętet quamquod non ſit æquè manifeſtum fidei, ſit compatibile iuxta regularẽ providentiam totum antecedens, & prima pars conſequentis, tametſi ſecunda pars iuxta divinam volũtatem variaretur, cum prout expoſui, nil formalis, & requiſiti ſcopi fidei Catholicæ variaretur.

121 Percipietur id ab illo exẽplari Regnantis in Hebron, & Regnantis in Hieruſalẽ, ita vt non caſu in Hebron regnaſſet, ſed ex divina voluntate, vt conſtat ex textu, ſiquidem David conſuluit Dominum vt aſcenderet ad vnam ex civitatibus Juda, & tamen inde nunquam infertur, quod ſic conſtans fuiſſet apud Deum loci ſedes, ac vniverſa Regnantis cum populo ſuo Poteſtas. Rurſus ab eiſdem Petri ſæculis vſque ad hęc, nullus Põtifex in gubernio Eccleſię, & fidei directione conſumpſit tẽpus, quod Petrus, nullus enim vſque adhuc vidit dies Petri; & dum tot ſæculorum inconcuſſa praxis non debeat videri caſu accidiſſe, quia prætcrquãquod fere æternæ veritatis ſit immaculata temporum ſucceſio, qui dignatus fuit Vicarijs ſuis providere locum, & ſedem, videtur dignari eiſdem providere tempus, qui temporum dat tempora, ſicque vitę finem, qui imitandæ Petri Succeſſionis initium, tamen dum hęc ſic ſint vera, quod à nemine dubitentur; necnon etiamſi circa factũ ſic vera forent, quod poſſent definiri ſi vellent, aut poſſent fide credi, inde æquè circa futurum non pręſtarẽt infallibilitatẽ, ita vt etiam ſi foret de fide non vixiſſe, quod Petrus, ad non vivere de futuro, non eſſe de fide poſſet reſpondere. A ſimili ergo in parte, & ſervatis ſervandis.

122 Conſimiliter enim nonnulla dicta Sanctorũ valent percipi & validè interpretari. Dum enim dicunt, Petri ſedẽ Romę ex divina voluntate poſitam: reſpondendum ita eſſe, & Sãctos vera dicere, ita vt vſque adhuc ex divina volũtate ſolide à Patribus interpretetur; at aliud intra fidei rigorẽ videtur ſtabilire locum vſque adhuc etiã iuxta divinam voluntatẽ, & aliud ſtabilire perpetuitatẽ, prout latius ſupra iam expoſuimus, & fimiori fideli patebit. Qui enim firmius crederet, & vſque adhuc ex divina voluntate crederet pro Sede Pontificia extitiſſe Romanũ locum, dum alibi ſedem mutari videret, ſicque à Pontifice, vel à tota Eccleſia determinari, ſemper poſſet vniverſorum fidẽ ſervare immutatẽ, eamque in his quę ſunt ſolidæ credulitatis integram, & abſque alteratione retinere; ſecus autẽ (præcavetur inſtantia) qui videret (ſi per impoſſibile poſſet eſſe) ſucceſſoris, & vniverſalis Paſtoris variari ſcopum, ita vt Petri poteſtatem videret in eo limitatã, vel fidei non eſſe profeſorẽ, vel in perſonas dividi Pontificatũ, & ſic alia; ſicuti ſi videret Eccleſiæ fideles nolle gubernari per ſupremũ aliquem Antiſtitem, ſed congregationem per ſe paſci, & dirigi, ita vt oves vſque ad ſæculi conſummationẽ non vellent cum Paſtore progredi; tunc enim conſtantior in fide poſſet ſcandalũ, & in fide turbationẽ pati, tum quia de contrario divina volũtas conſtaret vt in perpetuum volens, ſicque conditio, & proprietas nativa Eccleſiæ inſtitutæ, & ſic alia, quæ ſubſtantialiter, & de per ſe obſtare deberent, prout expoſuimus.

123 Nec tandẽ omittere vellem exemplar Virginis Sanctiſſimæ à Colũna (hęc exemplaria percipiat ſapiens reſpectivè, & ſervatis ſervãdis, ſcio enim quæ ſint de linea fidei, & quæ de linea purę devotionis) licet enim ex animabus ſanctis, & viris bonis cõſtaret Virginẽ elegiſſe Columnã in ſedẽ, & Cæſaraugustã in locum, eãque inter choros Angelorũ collocaſſe, & adhuc vivenẽ ſuper eam ſtetiſſe, necnõ vſque adhuc firmatam ab ipſo ſæculo à quo firmata fuit ſedes Petri, & quod magis eſt, circa ibi ſedere Virginẽ Mariã manifeſtare ſuã voluntatẽ, tamẽ pręfata omnia revera ſẽper ſubſiſterent credibilia (quo pacto credibilia ſunt) etiam ſi Alma Mater locũ mutare vellet: Nec enim mutatio loci opponeretur dictis animarũ ſanctarũ, nec Marianę electioni, nec prudẽti credulitati pręteritorũ omniũ temporũ vſque tunc, nec Angelicorũ Chororũ locationi, nec integræ devotioni Virginis Colũnatę vbicunque trãslata foret, prout cuncta hęc evenerunt & nunc experiſitur circa Domũ ipſam Nazareth; circa quam notare debes de facto, quod circa Columnatã ſub cõditione, quod ſcilicet, licet Sacratiſſima Virgo voluit mutare locum, nunquã tamen domũ; & ſic, etiã ſi Virgo Colũnata mutare vellet locũ, prout poſſibile proponit intra hanc providentiã Soror noſtra Venerabilis de Agreda, ſecus autem ſedẽ quoad Columnã, vt piè credo; & ratio eſt, quæ ſupra,

quia,

quia, S, cuncta quæ de per ſe Virginis Nazareth, & Columnatæ Virginis forent, ſemper integra ſubſiſterent, vt experitur in prima. A ſimili ergo vellem notes circa Antiſtitis ſupremi ſtabilitatem quoad Sedem vt Succeſſoris, & quoad locum vt Romani, quoad Domum vt Eccleſiæ vniverſæ, & quoad Domum vt Tyberinæ, ex ſuppoſitione etiam, quod expedibilis eſſet mutatio.

124 His ita; cum doctrinarum vrgeret neceſſitas, latius expoſitis, venimus nunc ad principalis argumenti, duodecimo loco poſiti reſponſionem. Dicimus ergo ad maiorem, non eſſe veram maiorem vndequaque, modo quo ſupra expoſuimus; non enim requiritur ad Innocentij veritatem in Pontificatu æquè eſſe de fide Romanam circunſtantiam quoad proprietatem, ſat eſt ad rem, æquè eſſe de fide quoad factum, vt expoſuimus. Deinde ad minorem dicimus, quod prout ad factum attinet, habet Epiſcopus Romanus iure divino eſſe Petri Succeſſor vſque adhuc, eum vſque adhuc, qui Romanus Epiſcopus foret ab Eccleſia vniverſa acceptatus, & iure divino ſit, hanc non poſſe falli. Quoad autem debere eſſe de iure divino, quæ eſt altera pars minoris, dico non æquè eſſe de fide, ac eſt Petri ſucceſio, prout expoſuimus, temere tamen diceretur contrarium, prout in reſolutione 2. manet dictum. Quod autem æquè vtrumque intra fidem non ſit, nil facit vt quicunque vſque adhuc dum Romani Epiſcopi, intra fidem credamus, prout iam expoſuimus. Quæ omnia, dum ſyncero veritatis fervore dilucidare intendi, ſic reſolvi, quia in contrarium definitionem fidei non inveni, necnon celebres Doctores non inveniſſe, notavi dicere; verumtamen dum amica literaria veritas, cum mihi ſemper magis amica fides, ſiquis ſciat aliquam ex reſolutionibus meis alicui definitioni nedum clarè, quin etiam minus probabiliter contrariam, ſciat, vt ſcit cui credo, me eam penitus abolere, & eradicare pro viribus fidei Catholicæ & Romanæ, velle, nunc & vſque ad vitæ finem.

ART. II.

De infallibili veracitate Romani Antiſtitis.

125 PLurima iam relinquimus in huiuſcemodi ſcopi quæſitis, quibus ſumma Summi Antiſtitis veracitas ſatis propugnata videtur. Verum enim verò, licet in præcedentibus quæſtionibus, loquentibus de infallibili Eccleſiæ labio, magis principaliter capi deberet nos locutos de capite, cum labium magis propriè videatur capitis, quam cæterarum partium corporis, tamen eum in præfatis quæſtionibus locuti fuiſſemus de capite, vt inſimul cum tota Eccleſia compacto, & nunc iam prout ſuperius in titulo principali notavimus, intendamus loqui de capite ſecundum ſe, & vt ad cæterum comparato, inde præſens quæſitum inſtituimus de veracitate Pontificis ſecundum ſe, & vt à Concilijs præciſo, vt ſciamus an etiam ſic ſit infallibiliter verax, ſicque prꝗſtabiliamus quꝗſitum, veluti proximians ſubſequendum, vtpote omnium inter Catholicos Doctores in præſentiarum importantiſſimum aſſumptum.

126 Et ante reſolutionem, vnicum pro nunc invenio notandum iuxta iam latius dicta, videlicet hinc non loqui de Romano Pontifice, vt de privata perſona, & de Doctore particulari, prout communis eſt hæc Catholicorum diſtinctio, ſed de Pontifice prout eſt, & loquitur, vt caput Eccleſiæ, & ovium in fide vniverſalis Paſtor, Petrique Succeſſor, quo pacto ſigna talis ex Cano *lib. 5. cap. 5. & lib. 6. cap. vlt.* obſervavit Velaſcus *dp. 16. q. 6.* videlicet, tunc notari vt Romanum, & Eccleſiæ caput loqui, dum in rebus fidei, & Religionis indicit damnaſſe errores de novo exortos, vel dum nomine Anathematis vetitur, vel dum de fide credendum aliquid declararet; vel ſemper & quando (addo ego) in his, quæ Religionis ſic alloqueretur ad Eccleſiæ vniverſos fideles, quod iſti poſſent prudenter intelligere, ex tenore verborum, ipſum loqui vt Petri Succeſſorem, & Chriſti Domini Vicarium.

127 Reſolvendum firmiter, & pro Catholicorum viribus, Summum Romæ Antiſtitem etiam ſecundum ſe fore infallibiliter veracem. Hæc eſt, & debet eſſe communis inter Catholicos Auctores, quos non refero cum innumeri tradantur à fere omnibus Dogmaticis huiuſcemodi controverſiam exagitantibus. Excipe illos, qui tenent Concilium fore ſupra Papam; hi enim, vt inquit Macedo *Schol. 6. cap. 4.* conſequenter dicere debent Judicē Controverſiarum eſſe Papam cum Coucilio; ſecus autem ſolitarie etiam, prout ſic defenſarunt Nilus, Gerſon, Almainus, Alphonſus de Caſtro, Adrianus, qui deinceps Papa, eo nomine Sextus, *in 4. Sentent. in materia de Sacram. Confirmat. Art.*3. quos referunt Noſtri Velaſco, & Macedo vbi ſupra, inſimulque cum eis plures Sorboniſtas noſtræ opinionis contrarios teſtantur, notantes necnon, maximè Macedo; quod dum eis

oppōnantur tam Pontificum, quam Conciliorum deciſiones, eas interpretare intendant de Papa vt Concilio vnito, ſecus autem ſecundum ſe capto, qua propter ſub noſtræ reſolutionis captu præfati Auctores noſtri adducunt plures alios Pontificum textus, factaſque verſiones, vt ſic etiam Papam ſecundum ſe infallibilem manifeſtent, pro quo vide Macedum in *Teſſera Pontificia.* Ego autem pro nunc rationibus eo.

128 Prima, quia ex eo Eccleſia in his quæ in fide audit non poteſt errare, ſeu falli, quia ſunt oves Dei, quæ dumtaxat vocem eius audiunt; ſed Papa extra Concilium etiam eſt Dei vt Papa, cum ſit Chriſti Vicarius, aliàs nunc abſque Petri Succeſſore eſſemus; igitur quo pacto de ovibus credatur, quia Dei oves. non poſſe falli in his quæ audiunt, nec poſſe fallere Vicarium quia Chriſti dum vt talem loqui audiatur, æquè credendum. Comprobatur, quia ex eo nunc Grex vniverſus non poteſt falli, quia Grex Gregi ſuccedit, ſicque oves ovibus, ſicuti Eccleſiæ primitivæ noſtra Eccleſia, continue ex fidelibus à ſæculo & vſque in ſæculum mire conſervata; ſed Innocentius prout nunc adeſt extra Concilium Pontifex, non minus eſt Paſtor Paſtori ſuccedens, & Chriſti Vicarius Vicario Chriſti; igitur in his, quæ vt talis loquatur, non minus debet intra divinam providentiam capi, ne fallatur.

129 Secunda (præcavetur evaſio) quia ſi Innocentius, vt Pontifex (noto in hac controverſia principaliſſimè alloqui cum Catholicis, prout enim ad hæreticos attinet, iam propugnatos relinquo Articulos) ſecundum ſe, id eſt, ſecundum conceptum dignitatis Pontificiæ, in his quæ definiret, & damnaret non foret infallibilis, manerent nociva inconvenientia, quæ maximè toti Eccleſiæ nociva, ipſiſque Concilijs, dum ſic non ſequerentur ex ipſis Papæ infallibilitate præſtita; igitur cum in his quę ſunt ſummo venerationis ſummæ magis debeamus excedere, quam deficere, dum ob ignorantiam oporteret in alterum eorum incidere, vt de Chriſto commendando, aiebat Subtilis noſter, de Chriſtifero ſic in infallibilitatem incidere, oportebit magis. Suadetur antecedens, nam ſi vt Pontifex non foret infallibilis, dum vellet congregare Concilium, dubitari poſſet de legitimitate infallibili Concilj congregati, cum dubitari poſſet de infallibilitate ipſius congregantis, vtpote an oporteret tunc congregari? An benè ductus deſignaret congregationem? Necne an magis idoneos congregaret? Si enim de capite ſecundum ſe dubitetur dolor, aut ſanitas infallibiliter non credatur, dubitabitur de ipſo vt influente, & cętera membra dolere reputabimus, nec ſana eorum motio infallibiliter tenebitur. Si enim petrę fundamentali ſecundum ſe etiam, non præſtetur ſumma firmitas, nec ædificio vt etiam ei coniuncto pręſtabitur, vt patebit ſi loco petrę firmę ſtabiliatur petra molis, aut arena; ſed hęc, quę toti domui nociva, ſequerentur ex infirmitate Petrę Pontificię inconvenientia; ergo.

130 Dices, quod dum congregans, licet ipſe foret ſolus, at cum iam foret illud exercitium propter Concilij vtilitatem, ita vt hęc foret Papę congregantis cauſa finalis, tunc iam de eo vt congregante non poſſet dubitari error, aut inutilitas, nam cum Concilio debeat aſſiſtere Deus, debet etiam inferri quod aſſiſtat medio, & principio ipſum inchoantibus, volens enim finem, non poteſt non velle quę propter ipſum fiunt, ſicque moraliter iam in omnibus illis pręactionibus cum Concilio reputandus.

131 Contra, & ni fallor efficaciter. Quia dum Innocentius vt Pontifex, & ex Cathedra docens, aliquid definiret, revera illa doctrina, & definitio vniverſę Catholicorum Eccleſię proponeretur, non enim ſibi ea doceret, & dumtaxat ſibi definiret, nec pręciperet ea ſolum audienda à ſervis & domeſticis ſuis, ſed vniverſis Eccleſię fidelibus, ita vt horum vtilitas foret cauſa finalis; igitur eum Eccleſię, ſeu fidelibus in vnitate fidei eam conſtruentibus etiam divina aſſiſtentia promiſſa ſit, & promiſſa credetur illi medio, ſeu principio, vtpote ad Eccleſię vtilitatem, & eruditionem ordinato, vt ob idem ſupra reſpondebatur, ac proinde ſic, quod moraliter cum Eccleſię infallibilitate reputandus, ſemper & quando in ſede Petri, & vt Pontifex nobis alloquatur. Dum enim de Pontifice ſecundum ſe reſolvimus, non intelligimus quod ſic ſolus alloquatur, quod domi cubans, aut per viridaria recreans, & delitijs afluens alloquatur.

132 Contra 2. ex illa petræ firmitate ſecundum ſe; licet enim petra eligatur vt ad ędificium concernens, at id non obſtat, vt petra firma, & ſolida quæratur, ita vt quo fortius, & elegantius intendatur ædificium, eo & non minus fortis inquiratur petra ſecundum ſe, ac proinde eſſe moraliter circa ædificium dum è ſaxo ſcinditur, non impedit quod ſecundum ſe ſcindatur fortis, & è linea ſaxorum indefectibilium in monte Sancto eius, ita vt nedum reſiſtat ferro collocata in ædificio, & cuivis temporum nocumento, quin

quin etiam ſecundum ſe tam domi inhærens, quam extra; non enim vir ſapiens fundabit domum ſuam niſi ſupra firmam petram, non enim ſuper infirmam, nam licet ſciret copulatam magis duraturam, at non ſemper duraturam, *Rami enim inutiles, ſi radix infirma*; nec enim truncus malus, tametſi cæteris arboris membris coadunatus faciet fructus bonos, & è converſo; ergo &c, vt ſupra.

133 Nec hinc omitere volo, quæ, vt *noverit univerſa Eccleſia illa* fuit Sanctus Rex David, qui vt contra Eccleſiæ inimicum pugnaret, & blaſphemiã damnaret, tametſi quinque lapides eligeret, vnumquemque tamen ſecundum ſe limpidiſſimum, nec quinque vicit, & definivit victoriam, ſed primo; & licet eo in funda, at fundę copulatio non impedivit, quod etiam firmus fuiſſet lapis ſecundum ſe, cum iam talis erat extra fundam in ipſo torrente Cedrorum. Igitur à ſimili applica de eo qui in torrente huius viatoris Eccleſiæ exaltavit caput, ita vt licet alijs miſſus in peram paſtoralem fortis, at æquè extra illam fortis, necnon extra fundam, vt in torrente Cedrorum Eccleſię creatus, ita vt etiam dum propria manu in Goliath mitteret lapidem, vim à Deo reciperet, non minus ac in funda, eſto vt dixit, non in nomine perſonali David, ſed in nomine Domini agminum Iſraël certamen pronuntiaret.

134 Tertia (hac ratione valet tertio etiam inſtari in ſolutionem, cum Concilium ſit ſub Papa, vt finis ſub fine, cum ſi Concilium ſit poſt Papam vt congregantem, etiam Papa ſit poſt Concilium, vt approbans) quia dum Papa approbat, infallibiliter approbat; ſed dum approbat, ſecundum ſe approbat; ergo ſecundum ſe infallibilitatem ſuam probat. Dices, quod finito Concilio, iam ſunt infallibilia, quæ fuerunt deciſa, ſicque approbans eſt infallibilis, quia approbanda iofallibilia ſupponuntur. Contra, quia licet in ſe forent infallibilia, tamen ſi Papa ſuſpenderet approbationẽ, quoad vniverſæ Eccleſiæ forum non forent infallibilia, vt non fuerunt, quouſque Papa approbavit; igitur quoad nos, & Eccleſiæ forum, non erit approbatio Papæ infallibilis propter iofallibilitatem Concilij, ſed è converſo huius infallibilitas propter infallibilitatẽ Papę. Comprobatur, quia licet Scripturę ab Eccleſia canonizatæ in ſe infallibiles ſupponerentur eſſe, aliter non forent canonizatæ, tamen quoad forum noſtrum, non primo, quia ipſę infallibiles, infallibilis Eccleſia; ſed quia primo infallibilis Eccleſia ſecundum ſe quoad nos, & infallibiles quoad nos Scripturæ; ergo à ſimili de Papa ſecundum ſe, dum quoad nos approbante Concilium, etiamſi quoad ſe à Deo inſpiratum, quoad nos deinceps credatur.

135 Dices, ita videri, at tunc Papam non fore extra Concilium; dum enim approbans, ad illud vertitur, & ea, quę Concilij concernit. Contra, nam licet Papa completo Concilio, quoad ea quæ ſunt congregatorum, dum deinceps approbans concernat Concilium, id non impedit, quod ſecundum ſe, & independenter ab eo non habeat infallibilitatem, ita vt tunc Concilium tantum habeatur pure terminative, eo pacto quo Deus conſervans aliquid, ſeu cognoſcens, licet concernere debeat, at cum ſolum terminativè habeatur, nil obſtat, vt Deus ſecundum ſe, & prorſus independenter a quibuslibet creatis ſit, & dicatur; ergo à ſimili. Rurſus, & ad intentum proprius, quia ſi concernere Concilium terminativè, reputetur non fore Papam extra illud, ſicque Papæ iam non præſtare infallibilitatem ſecundum ſe, dum omne huiuſmodi quæſitum non ceſſet, noſtrum hinc indefectibilem veritatem tenere debet. Expono intentum, quia dum Papa extra Concilium definiret, nunquam tamen definiret vt extra Catholicam Eccleſiam, aliter nedum vt Petri Succeſſor, verum nec vt intra Eccleſiæ vnitatẽ teneretur: necnon Papa dum definiens nunquam poſſet non concernere vniverſalem Eccleſiam, vt patet ex Succeſſoris munere, & ex ipſo definientis, & docentis ſcopo; igitur ſi ly *ſecundum ſe*, oil vniverſalitatis Catholicæ concernere requirat, omnino vel aboletur quæſtio, (revera ſic abolere quæſtionem, nobis plus favet quam nocet) vel quo pacto cũcernere Eccleſiã, non impedit quod ſecũdum ſe infallibilitet, nec cõcernere Concilium, impediet, quod ſecundum ſe infallibilitet: Necnon (oportet hæc illatio hinc) quo pacto concernens Concilium quod infallibile, infallibilis debet eſſe vt approbans, concernens Eccleſiam, quæ infallibilis, infallibilis debebit eſſe vt ſecundum ſe definiens.

136 Quarta, & mihi principaliſſima, quia Altiſſimus nedum nobis plantavit Eccleſiam, vt ſub Concilijs dirigendam, & ſub eis paſcendam à Pontifice, aliàs pro maximo tempore Eccleſia ex Antiſtite ſuo provideretur otioſa; per omne enim tempus ſtabilivit Eccleſiam capiti ſuo conformem, ac proinde ſic caput ſicuti corpus, ſic Paſtorem ſicuti oves, ſic Magiſtrum ſicuti Aulã, & ſic Sponſum ſicuti Sponſam; igitur etiam ſi aliquando extiterit vtile Concilia tenere, at dum neceſſitas vrgeret, etiam oportebit abſque eo lupos non parcentes gregi poſſe Paſtorem infallibi-

fallibiliter mactare, rabioſam inſaniam diſtinguere, bonas oves alere, nonnullas cęleſti caractere rubricatas definire; prout ſic fuerunt plures maximi Pontifices, necnon Petrus ipſe. Nec aliter Chriſtus reliquiſſet caput niſi nomine tenus, re enim vera non reliquiſſet niſi corpus, & pro eius infallibili regimine aliud corpus, vtpote Concilium. Etdum caput ſecundum ſe relinqueret, foret dumtaxat ad levia, & parui momenti, quod indeceret, & contradiceret, cum maiorem diſcretionem, & potentiam præſtitiſſet ſponſæ, quam ſponſo, & corpori quam capiti, ſicque Aulæ quam Magiſtro. Itaque mihi ſemper principaliſſimè fuit viſum, quod dum pro omni tempore Deus providere voluit Domum, pro eodem voluiſſet providere Dominum, & vniverſorum Domi Rectorem, qui ſecundum ſe infallibiliter cuncta Domus ſciret, diſponere, & diſpenſare valeret, necnon cum domeſticis ſuis per ſe in cunctis alloqui poſſet, ac proinde quo pacto Domus conſtructa eſt ex rebus fidei, Religionis, morum &c, vt illac iuxta Paulum è vaſis aureis, argenteis, & fictibilibus, ſic & Dominus, prout à Domino Dominorum ſtabilitus, valeat miniſtrare.

137 Quinta, & mihi congruentiſſima ex inſtitutione Religionum, cum harum materia equidem ſublimis, & maximæ Religionis pro vniverſis Eccleſiæ fidelibus ſit, ita vt earum ſublimior perfectio circa fidei, ſpei, & charitatis augmentum ſolum ab hæreticis negari valeat; ſed harum inſtitutio à Papa ſecundum ſe firmata, & ſolidita fuit, ita vt ipſe Romanus Antiſtes ſecundum ſe talem fore divinam voluntatem manifeſtaret, vt fecit circa Regulam Sancti Franciſci; igitur, quia valet circa cætera ſecundum ſe infallibilitatem præſtare, qui intra maiorem perfectionem infallibilem viam ſtatuere; nec aliter his, quam caſu temerario poterit aliquis contra ire. Rurſus, vt ſic decerneret, prævenerat Chriſtus Innocentio Tertio per cæleſte ſomnium ſic manifeſtans cum individuis pauperrimi habitus circunſtantijs Seraphicum Franciſcum Eccleſiam humeris ſuſtinere, vt dum primo videret eum, diceret: *Vere hic eſt ille, qui opere, ac doctrina Chriſti ſuſtentavit Eccleſiam*; igitur cui ſic ſecundum ſe cum mirabilium ſtupore loquebatur Chriſtus, & Religionis ſuæ infallibilem perfectionem confidere valuit, vt reſolveret, etiam in cæteris quibuslibet rebus habilem habuiſſe confidentiam decernendum. Nec hinc ommitenda indulgentia Portiunculæ, circa quam, licet Cardinales qui aderant adverſarentur, nonque eis deficerent negationi rationes, *tandem intelligens Pontifex divinam voluntatem*, conceſſit eam liberam Beato Franciſco; igitur vt in maximis per Pontificem, divinum intellectum in docendo, ſicuti & voluntatem divinam in diſtribuendo intelligere debeamus, ſufficit ſcire ipſum Chriſti Vicarium, & Spiritus Sancti fore organum circa maiorem, & meliorem Religionis, & Eccleſiæ portionem.

138 Sexta, quia, prout in præcedentibus reſolvimus, cuncti Catholici contra hæreticorum inſaniam tenemus vinculum pro communi vnitate fidelium requiſitum, fore fidem inter ſe, & cum capite, ita vt vſque ad conſummationem ſęculi debeat ſiſtere ſicuti inter membra, horum cum capite vnitas: Unde firmam formo rationem: Ut enim corpus Eccleſiæ integrum, & perfectè compactum ſiſtat ſemper, nedum requiritur quævis vnitas cum Innocentio v. g. non enim cum eo ſufficit vnitas vt præciſe cum membro, nam ſic, cum quovis individuo ſine quo integrum corpus Eccleſiæ ſubſiſtere poſſet, habet vnitatem, requirit ergo quod omnia membra habeant vnitatem cum eo, vt cum membro capitali reduplicativè; igitur ſic, quod vſque ad conſummationem ſęculi, dum ſit infallibile corpus in fide vnitum, etiam membrum capitale, dum capitale perſeveret, debeat eſſe infallibile vt caput, aliter infallibilis hæc Catholicorum cónſonantia non ſubſiſteret; igitur quo pacto non poſſunt dari membra, quæ etiam extra Concilium, non ſint vnita ſecundum ſe per auditum fidei, nec poſt erit dari caput, quod non ſit ſecundum ſe vnitum per habilem fidei loquelam. Exponitur, & confirmatur, quia independenter à Concilio eſt ſemper illa vnitas membrorum vt cum capite; ſed vt cum capite non foret, ſi etiam independenter, vt capitis non poſſet infallibiliter cognoſci, & manifeſtari, vtpote probando habere mentem, os, & verba in ore ſuo, hæcque omnia ſic infallibilia, ſicuti capitis vnitas ob quam præſtabantur; igitur vel vt caput non erit vnitum abſque Concilio, & ſecundum ſe, vel vt caput ſecundum ſe iuxta corporis infallibilem compagem poterit exerceri, & dum oporteat manifeſtari.

139 Septima ex aliquibus ſcripturæ locis, quę breviter innuam. Primus, dum ſoli Petro fuit dictum, *Duc in altum*, licet enim Concollegę deinceps adiuvarent, ipſe tamen ſolus Chriſti voluntatem in altitudine fidei penetravit, & rete ſparſit independenter à cęteris. Secundus, dum Angelus circa fidem ſtabilien-

ſtabiliendam Reſurrectionis ait: *Dicite diſcipulis, & Petro*, quia ſic Petrus ſecundum ſe poterat ſtabilire quæ Myſterij, veluti ſi extra, vel vltra diſcipulos foret. Tertius, dum in his, quæ æternæ vitæ erant, non conſulens cæteros Petrus, reſolutoriè dixit: Domine, ad quem ibimus, verba vitæ ęternę habes. Quartus, cum dormientibus diſcipulis, etiam ſi Dominus coniunctos reprehendiſſet, Petrum autem etiam ſi cum alijs dormiret, ſecundum ſe monuit vt vigilaret. Quintus, cum Petrus per ſe, dum primam Pontificatus vocem audivit in Cæſarea, abſque aliorum conſilio, Chriſti Divinitatem infallibiliter alijs credēdam declaravit. Sextus, cum pro Gentium receptione, ſoli Petro fuit in primis divina diſpenſatio revelata, eique intimatum, vt ſurgeret, dum ei dictum: *Surge Petre, occide, & manduca*. Septimus, dum pro honore totius Eccleſiæ, ebrietatis dedecore maculatæ, non Collegium Apoſtolicum, ſed Petrus ſecundum ſe occurrit ſignis & virtutibus, perfidiam, & falſitatem detudens, & Ioëlis textus aperiens. Octavus, dum etiam pro ipſo ſecundum ſe, ad fidei res oravit Chriſtus, vt teneret indefectibilitatem; ſi enim ſolum foret infallibilis intra Concilium, ſeu vt pars vnita Concilio, nil pro ſe ſingulare ex Chriſti oratione haberet, nam vſque ad ſæculi conſummationem cum Concilio manendū iam promiſſit. Nonus, dum ei cęteros confirmare pręſtitit; ſi enim quia in Concilio, vel quia Concilij etiam ipſe, & non aliter, ſit Concilium confirmaret Concilium. Nec inde intendo Papam ſeparare; ſed eum ſe habere reſpectu Concilij ſicuti Magiſter reſpectu doctrinæ, qui intra aulam, & extra aulam valet eam exhibere. Decimus ex via contrariorum ventorum in mari hoc magno, dum ex vna parte ire poſſet ſecura tota navis cum Apoſtolis, & ex alia ſolus Petrus vſque ad Chriſti dexteram; iactabatur tota navis, & vento contrario non ſine timore ſecundum ſe iactabatur Petrus, at non aliter Petrum extra navim, ac intra eam protegit, & quin ſubmergeretur, ire voluit. Potuerunt aquæ pervenire vſque ad Petri labium, ſed excluſivè, cum ſemper valuit ad Chriſtum ore pleno clamare, & voce ſua Domini potentem, indefectibilem manum movere. Undecimus, dum contra Chriſti, & Eccleſiæ inimicos, cuncti aderant, & tamen ſolus Petrus erexit gladium. Duodecimus, & profecto mirabilis, quod omnes Chriſti diſcipuli fugerēt, & dum cordis duritiam exprobaret, at vltra communitatem, ſolum Petri voluit deinceps examinare amorem. Nunquam enim voluit à toto Collegio audire, an eum amaret, ſed à ſolo Petro, dum non minus totum Collegium, ac Petrus in Chriſti morte deficeret.

140 Ex quo vltimo loco venit etiam notandum, quod Chriſtus Dominus dixerit Petro, quod paſceret oves, & paſceret agnos, idque non in vacuum à divino Magiſtro dictum, infallibiliter tenendum eſt, cum Chriſti omnia plena forent myſterijs, vt paſſim docent Sancti Patres; ſed dum, nec doctas fabulas, nec in factis magni Dei ſubtiles ſpeculationes ſecuti, debemus intelligere, quod quo pacto infallibilis eſt Paſtor circa agnos, ac circa oves, infallibilis ſit etiam circa eos qui extra Concilium ſunt agni, vtpote filij, ac circa eos qui intra Concilium ſunt Patres, vtpote maternæ oves; ibi doctrinas fidei, vt fidelium lac, & Catholicorum pabulum præparantes, & in pectoribus magiſtralibus diſponentes, & creantes; igitur nedum Pontifex infallibilis reputandus intra, ſed extra Conciliorum caulas; & aulas. Nec eſt huic ſimile, ſi ſyncero animo ſacros textus intueamur. Etenim cum Pontifex Concilium congregat, tunc non teneros, & improvidos agnos convocat, vtpote fideles inſcios, & iuveniles, ſed oves fętas; & habentes vbera ad diem in qua alloquendæ ſunt, vtpote fideles in conſilio maturos; & in doctrina provectos, prout vſque adhuc in Concilijs compertum eſt. Non autem ſemper Pontificem ſic loqui fidelibus oportet, cum etiam extra Concilium nunc ſit v. g. Eccleſia, quæ cum compacta ex maiori parte ſit ex omnium fidelium vniverſitate, eoſque alere oporteat, etiamque vt verus Paſtor ducere per viam ſalutarem; cumque iſti ſimus agni iam novelli, iam inſipientes; & inſipientibus etiam debitor ſit, eiſque necne ſapientia locuta, inde tot agnos; quot vniverſos Eccleſiæ fideles ſub Paſtoris infallibili doctrina, & incorruptibili pabulo; etiam extra Concilij Patres, ſolidius percipimus; dum ſapientius deſideramus.

141 Octava ratio non minus ſolide conſtrui poteſt ex maximis principijs, quibus vſi fuere Catholici Doctores tam noſtri; quam exteri; Primo, quia ſupremo Antiſtite præciſo, vt noſter Macedo narrat, etiam vniverſalia Concilia errarunt, dum nullus Pontifex erravit vnquam ex Cathedra definiendo, prout cum pluribus alijs in propria controverſia probat & comprobat ipſe Macedo; ibi adducens ſententiam Leonis IX. Epiſt. ad Petrum, vbi ait: *Hactenus fides Petri non deficit, nec deficiet, nec defectura creditur in throno illius vſque in ſæculum ſæculi.*

Unde

Unde ſic formo rationem ; fides Petri non creditur defectura, prout in throno illius; ſed thronus Petri nedum eſt in Concilio, ſed & extra, aliter nunc Papa, aut Eccleſia ſedem Petri non haberet ; ergo. Tum cum conſtet Romanum Pontificem ſemper direxiſſe Concilia, quorum innumera adducit cum alijs Macedo, qui inter alia, adducit adverſus eos, qui Papæ anteponunt Concilium, illud S. Petri Ravennatis, S, *Quoniam B. Petrus, qui in propria ſede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Sed nedum vivit in Concilio, ſed extra, cum non moriatur niſi vbi vixit ; ergo. Tum illud Gregorij VII. in Decretis in Synodo Romana cap. 3. nimis vrget, dum probat, ſub poſſibili comparationis claſſe, maiori reverentia, & obſervantia digna eſſe decreta Romanorum Pontificum, quam illa quatuor prima, & Oecumenica Concilia, quæ ſanctus Gregorius, veluti quatuor Evangelia colebat. *Decreta*, inquit, *Sanctiſſimorum Romanorum Pontificum, ſi poſſemus, etiam ſtudioſius venerari, & obſervare deberemus, cum & ipſa Concilia omni firmitate carerent, ſi non Apoſtolicæ Sedis Pontifices eadem per Apoſtolicam Auctoritatem congregare, & corroborare decreviſſent.* Et revera mihi ſemper hæc Pontificia ratio ſummi roboris fuit viſa iuxta illud philoſophicum proloquium, S, *Propter quod vnumquodque eſt tale, illud magis eſt*; igitur dum ſtudioſius circa infallibilia poſſet veneratio ſecerni, non ſic Concilio, ac Petri Succeſſori præſtanda.

142 Inde enim, & philoſophicè valet irrefragabile ſumi argumentum ex principijs maximè veris, & propter quæ vera alia probantur, cum benè etiam teneant Philoſophi, quod dum ſint principia propter quæ alia ſint vera, ipſa ſublimiorem veritatem debeant in ſe ipſis habere, ita vt licet vera ſint vt alijs veritatem fundant, ex ipſis tamen, & propter ſe vera ſint independenter ab eis, aliter enim nil per ſe primum daretur, necnon nil firmiter demonſtrabile, ſi non ex ipſis, ſed alibi inconſtans ipſorum veritas reſolubilis maneret ; ergo à ſimili dum Concilium veritatem ſuam firmet & habeat per Pontificem, vti per primum principium, & *maximè verum*, Pontificium principium, nedum erit infallibiliter verum, cum ex ipſo principiati Concilij veritas ſuadetur, quin propter ſe à priori ſic erit verum, quod independenter ab illo, ex ſe ipſo, vt illae non ex alio infallibilem contineat veritatem.

143 Tandem dum quam plurimos alios Sanctiſſimos, & Sanctos Patres vnuſquiſque Auctor adducit, ſufficiat pro omnibus magnis Doctor Maximus, cum dubitans, an deberet dicere eſſe in Deo tres hypoſtaſes, Damaſum Papam conſuluit dicens (refert Lanterius *dp.* 28.) *A Paſtore præſidium ovis flagito, diſcerne ſi placet, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubebis.* Igitur & cuncti Auctores ſic definire deberemus, ſi Innocentius Undecimus definiret, ſi iam vltra Maximum Maximi non præſumamus.

SUBART. VN.

Unico in oppoſitum ſatisfit.

144 QUam plurima contrarij opponunt argumenta, ab exemplaribus Pontificum errantium formata, quorum nullam facere mentionem decrevi, cum ea viderim relata à fere omnibus Pontificiæ Auctoritatis Scholaſtici obſervatores, dum etiam exactè ſoluta tam iuxta rationum vim, quam Hiſtoriarum candorem. Videatur ex noſtris Recentioribus Franciſcus Macedo Schola 7. *cap.* 1. vbi à contrariantium maculis immunes relinquit, Petrum, Linum, Anacletum, Teleſphorum, Victorem, Zephyrinum, Cornelium, & Marcellinum: Sic *in cap.* 4. relinquit liberos Anaſtaſium, Vigilium, Gregorium Magnum, & Honorium: *in cap.* 5. Martinum primum, Gregorium 3. Nicolaum 1. Stephanum 6. Sergium 2. Joannem 6. & Sylveſtrum 2. *in cap.* 6. Gregorium 7. Alexandrum 3. Cœleſtinum 3. & Innocentium 3. *in cap.* 7. Nicolaum 4. & Joannem 22. & *in cap.* 8. Joannem 23. Benedictum 13. Eugenium 4. & Innocentium 8.

145 Nec tot miranda oppoſita, cum fidei noſtræ invincibilis fortitudo in ænigmatis agone, & certaminum labore contendat; militans inde reputatur, vt nunquam ceſſante malitiarum militia, eo magis Magiſtri bonitas, & Magiſterij veracitas in ſplendoribus fidelium victorijs irradiantes coronentur. A ſummo Cœlo egreſſio Primi Ducis, & dum exultavit vt Summus Gigas ad currendam veritatis viam, quo magis ducens, ſeductor hucvſque à perverſis commentatur, exiſtimantibus impie nedum erraſſe, ſed & errorem peiorem priore reliquiſſe. Nec enim vnquam ſervus oportuit eſſe melior Domino ſuo, ſicque nec veracior, igitur dum veritatis Magiſter inter iniquos verbo, & opere reputatus, ipſius Vicarij tunc veri diſcipuli, quando vt falſi grātis impugnentur. Si enim eum fuerunt perſecuti, & vos, Sacros quamtum-

vis

vis Pontifices perſequentur. Nec quidquam vos errorem Magiſtri gloriari debetis in eo, quod in Petri Cathedram plures ſequaces habeatis, cum non minus latum tenebrarum, ac lucis ſequatur magiſterium, ex quo plures magis quam lucem tenebras dilexerunt. Sicuti enim veritas, & ſocios ſolet habere mendacium, permittens ad exercitium luporum turmas, qui ovibus ſuis elegit Paſtores. Monerat ſic iam veſtram lupinam aulam Doctor Gentium, dum & lacrymis dixerat circa Eccleſiam Dei, quam ſanguine ſuo acquiſivit: Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, *vt adducant diſcipulos poſt ſe.*

145 In hiſce ergo iam parum immorans, tum ob nuper dicta, tum quia pluribus in locis Pontificiæ veritatis abunde reliqui fulcimenta, prout brevius poſſim, vnum, aut aliud ex principaliter opponendis addicam.

146 Opponent ergo, quod conſulere non ſit argumentum infallibilitatis; ideo enim quis conſulit Magiſtros, vt dum per reſolutionem ſuam falli poteſt, per ſapientium conſilia magis diſtans à falſo reddatur; quę enim infallibiliter conſtant, vt fiant, & reſolvantur à nemine conſulantur; ſed Pontifices vt definiant, mores decernant, errores damnent, viros Sanctos in Cœlis declarent ſæpe conſulunt; igitur quia exiſtimant quod ex Pontificali Magiſterio extra Concilium capto poſſunt falli, & in veritate deficere. Inſtant noſtræ opinionis Auctores ex Spiritus privati infallibilitate; ſi enim veſter privatus ſpiritus errare non poteſt, vel ſcriptura à veſtro ſpiritu intellecta, quid opus eſt collationibus, & Concilijs generalibus, & particularibus, dum conſtat ea pluries habita ab ipſis hæreticis, cum ſolum in non conveniendo convenirent, ac proinde tot reſultarunt ſectę, quot convenerunt Magiſtri. Rurſus ex ipſo argumento inſtatur Petrum, pro cuius indeſectibili fide oravetat Cæleſtis Magiſter, otioſe, quin etiam contradictoriè congregaſſe Concilium, cæteroſque conſulere, &c.

147 Reſpondendum ſentio, Pontificem in rebus Religionis conſulere, non eſſe ob fallibilitatem ſuam, ſed ob conditionem, & infirmitatem noſtram. Fides enim, vt noſtris commenſuranda, tametſi certiſſimæ veritatis, attendit ad infimam, fragilem, & contemplabilem conditionem noſtram, ſicque non ſemper oportet eam ſeriò inducere, & abſoluto, & inconſulto ſeveritatis rigore eam aſperrimè intimare; ſed oportet nos præparare, & dociles prævenire, cum fidei præcepta nec prudentiæ, nec pietatis, & humanæ conditionis regulis opponantur; ſicque dum ſcimus Pontificem Summum Sapientes & perfectos conſuluiſſe viros, ſuavius, habilius, & conſonantius aſſenſum exhibemus; & difficultati illi ex membris noſtris inſtar contrariæ, ſatisfacimus, ipſoque veritatis examine erigimus, & coadiubamus. Sic aiebat Paulus ad Rom. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ.*

148 Nec aliter conditionem noſtram conſiderans, eique compatiens, in vniverſis providere dignatus eſt Altiſſimus, dū in cunctis converſatus. Ut enim crederetur homo, voluit creari vt homo, converſari vt homo, invitatus comedere vt homo, pati vt homo, & ſic ſepeliri vt homo, dum horum plura potuit occultare, & fidem eorum ſicuti & inviſibilium intimare. Sic etiam, quęcunque medijs cauſis ſecundis potuit ſe ſolo producere, & tamen iuxta conditionem regularem voluit prout in plurimum cauſas ſecundas conſulere, licet aliter infallibilitas effectuum decretorum non minueretur. Sic circa ſubjectam materiam, licet immediatè poſt reſurrectionem ſuam æquali infallibilitate poſſet cuncta, quę credimus myſteria ſtabilita in fide relinquere, eaque Apoſtolis ſeriò intimare, voluit tamen conditionem humanam conſulere, conferre, & pectoris vulnus examini relinquere, & quod hinc magis ad rem eſt, credibiles res etiam *in multis argumentis* docere, & manifeſtare, ſicque & ſapientis hominis more comprobare, & ſcripturas conferre.

149 Sic etiam Doctor Gentium, rerum fidei, & ipſorum credentium conditionem penetrans, deſcripſit per *Argumentum*, & equidem dum propriſſimè vt tantus Doctor locutus. Qui enim argumento procedit, plures terminos conſulit, medium infallibile inveſtigat, principia apprehendit, & ſic mentem illuminat iuxta materiæ habilem conditionem. Et conſimiliter dum ab Eccleſia aliquid credibile proponitur, vtitur communiter ea voce *Definitionis*; qui enim definire intendit, quo infallibilius intendit eſſentiarum veritatem attingere, & auditui ſcientię proponere, eo magis conſulit quæ ſunt generis, & differentię, prius conferens quibus poſſit convenire, & quibus poſſit diſſonare, vt dum aliquid vt propriè verum approbet, aliud vt falſum reprobet, & ab illius veritatis linea ſeparet, & definitivè damnet, & excludat.

150 Nec ex dictis inferas, iam ſequi, requiri ſaltim præviam diligentiam per Concilium expediendam, vt Papa poſſit infallibiliter aliquid proponere vniverſali Eccleſię: Non enim inferas, nam vt ad id iam plures reſpondent, precedentem diligentiam ob motivum à me nuper expoſitum, ſufficienter poteſt facere Pontifex extra Concilium, dum poſſit viros probos & ſapientes conſulere, & ſic inquirere; cui tunc credere deberemus, quia prout dixi, licet conſulere, & inquirere ſit vt inſtruatur, & preambuletur conditio credentium, tamen abſolutè loquendo ſolum credimus ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti in proponente, per quem licet inſcium, veritatem tamen diceret, vt fecit per Caypham. Unde ab aliquibus Dogmaticis Theologis defenſatur, quod licet peccaret Pōtifex illum neminē conſuleret, nec quidquam inquireret, veruntamen ex divina aſſiſtentia pronuntiaret, eo pacto quo Sacerdos conſecrans per ſolius formalis conſecrationis verba, dum præambula canonis omitteret, eum tamen ex promiſſa aſſiſtentia verum Chriſti corpus ſub illis ſpeciebus apponeret. Tum, quia poſſet Papa ſolus, vtpote præclarius Spiritus S. inſtrumentum intelligere divinam voluntatem, tuncque reſolvere, vt evenit in miraculoſa indulgentia Portiuncula, & in Regulæ approbatione, dum dura videbatur pluribus.

151 Alia hinc omitto argumenta, cum viderim à pluribus exactè ſoluta, necnon quia difficilioris ſcopi manent iu præcedentibus abunde preventa, pro quibus vide quæ reliquimus in antecedenti Subart. maximè ad argumentum vndecimum. Tum in ſequenti, quæ hinc dicta, complebuntur.

ART. III.

An Papa ſit ſupra Concilium: quod videtur idem ac inquirere, an caput ſit ſupra corpus.

152 NOſtri Supremi Capitis capilli, dum iam omnes numerati ſint, eum per præcedentes Articulos de eorum tractaverimus firmitate, ac ſtabilitate perenni, nullus ſiquidem nec cadere, nec perire poteſt, imò nec in his, quæ religioſi ſplendoris colorem optimum mutare, cum comæ capitis eius ſint ſicut purpura Regis; reſtabat pro coronidè ſummam Eccleſiæ capitis cum vniverſo eiuſdem corpore comparationem expendere, vt ſic appareat, an ſtans in mèdio Populi altius ſit vniverſo Populo ab humero, & ſurſum.

153 Circa preſentem ergo, principaliſſimam equidem Controverſiam, dum non plures, electos tamen conſului videre Auctores, quorum mihi eminentiſſimus extitit Robertus Bellarminus *lib. 2. à cap. 13. vſque ad 19.* vtriuſque opinionis fundamenta, & Auctores claſicos recitans; a quo, poſt ipſum nonnullis ſcribentes, tedium ſumpſerunt invariabilem queſiti ſcopum, quin etiam ipſiſmet diſcurſuum excellentiam appropriantes, ſupreſſo alterius nomine inventoris rationem, vt ipſi eluceſcerent, obſcurare intenderunt ſilentes, vt notare poterit quicunque notabilis ſit Auctor. Cum autem ego, in nullo magis, quam in his quæ ſtudioſe mentis, & elaborantis ingenij, Cæſarem, Deumque ſtabilire reſignarem, prout moris habui à primo literarum tributo, vt cuncta ſcripta mea legenti patebit, quæ ſint alterius reddam alteri, vt ſic quæ mea ſoli Deo me velle reddere intueatur. Qua propter, in his quæ maximi ad ſolidum quæſiti, & notabilium fundamentorum ſcopum ſpectare videam, ad doctiſſimi Bellarmini relationem attendam, dum pro rationum incremento dicam, quæ, Deo dante, valeam.

154 Suppoſito igitur, huiuſce Controverſiæ radicem deſumptam fuiſſe, & auctam, ex Concilijs Piſano, Conſtantienſi, Baſileenſi, Florentino, & Lateranenſi, obſervandum eſt cum Bellarmino, vno modo ſic intelligi, vt ab vna parte ſumatur ſolus Papa verus, & indubitatus, & ab altera Concilium cui præeſt vel per ſe, vel per ſuos Legatos, id eſt, Papæ voluntati conformes, ſi namque propriam, & non Papæ voluntatem faciant, ipſius non poterunt dici. Altero modo, dum ab vna parte ſumitur ſolus Papa, & ab altera Concilium Generale, cui Papa nèc per ſe, nec per ſuos Legatos præeſt; & in hoc vltimo ſenſu exiſtimat Bellarminus ſiſtere præcipuæ controverſiæ diſputandam normam, ſicque ex huius expoſitione alterum deduci. Qui enim teneant Papam eſſe ſupra Concilium ſine ipſo celebratum, idem tenebunt parem Auctoritatem eſſe in Papa ſolo, & in Concilio cum Papa intenſivè, licet extēſivè maior ſit in Concilio, quod nil facit vt ab eo poſſit iudicari, nec quidquam ſic in eum facere, cum par in parem non habeat poteſtatē. Qui vero tenent Concilium ſine Papa eſſe ſupra Papam, tenent etiam Conciliū cū Papa eſſe ſupra Papā, & obligare

Papam,

Papam, &c. Hanc igitur fore comparationem ſequendam ſentiebat Bellarminus, cum ob eam præſens quæſtio inducta fuerit, ſiquidem quouſque occurrit inviti Papæ depoſitio per Concilium, nil huius puncti cogitatum fuit. Exiſtimo tamen ad vtramque attendendum, cum ſæpe eveniat, quod ex inquiſitione vnius moveamur, & excitemur vt principale etiam ſit examen alterius, vſque tunc ſuperſedentis.

155 Tres igitur cenſet Bellarm. fore Doctorum ſententias. Prima tenet Concilium eſſe ſupra Pontificem, quam defenſant hæretici, & nonnulli Catholici, licet diverſo metro, & fine. Defenſarunt ex Catholicis Cardinalis Cameracenſis, Gerſon, Almainus, Ocham apud Velaſcum *dp.* 15. *q.* 6. Nicolaus Cuſanus, Panormitanus, Cardinalis Florentinus, Abulenſis *in cap.* 18. *Math. q.* 108. & iam communius Doctores Sorbonici apud Noſtrum Macedum *Schol. 6. cap.* 4. Secunda eſt Canoniſtarum tenentium Papam fore ſupra Concilium, & invitum à nemine poſſe iudicari, poſſe tamen ipſum ſeſe Concilio ſubijcere, & dare illi ſupra ſe poteſtatem, quam ſi dederit, deberet obedire Concilij ſententiæ, & ſi de eiuſdem ageretur depoſitione. Ita docet Gloſſ. *in Can. Nos ſi incompetenter* 2. *q.* 7. *& in Can. in Synod. d.* 63. Tertia vero ſic abſolutè ſupra Concilium confitetur Papam, vt ſi propriè de ſententia coactiva agatur, non poſſit ei ſe ſubijcere. Ita quam plurimi graviſſimi Doctores, quos citat, & ſequitur Bellarm. *cap.* 14. necnon pro ea exiſtimans extitiſſe Doctores Irrefragabilem, Angelicum, & Seraphicum.

156 Ut igitur exactius, & directius reſoluere poſſimus præſentem controverſiam, impræſentiarum graviſſimam, vtpote tot difficilimis in materia ſublimi compactam, oportet dividere, & ſubdividere quæſita, vt eam radicitus propugnatam, & expoſitam relinquamus. In primis enim venit examinandum de Papa vero, & indubitato, ſicque pacificè electo, & ab Eccleſiæ fidelibus vniverſaliter admiſſo. Deinde venit examinandum de Papa nec ſic vero, nec indubitato, nec ab vniverſali Eccleſia recepto; non enim de ſubiectis diverſimode habitis, & propoſitis, videtur idem ſcopus in decidendis difficultatibus habendus.

(**)

SUBART. I.

Expenditur comparatio de vero, & Pontifice indubitato.

157 DUm de vero, & indubitato Eccleſiæ Pontifice venit primo applicanda comparatio, ſtatim ex altero comparationis extremo, S, ex Concilio ſubdividitur quæſitum, vt ſupra, S, reſpectu Concilij nec à Pontifice congregati, nec ipſius conſenſum pro definiendis contemplantis; necnon è converſo reſpectu Concilij Pontificis voluntatem ab initio, & in fine contemplantis, & valide ſpectantis; quarum difficultatum deciſionē per ſequentes ſectiones examinare intendimus. Verumtamen vt hæc radicitus eviſcerentur, vellem prius in ſenſu generali & veluti ad vtramque comparationem nuper factam præciſo, enervare nonnulla, quibus, tenentes Concilium fore ſupra Pontificem, ſuam fundant reſolutionem.

SECT. I.

Concilium vt ſic, non fore ſupra Pontificem Maximum, vniverſalius ſuadetur, dum præcipua contrariorum ſingularius retardantur.

158 LIcet nedum nonnulli Catholici quin etiam hæretici negent Papam fore ſupra Concilium, at, vt dixi, diverſo fine, & modo, prout cuncti Catholici RR. fateri videntur. Hæretici namque abſolutè negant Papam fore caput vniverſalis Eccleſiæ, ſed tantum Epiſcopum ſpecialis Diœceſis. Catholici vero licet hinc contrarij, tenent Papam fore caput & habere iuriſdictionem ſupra ſingulos fideles, & Eccleſias, non tamen ſupra congregationem omnium inſimul, & ſic Eccleſiæ in Concilio Generali congregatæ. Tunc enim (vt recitat Bellarminus) Eccleſia accipit quaſi formam quamdam corporis, & tota poteſtas, quæ erat ſparſa in varijs membris ibi vnitur: itaque comparate Papam cum cæteris fidelibus ſeorſim

ſumptis, erit comparare membrum nobiliſſimum cum minus nobili; at comparare Papam cum Concilio erit comparare partem cum ſuo toto, ac proinde minus cum maiori.

159 Rurſus, ne inde inferatur, Concilium ſine Papa non eſſe totum perfectum, & corpus ſine capite, addunt aliud fundamentum, ſcilicet, ſupremam Eccleſiæ poteſtatem eſſe tam in Concilio, quam in Papa, at in Concilio principalius, immediatius, & immobilius, Tum quia Chriſtus immediatè omnimem poteſtatem ligandi, & ſolvendi tribuit Eccleſię; Tum quia Eccleſia ſemper durat, ac proinde immobiliter potens; Tum, quia licet ſemper congregata non duret, & tunc eum per ſe non poſſit exercere hanc poteſtatem, inſtituerit Chriſtus Pontificem, at tunc vt inſtrumentum generale ad omnes Eccleſias, ſicque nomine Eccleſiæ potens, vt inſtrumentum in virtute & nomine alterius, ac proinde principalius, immobilius, & immediatius in Eccleſia.

160 Ulterius alij, licet pręfatam poteſtatem ſubiectivè, & formaliter in ſolo Pontifice ponant, inde tamen Eccleſiæ principalitatem non negant, cum talem poteſtatem ſtatuant in Eccleſia, vt in fine, cum ſit propter Eccleſiam; necnon in ea, vt in regulante, cum Eccleſiæ ſit regulare Papam, cum ipſa non poſſit errare; & etiam eſt in ea, vt in ſupplente, cum, deficiente Papa, Eccleſia eius officium ſuppleat. Alij vero etiam ſubiectivè principaliter volunt eſſe in Eccleſia, & inſtrumentaliter in Pontifice; conveniunt tamen in eo, quod in Eccleſia ſit immediate talis poteſtas, ſicque mortuo Papa, depoſito, vel nolente adeſſe Concilio, inde non eſſe Concilium corpus imperfectum, & habere poteſtatem Papalem definiendi, &c. ac proinde inferunt poſſe Papam iudicare, punire &c. ſicque ſupra ipſum fore, ac per conſequens, idem eſſe inquirere, an Papa ſit maior Concilio, ac an pars ſit toto maior. Volunt tandem ſic fore Papam in Eccleſia, vt eſt Dux Venetiarum in ea Republica, & Prælatus Generalis in Religione, quorum iſte eſt ſupra ſingulos religioſos, ſecus ſupra Congregationem Generalem; ſicuti & ille Dux ſupra ſingulos Senatores, & civitates, ſecus autem ſupra totum vnitum Senatum.

(**)

SUBSECT. I.

Pontificem Maximum non fore caput totius vnitæ Eccleſiæ, retardatur.

161 HOc eſt vnum ex principaliſſimis fundamentis in capite libri huius contra Summum Romæ Antiſtitem à contrarijs ſcriptum, contra quod ſtatim fortioris Petrę fundamentum opponemus, vt enervare, & retardare poſſimus. Vide dicta infra *in Subſect.* 3. vbi retardatur ex regula, in fine puncti.

162 Arguo 1. ex illo Pauli ad Epheſ. c. 5. vbi Eccleſiam ſub vxoris ſtructura deſignat, cum dum ait, *Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Eccleſiæ*: & ibidem, *Sicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus*: & rurſus ibi, *Sacramentum hoc magnum eſt, Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*; Nunc ſic, Chriſtus Dominus poſt mortem ſuam reliquit Eccleſiæ caput, & viri faciens vicem, vt conſtat ex tot Petrò dictis; ſed qui vir, nedū eſt talis reſpectu vnius, aut alterius partis doris, & reſpectu vnius aut alterius in pulchritudine partialis ſinetriæ, aut reſpectu ſingulatum diſperſarum, ſed vnitarum, prout in *carne vna* ſic expreſſit Apoſtolus; nec eſt caput in vno aut altero opere, ſed *in omnibus*, vt ipſe Apoſtolus applicat viri exemplar ex Eccleſia; igitur qui loco Chriſti poſitus ſit vir, & quoad nos viſibiliter ſubſtituens, vt ſatis indicit Vicarij nomen, nedum talis erit Eccleſiæ in parribus diſperſæ, in vno aut altero opere, ſed in omnibus, & prout ex omnibus fidelibus membris ſuis vnitæ, prout etiam ſicuti illac in carne vna, in *vna fide* congregatæ.

163 Dices ex Paulo ſolum inferri Chriſtum D. fuiſſe virum, necnon ſemper eſſe, ac proinde, quo pacto vni corpori duo capita, ſic & vni vxori duo viri contradicunt; quapropter dicendum, Chriſtum dumtaxat reliquiſſe aliquem, non in virum, nec in caput, ſed in cuſtodem, & curam, quo pacto qui abijt in regionem longinquam, dum reliquit amicum, non vt revera pręcipiat vxori, eiuſque poteſtatem habeat, &c. Hæc ſolutio dum eſſet iuxta pravam intentionem facta, exactè maneret enervata ex *quaſt.* 2. *Art.* 1. vbi contra hæreticam pravitatem propugnatur, quod Eccleſia quæ vera ſit quæ à capite vna; & *in Art.* 2. vbi propugnatur, quod Eccleſia

quæ

quæ à capite vna, debet eſſe quæ à capite viſibilis, &c. vbi quam plurima manent in fulcimentum totius huius Controverſiæ.

164 Contra necne; dum præfata ſolutio formetur ex intentione ſana, & Catholica. Contra enim, quia apud Catholicos, viri, & capitis dualitas non contradicit, cum viſibile vnicum, & inviſibile aliud, dum etiam viſibile inviſibili ſubordinatum; igitur vni viſibili obedire, in quo ſciret fore inviſibilis ſubſtitutam voluntatem, nec foret contra ſponſæ fidem, nec contra deſponſationis vnitatem. Tum, ſic Chriſtus D. vt vir inſpexit Eccleſiam vt vxorem, ac vt fundans inſpexit eam, vt Domum, & vt Paſtor eam, vt ovile; ſed licet eius foret fundamentum, non contradixit aliud relinquere, ita vt fore petram, & lapidem angularem non contradiceret Petrum in totius Petram ſtabilire, & licet foret Paſtor, viſibilem relinquere vnius ovilis Paſtorem; ergo & licet foret vir & caput non contradiceret relinquere eiuſdem caput, & virum. Tum, nedum reliquit curam de ovibus, ſed & de agnis; ſed agni cum ovibus maternitatem penes omnia dicunt, & exigunt, (præterquam quod etiam dicunt non fore diſperſos penes Paſtorem; aliter perirent) igitur & viri conſortium, quæ & ſic; *Mater Eccleſia* dicitur.

165 Contra necnō; quia etiam dum Chriſti Vicarius non ſiſteret vt vir, ſed vt amicus, inde tamen viri poteſtas & dominium ab eo non excluderentur, ita vt vxor Chriſti, illi teneretur obedire. Patet, quia ſi aliquis dum abiret in regionem longinquam, alteri relinqueret claves domus, vt poſſet ianuam claudere, & aperire, revera neque intrare, neque exire poſſet vxor niſi pro voluntate amici claves in manu ſua habenti; ſed dum Chriſtus abijt, non minus Petro reliquit curam de vxore, ac conſtituit totius domus clavicularium; ergo. Dum enim curam de vxore relinqueret, non vt accuſaret de crimine, ſed vt eam dirigeret, neceſſaria miniſtraret, in abſentia ſolatium præberet, in tribulatione patrocinium, & vt amicus, qui alter ipſe quæ facienda pro domus ſtabilitate reſolveret; igitur à ſimili cum de nemine, quam de Chriſti Vicario, alter Chriſtus dici poſſit &c., ſic. *Uxorem enim Agni*, dum Paſtori commendanda, cui potiori iure niſi Summo, & Maximo Paſtori? Et dum ea hinc militans ſupra Paſtorem foret, non huic commendaret vt dirigeret ſub titulo capitis, ſed vt ſerviret, ſicque proprius ſub titulo pedis, aut manus. Et quia ſcio, apud ſyncer æ expoſitionis parum amatores, præclarioris textus lucem facile obumbrari, ideo ad alia media convertat.

166 Arguam 2. Eccleſia nunc, militans eſt, ac proinde vt caſtrorum acies benè ordinata; ſed caſtrorum benè ordinata acies, nedum habet Ducem, qui vnicus ſit ſupra ſingulos milites ſecundum ſe acceptos, quin etiam in eodem campo militiæ coniunctos, & recto ordine continuos, cum poſſit ſupremus Dux nedum hunc militem, aut Ducem, hoc aut illud monere agmen, ſed ad imperium, & directionem ſuam omnem ad vnum tubarum ictum movere exercitum, &c; ergo pariter in militia fidei noſtræ oportebit vnus ſupremus Dux, qui talis habeatur reſpectu omnium fidelium ſub vno Crucis vexillo militantium.

167 Arguam 3. à paritate vexilli, quod vnicum contactu ſuo inſignitum, pro univerſis ſuę vnitę Eccleſię fidelibus reliquit Chriſtus, ita vt pro omnibus præteritis, futuris, & præſentibus inſimul in valle Joſaphat concurrentibus, illud vellet viſibile ſignum ſufficere in Cœlo; igitur & omnium fidelium ſub vna Chriſti Crucis fide militantium, non minus oportuit vnum viſibilem Vexillarium providere, cum nimis diſſonaret, pro omnibus inſimul vnum ſtabilire vexillum, & non poſſe, aut velle vnam illud ferentem manum pro omnibus ſtabilire.

168 Arguam 4. ex temporalis Potentiæ vnitate, cum non ſit infirmior ad vnitatem vis gratiæ, & æternitatis, quam temporum, & naturæ, vt toties probavimus; & de ſe patet; ſed adveniente Chriſto Domino providit vnum Romæ Cæſarem Auguſtum pro vniverſo Orbe tunc pace coniuncto, ita vt pro ſingulis, & pro omnibus vnius Supremi Domini ſufficeret, & veneraretur Edictum; ergo multo magis debemus dicere providere dignatum fuiſſe, nedum pro ſingulis diſperſe, ſed fide coniunctis in vniverſo Orbe vnum Romę per Chriſti gratiam ampliſſimum Cęſarem.

169 Si dicas, Edictum illud fuiſſe Senatoribus formatum, ſicque potius fuiſſe à Senatu, quam ab vno Cæſare definitum: Contra, quia eo ſic dato, potius vrget, cum tandem vt vim faceret vniverſo Orbi non Senatui, ſed Cæſaris imperio tribuebatur, ac proinde non fuit vniverſo propoſitum, quod exiret Edictum à Senatu, ſed dumtaxat à Cæſare Auguſto: Si dicas, quod ſinguli, vtpote diſperſi ſolvebant: Contra, quia quod ſingulares ſint actiones dari communitatem non impedit; dum enim ſum in choro, voce mea clamo, non voce alterius; & ſic de cæteris, at cum idem faciam ac alter ad mutuum ſuperiotis,

rioris, vniti in cantu cenſemus: Sic etiam tributum quod Joſeph non ſolvit Zacharias, at cum ad vnius Edicti imperium ſolverem, pro eodem fine, & in vniverſo ſic eodem pro Cæſare, ac ſit chorus pro Prælato, vniverſi homines inſimul reputabantur. Nec aliter Concilij vnitatem mihi ſignabunt, cum vnuſquiſque ſingulariter diſcurrat, oret, loquatur &c. at pro eodem fine, conformes in deciſione, & licet ſinguli in loco ſuo, in eodem tamen communiter compoſito, vt tunc totus Orbis pro Cæſare. Neque id ignorare debet qui ſciat vnumquemque Sanctum ſic ſpecialiter talem, quod raro plures in eodem inveniantur gradu, & tamen ex vnitate finis, medij, & capitis, communis Sanctorum vnio conſtruitur, & à Catholicis fatetur. Quare

170 Arguam 5. Revera fideles Chriſtiani habent vnum ſupremum caput, prout pro viribus *in quæſt.* 2. propugnavimus; igitur vt influat; aliter enim non dicamus rationis habere caput, ſed ligni, aut ferri; ſicque Eccleſiæ vniverſalis corpus deterius ſit ſtatua Nabuchodonoſor, ea ſiquidem præ cæteris membris aurum habebat in capite; nunc ſic, ſed vt influat, aptior conditio eſt membrorum vnitas, & continua ſingulorum ſtructura; ergo & vt ſit caput. Diſcontinua ſenſus externos, & internos, horum, & illorum ordinem diſſolve, aut aliquem impeditum percipe, & intellectum tam patibilem quam agentem everte. Similiter de corde vitæ principatum vt chimericum reputa, ſi ſic illud velis influere in ſingula, quod continuitas ſit cordiali vitæ principatui inimica. Non enim munera confundit vnio, ſed perficit & confirmat, aliter vt melius, vel Paſtorem percute, vel oves diſgrega. Verbum vnitum fuit humanitati; igitur inde caput Chriſti non Divinitas? Erit vnum ovile; igitur ineptius vnus Paſtor? Intellectus vnitus cæteris animæ potentijs; igitur ſignate non prior? Currebant duo ſimul; ergo non iſte Petrus, & alter Joannes? Erat turba hominum ſimul ferè centumviginti; igitur non fuit ſignate Petrus qui exurgens (nota ly *exurgens*, quod & ſolius Petri fuit) in medio fratrum dixit, *Oportet* impleri Scripturam? Dum compuncti corde dixerunt ad Petrum (nota ſemper Petri primitatem; & ſuperioritatem præ cæteris ſimul in illatione notabis) & ad reliquos Apoſtolos. Quid faciemus viri fratres; igitur non ſolum Petrus ad illos, *Pænitentiam, inquit, agite?* In libro tuo omnes ſcribentur; igitur in capite libri non erit ſcriptum de te? Abſit ab hominibus, etiam dum eos videam vt arbores ambulantes, cum vnirentur, & ipſa ligna conciliarentur, vt Regem facerent, eiuſque dominio ſubiacerent. Exurgant ſerpentes, & contrarium intentum etiam prudentes impugnent, cum præ toto vnito corpore cupiant pro viribus ſalvare caput.

171 Dices, non poſſe negari, omnes fideles vnitos fore per vinculum fidei, vnumque corpus facere, cum fides iuxta Catholicum dogma ſit vinculum ex quo *Una* Catholica Eccleſia dicitur; nec poteſt negari, quod omnia membra etiam prout inter ſe vnita requirant caput cui ſubiaceant, & à quo dirigantur, aliter vt clarum eſt, nullum foret emolumentum vnitatis, ſicuti & fortitudinis in virtute vnita, vt etiam de Regno in ſe ipſo diviſo definierat Chriſtus; at reſtat ſemper probandum quod tale caput vnitorum fidelium in vniverſali Eccleſia ſit Romanus Pontifex; eſt enim ſolus Chriſtus, qui ſufficit vt influat erga ſibi vnitos fideles. Contra, &

172 Arguam 6. quia ex eo Chriſtus D, eſt caput inviſibile, quia etiam inviſibiliter dantur vnita membra, & nunquam oportet dari membra vnita, quin ſint vnita capiti, quo pacto, & inter ſe vniuntur; ſed etiam dantur membra viſibiliter vnita, vt ſaltim de vniris in Concilio nō poteſt negari, aliter de medio nega, & viſibilem Eccleſiam everte; igitur & oportebit caput viſibile ad inviſibilis capitis proportionem, Cum proportionem pluribus medijs probaſſem *in quæſt.* 2. hinc ſuperſedebo, ea vide, necnon doctrinas pro ſolutione argumentorum.

173 Nec quidquam obſtat, Chriſtum D, ſat fore pro directione caput. Suadetur, Tum, quia ſic, etiam otioſum foret viſibilem relinquere Vicariū, cum Chriſtus D, quemlibet fidelem poſſet illuminare, & interne dirigere: Tum, etiam quoad interna, otioſum foret ſtatuere Angelum animæ Cuſtodem, cum divina potentia efficacior, & immenſior, Tum, qui decrevit vnitorum fidelium ſufficere caput, congruentius ſufficeret pro ſingulis. Tum otioſum fuiſſet, ſacramenta relinquere viſibilia, cum Auctor eorum ad quamcumque gratiam pro ſe ſufficeret. Tum otioſum fuiſſet in Paulo viſibile electionis vas eligere, cum omnem terram poſſet ipſe de torrente voluptatis ſuæ potare. Tum, vt otioſa tolle cuncta, & ſic virtutem in cauſas ſecundas ab ipſa Omnipotentia delegatam, cum ſe ſola ſufficeret vt faceret vniverſa.

174 Tum conſonantius ſuadetur ex proportione Almæ Matris cum Sancta Matre Eccleſia penes dilectionem, & providentiam divinam. Elegit enim eam, & prælegit eam, & dum ſibi Spiritus Sanctus verè & realiter

accepta-

acceptavit in Sponſam, & pro vniverſis vitæ requiſitis ſat erat, voluit tamen ei viſibilem præſtare Sponſum, qui & foret illius Domus Caput, & Rector, cum Altiſſimus ei quæcunque facienda circa Matrem & Filium Divo Joſepho intimaret, & per eum divina decreta manifeſtaret, necnon ipſe Dominus Jeſus erat ſubditus illis, & Sancti Joſeph vias ſequebatur (nota) quia Pater reputabatur, tametſi revera Pater, ſolus æternus. Vide an æternus Pater ſufficeret pro omnibus? Equidem infinite ſufficiens, & tamen viſibilem Patrem totius vnitæ Domus illius voluit ſtatuere. Rurſus, Almæ Matri non ſat erat Dominus Jeſus, qui in Cœlis regnans, nil plusquam humilimam dum Altiſſimam Matrem ſuam reſpiciebat? Proculdubio, & tamen in Filium, & viſibilem cuſtodem deſignavit Joannem, dum millia millium miniſtrabant ei; igitur iuxta divinam conſonantiam, & Dei obſervatam providentiam, etiam ſi Chriſtus Dominus omnia Eccleſiæ membra dirigat, inviſibiliter, vniverſęque Eccleſiæ ſit inviſibile caput, ſatque fore videatur iuxta potentiam ſuam, oportebit quorum inviſibile caput ipſe eſt, ſic & viſibile caput relinquere &c.

SUBSECT. II.

Intentum in ſecundo dicto ampliatum, retardatur, & noſtrum confirmatur.

175 Ut enim Sanctiſſimi Dominationem ſummam obſcurarent, ipſamque ligandi Poteſtatem ligarent, exponebant in ſecundo dicto intenti primi doctrinam minus ſyncere habitam, videlicet, quod ſi Papa conſideretur cum fidelibus ſeorſim inter ſe, tunc erit comparare membrum nobiliſſimum cum minus nobili; at ſi comparetur cum Concilio, erit comparare partem cum ſuo toto, ac per conſequens minus cum majori. Neque hoc dictum variatur à primo, niſi quo pacto theſis ab expoſitione. Neque hinc textuum poſſum omittere pulſare harmoniam, cum nimia notem nunc protelaſſe exemplaria.

176 Argumentor ſic. Dum nobiliſſimum, vtpote caput, ſit præ cæteris vnum extremum, quod ſit in comparatione aliorum, vt pars reſpectu totius, non impedit nobilitatis exceſum præ omnibus ex alia parte habitis (hinc dum dicitur, quod comparare Papam reſpectu Concilij ſit comparare partem cum toto, debet intelligi ſic ly *totum*, quod nobiliſſima noſtræ comparationis *pars* ſit extra totum, vtpote extra omnes alias ex altera parte totum facientes) ergo nedum debet percipi retinere nobilitatem exceſſivam reſpectu cuiuſvis extremi, ſed & reſpectu omnium, veluti ad vnum totum confluentium. Suadetur huiuſce ſcopus dum conciliemus omnes potentias hominis. Quia enim diſcurrendi virtus comparata ad quamlibet aliam virtutem humanam etiam eſt nobilior exceſſivè, necnon comparata ad quamlibet reputatur prior (loquor iuxta magis communia; iuxta quæ, virtus aliqua quidditativè prima eſt in quolibet plures habente) etiam comparata ad cæteras omnes ſimul, veluti ad totum ex pluribus, nobiliſſimam exceſſivé reputatur, vt paſſim rectius philoſophantes; ſed Summus Antiſtes, comparatus ad quamlibet partem cæterarum, nedum percipitur apud eos nobilior, quin etiam primitatem habens, cum capitis rationem reſpectu cuiuslibet omnium, etiam apud ipſos habeat; ergo & habebit reſpectu omnium, vt ad totum ex alia ſeu alijs partibus confluentium. Maior eſt certa, vt patet in virtute diſcurrendi reſpectu ridendi, flendi, admirandi, &c.

177 Dices impar fore exemplar humanum. Ratio eſt, quia omnes aliæ hominis potentiæ non habent diſcurrere, & ſic nil mirum, quod ea vna præ cæteris ſimul ſemper conſervet nobilitatis exceſſum, quem ſecum habebat ſeorſim; at omnes partes Concilij habent diſcurrere, vtpote, non errare, & definire, ac proinde nobilitatis ille exceſſus non percipietur. Contra efficaciter iuxta huiuſce ſpeculationis ſcopum. Et ſuppono, quod licet iuxta diſtinctionem virtualem, formalem, vel rationis, &c, cæteræ hominis potentiæ non participent lineam diſcurſivam, ſit autem ſecundum diſtinctionem realiter latam, & abſolutè dictam, ita vt licet iuxta hanc cunctæ virtutes poſſint participare eam, tamen id non impedit, vt etiam ſic communicantes, virtus diſcurſiva iuxta vnam aut alteram diſtinctionem ſemper conſervet nobilitatis quidditativæ exceſſum, tam primitati, quam eſſentiali definitioni, vt cunctis notum eſt; ac proinde ſic, quod ſemper & quando iuxta ſpeciale ſuum præciſa, vel abſtracta habeatur, retineat primum illum exceſſum, vt notabilem; & è contrario cæteræ virtutes dum ab ea diſtinctè captæ, iam ſic lineam perfectionis non participant, nec in eſſentiali definitione partem habent. Nunc ſic, percipe Patres in Concilio

dum

dum potentes definire, & non potentes errando diſcurrere, vt vnitate virium, ſeu Summi Antiſtitis poteſtatem participantes, quo pacto reali identitati cæteræ virtutes humanæ conciliatæ; Tum percipe, quod quo pacto vt diſtincta nulla virtus præ diſcurſiva habet definire, & poſſe diſcurrere, ſic nec vllus Pater ſecundum ſe habet definire, & poſſe non errare, cum ab ea vnitate abſtractus errare poſſit præter Papam, quia vt propugnatum manet, nec ſecundum ſe poteſt errare, dum valèt definire; igitur ab exemplaris paritate ſemper vrget, quod quo pacto licet virtus diſcurſiva participetur cæteris per aliquam vnitatem, etiam cum illa retinet nobilitatis diſtinctionem præ omnibus alijs ex alia vna parte, necnon quod cæteræ illæ omnes ab ea præciſè, & poſitivè abſtractæ nec poſſint definitioni, nec diſcurſui non erranti, eo quod diſcurſiva ſecundum ſe reſpectu cuiuſvis illarum prior, & exceſſivè nobilior, conſimiliter licet virtus & Pontificia poteſtas participaretur cæteris iuxta aliquam vnitatem, tamen cum ſecundum ſe reſpectu cuiuſvis prior vtpote capitalis, ſicque nobilior, eſto capi poſſit quacunque comparatione ipſius & omnium aliarum diſtinctio, ſemper retinebit exceſſum præ alijs omnibus; necnon ſic, quod cæteræ omnes inſimul ſi poſitivè à Papa abſtracti, aut Papa ab eis, nec poſſint definire, necnon errando diſcurrere &c ſic.

178 Secundum medium, vt ſcopus illius primi antecedentis propugnetur ſit ex ſacro, dum conſonanti textu 2. Reg. cap. 18. vbi ad pugnandum contra Abſalon aderat Populus Domini ex vna parte (en Dei Eccleſiam) & altera parte ſic aderat Sanctiſſimus David (en Summum Antiſtitem noſtrum, vtpote iuxta cor Dei electum) quod ipſe nedum excelleret quemlibet robuſtum militiæ virum, quin etiam robuſtorum exercitum, ex quo cæterorum quemlibet fortiorem ſuperavit, vtpote Goliath; quapropter vrgente pugna, meliores milites conciliati, ſic præ ipſis illius maximæ poteſtatis exceſſum agnoverunt, vt ex verbis, & factis patet: Si enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit; ſivè media pars ceciderit è nobis, non ſatis curabunt; *Quia tu vnus ſolus pro decem millibus computaris.* David enim ſolus erat, & vna pars in comparatione totius, & tamen ſupra totum ex fidelioribus, & robuſtioribus conflatum, reputabatur, & meritò In illa Militanti Eccleſia (dixi Militantem Eccleſiam iuxta Davidis phraſim in Reg. 1. cap. 17. vbi etiam certaturus ſolus cum Goliath dixit: *Et noverit vniverſa Eccleſia hæc &c.*) ergo à ſimili in ſummè Similimo noſtræ militiæ Principe Catholico.

179 Tertium medium ſit ex cap. 1. Reg. dum ſterilitatem ſuam flente Anna, ſicque in domo ſua filiorum abſentiam, dixit ei Elcana vir ſuus: Cur fles? Et quare non comedis? Et quam ob rem affligitur cor tuum? *Numquid non ego melior tibi ſum, quam decem filij?* Nec ſic benè locutus, niſi quia ipſe vir & caput erat Annæ, tametſi propheticorum ſpirituum genitricis; necnon licet ex vna parte, ipſe vnus foret, & ſi ex alia decem, quē Patris exceſſum haberet ad quemlibet, & haberet ſi Pater ad omnes ac proinde vnicum extremum ad plura fore comparatum, nobilitatis exceſſum non turbaret. Igitur à ſimili de eo, qui Sanctiſſimus ſolus Pater eſt, applica.

180 Quartum medium ſit aureum, vt illud ſtatuæ, vbi nedum quamlibet partem excellens, ſed etiam omnes ex altera parte in totum ſumptas; ſed quod in cæterarum comparatione foret caput aureum vna pars reſpectu cuiuſdam totius, id non impedivit, quod pars illa auri foret, etiam in comparatione ad totum, ſolidior, & excellentior; igitur nec quod caput Eccleſiæ in comparatione Concilij habeatur pars reſpectu totius, impediet æſtimabilitatem metalli capitalis, & nobilitatis excellentiam. Cuicunque enim daretur optio, revera, caput eligeret, dum ex altera parte ſtatuæ reliqua ponerentur.

181 Dices, in ſtatua illa dari partes argenteas, ferreas, &c, ſic, ac proinde impar fore exémplar, cum in corpore Concilij omnes partes æquales ſint, ac proinde omnes aureæ, aut argenteæ. Contra, & in primis ſemper ſalvatur formalis ſcopus meæ argumentationis iuxta primam illam propoſitionem ſuperioris antecedentis; videlicet, quod licet aliquid in comparatione ad alterum ſit vt pars ad totum, id non obſtabit, vt ex conceptu partis deperdat excellentiam prę altero, tametſi iſtud totum ſit. Nunc enim iſtud eſt huiuſce Subſectionis intentum, vt ex ſimile directè contrarium retardemur, prout hucvſque intendimus ex alijs medijs, licet in eis veritas noſtræ reſolutionis Pontificiæ, etiam in ſenſu abſoluto comprobata intueatur.

182 Contra nunc, quia abſque ratione negatur Statuæ exemplar, equidem proportionatiſſimum, quia non omnes concurrentes ad conflandum Concilij corpus ſunt æqualis æſtimabilitatis, cum non ſint ęquè docti, nec ęquè Sancti, quinimo nec iuſti aliqui eſſe non repugnat; necnon, nec omnes æquè fideles, cum poſſint eſſe nonnulli maiorem fidem habentes, ita vt montes transferant, vt

ſi Taumaturgus concurreret; ſicque alij ſic magis docti, quod poſſent intueri vt Sol reſpectu cæterorum, vt Angelicus Magiſter, & Seraphicus Doctor dum ad Concilium Lugdunenſe vocari (inferte hinc ad intentum quas coniunctas ſtellas non excelleret in ſtellato Concilij ſolio, Gregorius ille, qui pro Lugdunenſi Concilio Luminare maius excellebat quamlibet illam luminoſam partem, videlicet Solem Angelicum,& Seraphicam Lunam, in medio Eccleſiæ radijs præclarum, & virtute plenum?) Neque inæqualitas miranda cum in Domo celſiori manſiones multæ ſint, ita vt auro magis fulvo alij præ alijs gaudeant. Sunt etiam ſtatuæ conformes, ſicuti, & corpori, cuius partes inæquales tametſi, eamdem vitam ab vno excellētiori corde participant, ita vt licet magis & minus perfectè, vivant tamen omnes,&c,ſic, ſicuti & omnes ad vnum, & idem ſtatuæ totum concurrunt, ita vt omnes ſint partes illius conſtat taliter, quod ad ſtatuæ motum omnes inſimul moveantur. Tum ſtatuæ exemplar conſonat, cum vt ſciunt noſtri, etiam Seraphica noſtra Religio illius typum gerat.

183 Igitur compatietur Concilij aliquos fore ex fide infirmitate ferreos,alios ex loquēdi facundia argenteos, alioſque ex altiori charitate Deum timentes, eiuſque in terris vicarium, vt aurum optimum venerantes,deauratos. Inde enim dum vellis omnes Concilij partes fore auri participes,conſentiam, ſic tamen, quod percipiantur inſimul, & ſubordinatæ vnitæ capiti ſummè aureo; tunc enim ex auro ab eo per Concilij erectionem,& approbationem immiſſo, dici poterunt aureæ partes ſeu Patres qui forſan ſecundum ſe ſolum erant ærei, vel argentei; qua propter dum proprius alloqui debeamus, poſſent dici non aurei, ſed à primo capitis auro indelebiliter deaurati.

184 Quintum medium conſtare intendam ex pluribus bonis,quę in totum optimus ille negotiator dedit inventa vna prætioſa Margarita; vna erat, & in comparatione ad omnia bona illius, cui ſimile, non minus ac Regnum Cœlorum erat, vt pars ad totum comparabilis, & tamen præ toto illo bonorum incomparabilis æſtimabilitatis reputabatur; igitur aſimile dum in quovis corpore pretioſius, quod caput, ſit, provt etiam pretioſiora ornamenta benè deſignant, cum ornamentum magis ſplendens,& decorans gloria corona ſit, hæcque quæ præ cæteris incōparabilis nedum temporalibus ſed æternis ſoli Capiti dicata: Neque enim pro tota cuiuſvis iuſti glorificatione aliud cupit Eccleſia exprimere, quam quod Magnus Dominus ad portas Paradiſi coronavit eum.

185 Sextum medium ex corde, Capite, Sole, floribus,& ex vniverſis cauſis,& effectibus, ſi quis curioſius vellit applicare mentem ex corde, dum pro ſenſibiliter vitalibus, quia vna pars ſit, nedum vitam, ſed cæteras partes excellit, cum ſit primum vivens, & vltimum moriens; ſicque ſpiritus diſtribuens in principatus ſui rectitudine, quod capiti præ toto corpore puriores, & nobiliores immittat: Ex capite, dum pro intentionaliter vitalibus, tametſi pars in comparatione ad totum, cuncta dirigat, animeque nobiliores ianuas aperiat & claudat. Unde provide veluti ſapiens natura ſupra omnia etiam vnita membra caput collocavit, primam altioremque ſedem ei deſtinavit. Ex Sole, cum in Cœlo reſpectu omnium aſtrorum, vnicus licet ſit, & in comparatione ad totum, tamen ex quo Luminare maius, omnia luminoſa excellit, omnes Stellas, Lunamque illuminat, quæ Eccleſiæ typum gerit, cum *fulgeat vt Sole Luna*, iuxta factum ipſius concentum. Ex floribus, quibus Divina Sponſa fulciri optabat, dum flos pars ſit in ordine ad totum virgæ, & propaginis, vt etiam patet in ſpica frumenti, & tamen quod ab ſpica ſeparatur, reputabitur vt pallea, & ſic reſpectu floſculi campi, & lilij totius convallis induſia,quæ deorſum confluunt, maximé ſi ab eo defluunt, & abſtrahantur. Nec otioſé S. Marcus vnguentum Magdalenæ prętioſum, ex nardo dum ſpicato deſcripſit,ſicuti & effudiſſe *ſuper Caput eius*.

186 Inde iam ſatis liquet, quam invalidum foret illud ſecundo dictum,& contrariorum fundamentum, vtpote, comparare Papam cum quovis extremo, fore comparare rem magis nobilem cum minus nobili, ſecus autem comparare Papam cum cæteris vnite captis, cum ſic ſit comparare partem cum toto,& minus cum maiori. Non enim comparationis extrema benè pulſabant, nam aliud eſt quod multum, & aliud quod magnum, vtpote perfectum, vt patebit in quampluribus dum à Deo incipiamus, qui ex eo quod vnus,& plures Angeli ſint,inde magnitudinis, & perfectionis exceſſum non amittit. Ubi, & meritò notandum, quod tunc Deus à nobis concipitur perfectior, quādo vnior,qua propter quę Concilium plurium perſonarum divinarum conſtant, iuxta Angelicum, & Subtilem, non imperfecta, at nec ſecundum pluralitatis ſcopum perfecta ſunt;nec non ita,quod vt perfecta habeantur, requiratur ea vt vni Deitati identica, eique veluti ſubordinata, & affinia contemplari.

187 Regulariter enim quæ vnica, & innumero ex paucioribus conſtata; ſunt magis perfecta, & æſtimabilia, vt patebit diſcurrenti per ſingula in toto orbe terrarum: Unica enim eſt cauſa quæ *prima*, dum innumeræ quæ non primæ cauſæ: Unicus fuit Primogenitus in multis fratribus, dum plurimi prædeſtinandi. Unica fuit Alma Mater, & Virgo, dum aliter plurimæ Matres. Unicus myſticus & etiam realis illius Sponſus, dum tamen ex millibus electus. Plura ſigna dilectionis Sponſus dederat, & tamen dum fortis dilectio rogabat vt ſignaculum poneret ſupra cor. Plures crines habuit divina Sponſa, & tamen non in conciliata multitudine, ſed in vno crine ſolo Sponſus divinus voluit demonſtrari vulneratus. Pluribus modis voluit Chriſtus Dominus mittere divinum ſpiritum ad Patrem; miſit tamen inclinato capite vt omnium perfectiſſimo. Dum in torrente in via bibit, tametſi oporteret cuncta corporis exaltare, vt ipſe dixit, at ſingulariter *exaltavit Caput. Exaltent eum, nedum in Eccleſia plebis, quin & in Cathedra ſeniorum.*

188. Noto in fine, me in his non intendiſſe ex vniverſali regula probare, quod eſtò vnicum excellat aliquod extremum, eo ipſo debeat omnia excellere inſimul; ſin autem intendi, quod ſic ſublimis, & ſummæ excellentiæ ſint nõnulla, quod comparari vt vnum ad plura, non retardat exceſum, nec excellentiam remittat, quia ſit inſtar partis.

SVBSECT. III.

Intentum in tertio dicto retardatur, & ſemper confirmatur noſtrum.

189 NE ſine capite totum imperfectum relinquant Concilium, intendunt in eo ponere caput, vtpote dicendo ſupremam Poteſtatem fore in Papa, & in Concilio, at in hoc fore immediatius, quia ligandi, & ſolvendi poteſtatem immediatè Chriſtus tribuit Eccleſiæ: Tum fore immobilius, quia Eccleſia ſemper durat: Tum principalius, quia exiſtente & durante Papa, operatur in virtute Eccleſiæ, quo pacto dici ſolet de inſtrumento operante in virtute cauſæ principalis. Hæc ſunt, quæ adducunt etiam principaliter, vt quæ Capitis defici in Concilio abſque capite videntur, ſic aptius præcavere queant. Quo capite, videamus.

§. I.

Retardatur immediationis præſumptum.

190 LIcet enim fateamur, Chriſtum D. ligandi, & ſolvendi poteſtatem etiam dediſſe Concilio, id tamen, prout infra exponetur, fatebimur reſpectivè, & ſic ſervatis ſervandis, quod nobis diſſonum videatur, quod eſto vtrique concedatur, vtpote Pontifici, & Concilio, immediatius huic concedatur.

191 Primo diſſonat, quia eſto aliqua denominatio pluribus conveniens, alicui primo, & immediatius convenire debeat, ei primo conveniet, quod ſecundum ſe primum ſit attenta conditione, & rerum obſervata natura; ſed his obſervatis, nil in corpore prius, ac quod in quavis ſerie principatum obtinet, vt è medio vitalis denominationis patet ex corde, vt ex Philoſopho alibi paſſim; igitur cũ reſpectu corporis Eccleſiaſtici, principatum, ſeu Principem eſſe, Pontifici competat, cum prius fuiſſet ſignatum caput Pontificium, quam Eccleſia, illi prius & immediatius conveniet ſumma ligandi poteſtas. Maior certiſſima in vniverſis, vſque modus denominandi ſequitur modum eſſendi; & vſquequo nullis alijs prius à priori, & de perſe, quam primis in quavis ſerie principijs competat, tum cum inde non ex alijs, ſed ex ipſis primo, tum cum ſic immediatè dicatur quod in aliqua linea dicitur de eis, quod non probetur, cum medium non inſit, ac proinde immediatius nil, vt bene ſciunt vniverſi ſcientifici, & primorum principiorum optimi obſervatores. Minor eſt incluſa in doctrina maioris, & ex ipſis terminis patet, vt ſuadebat vitalis operationis exemplar, cum eſto vivere alicui primo competere debeat, cordi competet. Sic & in vita ſuperna, eſto vivere, & ſuperne operari alicui virtuti debeat competere, primo competet fidei; & in glorioſis, & beatificis, eſto primò & immediatè alicui potentiæ competere debeat beatifice vivere & operari, intellectui competet, &c, ſic, vt inde etiam in divinis ſignamus in perſonis primam, ſecundam, & tertiam.

192 Tota difficultas ſtat in conſequentia, quæ ſtatim evincitur. Primo, quia dum ſyncera, & rationabili proportione loquamur, ſic debemus alloqui de capite ſequente Caput, ac de corpore ſequente corpus; ſed loquentes de primis capitis & corporis Eccleſiæ, prius quã

prima Eccleſia extitit Chriſtus Caput, cum omnia forent propter ipſum deſtinata, & præ-deſtinata, vt clarum eſt; igitur & ſic Petrus, cui dictum *Tu me ſequere*, & cui primo dictũ, eſſe fundamentum, & ſic innumera quæ toties retulimus ſupra; ac proinde ſic reſpectivè pro quovis tempore de quibuslibet Petri ſucceſſoribus, & primi Capitis Vicarijs.

193 Secundo, & confirmatur primum. Quia noſtrum non eſt niſi ex factis, & dictis divinis tenere infallibilitatis regulas;ſed iuxta divina facta, & dicta, immediatius quæ ad fidei potentiam & Auctoritatem ſpectabant, fuerunt exhibita, & manifeſta Petro, quam toti Apoſtolico Collegio; ergo à ſimili in ſequentibus, & ſimilius ſuccedentibus. Suadetur, & comprobatur minor, quia primo potens definire Chriſti divinitatem Petrus fuit, vt conſtat ex partibus cæſareæ: Sic priuſquam beatificatum Collegium, fuit Petrus beatificatus, vt ex eiſdem conſtat: Sic nimis notandum, Patrem æternum primam revelationem Divinitatis non Collegio,ſed Petro dediſſe; ſed iuxta rectum ordinem cui primo dantur quæ intellectus, & primo dantur quæ voluntatis, & potentiæ; ergo. Tum dum gentium receptione notius ſplendere debebat poteſtas, immediatius nota fuit Petro executiva facultas, cum ei dictum foret in mentis exceſſu, *Surge Petre, occide, & manduca.* Tum poteſtatem defendendi Eccleſiam, & interpretandi ſcripturas, primo, & immediatius non fine divina inſpiratione Petrus exercuit, dum pro Eccleſiæ honore, ebrietate maculatæ fuit qui occurrit ſignis, & virtutibus, Joëlis textu comprobans. Tum pro Chriſti, & Eccleſiæ immunitate Petrus fuit qui erexit gladium, veluti præcæteris robuſtiorem voluntatis & brachij potentiam indicans, licet tunc imperfectam, ideoque pro tunc continere præceperat Chriſtus, at ſolus ipſe valuit reſtituere, quæ Petrus auferre. Tum poteſtatem diſpenſandi omnipotentiam per miraculoſa opera primus & immediatior Petrus exercuit, vt in ſtupendo claudi illius, vbi notandum illud parraſſe, & potentiam oſtendiſſe ante Portam Templi, & maioris Eccleſiæ præſentiam. Tandem regulariter in fere omnibus Domini eventibus, ſivè conſilij, ſivè poteſtatis fuerint, præ Apoſtolico Collegio invenietur Petrus hinc, & illinc, vt omnium cunctis immediatior.

194 Tertio, circa ſubiectam materiam argumentum dirigentes, inveniemus, nedum iuxta proprietatem rerum, ſed & iuxta proprietatem Scriptorum, immediatius fuiſſe Petro exhibitam poteſtatem ligandi; ergo ſi res ſuccedant vt incipiunt, ſic de ſucceſſoribus decernendum. Suadetur anteced. ex proprietate rerum, cum Petro data fuiſſet, dum pro Eccleſiæ erectione ponebatur prima Petra, cum data fuiſſet, dum ei dictum *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram*; ſed prius eſt prima petra, quam Domus conflata; igitur iuxta rerum proprietatem immediatius data fuit Petro. Juxta proprietatem Scriptoris, cum Mathæus Petri poteſtatem ref rar in cap. 16. & aliorum poteſtatem in cap. 12. & ſic infra.

195 Quarto, quia iuxta intentum contrariorum, in nulla rerum ſerie inveniemus primum, & ſic noſtræ intelligentiæ immediatum, nam eſto in primo ex vna parte, & in cæteris ex alia diſputetur eſſendi, aut denominandi immediatio, dicemus primum fore tale ob cętera, ſicque his immediationem competere penes eſſe, & denominari, ac proinde generibus ſupremis in quavis linea non competere prius, & immediatius eſſe, ſed ſubalternis, & ſic debebimus rerum ordines invertere, & cuiuſvis veri & boni prædicamenti lineam alirer creare, & priſtinam evertere; ſicque & in politicis, & regularibus poteſtatem primo, & immediatè non date Prælatis, & Regibus &c, ſic, quæ ſunt contra ordinem divinum, Angelicum,& humanum. Vel enim datur primaſedes, & qui primus ſedeat in Throno viſibilis Eccleſiæ, vel non datur. Si non datur, Sanctorum Patrum, & Conciliorum dicta deleamus, & ſimus ex parte tot hęreſiarcarum primam ſedem Romæ negantium. Si ſit prima ſedes, & ſupra ſedem ſedens, immediatè è Throno eius *procedant fulgura, & voces, & tonitrua*, & viginti quatuor ſeniores ſedentes in circuitu Throni, vt Potentiori cedant, & mittant coronas: nec enim conſonat, quod qui primus in ſede, non ſit primus in Poteſtate. *Sanctus,Sanctus*, erat ille, quem in Apocalipſi deſeribebat Joannes, Sanctiſſimus & quem Catholici deſcribimus.

196 Quinto, quia ex ſacris Chriſti Domini verbis, non afferetur textus ex quo immediatio probetur per Eccleſiam, quin etiam per eoſdem non probetur pro capite, dum revera nonnulli ſic capitis ſingulariter probent immediationem, quod alijs ſolum ob ipſum conveniant. Suadetur quoad primam partem, tum ex illo, S, & *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, tum ex ſupra poſito, S, *Amen dico vobis, Quæcunque ligaveritis* &c ſic eiuſdem normæ; in quibus etiam valet intelligi Papa vtpote tunc inſimul exiſtentis inter eos, ac proinde Petrus iuxta hunc ſenſum etiam coniuuctus vſque ad conſummationem ſæculi capi potuit, ſicuti & in ly *Amen dico vobis,*

vobis, prout Petrus ibidem ſtatim circa culparum abſolvendarum numerum, interrogavit Chriſtum. Necnon facile infertur, quia qui promittit conſervare gregem, non vult excludere Paſtorem, cum tunc pereutere ſit oves diſpergere. Quoad ſecundam partem facile ſuadetur ex tot in antecedentibus Articulis, & in quæſt. 2. pro Petri Succeſſore adductis: ſat ſint communia loca, S, *& ego dico tibi &c. Ego rogavi pro te Petre &c. Confirma fratres tuos*, quæ & alia dum immediatè dicta, vt conſtat ex ly *Tibi*, ſicuti ſupra ex ly *vobis*, ſoli Petro dicta. In ly enim *vobis*, etiam Petrus intrare poterat, vt patet ex pluralitatis latitudine; ſecus autem aliquis extra Petrum in ly *pro Te Petre*. Sic etiam dum poteſtatem ducendi in ſolo Petro ſignavit immediatius dicens: *Duc in altum*, vbi ſatis etiam exprimitur, quod maximum, & ſummum potentiæ ſoli Petro voluit, vtpote eum ad altitudinem maris Ducem conſtituens.

§. II.

Retardatur immobilitatis præſumptum.

197 PRæſumunt contrarij Poteſtatis excellentiam præ Summo Pontifice Eccleſiæ præſtare, vtpote in Concilio generali repræſentatæ, quia immobilius ineſt Eccleſiæ, cum hæc ſemper duret, & ſit, ſecus autem Summus Pontifex, cum vt perennis ſiſtentia non verificetur, ſat inter alia ſit, quod moriatur, & alius de novo deſignetur. Sed hoc intentum, æquè ac cætera, retardabitur.

198 Primo, quia vellem ſcire à noſtris Catholicis contrarijs, quo pacto Eccleſiam ſumant? Vel enim eam ſumunt, vt nunc eſt v. g. abſque Concilio vnitate per ſingulos fideles longe, lateque diſperſa; vel vt in Concilio Generali repræſentata? Primo modo non ſument; quia vt ſupra propoſuimus ex Bellarmino *cap.* 14. ipſi fatentur Papam fore caput, & Paſtorem ſingulorum Chriſtianorum, & Eccleſiarum, ita vt capitis & Paſtoris gradum excellentem habeat, dum vniverſæ Eccleſiæ, & fideles non intelligantur ſimul, vtpote in Concilio Generali; nam tunc Eccleſia (inquiebant) accipit quaſi formam quamdam corporis, & tota poteſtas, quæ erat in varijs membris, ibi vnitur, ac proinde ſic comparare Papam cum Concilio ſit comparare partem cum ſuo toto, & minus cum maiori; ſecus autem dum primo modo comparetur, ſic enim membri nobilitatem, & excellentiam Papæ præſtabant. Prærerquam quod dum primo modo fieret comparatio, iam extra Concilij intentum eſſemus, cum nunc ſit Papa comparabilis, vel incomparabilis, dum melius loquar, & non ſit Generale Concilium, quo pacto in eos vrgebit immobilitatis medium, vt ſuadetur ſtatim. Sument ergo pro Eccleſia Concilium Generale; ſed Concilium Generale non eſt immobilius Papa, cum non habeat maiorem durationem; ergo ex maiori duratione Concilij excellentia retardanda. Patet minor, nam Concilium Generale habet initium, & finem, vt ex omnibus Concilijs conſtat realiter & infallibiliter, non minus ac electus in Papam habet principium, & finem; igitur quo pacto ex immobilitatis defectu, Papæ retardetur excellentia, & Concilio retardabitur, quinimo & magis, tum quia non ſic tarda eſt electio Papæ, ac Concilij congregatio, Tum quia magis diſcontinua ſunt temporis duratione Concilia, quam Pontificatus, cum pro maximo tempore dum diſcontinue exiſtant Concilia, continuentur Pontificatus; neene ſæpe exiſtant Pontifices abſque Concilijs, ſecus autem Concilia abſque Pontificibus; ergo. Nec quidquam, vt notavi per huiuſce reflexionem, dices vt reſtaures Conciliorum continuitatem, quod dici nos non poſſimus, vt Pontificium continuitas non reſtaureretur.

199 Secundo, notabiliter, & principaliter. Quia etiam dum demus eis Concilij durationem perpetuo continuam, ita vt diſcontinua nec pro vnico inſtâti fuerit, ac proinde non aliter capiendam, ac nunc capimus Eccleſiæ Militantis durationem perennem, & ex quo incepit, ſemper continuam credimus, etiam pro tempore Paſſionis Dominicæ, inde tamen non cædemus eis Chriſti Vicarij excellentiam, quinimò conſonantiam mirabilem, & notatu dignam inveniemus. Suadetur, quia primus omnium Pontificum Pontifex Chriſtus, qui per amplius & perfectius vniverſa quæque excelluit non fuit ſic continuus & immobiliter durans, ac Eccleſia, cum hæc duraret ſemper, ſecus autem Chriſtus vt homo, cum in Triduo diſſolveretur vnio animæ & corporis, ſine qua repugnat homo; ſed inde nunquam retardata fuit exceſſiva Chriſti perfectio reſpectu Eccleſiæ, dum deinceps etiam fuit viſibiliter per dies quadraginta apparens, & loquens de Regno Dei quod impræſentiarum Eccleſia dicitur, iuxta Magnum Gregorium; igitur quod Eccleſia ſemper duret, ſecus autem Chriſti Vicarius, nunquam probat, quod eſto viſibiliter reddat &

pee

per electionem divinizatam appareat, non ſit excellentioris dignitatis, etiam ſi per ſolos quadraginta dies cum Eccleſia alloqui videatur. Inde enim mirabilem nota Petri, & Succeſſorum cum Chriſto principali ipſorum Antiſtite conſonantiam, dum Chriſtus Dominus voluit mori, & immobiliter licet pro paruo tempore non exiſtere, vnde cum Chriſti Domini Vicarij, vtpote Petri Succeſſores, Domini imitatores debeant eſſe, ſicque ab eo ad Paſtoris imitationem creari, & electi, præclare ex quo perennis viſibiliter non probatur duratio, conſonantius præ Concilio repræſentante Eccleſiam exceſſiva comprobatur perfectio.

200 Tertio, quia dum arguere intendant ex Concilio repræſentante Eccleſiam, clare petant principium, cum debeant probare poſſe dari abſque Papa verum, & Generale Concilium, quod non facile probabunt, maximè ſi ſtandum ſit ad normam primitivæ Eccleſiæ & Actuum Apoſtolorum, quorum doctrinam debet imitari, & participare Eccleſia, vt Solem Luna. Non mihi credibile, quod benè, & legitimè facere queant Patres Concilij abſque Papa, quod abſque eo non fecerunt Apoſtoli, reſpectu quorum Patres Concilij filij ſunt, cum Eccleſiæ pro Patribus illis iſti nati ſint filij. Igitur nec ſic Concilium foret immobilius, ita vt non petito principio, iuxta conatum arguentium, ex immobilitatis exceſſu prodeſſet.

201 Quarto, cum iuxta intentum ab arguentibus tenendum, parum obſter quod opponitur. Suadetur, quia rerum inſtitutarum duratio ſumitur ab integra, & completa linea earum; ſed linea hæc vt duratione conſtans reſpicit principium, & terminum, vtpote ea, quæ ſunt de per ſe præfixa durationum extrema; hocque pacto etiam conſtans, & perennis eſt Pontificum ſicuti Eccleſiæ inſtitutio, cum quo pacto, ſervatis ſervandis, Eccleſia non videbit finem vſque ad ſæculi conſummationem, nec videbit finem linea Pontificum, cum non minus & tunc erit vnus Paſtor, ſicuti & vnum ovile; ergo. Non enim ſic, dum ſumus pro hoc ſtatu minus credimus durare Solem, & ſtellas, ac Cœlum, tametſi illa recedant, & per aliqua intervalla non appareant. Nec inde, quia ſemper viſibile, & materialiter Cœlum apparens excellit Solem, quem Deus vt præeſſet Cœlo deſtinavit. Nec minus durans anima noſtra vt rationalis, quam corpus vivens, tametſi iſtud ſemper videamus vivere, ſecus ſemper illam ratiocinare, vtpote dum per aliqua intervalla dormiens, inde nec præ corpore vivente exceſſum perfectionis deperdens; igitur à ſimili, dum cum Catholica pietate Pontificum dormitionem accipiamus, ideſt dum mori videamus ſubiectos præclariſſimos Eccleſiæ Soles.

202 Quinto, quia dum benè pro hoc ſtatu attendamus, niſi fallor, ſi non mirabiliorem, æquè mirabilem ſaltim Dei Omnipotentiam exaltat & prædicat modus ſucceſſionis Pontificum, ac modus permanentiæ Eccleſiæ. Exponitur intentum in his quæ ſunt motus, inſtar Succeſſivorum, & in his quæ ſunt quietis inſtar permanentium, dum pluſquam aliqua ſemper quieſcere & conſervari, ſit iuxta ſtatus noſtri proportionem alia ſemper continue ſuccedere, diſcontinue continuari, & non quieſcendo ſtabiliri, superſedere, & conſervari, vti Seraphicus ille & ſupremus ordo, eorum, qui ſiſtebant volantes. Inde mirabiliores ſunt elationes aquarum, vndarumque abſque deperditione perennis motus, quam vniformis terræ quies, & ſtabilitas; nec ſupra hanc, ſed ſupra illos Spiritus Domini vehementius ferebatur. Inde Sol ipſe, non ſic foret mirabilis in oculis noſtris, dum ſemper in eodem loco, ſemperque quieſcens immortalis, ac cum pereant communia quoties moritur, revivificit. Confirmat præ omnibus Sol iuſtitiæ Chriſtus, qui dum exultavit vt ſummus Gigas, & fecit mirabilium ſuorum in brachio potentiam, voluit natus mori, iterumque in ſplendoribus Sanctorum reſurgere. Tum & ſuadet ratio, quia mirabilius ſemper diſtantiora penetrare, & potenter vnire; ſed ab eo, quod iam eſt, non ſic diſtat vlterius eſſe, quam diſtet à non eſſe vlterius eſſe, vt ex terminis comprobat contradictio; ergo. Unde avis ſemper durans non ſic rara, & naturæ miraculoſa, ac Phœnix vita, morteque ſuccedens.

§. III.

Retardatur principalitatis præſumptum.

203 PRincipalitatis intentum etiam breviter hinc ſuadebitur, tum quia in prædictis manet ſatis attactum, tum quia in ſequentibus ſectionibus principalitas Summi Antiſtitis erit principalior præſentis controverſiæ ſcopus. Suppoſito igitur nos hinc de vero, & indubitato Papa alloqui, præſumptam illam principalitatis propoſitionem retardare intendemus.

304 Primo, quia ne ſit principalitatis

ſcopus

ſcopus in Summo Antiſtite, ſed potius in Concilio vniverſam Eccleſiam repræſentante, principaliſſimum motivum contrariorum, vt viſum manet, ſumitur ex eo, quod Pontifex tametſi caput, ſeu inſtar capitis, in comparatione tamen ad vniverſum Concilium metiri & reputari debeat vt pars reſpectu totius, & inſtar vnius ad plura quæ infimul; ſed hæc præcipua contrariorum conſideratio non debet derogare principalitatis quæſitum pro vno ſummè principio, aut lineæ Pontificiæ, & poteſtatis Eccleſiaſticæ obiecto; ergo. Maior certa pro eis. Minor certa pro nobis,ſi ſtare debeamus communioribus regulis ſubiectorum principalitatis, ſicuti & attributionis pro cuiuſvis veræ ſcientiæ actibus ſtabilitis. In quavis enim vera rerum ſerie deſignatur præ omnibus illius vnum principalitatis, ſicuti & attributionis ſubiectum; & ita vel ſecundum ſe ſublime,vel ſecundum ſe ſupreme ſubſtans, & cætera ſuperans, quod nedum ſeorſim, quin etiam ſi cætera vel analogicè, vel aliter (vt velint) infimul ex vna parte concipiantur, ſemper vnici ſubiecti,ſivè principalitas, ſivè attributio ſplendeat; ſed vt ſic ſubiectum aliquod principalius habeatur,non obſtat poſſe conſiderari, & metiri, vt vnicum ad cætera omnia, nec inſtar partis ad totum; ergo &c. Sic enim, benè ſciunt politiores Dialectici, genus poſſe reputari partem iuxta aliquam conſiderationem, non enervare reſpectu omnium ſpecierum totius poteſtativi ſtructuram,

205 Secundo, quia ex eo reputare intendunt Eccleſiam cauſam principalem,ſecus autem Pontificem, quia hic ab Eccleſia cum erigatur, & veluti cauſetur, & ab ea habet virtutem quam habet; ſed vt Pontificia principalitas derogetur iſta ratio principalis non eſt; ergo. Suadetur minor, quia finis etiam cauſatur à medijs, & ab ipſis habet quidquid actu habet, & tamen vſque adhuc nullus ordinatè volens dedit medijs, ſed fini principalitatem. Tum, quia ſic Sacerdos non foret quid principale reſpectu conſecrationis, ſed Epiſcopus qui ei ſacros ordines dedit; dum revera Sacerdos dumtaxat ſit cauſa inſtrumentalis reſpectu Chriſti, quo ad poteſtatem efficiendi Sacramentum, & reſpectu ipſius Chriſti vt omnipotentis, quo ad virtutem communicandi ſupernam gratiam. Tum,quia poteſtates erectivæ alterius datæ vt erigant dominantem, non tollunt erecti, & creati principalitatem præ erigentibus, vt patet in quamplurimis tam phyſicè, quam moraliter. Sic ſi aliqua tametſi nobilior mulier, aliquem ſibi eligeret in ſponſum, ſemel electo libere ab ea, ille, caput foret illius, & teneretur vt principaliori ſubiacere ei: Sic ipſa Alma Mater libere fuit Genitrix, & conſenſus eius ſpectatus fuit, & tamen ſemel Chriſto genito, circumſtantia cauſæ, & Matris, maiori Chriſti erecti principalitati non obſtarunt; igitur à ſimili reſpectu Chriſti ſimilioris, vtpote eiuſdem Vicarij in comparatione ad Sanctam Matrem Eccleſiam eum erigentem in ſponſum, caput, & Patrem.

206 Tertio, quia revera, & ſyncere loquendo, mihi ſemper duriſſimè viſum, Summum Antiſtitem fore inſtrumentum in virtute Concilij vti principalis operans.Id enim foret caput diſcurrere vt inſtrumentum in virtute omnium ſenſuum internorum vt diſcurſui principalium. Et circa ſubiectam materiam efficaciſſimam rationem proponam.Re enim vera, Papa approbat, & Concilij facta confirmat, ſed ſi id faceret vt inſtrumentum in virtute Concilij, idem foret de principali Papam confirmare Concilium, ac Concilium confirmare Concilium; igitur vel nulla erit principalitas in confirmante (vſque adhuc propriè loquendo, non fuit inſtrumenti effectum confirmare, vnde ait Eccleſia ad Deum, *Confirma hoc Deus*, ſicque & vice Deo confirmare reliquit iuxta illud, *Confirma fratres tuos*) quod contradicit; vel dum ſit, hæc erit in Papa ſecundum ſe. Manifeſtatur amplius ex Chriſto Petro Confirmationem Chriſti præbente, dum tale mandatum otioſum foret, quia ſi Concilium ſic ſit in ſe principaliori veritatis robore firmatum, quod in refirmando, Papa minor & ignobilior ſit eo, equidem otioſum, quin etiam implicatorium erit dicere à Papa confirmari, idque à Chriſto Domino, Petro intimatum. Nemo enim inquirit, quod amplius, & perfectius in ſe ipſo habet. Unde dum principalius foret Concilium, ita vt formaliter ex Concilio in Papam redundaret,improbe Chriſtus dixiſſet Petro, *Confirma fratres tuos*, ſed potius debuiſſet dicere Collegio Apoſtolico, *& vos confirmate Petrum.*

207 Quarto,quia revera dum verus Papa congregat ad Concilium, ſicque convocat, iam tunc datur verum Concilij initium, à convocatione enim incipere debet, & ab habili convocatione, cum quævis communitas ſit male convocata, nil habiliter reſoluere queat; ſed ſi Pontifex non principalis cauſæ, ſed puri inſtrumenti haberet rationem, inutilis foret ſolemniſſima, vt nunc Pontificis canonica electio; ergo. Suadetur minor, quia ſat foret, Sacri Collegij, qui Deccanus, vel Cardinalis iunior, vt voluerint, cum ad con-

vocandum

vocandum vt inſtrumentum , & membrum non capitale , quilibet eorum profectò exactiſſimus. Tum tot curæ , vigiliæ, & orationes Eccleſiæ , maximuſque apparatus , equidem forent monſtruoſitatis , necnon irriſionis ſuperſtitioſæ videri poſſent, vtpote pro quodam dumtaxat inſtrumento, & pro membro extra capitis rationem , & extra principalitatis lineam plura expendere, venerationi, & adorationi maiora reſervare , ac principali ſuo cuius virtuti ſic plura vltra deberentur , quod nunquam expediri valerent.

208 Nec obſtat , ea omnia requiri, vt indulgentiarum, & aliorum bonorum diſpenſator : Non obſtat, quia ſi prout contrarij dicunt , quam cum diſpenſationem expendit in virtute Concilij vt principalis, iſto principalitatem retinente , quicunque præfatorum Cardinalium poſſet diſpenſare ſic. Nec obſtat , aliquem ex præfatis Cardinalibus poſſe forſan malo diſpenſare : Non obſtat, quinimo, inde inſurgo, dum infero , quod ſi Papa habeat præ alijs benè diſpenſare , id non habebit in virtute alterius, vt principalis, aliàs ſi haberet, quilibet aliorum benè diſpenſaret. Contra necne , quia nil debet enervare rationem noſtram, quod quilibet alius poſſet male diſpenſare. Ratio eſt manifeſta , quia ex eo præſtant Concilio principalitatem ſupra Papam, quia iſte poteſt errare, male diſpenſare &c, vt in quæſtionibus facti ; igitur quod quilibet alius ea omnia male poſſit expendere , non enervavit , intenti noſtri rationem. Contra necnon, quia nunc dum Papa malus & ineptus diſpenſator ſit,poteſt iuxta contrarios deponi; igitur cum quilibet poſſet eorum etiam deponi , quilibet abſque tot electionis , & aliorum apparatibus deberet aliter, dum proportionatius, & vtilius aſſumi.

209 Notanter dixi , quod deberet aliter vtpote proportionatius, & vtilius aſſumi,quia ſic te benè inſpecta videbitur, dum ab Eccleſiæ Antiſtite principalitatem abſolutam virtutis auferamus , & ſupremi capitis, vt intendunt, mutilemus conceptum. Ratio eſt, quia illis mutilatis , ſtabilito Decceano , vel iuniore,aut ſic alio indefectibiliter extituro,ſemper foret inſtrumentum , ita vt nunquam ab Eccleſia deficeret , ac proinde inſtrumentum conformaretur cum virtute cauſæ principalis, & conditionem imitaretur, ſiquidem dum pro omni inſtanti conſtans , & immortalis Eccleſia, & pro æquali conſtans & immortale inſtrumentum. Tum ſic à mali s pro ſchiſmate imminentibus magis, vt claret, ſecuta procederet , tum quia libera electio non mediaret , tum qui a omnes , vita comite , poſſent ſperare fieri tale inſtrumentum , ſicuti fieri Decceani. Tum vitarentur Regum diſcordiæ, dum cupiunt vnum præ alio cæterorum ſuffragijs eligi.Tum ſic appareret Eccleſia, quod apud contrarios erat, vtpote virtus principalis Chriſti , ita vt nec externus ſplendor obſcuraretur à Summo Papę fulgore,& ſuper excelſo ſedis throno.Igitur dum non ita ſed aliter Altiſſimus providere dignatus fuit, equidem quia quo pacto ſponſæ ſuæ ſponſum dilectæ Eccleſiæ voluit caput , & Sacerdotem ſibi.

210 Quinto , quia ſi quidquid poteſtatis, & Auctoritatis habet Pontifex, habeat vt inſtrumentum , vtpote motum à ſuo principali ; rogo quodnam ſit tale principale virtute cuius movetur tale inſtrumentum? Dices ſtatim , tale principale fore Concilium vniverſam Eccleſiam repræſentans , ex cuius Concilij principali virtute,inſtrumentalis potentia Papę derivata fuit. Benè ſit, nec aliter poteſt quod inſtrumentum eſſe : Rogo tamen de Pontifice qui verus, & exactus extitit ante omne Concilium , ſicque & ante primum (notandum tranſeunter ; priuſquam Conccilium extitiſſe Pontificem Summum , vt viſum fuit in omnium Primo Petro , & iuxta proportionem Domus, antequam prima petra , & fundamentum ; vbi etiam advertendum , dum ab eis rogandum an fundamenti ſoliditas ſit in virtute Domus, vt cauſæ principalis ſolidioris, vel è converſo?) à quo Concilio fuit motum, & habuit derivatam virtutem? Præſtabo, & præſtare debetis æqualibus Succeſſoribus ab eo eamdem virtutem, à quo & Primo , & alijs Succeſſoribus ante Concilium Hieroſolimitanum , & Nicænum præſtare debeatis.

SUBSECT. IV.

Intentum ex fine, Regula, & Supplente retardatur.

211 PRout iam inſinui in Sect. 1. nonnulli contrariorum, vt Concilio repræſentanti Eccleſiam, ſupremam præ Pontifice Maximo eminentiam præſtent , intendunt motivum ex fine, ex Regula, & ex ſupplemento perenni. Ex fine , quia Pontifex inſtitutus & decretus eſt propter Eccleſiam, ac proinde hæc erit illo magis , cum hæc ſit propterquam Pontifex eſt. Ex Regula, dum Eccleſia regulans Papam ſit , cum Eccleſia non poſſit errare, ac proinde ſit in regulando indefectibilis. Ex ſupplemento , cum licet

Poteſtas

Poteſtas ſubiectivè ſit in Papa, tamen in Ecleſia eſt ſemper vt in ſupplente, cum deficiente Papa, quomodolibet deficiat, eius officium Eccleſia ſuppleat.

§. I.

Retardatur ex Fine.

212 CUm integer contrarij intenti hinc ſcopus ſumatur ex finis conceptu principaliter ex eo, quod propter Eccleſiam inſtitutus, & deſtinatus fuerit à Chriſto Domino Pontifex Summus, etiam integræ rationes noſtræ enervantes ad id principalius attendent. Contrarij ergo finis principalitate inſtructi, reputant Eccleſiam finalem cauſam, eo quod ſi Deus non elegiſſet Eccleſiam conſtruere, nunquam deſtinaſſet Papam creare; igitur ex finis principalitate conſtat Eccleſiæ ſublimitatem præillo iuxta divinam acceptationem. Inde nos contra hoc fundamentum cuncta maioris roboris opponemus, vt enervando ſuadeamus, non ſæpe præominibus reputandum id, quod ex dependentiæ connexione, & ex receptione perfectionis ab altero magis perfecto, ſolet aliquando finis conceptum ſignificare; vt ſtatim patebit ex ſequentibus ab exemplari propoſitis.

213 Primò ſumam exemplar circa ſubiectam materiam propriùs. Primus aſſiſtens Pontifex, talis non fuiſſet deſtinatus, niſi ob Eccleſiam; ſi enim Deus non decreviſſet Eccleſiam cui aſſiſteret, Pontificem aſſiſtentem non decerneret; ſed primus aſſiſtens Pontifex qui propter Eccleſiæ aſſiſtentiam fuit deſtinatus, extitit per amplius & perfectius Dominus Jeſus; igitur ex hoc fine Dominus Jeſus non præ Eccleſiæ excellentiſſimus?

214 Secundo, Extra ſcholam Subtilem Chriſtus Dominus ſic fuit Incarnatus, & venit in mundum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, quod Adamo non peccante nec incarnaretur, nec veniret: & intra Scholam Subtilem licet ſemper revera veniret; at Adamo non peccante non veniret paſſibilis, nec fuiſſet deſtinatus Redemptor, ac proinde vt Redemptor propter nos homines peccatores ſic venit, quod nobis non peccantibus non veniret, iuxta illud Gloſſ. proloquium, *Tolle morbos, tolle vulnera, nulla erit cauſa medicinæ*; ſed inde, eſto foret inſtitutus in caput, non perdidit fore ſupra membra Supremum, ſupra oves quę perierant Paſtor, ſupra cunctos ęgrotos Medicus, ſupra multos fratres Primogenitus, & ſupra omne nomen, & humanum genus ſummè, & eminentius nominatum; ergo a ſimili in ſimiliмо, & ſecundum exemplar factum.

215 Tertio, dum intueamur quo ad nos Potentiam divinam, ſicuti reſpectivè Poteſtatem Pontificiam. Extra ſcholam enim ſubtilem, & maximè intra Angelicam Deum ad extra potentem non niſi ob producibiles creaturas referremus, & ſic ſummopere propter illas, quod nedum deſtructis omnibus deſtrueretur illa ſumma Omnipotentiæ virtus, & infinita poteſtas, vt pro viribus defendant cuncti huiuſce opinionis doctiores Doctores; ſed inde nunquam benè inferretur, quod creaturæ ſint ſupra Creatorem, nec finitum in linea perfectionis ſupra Summam potentia perfectionem; ergo etiam ſi Pontificia Poteſtas foret propter Eccleſiæ fideles creaturas, ita vt iſtis deſtructis, illa deſtrueretur, inde tamen excellentiæ exceſſus non deperderetur, eſtò haberet à Deo Poteſtatem, ex quo ab ipſo habuit Summam.

216 Quarto à paritate cæterarum rerum, quæ dum finem indicantium, tamen vt innui, ex ipſa perfectione qua neceſſario egèr, ſic apparent vt perfectiora alia videantur propter ipſa, dum revera, & benè inſpecta ab illis alijs ſuperexceduntur. Sic præmiſſæ videntur propter concluſionem, & tamen ſupra hanc eſt cognitio primorum principiorum; vnde prima dicuntur in linea intelligibili, eorumque etiam in cognoſcibilibus maiora extrema vocantur. Sic ſubſtantię videntur creatæ ad ſuſtentantionem accidentium, & tamen illæ perfectiores ſunt. Sic anima noſtra videtur creata taliter propter materiam, quod ni propter illam non crearetur, & tamen altioris ordinis habetur. Sic potentiæ animæ videntur eſſe propter actus cognitionis, & amoris, & tamen potentiæ ſublimioris generis ſunt, & intimiores ipſi animæ rationali. Sic cor videtur in medio corporis ſtabilitum ob vitales motus cęterorum membrorum, ita vt corpore non compacto membris Deus cor non ſtabiliſſet, & tamen prę omnibus vitæ principatum obtinet. Sic tandem caput erectum eſt propter reliquas humanas in nobis, & loco motivas facultates in alijs; & tamen quo ad viſum noſtrum in ſupremo loco eſt, & in prima ſede collocatur; necnon quo ad rationalem meditationem, ſi ſit propter alia, ex eo vt ea dirigat, gubernet, & moveat; qua propter vt dixi, ly *propter aliud eſſe*, non probat in *alio* exceſſum, cum ly *propter* ſit in *alio*, infirmitatis, indigentiæ, & minoris perfectionis, ſicque illud quod videtur poni propter talia, ponitur vt perficiat, vt influat,

fluat, confirmet, paſcat, vivificet ſanet &c.vt indicant exemplaria poſita ; hoc enim pacto Summũ Eccleſiæ caput, eſt propter ipſius Eccleſię membra inſtitutum, & à Domino deſtinatum, quo pacto Sol propter Cælum, & Terram creatus, at vt præeſſet diei, ita vt nec in medio maioris firmamenti, fore luminare maius ipſi retardaret.

§. II.

Retardatur ex Regula.

217 EX regula parum reſtat nobis adducere, vt ex ea contrarium intentum retardemus. Supra enim tam in Art.1. ſubart. vnico quęſtionis huius maxime ad Undecimum argumentum,quam in Art.2.ſingulariter reſolvimus, & propugnatam relinquimus, Summum Romæ Antiſtitem fore infallibilis veracitatis ; qua propter ſi contrarij tenerent Concilium fore ſupra Pontificem, hûcuſque regulandum per Concilium eo quod non poſſit errare; quouſque infallibilis veracitatis Pontificis rationes noſtras non enervent, dum propugnaverimus Pontificem nõ poſſe errare, dicere poterimus, Concilium nec fore ſupra Pontificem, nec fore ipſius regulam, cum infallibile ea pro decernẽdis non egeat, vt cunctis clarum eſt.

218 Tum ſatis diſſonat,quod corpus regulet caput, quod vſque adhuc eſt omnium regularum rationale ſymbolum,cum regulare ſit dirigere,& ſi caput non dirigat dum cuncta penitus non revolvantur, neſciam vbi nam poſſit eſſe directio. *Lucerna enim corporis tui, eſt oculus tuus.* (nota) *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit : ſi autem nequam fuerit , etiam corpus tuum tenebroſum erit.* Solum reſtat videre oculis, vbi nam oculi ſint. Mihi ſemper , in capite, fore , viſum, prout clare videat Eccleſiaſtes, dum in Cap. 2.14: *Sapientis oculi in capite eius.* Ubi ſtulte aliter intelligi vult,& merito, cum nil ſtultius poſſit dici, quam oculos extra caput collocare.

219 Tum , quia dum Chriſtus Dominua proprietatem ſermonis vt inſipientior non ignoraret debet Pontifex haberi propie vt Paſtor,& Eccleſia vt Grex, nunc magnus, qui tunc puſillus, ſed proprietati Summe Sapientia ſiſtemus, qui non debemus eſſe emendatores emendatoris ſapientum, Baculus , qui regula paſtoralia, nunquam committitur gregi, vt reguler, ſalvet, & muniat Paſtorem, ſed è converſo; ergo. Confirmat id ipſius Eccleſiæ tam publica, quam ſecreta Miſſarum oratio, dum ſic ait ad Deum : *Deus omnium fidelium Paſtor. & Rector, Famulum tuum, quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti propitius reſpice : da ei queſumus verbo & exemplo quibus præeſt proficere , vt ad vitam vna cum grege ſibi credito perveniat ſempiternam.* Vellem ſcire nunc , quid ſit verbo & exemplo proficere? Quid necne ſit præeſſe verbo, & exemplo proficuo? Et quid ſonet ly, cum grege ſibi credito, & ly *vna* cum eo? Quis regulat? Si Eccleſia Papam, non pro eo, ſed oret pro ſe, vt eum bene regulet.

220 Tum in oratione ſecreta ait: *Et Famulum tuum , quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ eſſe voluiſti, aſſidua protectione guberna.* Si Eccleſia regula gubernatrix Papę eſt, oret, non vt Deus Papam, ſed vt Deus ipſam dirigat, & gubernet, vt gubernare , & dirigere valeat. Rurſus in oratione poſt communicanda, ait : *Et Famulum tuum,quem Paſtorem Eccleſię tuæ eſſe voluiſti,vna cum commiſſo ſibi grege ſalvet ſemper, & muniat.* Ubi nam eſt ſalus dirigens, & regulans Eccleſiæ munimen? Nec ſic orat Papa, ſed Eccleſia veſtra. Eccleſia enim pro ſe non orat petens à Deo, quæ ſunt Paſtoris, & Dominantis , ſed quæ ſunt ovium , & obedientium; non enim orat, vt bene imperet, ſed vt bene ſerviat , vt conſtat ex eiuſdem oratione publica, dum ait: Ut deſtructis adverſitatibus, & erroribus vniverſis, *ſecura tibi ſerviat libertate.* Sic & in ſecreta ait: Protege nos Domine, *vt divinis myſterijs ſervientes &c.*

221 Nec vellem omittere, quæ hinc incidentes occurrunt in Exrorem dicti propugnati in Subſec.1.Propugnamus enim ibi Pontificem fore Caput totius Eccleſiæ vnitæ, & nedum ſingulorum diviſive, vt contrarij fundamentaliter intendebant. Ex incidentibus Eccleſiæ orationibus occurrit nunc ex ipſis præfatum intentum noſtrum confirmare , & infirmare contrarium. Ut enim conſtat ex prima oratione ſolemni, Deus voluit Famulum ſuum eſſe Paſtorem, & Rectorem,eorum omnium fideliũ, quorũ ipſe Deus Paſtor & Rector ab Eccleſia nominatur ; ſed Deus eſt omnium, vt vnitorum, aliàs nullus vnitæ Eccleſiæ per vinculum fidei dari poterit vnquam Paſtor, & Rector ; ergo & talis erit ille famulus,quem non alteri,quam,vt inquit, Eccleſiæ ſuæ præeſſe Paſtorem voluit. Tum confirmatur ex illis Eccleſię verbis in eadem oratione, vtpote, vt ad vitam *vna cum grege ſibi credito*, vbi extra ſatis expreſſam ſimulratis & vnitatis vocem, patet ſimultas ex grege ſibi credito, cum fides nunc de per ſe habeat membra copulare, aliter vnionem Sanctorum in Militan-

ti , vnamque Sanctam Eccleſiam pęnitus reprobare poterunt hęretici ; ſed tale vinculum gregis,nedum eſt inviſibiliter & ſic cum Deo, prout illac impugnantes hæreticos diximus, ſed etiam eſt viſibiliter cum Papa , vt gregis Paſtore,vt manifeſtat ly *cum grege ſibi credito*, igitur iuxta Eccleſię ſolemnia,etiam vniti gregis habebit Pontifex eſſe Caput , Rector , & Paſtor. Patent hæc manifeſte,dum Pontificalem Paſtoratum Eccleſia ad Deum nominans, toties repetit , Paſtorem *Eccleſia tua* , igitur Domine, dum vnita Eccleſia, tua ſit,quin nec vlla Eccleſia ſit tua magis quam vnita , iuxta vnitatis & pacis vſque ad vltimum , mandatum tuum,quem Eccleſiæ tuæ Paſtorem præeſſe voluiſti , & eumdem in vinculo vnitatis fidelium, voles Caput,& Summum Vicarium tuum.

§. III.

Retardatur ex ſupplemento.

222 INſiſtebant nonnulli ex contrarijs in eo,quod licet in Papa foret Sūma Poteſtas,at conſtātius,& fortius in Eccleſia, cum deficiēte Papa ſivè per mortē,ſivè per amentiam, ſivè aliter deficiat, nunquam talis Summa Poteſtas in Eccleſia deficiat; indeque principalitatem , & eminentiam Concilio, aut Eccleſię præſtabant. Nos hinc cum iam pręſumptum durationis maioris pro Eccleſia motivum, ſupra retardaverimus, dumtaxat ad id, vtpote , quod Eccleſia ſemper valeat , & ſuppleat, attendemus , dum hinc ex dicendis enervare curabimus.

223 Primo retardare intendimus,à paritate Sponſæ, cuius pulcherrimum , dum proportionatiſſimum ſcopum ſemper habuit,quæ parata vt Sponſata , Sancta noſtra Mater Eccleſia. Dum igitur mulier deſponſata eſt, alligata eſt legi,ſicuti & viro,quanto tempore vir eius vivit. Tunc enim vxor non curat , niſi quomodo placeat viro , cum dirigere maiora domus,familiam gubernare,doctrinis & chriſtianis præceptis inſtruere, hæreditatem augere, & conſeruare, vxori neceſſaria, & ſolatium præbere, ſervos torpentes damnare, & ſi oporteat repellere , & bonos præmijs allicere , & in gaudium Domini ſui intrare ; hæc enim dumtaxat viri ſunt vt ſimpliciter dirigentis, & imperantis ; vxori autem, vt ſolius merita repræſentantis , orantis , & preces fundentis ; Sed hæc omnia , quæ in viro ſic ſunt manifeſti dominij , non impediuntur eo vivente , licet eo moriente , vxor ſupplere poſſit , & ea cuncta per ſe facere, ita vt prefatis non obſtet, quod ſi dormierit vir eius liberata ſit, necnon, quod cui vult nubat , tantum in Domino; igitur à ſimilimo, quo tempore Summus Eccleſiæ Sponſus vivat, alligata erit legi, eiuſque præceptis, conſilijs,& diſciplinis , ita vt eius ſit Domini hæreditatem augere , & conſervare, Eccleſiæ filijs neceſſaria præbere, amicos commenſales creare, malos & infideles à domo expellere , bonos in Cælo declarare, & hic commorantes illuſtrare, benedictionibus, & indulgentijs replere, blande in laboribus conſolare &c, quin quæcunque hæc quæ manifeſti dominij ſunt impediri debeant, etiam ſi é vivis ſublato Antiſte Summo ſuppleat ſemper Eccleſia; necnon ſi dormierit ille, dum hęc liberata ſit ab eo,& nubere poſſit cui velit , vt facit prout vult, cum per liberam voluntatis ſuæ electionem, tantum in Domino , alium ſibi in Sponſum eligat; quo iam electo, & ab ea acceptato,iam non debet cogitare quomodo Chriſti patrimonium diſpenſet , ſed dumtaxat quomodo placeat viro , Chriſtique Vicario , dumtaxat orans, & ad Deum pro eo, & grege ipſi commiſſo preces fundens.

224 Secundo, & ſimile primo clare occurritur cum Luna, & Stellis, quæ revera Eccleſiæ luminoſæ fidelium ſimiliaæ ſunt , eiſque inde iam licet ad aliud intentum conſtruximus exemplar. Oritur enim Sol & occidit, vt ſapiens dixit, & inſipiens quotidie agnoſcit; dum Sol recedit, Luna præeſt , lucem diſtribuit, viantibus ſolatium præſtat, ſolvit poli caliginem , & vt Solis ęmulatrix abſentiam eius ſupplet , & conſimile faciunt Stellę ſi Luna abſit ; Inde tamen improbè Solis dominium, & fore luminare maius auferretur, nec probè Lunæ pluſquam fore luminare minus præſtaretur, ita vt licet abſente Sole prænarrata faciat ad Stellarum pręſentiam , at iterum naſcente Sole, ſolus ipſe debeat videri præſes, radios mittere, & vſque ad atomos deſignari; igitur à ſimili dum recedat Paſtor noſter , & revera non errantium,ſed in fide fixarum Stellarum Sol, & maiorum Eccleſiæ planetarum, vtpote Cardinalium Luminare ſemper maius, vtpote conſtitutus Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum eius , prædicans pręceptum eius.

225 Tertio, quia ſi contrariorum ex ſupplemento motivum , roboris alicuius foret, nedum Regum , & altiſſimorum Primatum ſplendeſcens Auctoritas obſcuraretur , vt patet in quibuslibet viris,dum licet maximis,at eorum abſentiam ſupplentibus (ſic in noſtro Aragoniæ Regno, Prorege recedente, & vaccante,

cante,

cante, perenniter ſupplet Gubernatoris Generalis, qui tamen ad Proregis præſentiam inferior eſt)quin etiam minus pulchre, & prudenter Deus circa Eccleſiam ſuam, providentiam manifeſtaſſet. Manifeſtatur, quia ſi vtilius, elegantius, & perfectius quæ mulier vidua cuncta domus provideret, quam quilibet ſibi electus vir, vel inſipienter eligere poſſe providiſſet, vel etiam dum eligere poſſe permitteret, inſipienter decreviſſet quod vir curam domus, & cæterorum teneret; ergo à ſimili circa ſibi propriorem domum inſipienter Deus providentiam ſuam oſtentaret, Pontificis electionem ei permitendo Petro iam è vivis ſublato, & dum permiſſo, ei, & non Eccleſiæ gregem committere, rationi diſſonum profecto appareret.

SUBSECT. V.

Cætera contrariorum fundamenta retardantur, & evelluntur.

226 CUm Pontificatus altiſſima quęque ſumi videantur ex Eccleſiæ acceptatione, prout ſupra diximus in Art. 1. ac proinde, cum Pontificia Auctoritas videatur penes eſſendi infallibilitatem in Eccleſiam reſolvi, hancque quod habilius repræſentat, ſit concilium, iſtud fore vei fundamentum reſpectu Papæ dicendum conſequenter, ſicque ſupra eum. Rurſus, cum iam in aliquibus caſibus, ſivè ſchiſmatis, ſivè infidelitatis, concilium poſſit ſchiſmaticos deponere, & verum & pacificum nominare, necnon Papam in fide ſuſpectum iudicare, punire, & deponere, videtur inde contrarijs, Concilium ſupra Papam fore.

§. I.

Primum fundamentum retardatur.

227 PRimo, & equidem principaliſſimè, quia dum libenter fateamur, veram Papę exiſtentiam reſolvi in Eccleſię receptionem, vt in indefectibilis ſiſtentiæ terminum, cum eſtò ab Eccleſia pacificè recipiatur, & veneretur, ſecuri & abſque prudenti dubitatione circa Papæ eſſentiam maneamus, prout ſupra expoſuimus, inde tamen nunquam fatebimur, Eccleſiam fore ſupra Papam, quinimò contrarium potius ſequi, cum prout etiam pluries expoſuimus, ea infallibilitas per Eccleſiam habita, & ſuſcepta, dumtaxat ſit conditionantis cauſam, & vt prima, & maxima principia applicantis, quod licet à poſteriori ſit nobis per eam conditionantis lineam primum, ſecus autem à priori, & principalibus ſecundum ſe á nobis inſpectis, & comparatis, pro vt rationibus, & notiſſimis exemplaribus id principalius ſuadere conabimur; cum huiuſce contrariorũ motivi, in hoſcè dũtaxat totum robur; & vniverſarum rationum præſtantior vis ſiſtere videatur, prout patebit terminos harum, & ſimilium conditionum penetrare volenti.

228 Primo ſuadetur de primo, vtpote de Maximo Deo, cuius, vt in 1. *Sentent.* propugnavi, primam; dum etiam infallibilem, & evidentem notitiam habemus, à creatis veſtigijs ſumimus, ita vt illum non noſceremus vere & infallibiliter ſiſtere creatorum deletis, & confuſis veſtigijs; & tamen inde nec quoad eſſe, nec quoad cognoſci, vmquam percipimus aliud de creaturis, quam quod reſpectu illius Capitis ſupremi, dumtaxat pura, aut impura veſtigia ſint. Quoad ſiſtere, & eſſe, nullus dubitare poteſt; nec quoad nos ipſos vt cognitionem reflectentes, aut comparantes aliquis dubitare debet. Patet, quia licet per creaturas ſciamus, nos prius eum agnoſcere, vlterius tamen ſic aſcendimus ad ipſum, & in eo, vt in omnium cauſa ſpeculantes ſiſtimus, quod ipſum fore primam etiam agnoſcamus, ita vt deinceps quæcunque cognoſcibilia ex ipſo perfectius, & à priori infallibilius probemus, vt evenit dum primo habita per effectus cauſarum notitia, vlterius effectus perfectius per cauſas ipſas probamus; quin quidquam cauſarum primitati obſtet, quod ſi per gradus fiat certitudinis cauſarum reſolutio, dum minus perfecte, reſolvatur, & terminetur in effectus; ergo à ſimili.

229 Secundo ſuadetur de quibuslibet ſecundum ſe principalioribus, vt patet philoſophicè in linea Subſtantiæ quam præ linea accidentium ſublimem agnoſcimus, & aſſeveramus, tametſi ſic primo ex accidentibus præſtemus ſubſtantiæ infallibilitatem exiſtendi, quod eam in hæc reſolvere poſſimus; poſterioriſticè tamen, & minus perfecte, vt cunctis notum eſt. Sic etiam in quavis vera praxi, primo percipimus media, ita vt finis ſiſtentiam in illa reſolvere poſſimus, & tamen nullum rationale agens, finis præſtantiam ignorat. Sic etiam quoad ſenſum nil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſu, ita vt à gradu in gradu in eum nobiliorem, & puriorem ſpeculationem reſolvamus, & tamen inde quod vltimum, vtpote intellectum, prę cęteris agentibus fatemur perfectione primum. Sic inter

ipſa intellectus munera, nobilius eſt ex quo patibilis, dum in eo munere poſterior eſt reſpectu muneris agentis quin quidquam obſtet ſpeciei expreſſæ infallibilem ſiſtentiam reſolvi in primæ infallibilem receptionem. Sic in formarum claſſe, etiam intra corpus & ſubiectum idem; quæ vltima eſt præſtantior; & quæ prima ſiſtentiam præſtat, eſt ignobilior, vt patet in gradu vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi, cum homo ſic primo vivat vita plantæ, iuxta Philoſophicum axioma, quod in eum gradus animaſticus poſſit reſolvi; vel dum ſtrictius fiat reſolutio in materiam primam ſic, vel ſic habitam iuxta Angelicos, vel in formam corporeitatis, iuxta Subtiles. Sic etiam parvus ille fons, qui crevit in fluvium, & Solis vnicam, ſublimemque penetravit ſphęram, Solis habere præſtantiam non minuit, ex primo congregatarum aquarum claro & infallibili curſu ſic tenere originem, quod ſolare in aqueum reſolveretur quoad invenire initium, prout reſolvit Mardochæus dum ante oculos Eſther ad coronam electę, gradum infimum quem prius habuerat propoſuit, ſic in memoriam revocans cap. 15. *Memorare* (inquit) *dierum humilitatis tuæ.* Inde tamen non deſinit eſſe Regina, & ſupra nutrientem, & elevantem Mardochæum coronata.

230 Sic tandem, ne moleſtus efficiar, invenies, dum parum attendas in vniverſis ſcientiarum lineis, quarum ſtructurę per evidentiam obſervant, quæ fidei per certitudinem & obſcuritatem. Ut enim ſcientiæ lumen percipias, terminos ſimplices deſignas, probitatem & aptitudinem eorum apprehendis (in haſce per metaphoram verte mentem ad Concilium ex probis Patribus, & ſimplicibus individuis compactum, &c & idem percipe circa Cardinales, vt ad Pontificis erectionē conductos) interſe combinare intendis, tertij vnitatem conſulis, & ſic concluſionem formas: Verumtamen à quo incipit, & ſic in quod reſolvitur ille Scientiæ curſus? Non incipit à primo quod potiſſimum eſt, cum incipiat à paſſionum linea, quod vſque ad hanc deſcendere valeat, ſi primorum certitudinem comprobare velit; non tollit, quod ſupra illam maximum aliud principium eſſe, cognoſcat; Sic ergo ex philoſophicis applica, facile vales; cum ſcias primi principij, & potiſſimi medij in ſerie rerum, reſultari, & primo recipi ex proprietatum aggregato, veluti ex primo, & certificante immediato in linea conditionis, & à poſteriori comprobantis.

231 Tertio, & magis principaliter ſuadetur à ſuperno, & theologico fidei exemplari. Qui enim primo Chriſti Divinitatem deſitive, & infallibiliter revelavit fuit Petrus in partibus Cæſareæ, dicens; *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, ita vt fides audientium quoad applicationem poſſet reſolvi in Petri dictum, & propoſitionem; & tamen in linea fidei Theologicæ, vtpote à perfectiori motivo habitæ, non fuit dictum Petri quod primum & principalius, cum tale foret & deberet eſſe ipſa Chriſti divina veracitas, vel iuxta alios, Patris æterni, & Summi revelatio; igitur à ſimili; dum ipſius Chriſti Vicarij infallibilis exiſtentia habet, vt in applicantem reſolvi in Eccleſię acceptationem, principalitas illius inde non retardabitur.

232 Sic etiam, dum plures Samaritani crediderunt in Chriſtum, *Propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis*, licet tunc quoad applicationem, & conditionem, fides eorum circa Chriſti infallibilitatem à muliere ſumpſiſſet initium, ita vt illi ſic, in eam poſſent vt in primum ſuæ infallibilitatis terminum reſolvere, tamen non ſic in ſua ſublimiora, & perfectiora lineæ, cum ſemel à muliere propoſito & declarato Chriſto, potius propter iſtum deberent formare fidem, ac proinde ſic, quod per eam lineam exiſtentia infallibilis mulieris teſtimonium perhibentis non fuiſſet ſupra Chriſti infallibilem exiſtentiam, prout alij Samaritani deinceps diſtinctius dixerunt, & notarunt; ergo à ſimili reſpectu Chriſti Vicarij, ſemel Sancta Muliere, & Matre Eccleſia illius infallibilem exiſtentiam per electionem, & acceptationem nobis manifeſtante, & teſtimonium exiſtentiæ perhibente.

233 Sic non credimus Scripturis divinis, ſicuti, cum Magno Auguſtino illas, quouſque Eccleſia proponit, & infallibilitatem earum nobis applicat, & tamen inde nunquam ſequitur quod in linea ſublimi & perfecta, Eccleſiæ infallibilitas ſit ſupra Scripturarum infallibilitatem, ſemel enim Eccleſiæ propoſitione, vt conditionante; & applicante poſita, iam ſublimiores Scripturas reputamus, vtpote divinas ſimpliciter, & ſi non ex ore Eccleſiæ, ſed ex ore Altiſſimi proditas, ſicque credentes eis tunc, non propter Eccleſiam, ſed propter ipſum Deum. Et ratio eſt, quia illa Eccleſię propoſitio, vtpote de linea conditionantis, & applicantis, non dat infallibilitatem, & divinitatem Scripturis; quia ipſæ iam divinæ erant, & à Deo habebant infallibilitatem, ſed dumtaxat infallibilitatem ipſarum in linea ſublimi præexcellentem, declarat, & vt divinas acceptat, ſicuti & ſimiliter acceptat, & declarat, filium virginis, vt filium Dei, ſupra quem Eccleſia non eſt; igitur

& à

& à ſimili; dum Eccleſia declarat eum hominem fore Caput ſuum, ſicuti & Sponſa declarans virum,& Paſtorem oves, quæ cognoſcunt; & vocem audiunt; Necnon ſicuti ſi digitus corporis ſui indiceret caput; ſuum cor pulſatio manus, ſuum primum ſubiectum paſſio; &c, ſic quo pacto Lucifer, Solem, & Chriſtum indixit; & declaravit Joannes qui Præcurſor.

234 Et vt prædicta iuxta omnem proportionem confluant, & directe intentum præſens confirmetur; venit hinc notanter inferendum, Papam non ſumere immediatè Poteſtatem ſupremam quam habet; ab Eccleſia; ſed immediatè ſumit eam à Chriſto Domino, prout tenent D. Thoma, Sotus, Caietanus, Turrecremata, Jacobatius; Medina, Covarruvias, Suarez, Valētia, Barboſa,& Hēriquez, quos citat & ſequitur noſter Macedo lib. 1. de Clavibus cap. 3. idque dū propugnat, aſſerit hāc doctrinam fore Innocentij Primi *Epiſt. ad Concilium Carthaginenſe* 91. inter Epiſtolas Auguſtini; & ad Concilium Milevitanum Auguſtini 93. & Leo *Serm. 3. de Aſſumptione ſua*; quos citat, & ſequitur Bellarminus cap. 24. & 25. & Innocentius Tertius *in cap. novit. de iudic.* vbi ait: *Poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo*. Itaque dicitur, quod in Pontifice Romano electio, & creatio non eſt ratio conferendi iuriſdictionem; ſed eſt conditio ſine qua non daretur à Chriſto; ac proinde cum ponitur; immediatè Chriſto confertur. Nec enim homines, qui eligunt habent illam Papalem ad quam Papam eligunt Poteſtatem: *Nemo quippe poteſt plus iuris trāsferri in alium; quam ſibi competere dignoſcatur.* Regul. 79. in 1. Itaque dum Pontifex accipit iuriſdictionem in totam Eccleſiam; accipit quod non poteſt dari ab hominibus; cum non ſit facultatis humanę, ſed potentiæ divinæ. Sic; cum Samuel vnxit David, revera Samuel, non dedit ei Populi Dei Supremam Poteſtatem, ſed dumtaxat Samuelis vnctio fuit conditio, vt Deus ipſe Populo ſuo eligeret; & ſic vnctione deſignato à Samuele; Poteſtatem ab ipſa Divina Potentia ſuſciperet, prout toties ipſe Deus in memoriā revocavit David cum defecit; necnō ſatis expreſſit ipſe Samuel dū in ipſo vnctionis prȩventu dixit; *Nec hunc elegit Dominus*. Divinum equidem, dum & facilis applicationis ad Pontificem & Principem Populi Dei, eſt ſimile.

235 Inde ergo, præfatum diſcurſum, & proportionē exemplarium conſummantes, dicimus, quod Chriſtus Dominus non foret Filius Dei apud Cæſareos niſi ob Petrum; apud Samaritanos primo; niſi ob mulierem; Nec David Rex apud Bethlehemites niſi ob Samuelem; Nec Scripturę divinæ, niſi ob acceptantem Eccleſiam; Nec cauſa nota niſi ob effectum; Nec quidditas manifeſta niſi ob paſſionem; igitur quia Petrus Chriſto maior? Samuel Davide potentior? Mulier Domino credibilior? Eccleſia divinis Scripturis divinior? Effectus cauſa præſtantior? Paſſio natura ſublimior? Abeſt omne, vt pro viribus apud optimos Theologos, & Philoſophos tenetur. Et quare ſic? Quia Eccleſia v. g. divinitatem non dat vt principium principale Scripturis; (ſic reſpective de alijs ab exemplari poſitis, percipe) ſed à Deo præſtitam, vti inſtrumentum; & conditio proponit; indicit; & applicat; igitur cum Pontifex vt à Principali cauſa ſolum à Chriſto ſic Supremā Poteſtatē dumtaxat teneat, quod Eccleſia ſolum vt conditio applicet, tametſi apud nos non noſceretur talis, niſi eum Eccleſia indicente; & acceptante, inde tamen nunquam Eccleſia probabitur eo ſublimior, & Potentior; aut in infallibilitate præſtantior.

§. II.

Secundum fundamentum retardatur.

236. VEnit ſecundum fundamentum ex varijs dictis; vel forſan dicterijs enervandum. Primum ſcilicet ex eo, quod Concilij ſit circa Schiſmaticos vertere examen, & verum Papam nominare, ac proinde eum; qui Concilio potius prodeſſe videatur in Sede Petri collocatum ſtabilire, Sed ex hac fundamenti parte contrarium intentum non debet propugnari; prout ſtatim exponetur.

237 Exponitur circa primum hoc, noſtrum intentum in contrarium. Primo, quia ex contrariorum dicto; ſolum ſequitur, quod Conciliū ſit ſupra Papas ſchiſmaticos; & dubios, ſecus autem ſupra veros, & indubitatos; quod nec contrariorum reſolutionem confirmat; nec infirmat noſtram, vt ſatis patet. Siradetur ex Epiſtola 1. Joan. cap. 4. vbi ait: *Nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint; quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Unde efficax ſumitur argumentum. Licet enim dubij poſſint ſic eſſe ſpiritus; quod facultatem habeamus examinandi eos, ac proinde eligendi, vel reprobandi quemquam eorum, inde tamen non debet colligi, quod aliquo Spiritu, vero, & vt Dei ſemel ſtabilito,

bilito, poſſimus ei reſiſtere, & non venerari, ac proinde non obedire:& ſimiliter,quod poſſimus de aliquibus dubitare an ſint veri, vel falſi Prophetæ, eoſque apponere, vel deponere,id non impedit,quod ſemel ſtabilito, quod aliquis ſit Propheta Domini, poſſimus ei diſſentire, & animum noſtrum, ipſius vt Supremo non ſubiacere; igitur à ſimili, etiam ſi dum Catholici coogregati in Concilio, poſſemus circa dubios, & Schiſmaticos Papas examen interponere,falſos repellere,& verum deſignare,& eligere, inde tamen nunquam inferretur benè, quod poſſimus ſemel vero ſtabilito, ei reſiſtere, mentē noſtram non ſubijcere, noſque iam tunc poſſe exiſtimare, ſupra eum eſſe.

238 Exponitur à paritate Chriſti Domini dum venit in mundum. Doctores enim, & Sapientes Synagogę non peccarunt, dum examinarunt, an, & vbi Chriſtus naſceretur, ſicque dum in Templo diſputarunt, cum Chriſtus Dominus erat annorum duodecim; nec peccarent, dum plures alij ſi Chriſti vellent teneri, examinarent veri Chriſti adventum; ſed cum hoc compatiebatur, quod ſemel invento, & vero Chriſto ſtabilito, iam ei vt Supremo Domino deberent obedire, eumque ſupra ipſos reputare, vt fecerunt nonnulli, qui vlterius actibus eorum non conſenſerunt, & ſumme defecerunt alij, qui quæſtionem adventus protervientes, veraque ſigna callidè obſcurantes, ſchiſmate involuti, ſupra ipſum eſſe voluerunt, dum contra ipſum congregarunt Concilium, quia multæ oves poſt Bonum Paſtorem ſuum abibant; Igitur licet benè liceat in caſu ſchiſmatis, & dubitationis, examen vertere, & ad bonum finem verè eligendi Concilium congregare, &c, ſic inde nunquam debet inferri, quod inter multos ſe Chriſti Vicarios reputantes, vero invento, & à Concilio ſtabilito,non ſit ille ſupra eos deinceps, tametſi valide ante, & cum facultate Dominum obſecrandi examinantes,& eligentes.

239 Exponitur etiam, & comprobatur à paritate Scripturarum divinarum, Evangeliorum, & quorumlibet Myſteriorum, & divinarum revelationum. Eccleſia enim examinare potuit legitimitatem Scripturarum, & revelationum tametſi divinarum, ſicque reprobare, vel approbare; necnon benè potuit in Concilio ponere, ſi Spiritus Sanctus procedebat á duobus; at ſemel definito, & ſtabilito Scripturas has fore divinas,& in Symbolo poſito, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere, iam non potuit eis vt Supremis reſiſtere, ita vt potuiſſe prius examinare, & approbare, inferat ſupra divinitatem Scripturarum, & revelationum fore, cum ipſius Eccleſiæ ſtabilis infallibilitas, & inſtrumentalis & applicantis conditionis veracitas credatur formaliter,& à perfectiori motivo propter divinitatem ſcripturarum, & revelationum, prout alibi expoſuimus, & propugnavimus; ergo à ſimili &c.

240 Exponitur amplius, & equidem declaratur optimè intentum noſtrum, dum intueamur Chriſti Domini Crucem divinizatam, confuſam, & ligneo ſchiſmatè inter ſcelleratorum furtivas dubiam (vellem, dum ad puſillanimes in fide alloquar, notare hinc,non debere aliquem adverſis caſibus, vt ſchiſmatum, & ſimilium turbari, nec ſcandalo neceſſe venturo commoveri, cum videat Crucem Domini inter latronum ſcandaloſas confuſam,ipſumque Dominum inter iniquos reputatum; in obſcuris, & inter mortuos ſæculi poſitum; Fidei Magiſtrum vt Seductorem vocitatum, & veluti opprobrium hominum ab ipſis abiectum. Non enim ſervus eſt maior Domino ſuo, nec Domus filij ſupra fundamenta Patris, nec navis Innocentij ſupra Petri navim; quapropter nil mirandum,quod Pontificalis ſedes aliquando appareat Seſſoribus confuſa, Eccleſiæ contrarijs vndis agitata, Naucleris vento contrario ſchiſmatum veluti mergi incipiens,& Concilij Patres veluti remigantes in laborando;nec aliter Militans,ſed triumphans dumtaxat à Chriſto Domino plantaretur;oportuit enim Militantem manere, dum cum vita noſtra,quæ militia eſt ſuper terram.)

241 At vera Cruce ſemel declarata, nedum maioris venerationis ſupra cęteras, & ſupra declarantes ipſos, quin etiam vt Sol ſplendidior cunctis aſtris, & Sanctior vniverſis. Sic applica de Baculo Paſtorali, dum poſiti in manu Sanctioris,aut ſanctiſſimi,necnon de eo qui eſt vt Sol in Templo Dei, reſpectu Aſtrorum, quæ ſunt Patres in Cælo Concilij, dum fidei Catholicæ zelo congregati.

242 Inde ergo notanter in huius Controverſiæ initijs propoſui, me intendiſſe reſolutionem formare de veris comparationis extremis,ac proinde de vero,& indubitato Papa, ſicuti de vero & indubitato Concilio. Quodlibet enim eorum dum verum, & indubitatum non ſit, abſque dubio ab alio excederetur,vt patebit de diſtantioribus per exceſſum, vt de vera creatura,& de Deo ficto,& ſic de quibuslibet comparationis extremis. Sic etiam, ſi vtrumque extremum falſum ſit, nil boni profecto diſputari poſſit; tum quia deberemus diverti ad ſpeculationes fore chymericas, vt ſi

vnum

vnum impoſſibile ſit maius alio, & alio aliud elevatius mendacium, &c, ſic, quæ aptiora, dum inepta, ſunt ad Tractatum de Enreratio-nis, vbi exactius dicit, qui ſine fundamento diſcurrit. Qua propter, licet aliquando ad maiorem extremotum ſiſtentiam, etiam eorum ſub dubio nonnulla examinate opus ſit, at proprius, & præoptatus huius controverſiæ ſcopus vtpote de ſolidioribus, & vetiſſimis de indubitatis debet inquiri, & ſevetius reſolui. Vide circa indubitationis ſcopum, quæ pariter ſuppoſuimus, & ad nonnulla oppoſita ſolvimus in hac quæſt. 5. Art. 1. vbi ſtabilivimus de fide, Innocentium Undecimum fore ſupremum Romæ Antiſtitem, & Petri, obſervantiſſimi Patroni mei, Succeſſotem.

§. III.

Ulterius ex gratis dato, contrariorum fundamentum enervatur.

243 CUm enim contrarij teneant, Papas defeciſſe, aut deficere poſſe, ſicque poſſe à Concilijs reprehendi, iudicari, & deponi, inſiſtunt ſemper in eo, quod ſupra Papam ſit Concilium. Circa quod do eis abſque lite cuncta hæc, dum non parum vt probent inſudare debeant, cum ſolidis doctrinis, & puro hiſtotiarum examine, quam plurimi Dogmatici, dum graviſſimi Doctores pro vitibus defendant, nullum Pontificem vſque adhuc in his quæ Religionis defeciſſé, nec deficete poſſe, prout ex officio Paſtorali loquitur, & vniverſalem Eccleſiam habeat inſtruere; pro quo videantur quæ reliquimus ſupra, pet totum Art. 1. & 2. & dum, vt privatæ perſonæ defecerint, & deficete poſſint Pontifices, non minus inſudare debent, vt ab exemplati probent poſſe ab aliquo iudicari, prout clara res fuit, quæ evenit apud Sanctum Marcellinum, dum terrore perterritus, ſimulacris thus adhibens, idque palam confeſſus, cum tamen damnare nemo auſus fuit, quinimò Concilij Patres vna voce clamarunt: *Tuo te ore, non noſtro iudicio iudica* (deſignarunt impotētiæ cauſam) *nam prima Sedes à nemine iudicatur*. Hæc enim evenerunt, dum Sinueſſam ad Concilium plurimi Epiſcopi venerunt; itaque à Concilij veneratotibus, non erit ex quo potiſſimus iſte ſcopus non veneretur.

244 Verumtamen, vt Pontificia Superioritas, & incomparabilis dignitas melius videatur, demus abſque lite Papam poſſe in quibuslibet fidei deficere, iudicari, & à Concilio deponi, inde tamen intentum noſtrum non obſcurabitur, vt per ſequentia exemplaria exponere intendemus.

245 Primum ſit Chriſti humanitas, vtpote ad primam Dei ſedem per vnionem hypoſtaticam aſſumptam (hoc exemplari loquar ſaltim cum contrariæ opinionis Auctoribus, ſi forſan Scotiſtis, & cum alijs proſit ex ſupoſitione) & ſic, quod non ſit manutenta, vt nec iuxta contrarios eiuſdem Chriſtiferæ Humanitatis Vicarius non manutentus. Iuxta hanc ergo ſuppoſitionem, quod peccaret, prout peccare poſſet, ſicque quod ab Angelis, vel probis fidelibus poſſet iudicari, & difinitivè declarari, hypoſtaticam vnionem ad Divinitatis ſedem, & dignitatem diſſolvi, & in propria perſonalitate ſuæ humanæ naturæ manere, id tamen non obſtaret, vt dum verè Chriſtus, & humanitas illa divinizata in primæ dignitatis ſede collocata foret, ſupra omnes foret, cunctis puris creaturis emineret, & ſupra omnes ſupremo cultu deberet venerari (Non enim Chriſtus D. præ omnibus habitus ex impeccabilitatis circunſtantia, cum hanc Beati participent, & in via qui confirmati in gratia, qui tamen hypoſtaſis divinę prærogativam non participarunt, nec vnquam ad tantam dignitatem pervenerunt) prout primus ille ſtellarum Lucifer veneraretur dum non ceciderit, tametſi ex caſu aliud evenire poſſet, vt evenit; ergo à ſimili de perſona, quæ nunc ex dignitate omnium Summa dicitur, dum Chriſti Vicaria verè ſit, tametſi cadere poſſit, & ab alijs declarari, Primam illam Chriſti Sedem deperdiſſe, &c, ſic, ita vt vinculo fidei diſſoluto, definiretur Petri dignitatem ab eo receſſiſſe &c.

246 Secundum ſit, quilibet homo iuſtus, qui divinam gratiam perdere poteſt, & tunc ſi perdat, vt poteſt, quod ſit ſubditus Luciferi, cum, vt aiebat Auguſtinus, membra Diaboli quicunque peccantis ſint, ſicque, quod ab eo poſſit accuſari, & depoſitum à Dei amicitia, & gratiæ divinæ dignitate declarari, vt pœnæ dignum puniri, &c. ſic, id tamen non obſtat, vt dum tenet coronam ſuam, cis imperet, ius ad gloriam teneat, infernus contremiſcat, & ſic, quæ Dei maiora participet; igitur potiori iure de homine illo, qui hominis Dei ſumma repræſentatio eſt, qui nedum Sanctus, ſed ab eo, ex munere Sanctiſſimus creatus fuit, vt ſupra ipſum vniverſa Domus Sancta Dei, veluti ſupra firmiorem Petram ſubſiſtat, & ſolide vſque ad Cœlum erigatur.

247 Tertium ſumam à paritate proportionatiſſima Mulieris Sanctæ, quæ à viro ſuo infideli valet ſeparari, eumque accuſare, recuſare, & vt indignum declarare, eique amplius vt capiti non obedire, & tamen hæc non obſtant, vt ipſa ſupra viri poteſtatem dicatur, cum quouſque vit, & Caput, ei vt Superiori obedire teneatur, &c. Igitur vel Summus Pontifex non eſt Caput, & Eccleſiæ Sponſus, vel dum ſit, quod poſſit ab Eccleſia in aliquibus caſibus repelli, deſpici, & ab eo ſeparari, non obſtabit, vt hæc vt Sancta ei non obediat, exiſtimetque ſupra eum eſſe, &c.

248 Quartum profectò ſumendum á primo totius generis humani Capite, & primo Parente noſtro. Creatus enim fuit in iuſtitia originali, innocens, & bonus; ſic tamen quod deficere poſſet, vt defeciſſe probat; at quod dum defecit, puniretur, & à Paradiſi Cuſtodia privaretur, totius humani generis imperium perdens, ita vt cunctas Terræ creaturas inveniret rebelles, inde vero nunquam ſequitur, Adamum non fuiſſe Paradiſi Dominum, & Supremum vniverſorſi Principem, ac proinde ſic quod dum Innocens Caput ſic ſupra omnia foret, quod etiam ferociora animantia ei pænitus ſubiacerent; igitur etiam ſic, & potiori iure de eo, qui per Altiſſimam Dei gratiam, & ſempet confirmatam Succeſſionem eſt Primus Fidei noſtræ Pater, nedum Innocens, ſed Innocentiſſimus vocitatus.

249 Quintum ſumam à paritate oculi, qui merito lucis primitatem obtinet in ſenſibus, & capitis præclariorem ſedet, prout vidебit quicunque clare videat, quin tamen lucis principatui obſtet, & vt ſupra cætera ſit, quod poſſit obnubilari, & quod ſi me ſcandalizat, poſſim eum proijcere à me; igitur etiam ſic de Pontifice ſcandaloſo, dum ſit Eccleſiæ oculus, vel lumen oculorum eius, obtinebit eſſe ſupra cæteros, quin obſtet primitati poſſe ab Eccleſia, dum obcæcatus proijci. Neque ad intentum noſtrum impropria eſt oculorum paritas, cum Sanctus Leo *Serm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli*, ſic alloquatur ad vniverſos fideles: *In horum excellentia Patrum meritò eſt excellentius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexit, vt eos in corpore, cui Caput eſt Chriſtus* (nota etiam, quod potuerunt habere principatum oculorum, reſpectu quorum Chriſtus principatum Capitis; ſed Chriſtus tale principatum habuit reſpectu omnium membrorum vnitorum; ergo & etiam Apoſtolicum illud lumen oculorum, prout ex eodem Chriſti capite ſplendentium) *quaſi geminum conſtituit lumen oculorum.*

250 Sexto ſumam à ſubl imi aliorum recta Superiorum paritate, dum multi Principes ſuos reprehenderunt, prout Sarai Abrahã, *Geneſ. 16.* Jacob Labanum, *Geneſ. 29.* Iethro Moyſen *Exod.* 18. Jonathas Saulem. 1. *Reg.* Joab Davidem 2. *Reg.* & quod magis ad intentum noſtrum, dum Petrus reprehenſus fuit à Paulo, quin tamen inde Petri, & præ ſatotum ſuperioritas obſcuraretur, cum ſicuti Pater fidei noſtræ, Dominus Sarai foret Abraham; Moyſes in omnipotentis electione vice Deus: Saul, Pater & Rex: David etiam Rex, vnus pro decem millibus, & iuxta cor Dei electus & conſtitutus ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius: Tum Petrus ab ipſo Chriſto omnium Apoſtolorum Princeps conſtitutus, prout etiam paſſim canit vniverſa Eccleſia. Igitur quod Pontifices poſſint argui, & reprehendi, non obſtat, vt ipſorum dignitas ſupra cæteros ſit. Suadetur de Petro, qui hinc principaliſſimus ſcopus eſt, prout S. Gregorius, ſic ait, *Homil. 18. in Ezech. Ecce à Paulo minori ſuo Petrus redarguitur, & reprehendi non dedignatur, non revocat ad memoriam, quod Regni claves acceperat. Quis noſtrum à minori fratre increpatus patienter audiret?* Unde hinc deduxit Cardinalis Polus lib. 2. ad Regem Angliæ, *Non ergo obſcurat Petri authoritatem Pauli reprehenſio.* Sic habetur apud Maccedum lib. 1. de Clau.

251 Et pro ad præſens intentum præexpoſitis ratio ſumenda videtur, ex eo, quod ſublimitas noſtrarum perfectionum creaturum, non ſtet intrinſecè, & de per ſe quidditativè in indeficientia, & perpetuitate, ſed in prædicatis & talibus principijs ſecundum ſe, prout illac expoſuerat Scotus de viſione beata, quæ ſecũdum ſe talis eſt, quod etiã per vnicum inſtans durans, ex quidditativis ſphæræ ſuæ cuncta noſtra etiam meritorie ſuperexcederet. Non enim quidditativè excellentior, quia indefectibilis, & perpetua, cum non minus perpetua, & indefectibilis pœna damnatorum ſit; ſed excellentior ex ſuæ ſpeciei natura. Sic, quia defectibilis ſit ſtatus gratiæ, cum ſic facile poſſit quis non habere gratiam, quin & facilius ac non habere peccatum dum peccatum habens, inde tamen non deperdit gratia excellentem dignitatem, & ſuperiorem ſphæram ſuam, nedum reſpectu mali, ſed & reſpectu bonarum virtutum moralium dum ſemper manentium. Sic etiam quod rationale caput poſſet inſaniri, & potentiam rationis facile perdere, & nunquam perdere poſſet manus, aut pes vim motivam, inde tamen extra inſaniam, etiam pro brevi, ſemper capitis excellentia emineret. Sic etiam invenies in Sole in

quo poſuit viſibilem Principatum, ita vt revera ſtellarum Supremus ſit Præſes, & maius luminare, quin obſtet aliquando poſſe eclypſim pati, & tamen Stellas non, ſed etiam ipſas tunc videri, prout non ſemel eo tempore viſæ ſunt; igitur quis perfectionum ex nihilo creatarum eminentia, non ex defectibili, ſed aliunde contemplanda.

§. IV.

Contrariorum vltimum ex exemplaribus formatum retardatur.

252 VLtimum quo iam primum ſupra poſitum fundamentum contrarij ſuadere intendebant, erat ab exemplari, v. g. Ducis Venetiarum in Republica Veneta, & ſic Generalis Religionis in aliqua Religione. Conſtat enim Venetum Ducem fore ſupra ſingulos Magiſtratus, & ſupra ſingulos Senatores, & Civitates Venetas: ſecus autem ſupra totum Senatum collectivè ſumptum: & quando moritur Dux, totam Ducalem Auctoritatem manere in Senatu, certum etiam eſt. Et ſic exemplificant de Generali Religionis, vt comparato ad ſingulos Provinciales & Provincias, ſecus autem ad omnes infimul. Inde enim de Auctoritate Pontificia pati metro diſtinguunt, vt comparata ad ſingulas Eccleſias, ſingulos Concilij Patres, &c, ſic ſecus vt collectivè ad omnes.

253 Contra præfatam diſtinguendi normam iam locutus fui ſupra per totam Subſect. 1. & 2. Nec non contra illud de permanentia Auctoritatis Ducalis, per Ducis mortem iam dixi in Subſect. 4. §. 3. vbi *de ſupplemento*. Qua propter hinc brevius expediar, dumtaxat intendens veneti Ducis exemplar retardare, dum exponam diſſimile fore ad Pontificiam Auctoritatem comparatum.

254 Exponitur imparitatis intentum. Sic eſt Dominus, & poteſtative Superior Venetiarum Dux, quod dominium, & poteſtatem ſuam ſimpliciter, & principaliter ſumat pænitus à civibus Venetis; Sic autem Romanus Pontifex eſt vniverſalis fidelium ovium Paſtor, & Eccleſiæ poteſtativè Superior, quod curam, & poteſtatem ſecundum quid, & inſtrumentaliter ſumat ab hominibus, & ſimpliciter, & principaliter ſumat ab ipſo Chriſto, veluti verus & in fide indubitatus Petri Succeſſor, cui, non ab Eccleſiæ civibus, ſed ab ipſo Domino fuit dictum, *Paſce oves meas*, & Reipublicę Eccleſiaſticę claves ab ipſa Domini manu traditæ, vtpote *Tibi dabo* (circa hoc vide quæ expoſuimus in hac ſubſect. 5. §. 1.) ſed hæc, ſat ſunt, vt impar vtriuſque Auctoritas in vnoquoque Superiore reputetur, vtpote in Duce Veneto, & in Duce Pontificio; ergo licet Veneta Poteſtas limitari debeat, quin & auferri poſſit à Reipublicæ Venetæ collectivè Civibus, ſecus autem Pontificia à Reipublicæ Catholicæ fidelibus, quin ex quo illa limitatur, Pontificia ampliari debet. Exponitur minoris imparitas. Nam nimis impar eſt, quod eſt in Auctoritate divinum reſpectu eius quod eſt purè humanum; nimis necne diſtat, aliquem ſuccedere Petro, ac ſuccedere Moroſino; Tum nimis impar, tenere locum in Terris ſigniferum Triumphantis Hieruſalem, ac ſolum tenere ſigniferum ſolum Triumphantis Venetiæ, contra cuius potentiorem Ducem poteſt prævalere porta Othomana, dum contra Eccleſiæ Ducem nec portæ Inferi; igitur ſat ſunt hæc, vt impar vtriuſque Auctoritas reputetur; ac proinde vt limitata vna, vtpote creaturarum, non ſic debeat limitari alia, vtpote ab ipſo creatore data, & pro illimitato Domino vicem faciens.

255 Auferat enim, & ſeparet homo, quod homo præſtitit, & coniuxit, ſecus autem quod inſtituit, confirmavit, & Deus coniunxit; igitur cum Deus ipſe inſtituiſſet in vinculo fidei Eccleſiam ſuam, ſicque ſupra eam, ſicut quæ eſt vnum ovile, vnum Paſtorem deſtinavit, ſecus autem ſic ſummè Senatum Venetum, &c, ſic, poſſint cives Veneti collectivè ſumpti inſtituere, & ſeparare Ducem, ſecus autem qui Deus non ſit, poterit inſtituere & relegare ipſius Vicarium, principaliter ab eo poſitum, & ſuę Reipublicę coniunctum. Si enim, ſicuti de Romano Antiſtite credimus Ducatum fidei, credere deberent Veneti de ſuo Duce Ducatum civilem, à ſolo Deo fore vt à cauſa principali, & immediata, equidem nec collectivè ſumpti, dum eum indubitatum tenerēt, auderent removere, nec ei reſiſtere, &c, ſicuti & in Generalibus Religionum, dum v. g. noſtra valet aliquando removere Miniſtrum Generalem, eique reſiſtere, ſecus autem valeret reſpectu Seraphici Patris Sancti Franciſci; nullus enim, nec omnes infimul fratres ei auderent reſiſtere, nec vniverſi tunc collectivè ſumpti dum benè, exiſtimarent ſupra eum eſſe, & ſupra ipſum habere poteſtatem, quia fuit immediatè ab ipſo Chriſto poſitus, ſicque ab eodem Romanus Antiſtes inſpiratus vt Regulam confirmaret; vnde quia à Chriſto poſitus vt Pater, ſupra omnem Religionem,

gionem, & collectivè Prælatos exitit Seraphicus, quin obſtaret, Religionem Seraphicam cum Regula etiam à Chriſto derivatam, nam Religio fuit derivata in compage membrorum, & Seraph Pater in ſublimitate, & prærogativa capitis, & Paſtoris: Unde præcave inſtantiam pro Duce Veneto, dum ad vltimò pro eo dictum, diceret aliquis, quod ſi Veneti Dux crederetur à Deo vt Papa, etiam Reſpublica teneretur vt Eccleſia. Non enim obſtat, vt patet à ſimili Religionis noſtræ, quæ inſtituta ab eodem, à quo Seraph Patriarcha,& tamen hic, nedum ſupra ſingulos fratres ſecundum ſe, quin etiam collectivè ſumptos emineret, hæcque eminentia ſtaret ſemper ex Paſtoratus, & Paternitatis circunſtantia, cum Paſtor debeat eſſe ſupra omnes oves, ſicuti & Pater melior cunctis filijs.

SECT. II.

Comparatis Subarticuli extremis reſpondens.

256. QUam plurima huc vſque, vt clare ſcripta manent, conſumpſimus, Papæ veri ſuadentes eminentiam verſus Concilium, *vt ſit*, & abſque eius comparandæ ſtructuræ determinato ſcopo. Nunc autem pro exacto, & expreſſo primi Subarticuli examine, prout ibi in difficultatis argumento propoſuimus, reſtat eam reſolvere diſtinctius, vtpote loquentes de Concilio, prout ſub determinato extremo *talis* capto, ſicque cum Papa comparato. Ut igitur ibi propoſuimus, dupliciter reſpectu Papæ valet Concilium intelligi, & comparari. Uno modo ſic, vt Concilium licet capiatur à nobis ex vna parte, reſpectu Papæ ex alia, tamen Concilium ab initio vſque ad ſui finem & concluſionem, Papæ voluntatem & dictamen contempletur, & valide ſpectet. Alio autem modo ſic, quod Concilium dum ſit ex vna parte, & Papa ex alia, huius voluntatem contemplari nolit, ſicque Papę approbatione non ſtabiliri, quin nec ab initio de Papæ concilio, & mandato congregari. His ergo ſic diſtinctius captis, per ſequentes ſubſectiones formabimus reſolutiones, & iam facile, cum quæcunque notare potui in contrarium fundamenta, ni fallor, relinquam ſatis enervata.

SUBSECT. I.

Reſolvitur difficultas in primo ſenſu.

257 PRæſentis puncti examen nonnullis nominale, dum minus principale, & minus tractandum alijs fuit viſum. Si namque Concilium cum Papa eſſe vnitum intelligatur, ita vt vnus & idem conſenſus habeatur, aut haberi ſpectetur, cum nunquam ſine Papa percipiatur Concilium, & aliàs nunquam Papa ſupra ſe ipſum ſit, nunquam benè Papa ſupra Concilium eſſe percipietur & conſimiliter, dum è converſo inquiratur de Concilio à Papa non ſeparato. Verumtamen, quidquid nonnulli doctiſſimi circa hoc magis, aut minus diſtinctè ſenſerint, exiſtimo pręſentem difficultatem ſublimem, & non ſupervacaneum afferre reſolutioni examen, ſed digniſſimam diſputationem. Dum enim inquirimus an Papa ſit ſupra Concilium adæquatè, & inſimul ſumptum, tunc licet capiamus Concilium, vt Papæ ſubiectum, eique vnitum, quia ab eo coadunatum, at ſic quod ea vnio, & ſubordinatio non confundat ſic omnem diſtinctionem, quod non poſſimus præſcindere ex vna parte Papam, & ex altera cęteras ſimul ſumptas partes, ſicque Concilium vt Patres cæteros aliquomodo à Sanctiſſimo diſtinctos, ac proinde ſic, quod poſſit manere diſtinctio ſupra quam fundetur diſputàtioni comparatio.

258 Exponitur, & ſuadetur intentum in comparationibus naturarum præ omnibus individuationibus fundantibus caput ſupremum, quia licet non ſic avulſę, & inſubalternantes, quod claſſem cæterorum inferiorum non concernant, at ſic aliquantulum diſtinctę, quod valeant pręſcindi, & pręciſę comparati, & comparatæ pręſtantia, & ſupræmitas dignoſci, hæcque omnia vere, aliter abſtrahentium foret mendacium. Non enim vuio, & continuitas confundunt, vt patet in capite vnito collo, collum pectori, &c, cum ſemper maneat locus vt dignoſcatur quod hæc pars ſit caput, & non collum, &c ſic, Prout ſtrictiori vnitate dignoſcitur radix animaſtica rationalis prę omnibus potentijs, & vna potentia prę alia, ex quo paſſim comparantur. Quod enim quatuor illa animalia ab Ezechiele viſa deambularent in eodem curru ligata, nil impedivit ne fieret comparatio pęnes pennarum pręſtantiam, ſic quod poſſet interrogari,

perrogari, an Aquila volaret deſuper ipſorum quatuor, ac proinde ſic, quod licet penes currum cæteris conciliata, ipſius tamen ſupereminens volatus poſſet præſcindi, ſecerni, comparari, & exceſſivè dignoſci. Sic etiam diſtinxit, & comparavit Angelus, dum circa Domini Sepulchrum dixit mulieribus: *Dicite diſcipulis, & Petro*, & tamen Petrus diſcipulus erat, & ex Apoſtolico Collegio; at autem iuxta præciſionem Angelicam poſſemus inquirere, an Petrus foret ſupra Apoſtolicum diſcipulatum, & ſupra conciliatos cæteros Apoſtolos obtinens Principatum, prout dicitur, *Tu es Princeps Apoſtolorum*. Ergo &c, ſic. Quibus ſic expoſitis.

259 Reſolvendum firmiter, Papam ſic fore præſtantiorem cæteris Concilij ſimul ſumptis Patribus. Primo ſuadetur (ex iam In Pontificatus favorem ſupra dictis, & pro viribus enervatis, parum huiuſce reſolutionis probationi reſtabat) quia Summus Pontifex, vtpote Chriſti Vicarius, reſpectu operis Conciliarij ſe habet, vt Alpha, & Omega, cum ſit reſpectu Concilij Principium, & finis, Primus, & Noviſſimus, vt patet, dum Summus Pontifex pręſtat initium convocando, & finem approbando & diſſolvendo; ſed ſigna hæc, ſemper ſupremi Numinis fuerunt ſigna, vtpote Primi, & Ultimi, Scilicet Primi in cauſando, & vltimi in parando, complendo, & terminando; ergo &c. explicatur ex minori intentum, iuxta illud Iſaiæ cap. 44. vbi ait: *Ego primus, & noviſſimus* (nota inde quod iungitur) *& abſque me non eſt Deus.* (Et ibidem ſtatim) *Quis ſimilis mei? Vocet, & annuntiet, & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum*: Nunc ſic, ſed ex quo Papa Primus, & Noviſſimus, valet veluti alter Deus dicere, *Abſque me non eſt Deus*, cum abſque Papa inchoante, & approbante, Spiritus Sanctus non credatur Concilio aſſiſtens; ergo. Tum valet ex quo Primus, & Noviſſimus, dicere, quis ſimilis mei? Vocet, & annuntiet, & ordinem exponat mihi; ergo quia ex Pontificatus potentia nemo Deo ſimilior, nemo ex ſuppremæ Maieſtatis ſignis pręſtantior.

260 Confirmatur ex illo Apocalyp. 1. pariter ex principio, & fine deſignato, dum dicitur, *Ego ſum A, & O, principium, & finis*, quibus ſtatim ſubiungitur *Omnipotens*, ita vt ad principij, & finis ſignum, veluti conſequens ad præmiſſas, ſuper omnia poſſe ſequatur; ſed Pontifex, vt dictum eſt, eſt principium, & finis Concilij; ergo ſuper cætera eſſe, & poſſe debet reputari, prout, pręclare videtur, cum ſine ipſo, nil poſſint facere, qui Patres magis facere poſſunt, quodcunque ſoluens ſicuti & ligans, habens vt omnipotens Omnipotentiæ clavem in manu ſua, ſicque Cœli, ſicuti & clavem abyſſi.

261 Tum & ratione clare intentum propoſitum deducitur. Quia quod præ cæteris cauſantibus ſic eſt primum cauſans in efficiendo, quod etiam ſit vltimum in terminando, ſeu finalizando, abſque dubio reputatur cauſa prima reſpectu cæterarum cauſarum in linea efficiendi, ſicuti & vltima & præſtantior cauſa finalis in linea finalizandi, ac proinde ſic, quod cæteræ cauſæ, etiam dum ſine aliquibus ſit indiſpenſabilis effectus, ſint & reputentur, vt cauſæ ſecundę; igitur dum, iuxta huius reſolutionis pręſuppoſitum, Summus Pontifex ſit primum cauſans in efficiendo, & vltimum in terminando, abſque dubio reputandus præſtantior in quibuslibet lineis, veluti cauſa prima in comparatione ad omnes ſecundas, inſimul ſumptas, etiam ſi abſque eis indiſpenſabilis foret Concilij effectus.

262 Secundo ſuadetur ex ſublimi approbationis ſcopo, qui ſolius Papæ eſt, prout & Dei maximi fuit in cunctis operibus vt à primo Auctore factis. Examinentur opera quæ fecit in principio mundi, quando creavit Cælum, & terram, & invenietur approbatio, veluti cuncta complens, & perficiens, ita vt nedum approbaret vnumquodque opus ſecundum ſe, ſed & inſimul omnia. *Vidit* namque cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, ita vt Deus terminativè ex operibus factis, dum approbans ſupra ſe erigeretur, vtpote valde bonus apparens, ac proinde diei Septimo benedicens, *& ſantificans illum, quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit Deus, vt faceret*; igitur potiori iure, dum Concilij, & inferiorum Patrum opera approbans Chriſti Vicarius, maximè erigendus, cum quouſque ipſe videat, valde bona illorum facta non cenſeantur, ita vt ea ipſe ſanctificet, & ſanctificata credantur, ex quo ipſe ceſſavit ab omni opere Concilij, eodem die quieſcente Concilio, & inde Eccleſia, quo ipſe requievit ab vniverſo opere, quod patrarat, & ſic complens, & perficiens, quo pacto *Complevit Deus* die ſeptimo opus ſuum, & *perfecti ſunt* Cœli, & Terra, & omnis ornatus eorum. Vide, & nota, cuius huc vſque fuerit opera complere, & facta perficere?

263 Tertio, quia reſpectu furoris Iudaici, plus fuit Petrus viſus, quam cæteri inſimul, vt patet ex cura vt apprehenderetur ab Herode, ex vigilantia pro carcere, pro cuſtodia, & ſic pro alijs: Tum & ipſa Eccleſia importantiam libertatis eius præ omnibus ſatis

manifeſtavit, dum vſque tunc, nec pro tota ſimul, etiam ſi perſecuta, & dirperſit omnes in varias regiones præ nimio timore, legatur prout de ſolo Eccleſiæ capite legitur, quod oratio fiebat *ſine intermiſſione* ab Eccleſia ad Deũ pro eo; & merito, cum more prudentium mallet quam corpus illæſum ſervare caput: Tum nec de aliquo, nec de tota ſimul vmquam dicitur, revera maximum illud, S, Solvente iubente Deo Terrarum Petræ catenas (notetur ly *Terrarum* in plurali) qui facis vt *pateant* (notetur ly pateant cæleſtia Regna) cæleſtia Regna Beatis: Tum nimis ad idem facit, ly Accipe fortitudinem *ad ſalvandas* gentes, vtpote ſolus ipſe Salvatoris accipiens nomen, cuius acceperat præ omnibus Poteſtatem. Igitur quo pacto, qui ſolus Joſeph Salvator, præ omnibus fratribus & filijs Jacob vniverſas populi Dei Tribus conſtituentibus, habuit manipulũ ſupra cæteros inſimul in agro conciliatos conſurgentem, cumque cuncti circunſtantes adorantes, ſic etiam capiendum de Petri manipulo, dum cum ſtolla magna, & ſumma copulato.

264 Quarto, quia capitis ſupremum apicem præ omnibus alijs partibus invenienius in ipſo fidelium diſtinctivo, quod à Baptiſmate ſumitur, cum per illud fidelis ab infideli diſtinguatur, necnon ſolum vinculum fidei ſat fit ad Eccleſiæ compagem, & vnitatem, cum ſola fide poſſit quis membrum Eccleſiæ, ſicque Chriſti eſſe, prout iam alibi propugnavimus; ſed qui iuxta ſolemnem, & pacificum Eccleſiæ ritum intrat in Eccleſiam, maximè per caput intrat, cum eſto baptizetur caput, cætera membra intrare percipiantur, (dum aliter neceſſitate vrgente fiat, intentum noſtrum non derogat, quia tunc neceſſitate ſicuti lex, diſpenſatur & ritus; necnon, quia proficit membro cum pro capite ſuppleat) igitur & aſimili, dum in fidei linea, & credibilium compacto corpore membris, ſemper inter cætera membra valeat caput ſecerni, illud ad diſtinguendum, & fidei ſtatum formandum, præ omnibus alijs prẹſtantius deſignandum.

265 Quinto, ex pluribus dictis, & factis, tam ante, quam poſt Chriſti mortem, in quibus manifeſtè elucet, quod plus attenderetur Petrus, quam cæteri omnes Apoſtoli, prout, ne dicta repetam, videri poſſunt ſupra in Art. 2. maximè in ratione *Septima*. Quibus, vltra id quod ibi ponitur in ſecundo loco, addam, quod dum tunc præ omnibus, fides Reſurrectionis oporteret, cum nil naſci poſſet, niſi redimi profuiſſet, non ſic ad credulitatem importarunt omnium Apoſtolorum, & mulierum apparitiones, ac ſolius Petri, cum dum Petri apparitio conſtavit, vno nimis incredulo excepto, quę antea nimis credibiliter habenda viſa fuerant, vt deliramenta, iam Petri teſtimonio expurgata, fide fulcita, cæteri crediderunt, quia apparuit Simoni, prout & nunc pro fide Reſurrectionis vti divino proloquio vtitur Eccleſia dicens: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Ubi notandum, quod ad gaudium cæteri dicãtur, prout Gaviſi ſunt diſcipuli viſo domino; at autem dum de veritate facit propoſitionem, S, ſurrexit Dominus *verè*, cæteri tacentur, cum ſat ſit quod Petrus dicatur, ideoque ad *verè* ſola Petri apparitio copulatur, inde, prout alibi ſub alio ſcopo notavi, provide Angelus dixit mulieribus, *Dicite diſcipulis, & Petro*, veluti ſi clarè indiceret, quod ſi Petro non dicerent, non facilè crederentur.

266 Sexto à paritate illius celebris Concilij Judæorum pro Chriſti morte, vbi debet merito notari, quod quo pacto nunc reſpectivè omnes Patres Concilij inſimul cum Papa ſunt boni, ſic è contrario erant illi peſſimi, ac proinde quo pacto nunc adeſt motivum, vt Deus omnibus adſit, tunc aderat motivum, vt omnibus abeſſet, cum æquè per malitiam tam Pontifex, quam cæteri à Deo, eiuſque ſuperna gratia diſtarent; his non obſtantibus, quia Cayphas erat anni illius Pontifex, habuit cæteros inſtruere, cum dixit, *Vos neſcitis quidquam*, necnon ipſe à Deo ſuſcepit conſilium, dum dixit. *Expedit &c*; igitur quo pacto in Concilio impiorum impius quia Pontifex ſupra impios extitit, in Concilio iuſtorum, & congregatione Pius quia Pontifex ſupra omnes erit. Tum, & etiam notandum, quod ſi dabatur apud impios Pontifex anni illius, etiam dabatur *Concilium illius eiuſdem anni*; ſed participantes eamdem lineam infidelitatis, vt pro expeditione ſuperna forent ſupra Pontificem, non ſic apud Deum fecit Conciliatio anni illius, ac anni illius Pontificatus, prout viſum fuit; ergo etiam ſi omnes Concilij Catholici Patres participent eiuſdem fidei lineam, tamen in comparationis exceſu non ſic in definiendorum expeditione eminebit Concilij, ac Pontificis conciliantis Auctoritas. Tum in eo concilio; nedum neſcierunt cuncti conſiliarij, iuxta eam deciſionem, ſcilicet, *Vos neſcitis quidquam*, quin etiam ipſe ſummus Pontifex neſcivit, vt patet, cum importantem illum expeditionem à ſemetipſo non haberetur, iuxta textũ Joannis; ſed tamen cunctis conſiliarijs cum Pontifice neſcientibus, non permiſſit Deus quod decideret, niſi quod æternæ ſapientiæ erat, ac proin-

proinde ſic quod ſupra Concilium Pontifex eluceret; igitur abſolutiùs inter Catholicos licet ſapientes omnes, ſemper apud Deum qui Pontifex ſapientior erit, ac proinde ſic, quod dato, & nunquam conceſſo, quod conſiliarij noſtri poſſent errare, nunquam quod Pontifex erraret, permitteret Deus circa importantem fidei expeditionem; necnon ſic ſupra omnes Pontifex, maximus, quod etiam ſi ipſe iuxta ea quæ perſonæ privatæ neſciret, à Deo tamen ſemper quæ ſolius ſapientis manifeſtaret, & licet non à ſe ipſo, verè decideret.

267 Septimo, cum Auctores in ſenſu præſentis reſolutionis circa Papæ pro Concilio importantiam, nobiſcum conſentientes, prout in plurimum teneant, nedum non poſſe in his, quæ ſunt Religionis errare intra Concilij terminos, ſed nec extra, vtpote dum ſedens ex cathedra definiret, prout latè ſupra expoſuimus, & propugnavimus; ſed licet Patres Concilij non poſſint inſimul errare in Concilio, extra tamen, vt patet errare poſſunt; igitur ſemper videtur augeri motivum, vt poſſit & debeat Pontificis Auctoritas ſupra Concilium elevari. Exponitur à paritate Chriſti Domini, cuius Auctoritas revera ſupra vniverſas, quia etiam ſi ſemel interpoſito infallibilitatis pacto, infallibile foret dictum Pontificis ex cathedra loquẽtis, ſicuti dictum Chriſti, tamen nimis elevaret, Chriſtum Dominum infallibilem fore, nedum vt Redemptorem, & Iudicem ſupremum vivorum, & mortuorum, ſed etiam, vt ſpecialis perſona, aut ſingularis homo fuit: Sic, licet aliter, non videtur poſſe negari, vno aut altero modo, Divum Petrum eluxiſſe ſupra cæteros omnes veros ſucceſſores ſuos, quia licet cuiuſvis ſucceſſoris dictum ſit ex cathedra infallibile, veluti Anteceſſoris, at Petrus nedum infallibilis vt Summus Pontifex, ſed etiam vt ſpecialis Apoſtolus; necnon ſupra cæteros Apoſtolos, quia nedum in Concilio, ſed extra erat Apoſtolorum Princeps, & Claviger Supremus Cœlorum; ergo à ſimili, Pontificatus excellentiam percipies, dum cæteris extra errantibus, nunquam qui Pontifex, cum vt talis loquitur, tam intra, quam extra poſſit errare.

268 Octavo tandem hæc noſtra reſolutio, etiam ſub præfato capta ſenſu, valet nimis confirmari omnibus illis quæ diximus in ſenſu præciſo, ſupra in Subſect. 1. maximè at in Subſect. 2. Necnon alibi ſupra loquentes de Papæ infallibilitate, & veracitate quam plurima tradimus nedum in probationibus, ſed & in oppoſitorum ſolutionibus, ex quibus iam pro his, quam pro ſequentibus validè, dum velis, vales invenire fulcimenta.

SUBSECT. II.

In ſecundo ſenſu, equidem rigoroſo reſolvitur difficultas.

269 Vſque adhuc, generaliter in aliquibus reſolutionibus locuti fuimus, & dum nuper iam ſingularius reſolvimus circa Pontificem ſic vndequaque Concilio gratum, & benevolum, quod Concilium, veluti ſummè dependens veneraretur Pontificem, ipſiuſque ſupremam Auctoritatem, vt neceſſario requiſitam agnoſceret & ſpectaret, nedum vt daret initium, quin etiam vt honeſtum, cælicum, & divinum videret finem. Nunc autem ad aſperius tractanda deſcendimus, videlicet, vt inquiramus de Concilio, ad ſummum Antiſtitem ſic comparato, quod ſimpliciter, & abſolutè vtrumque comparationis extremum interſe diſtaret, & diſſideret, prout tam ſupra, quam iam ab initio Articuli cum Eminentiſſimo Bellarmino prævenimus.

270 Vt igitur præſens difficultas exactius reſolvatur, ſub quibuslibet ſeparationis ſenſibus debet vtrumque extremum comparari. Primo ſic, quod Concilium dum haberet Papæ conſenſum vt convocatum inchoaratur, ſecus autem approbationem, & confirmationem, vt conſummatum finiret. Secundo ſic, quod dum Papa exordium non præberet Concilio, ab eo tamen approbaretur, & confirmaretur deinceps. Tertio ſic, quod Concilium nec Papæ conſenſu inciperet, nec Papæ approbatione finiret. Quarto ſic, quod Papa non exiſtente, vt dum è vivis ſublato, oporteat Concilium congregari, quia in rebus Religionis caſu vrgente dabatur periculum in mora, vt in peſtilentiæ remedio. Et dum horum omnium oporter reſolutiones exhiberi, ſemper ſuppono, me in eis alloqui de vero, & indubitato Pontifice, de dubio namque venit agendum in Subart. 2.

§. I.

In primo ſenſu expenditur reſolutio.

271 Reſolvendum etiam firmiter, ex primo ſenſu, nunquam inferendum, Concilium fore ſupra Papam, ſed potius

ſius è contrario. Huius reſolutionis, vt probandæ ſcopus ſiſtit in eo, quod Concilium per *P*apam inchoatum, ſecus autem per ipſius conſenſum finitum, maneret infirmum, & imperfectum, dum tamen iuxta veri, & indubitati *P*apæ ſuppoſitionem factam, firmus, & perfectus, vtpote verus *P*apa foret; ſed infirmum, & imperfectum non debet benè percipi ſupra perfectum, & firmum, ſicuti nec dubium, & incertum in linea veri ſupra certum & indubitatum in tali linea, ſed è contrario potius, prout cunctis notum eſt; igitur ex primo ſenſu potius quam Concilium ſupra *P*apam, iſte ſupra Concilium ſemper inferretur. In præfato diſcurſu, qui probandæ reſolutionis ſcopus eſt, tota difficultas ſiſtit in maiori; minor enim vniverſis ratione vtentibus firma debet eſſe, vt patebit cuicunque partes proportionales linearum penetranti. Maior ergo duas habet partes, quarum vltima, dum ex tot pro *P*apæ veritate dictis non foret firma, ſat foret pro nunc firma ſupponi. Quapropter integer probationis ſcopus ſiſtit in prima parte, videlicet Concilium per *P*apæ conſenſum inchoatum, ſecus autem finitum, manere incertum, infirmum, & imperfectum.

272 Primo probatur, quia quo pacto Deus in operibus, ſic ſervatis ſervandis conſiderandus eſt ille, qui loco eius eſt, vtpote *P*apa qui eſt vice Deus, & Chriſti Vicarius; ſed opera bona, imperfecta, & infirma reputantur, ſi tametſi ab eo incipiant, ab eodem cepta non finiantur; igitur ſimiliter & Concilium, dum à Chriſti Vicario inceptum, ab ipſo tamen non ſit finitum. Maior videtur conſtans iuxta leges ſubſtituẽtium, & ſubrogantium, quæ maximè eluxerant in *P*etro à Chriſto Domino, dum ei etiam vt *P*aſtori bono oves ſuas comiſſit; necnon è manu ſua claves Regni ſui præſtitit, quarum potentiæ donatio inutilis, & illuſoria foret, ſi Cœlorũ ſeræ alijs clavibus à Chriſto, ac Vicario datis poſſent dumtaxat aperiri. Minor non minus certa videtur, quia non proficit in vlla linea benè incipere, ſi iuxta eiuſdem lineæ initium non benè terminetur, vt patet in cunctis, ſivè naturalibus, & phyſicis, ſivè politicis, & moralibus, nullum enim opus aliquo melius, quam fine coronatur, prout ad portas iam Paradiſi, vbi vitæ laborioſi curſus deſunt, manifeſtavit Dominus iuſtorum lineam coronans.

273 Secundo probatur, dum primum confirmatur ex Concilio maiorum virtutum, S, fidei, ſpei, & charitatis, prout in animæ conſiſtorio convocatarum. Fundamentum enim primum fides eſt, & licet magnum, vtpote ſupernum, & à ſolo Deo inchoatum; tamen ſi per ſpem non continuetur, & per charitatem ab eodem Deo non finiatur, equidem manet imperfectum, & infirmum, ita vt nil proſit iuxta *P*aulum; iuxta quem etiam ad intentum noſtrum fuerunt deſignata opera maiora Dei, vt erga curſum ſupernum noſtrum continue connexa, & vſque ad finem conciliata, vtpote, dum, quos vocavit, ipſe Deus iuſtificavit, & quos iuſtificavit, non alius ſed ipſemet glorificavit. Ergo à ſimili dum benè fundatum Conſiſtorium *P*atrum à *P*apa inchoatum inciperet, ſi cum eodem non continuaret, & finiret.

274 Dices, quod eſto Concilium ab initio ſumeret infallibilitatem à *P*apa, id ſat foret, vt ex eo antecedenti infallibilis eiuſdem reputaretur conſequentia. Contra à præfato exemplari virtutum, & ſtatus ſuperni, dum in poſterum diſcontinui. Tum, quia antecedens illud, quod morale erat, non durat moraliter, ſed cenſetúr iam deſtructum, & ablatum, ſeu impeditum ab eodem à quo fuit poſitum. Tum quia ſi conſequens cenſeatur infallibile in virtute antecedentis, & antecedens infallibile dumtaxat in virtute propoſitionis *P*apalis, tota infallibilitas in *P*apæ aſſenſum venit reſolvenda; igitur dum ipſius *P*apæ diſſenſus vigoroſius, & immediatius ante Concilij concluſionem inſiſtat, vel prius in virtute antecedentis futura conſequentia non cenſebatur infallibilis, vel ſi cenſebatur, quod immediatè per eiuſdem diſſenſum debet cenſeri infallibilius, vel in contrarium æquè infallibile.

275 Tertio probatur, & præfata confirmantur iuxta proportionem clavis *P*etro, & Succeſſoribus cum integra virtute datæ; ſed non cenſeretur habere clavem, qui poſſet aperire dum vellet, & non poſſet, dum oportere noſceret, claudere, & ſic claudere, quod nemo poſſet aperire, prout de Chriſti Domini Clavi Davidica dicitur; igitur cum Summus *P*ontifex Clavicularius dum vivens præ omnibus ſit, ſic debet ianuam conciliati conſiſtorij claudere, ſicuti & potuit, dum oportuit aperire, ac proinde ſic aperire, quod nemo poſſit claudere, & ſic apertam conſiſtorij ianuam diſſenſu ſuo claudere, quod nemo alius, quouſque ipſe conſentiat, valeat aperire, & conſiſtorio conſummato vſque ad aliud tempus claudere.

276 Quarto, & prædicta amplius confirmantur ſupremis exemplaribus. Quia etiam quæ ipſe Dominus operatus eſt in nobis, petimus ab ipſo confirmari, iuxta illud *P*ſalmi *Confirma hoc Deus*: vnde ſic formo argumentum: Quæ in totum Deus operatur, videtur

quod

quod minus confirmatione egeant,quam ea, quæ in totum aliquis non operatur, ſed ipſius conſenſu operantur alij; igitur cum hoc vltimo modo verſus Concilium operetur Papa, dum ea, quæ etiam vt quod in totum Deus operatur, exigant ex finis indiſpenſabilis perfectione terminari, & perfici ab ipſo, multo melius videtur, id exigendum ab eis, quæ vt quod non à Vice Deo, ſed ab alijs operantur. Sit ſupremum aliud exemplar pro Eccleſia,& Chriſti Vicario vinea Domini, vt proponitur per Pſalmum 79, ſic: *Deus virtutum converte-re, reſpice de Cælo, & vide, & viſita vineam iſtam: & perfice eam, quam plantavit dextera tua*: nunc ſic, cuius vineæ elegantior & firmior plantatio intuebitur, ac illius,quam non ſiniſtra, ſed Potentiſſimi dextera plantavit? Sed nihilominus rogatur vt contineuet videndo,& viſitando, & tandem perficiendo; igitur dum præfatum Concilium vinea Domini,& à Vice Domino plantata cenſeatur, vtpote ab eo inchoatum, & ipſius dextera debet ſperare fieri perfectum, & terminatum. Tertium ſit Chriſti Domini divina,& ineffabilis Nativitas,ex qua ſic ſumo argumentum: Nullus in quavis creata perfectione valet Gigantior proponi curſus, quam Chriſtiſer, nec qui ſublimius pro nobis haberet initium; ſed tamen, nil naſci profuit, niſi redimi profuiſſet, cum terminus illius vitæ perfectæ,in morte,& fine eiuſdem ſiſteret; igitur & Concilij curſus in termino eiuſdem, cuius ſtetit initium.

§. II.

In ſecundo ſenſu expenditur reſolutio.

277 RESolvendum, etiam in ſecundo ſenſu inferendam Pontificis excellentiam ad Concilium. (Noto quod in his reſolutionibus ſupponimus, ſic in præfatis conditionibus convenire nobiſcum Auctores contrarios, quod exoptent etiam ipſi conſenſum Papæ ad inchoandum, licet non ad terminandum, vt in primo ſenſu,& approbationem in terminando, ſeu iam terminato, vt nunc in ſecundo ſenſu diſcutitur.) Primo ſuadetur, quia abſolutè loquendo excellentius eſt, quod eſt verum ex principio, & fine ſecundum ſe, quam quod ſolum eſt verum, quia ex fine erat verum; ſed Pontifex, vt probatum relinquimus eſt in deciſionibus fidei, & Religionis infallibiliter verax, tam poſt quam ante Concilium, dum Concilium, tale ſolum foret poſt Pontificis approbationem; ergo in vero excellentior. Maior conſtans eſt, quia duo Sancti, in gratia finalizantes, ſecus autem in gratia ab initio præexiſtentes, licet in fine vterque beatus, at ſemper melior & beatior, qui à primo vitę inſtanti,& ſic per omnem vitam ſemper gratioſius,vt patebit in alma Matre à primo inſtanti perfecta reſpectu alterius, vel fuimet, ſi à primo inſtanti Immaculata non exiſteret; ergo.

278 Secundo, quia revera tale Concilium, ex quo tempore incepit vſque ad Pontificiæ approbationis inſtans excluſivè, non poterat cenſeri verum, licet poſitivè nec poſſet cenſeri falſum, eum quicunque in nomine Dei & bono animo congregati poſſint dicere verum, imo & quilibet ſeorſim, & ſolus decidens poteſt verum dicere, cum per deciſionem ſuam poſſit attingere rem,vt eſt in ſe, prout Philoſophus dixit,& forſan in ferè omnibus ſpeculativis definitionibus ſuis ipſe tetigit, at nil horum eſt infallibile, quia abſolutè præfati omnes poterant dicere falſum;ſed accedente Papę approbatione, & definitione ipſius interveniente,nedum præciſivè, ſed abſolutè verum, tale Concilium reputaretur; igitur ſi illud ſit excellentius in aliqua linea, *Propter quod in ea vnumquodque eius tale eſt, &c. in quod venit reſolvenda perfectio*, ſemper ex approbatione inferetur Papa præ Concilio excellentiſſimus.

279 Tertio, & confirmantur cætera ab exemplari plurimorum rectum vivendi modum incipientium, & continuantium abſque poſitiva Eccleſię approbatione, ita vt ab Eccleſiæ directione poſitiva, & ſolemni talis rectus vitæ modus non inchoaretur, verumtamen approbaretur deinceps, vt evenit in nonnullis Sacrarum Religionum inſtitutis, quarum infallibilitas in recto vivendi modo ex Pontificum approbatione incompatabiliter excelluit ex eo inſtanti præ omnibus inſtantibus vſque ad illud; igitur dum ſcopus infallibilitatis Pontificiæ, non ſit diverſus pro approbandis dictis, quam factis,nec diformis & imbecillis pro congregatione benè operantium, ac verè loquentium, quo pacto in congregatione iuſtorum excellentior in termino ex approbatione Pontifex,ſimiliter in concilio & congregatione dictorum excellentior ipſe. Nec pro huiuſce reſolutionis firmamento plura requiruntur.

280 Dumtaxat nunc notare oportet,præfatam reſolutionem, ſic defenſari potuiſſe ex ſuppoſitione, ſcilicet, dum Pontifex poſſet approbare Concilium ab ipſo nō inchoatum, Nunc vero,cum ex incidenti,abſolutè aliquid dicere

dicere offeratur, breviter reſolvam, an poſſit per Pontificem habere finem, quod per ipſum non habuit initium.

281 Reſolvendum, non invenire contradictionem, vt Pontifex de facto poſſet tale Concilium approbare, & confirmare. Suadetur, quia dum aliquorum practicabilis, & non ſemel practicata congregatio plura docoerũt, & doctrinia plurimos inſtruxerunt, poteſt Pontifex reprobare definitivè, vt definitivè fecerunt; igitur & bona approbare, prout nuper dixi de Religionum approbatione, & de aliquorum canonizatione. Videtur conſonans illatio, quia contrariorum eadem ſemper ratio, ac proinde ſi verum & falſum, bonum, & malum contraria ſint, poterit eligere bonum, qui potens ſit vt poſſit reprobare malum, vtpote cum butyrum, & mel è cœlorum clavibus diſpenſata comedat. Patent ex clavium virtute, quę quo pacto aperta poſſunt claudere, & clauſa poſſunt aperire; igitur quo pacto ab alijs clauſa poteſt ipſe aperire, & ab alijs aperta poterit ipſe claudere.

282 Tum, quia Pontificis conſenſu præciſo, quod aliquid potuiſſet eſſe falſum, prout innui, non tollit eſſe verum, vt patet circa bonum in Beato Franciſco, v. g, cum poſſe tranſgredi, non abſtulit ab eo, non fore tranſgreſſum; ſed circa quodlibet verum actu (hinc percipe, dum vrgeret occaſio, & oportere poſſet, non enim debent expediri omnia quę habent poſſe) non repugnat deciſiva approbatio Pontificis; ergo neque hinc licet aliter potuiſſet eſſe abinitio. Suadetur minor, nam valet eſſe approbatio circa omne circa quod divina revelatio, ſed valet revelari vt verum, & bonum, quod potuit eſſe falſum, & malum, cum infallibilitas eventus vt eſt, non contradicat fallibilitati eius, vt potuit; ergo. Exemplificatur in Beato Franciſco, cuius ſicuti Deus revelare, valuit Papa definire non fuiſſe actu trangreſum, quin obſtet revelationis, & definitionis infallibilitati tranſgredi potuiſſe; ergo &c ſic.

283 Tum comprobatur iuxta noſtram iam propugnatam reſolutionem iuxta quam tenuimus de fide, hunc numero Innocẽtium fore Petri ſucceſſorem. Sic ſuadeo præſens intentum; licet totus curſus ſpiritualis Innocentij non inceperit de fide, ſed in initio incertus, & dubitabilis, videlicet veritas eſſendi baptizatus, & ſic alia, tamen integrum curſum in linea fidei infallibilem valet Eccleſia relinquere, ita vt ex vltimo inſtanti electionis, & conſenſus Eccleſiæ reddatur infallibile quod erat antea in initio dubium, & fallibile; igitur cum non minus infallibilis Auctoritatis ſit Pontifex, prout propugnavimus, etiam ſi abſque illius conſenſu, & Auctoritate inceptum Concilium, in initio dubitationi ſubiectum videtetur, tamen poſſet deinceps approbatione Pontificis reddi infallibile, & ex formali inſtanti approbationis infallibiliter verum in omnibus vſque ad initium manere, & ſic reputari.

284 Tum comprobatur ex integra ſacrarum Scripturarum infallibilitate, quæ antequam forent per Eccleſiam approbatæ, quoad nos vt conſiderantes illas ante inſtans approbationis, quod fuit poſt illas, & ſic quod vltimum, vt incertæ, aut ſaltim vt infallibiles non tenerentur, vt non tenerentur ab Auguſtino Evangelia; idque magis dubitandum circa eas Scripturas circa quas diſputabilis aderat controverſia; tamen poſtpoſita deciſione à Judice controverſiarum, quod ab initio diſputabile, poſt indiſputabile manet, ita vt poſſit Romanus Antiſtes circa quod in initio erat diſputationi ſubiectum indiſputabilem relinquere cenſuram; igitur etiam circa ea quę in aliquo Concilio ab initio vſque ad inſtans Approbationis diſputabiliter forent vera, poſſet, dum oporteret Summus Antiſtes decidere controverſiam, & indiſputabilem ſtabilire approbationem.

285 Et ratio ſumitur ex duplici motivo, ſcilicet, ex primo, quod in his quæ ſunt Religionis, & ad vniverſam Eccleſiam ſunt proficua, vel nociva, Papa loquatur, & decidat vt Chriſti Vicarius, ſicque vt divinitus à Deo inſtructus, quo pacto ſicuti Deo æquè clara ſunt omnia, ſivè ſint initij, ſivè termini, & æquè nobis ob ipſum manerent credibilia ex Auctoritate aſſertoria, dum nobis non manifeſtans alicuius Concilij approbationem in initio, manifeſtaret in fine, vt patet; ſic cum de Papa credamus in pręfatis alloqui, vt divinæ Auctoritatis inſtrumentum, eſto ipſe poſſet dare infallibilitatem Concilij initio, poſitivo conſenſu inchoando, non minus approbatione terminando, omne illud nobis relinquere deberet ęquè credibile, vtpote vt inſtrumentum in virtute illius cauſę principalis, quæ non minus valet ex termino totam lineam vſque ad primum initium manifeſtare infallibilem.

286 Sumitur ex ſecundo motivo, quia iuxta intentum reſolutionis noſtræ, in omni ſenſu præfatum Concilium non deberet abſque conſenſu Papæ intelligi initiatum, nam eſto Papa in termino cuncta illa approbaret, implicite morale præſtaret initium, ſi non ad res vt in tempore phyſicè factas, ad eaſdem vt menti ſuæ obiectivè propoſitas, quo pacto approbans

probans finem, implicite relinqueret intra ipſius voluntatem initium, necnon in fine approbans res factas, deduceretur ipſos ab initio factores approbare. Hæc enim eſt cauſæ finalis excellentia.

§. III.

In tertio ſenſu expenditur reſolutio.

287 CUm Contrariorum quæcunque videre, & diſcurrere potui, iam præoccupata relinquam, parum, aut nil ad præſentem reſolutionem propugnandam reſtabat; verumtamen cum pro viribus ſumpſerim Divi Petri Succeſſoris meritò exaltare caput, nonnulla impræſentiarum conſumere intendam.

288 Reſolvendum firmiter, etiam in hoc tertio ſenſu, præ omnibus excellentiſſimum Summum Antiſtitem defendendum, & venerandum. Suadetur ex principali ſcopo theſis, quia in quavis linea dum vere, & perfecte conflata, id percipiendum excellentius præ alio, quod præ illo habet certitudinem; ſed præ tali Concilio haberet Innocentius v.g. tertius fore Summum Eccleſiæ Antiſtitem, quam Concilium illud fore, aut repræſentare vniverſam Chriſti, & Petri Eccleſiam; ergo intra Fidei, & Religionis lineam præ tali Concilio Summus Pontifex tenendus, & venerandus. Maior eſt certa, vt in quavis ſcibilium ſerie ſuadent quæcunque nota principia reſpectu mediorum probabilium, quæ ſub dubio minus dum etiam imperfecte probant, necnon ſuadent magis ſeu maxime nota reſpectu minus, tametſi etiam vera ſint, prout in lib. Prior. & Poſter. iuxta Ariſtot. & Scoti literam cum communi expendimus.

289 Minor, in qua ſiſtit difficultas, ſuadetur, quia quod Innocentius v.g. fuerit Petri Succeſſor non dubitatur; tum quia de omnibus vſque ad Petrum dubitare poſſemus; tum quia hucvſque loquimur de vero, & indubitato Pontifice; tum quia & ipſi Contrarij vt indubitatum debēt tenere iuxta ſui intenti ſcopum, eo quod Concilio Electorum debeant præbere infallibilem actionem, aliter quo pacto poſſent falli, & fallere circa vnum ex principalioribus Eccleſiæ actibus, vt eſt ſibi eligere caput, Petro Succeſſorem, & Chriſto Vicarium, poſſemus eos falſos exiſtimare circa quemcunque Concilij actum; igitur quo pacto Congregationi cæteros fideles repræſentanti, vtpote electrici, præbeant infallibilitatem, ſi veneratores Congregationum, aut Conciliorum ſint, eamdem ab ipſis electo, & in capite poſito præbere debent; ſed non eſt ſic certum, quod ſit indubitabile Concilium, nec Pontificis conſenſum ſpectans, vt incipiat, nec approbationem, vt firmetur, & finiatur; ergo. Pro nunc ſuadetur minor hæc, cum veritas talis Concilij pro viribus diſputetur, & vt credo, maior pars Catholicorum Doctorum nedum illud vt dubium, ſed vt certo falſum reſolvat; & ſimiliter invenietur ſi vniverſi fideles Catholici conſulantur, tam literati, quam ſynceri, & divini gregis oves ſimplices; ergo.

290 Tum minor illa principalis ſuadetur, quia eſto certum ſit Petri Succeſſorem ſemper extiturum, licet etiam certum ſit Eccleſiam in vnitate fidelium cōpactam ſemper extituram, & contra infernalem furorem prævalendam, at dum non certo credi, ſaltim prudenter dubitari poſſet, an talem Succeſſoris Petri Eccleſiam repræſentaret Concilium fidelium, qui contra Succeſſoris conſenſum congregarentur, & ipſius confirmationem non venerarentur, quo pacto ſaltim dubitari poſſet, an Boni Paſtoris, aut ipſius veri Succeſſoris foret grex earum ovium, quæ nec vocē eius audirent, nec eum agnoſcerent tam vt à caulis exirent, quam vt intrarent; necne quo pacto dubitari poſſet, an corporis humani & rationalis forēt membra, quæ Capitis directionem obſervare repugnarent; igitur à ſimilibus inferte, dum pulſare velitis cuius Capitis ſitis membra, cuius Paſtoris Grex, & cuius Succeſſoris Eccleſia. Videte an in dictori numiſmatè, cuius ſit, poſitis certò ſcire, ſi non ſit ſuperpoſita imago, vel vnius Dei, vel vnius Cæſaris? Oſtendite mihi numiſma cenſus fidei noſtræ, quæ indiviſe ſolvitur pro Chriſto & pro eius Vicario, & ſic vos reddere cogam, (ſi quæ debetis, ſolvere debeatis) quę ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ vnius Dei, vni eiuſdem Vicario, & Theſaurorum Eccleſiæ Clavigero Caracteriſtico. Dum ergo manifeſtè falſa moneta, ſaltim nimis dubia, & vehementer ſuſpecta vniverſis manebit, quæ à quorumlibet congregatione expediatur, dum regali ſigillo non deſignetur; igitur vel annulus Piſcatoris manebit dumtaxat pro riſu, vel irriſione aquarum, vel quidquid vere fundendum, ipſo funditus deſignandum.

291 Tum ſuadetur minor illa ex Pontifice, & Concilio malignantium; cum enim collegerunt Pontifices, & Phariſæi Concilium, ex vna parte in dictamine extitit Pontifex Summus, & ex alia vniverſi Concilij; ſed dum dubitabilis, aut manifeſte falſa Concilij

intelligentia, ſecus autem Pontificis ex diſpenſatione divina; ergo ad proportionem, cum quo pacto debeant noſtri Concilij meliorari Patres, debeant etiam Sanctiſſimum ad proportionem reſpectivè meliorari. Dices, ibi non fore in dictamine Concilium ex vna parte, & Pontificem ex alia, nam omnes pari intelligentiæ metro convenerunt in vnum adverſus Dominum. Contra ſemper inſtat probatio, quia convenerunt in vnum, poſtquam Pontifex manifeſtavit mẽtem ſuam, quouſque enim illius dictamen non obſervarunt, ex vna parte fuit Pontifex, & ex alia Concilium, vt patet ex Pontificis dicto per Joannem cc. S, *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis*; vnde clare colligitur, quam diſtans foret cogitatio eorum à Pontificis cogitatione, ſtant in cogitatu, & expeditione ex vna parte foret Pontifex, & ex alia cæteri conciliati; ſed cæterorum incerta, ignara, & inexpedibilis cogitatio, quouſque Pontificię quidquam neſcientes; igitur multo magis, vbi multo magis, quin & magis vſque ad *ſummum*.

292 Secundo ſuadetur noſtra reſolutio, & minor illa confirmatur, dum Eccleſiam Militantem, cum Triumphanti conferre, & combinare velimus. Re enim benè, & conſonè inſpecta, videtur à pacificis Catholicis tenendum, Eccleſiam Militantem fore ſymbolum, & vmbram Triumphantis, prout alibi ad proportionem expoſuimus, & nunc breviter, cum Militans fundetur in vinculo fidei, quæ eſt ſperandorum, non hinc, ſed ibi apparentium, ac proinde ſpeculum, quod licet obſcure repręſentat eadem, quæ ibi deinceps videnda ad faciem, ſic hæc & illa in veritate continua, quod viſio ſuccedat fidei, quo pacto & ænigmati dilucidans expoſitio: His ita arguo ſic: Eccleſia Militans eſt veluti vmbra conſonans illius immortalis lucis, igitur quo pacto non teneretur vmbra illius corporis illuminati per faciem, vmbra quæ à tergo vniformiter ad ipſum non moveretur, nec tenebitur Militans ſi ad conſonantiam corporis Triumphantis non ſequatur, quin poſſet ſolide dubitari, Militantis veræ, non forę talem vmbram; ſed dum Concilium non ſequeretur, nec conformaretur cum Supremo Militantis Duce, non ſequeretur Triumphantis, & illius corporis glorioſi lucem; ergo meritò, an illius verum foret ſymbolum poſſet dubitari.

293 Dices, idem argumentum militare in Supremum Antiſtitem, cum poſſet noo minus dubitari, an foret verus Chriſti Vicarius ille, quem ad inſtar Triumphantis, & principalis ſui Antiſtitis non ſequebatur Concilium Militantium in via, & in vmbra mortalium. Benè quidem, ſi ſtatim opponenda roboris non ſint. Contra igitur, nam talis eſt in Triumphanti conſonantia altiſſima providentia ſtabilita, quod dum debeat dari glorioſa conformitas inter Ducem, & agmina, hæc ſequantur illum quocunque ierit, ſecus autem è converſo, ac proinde ſi poſſet fieri, quod cum divinum Paſtorem nõ ſequerentur oves, non dubitaretur de bonitate Paſtoris, ſed de ovium glorificata, & confirmata bonitate; igitur dum probe, & conſone illius ſtatus Triumphantis noſter Militans debeat vt vmbra obſervare lumen, à priori ſuadenda conformitas, non quia militibus conformis Dux, ſed ſic è converſo, quod dum milites Ducis decretũ, & motum proprieratìvum non ſequerentur, non deberemus iuxta cæleſtium harmoniam, ſic de Duce, ac de quovis militũ agmine dubitare.

294 Tum ab illo paritatis metro arguam, dum conferam ænigma noſtrum, qua parte conſonat, vt ſpeculum cum facie. Sicut enim Chriſtus eſt ad Triumphantem ſtatum in facie, ſic & in ſtatu noſtro reliquit Vicarium in ænigmate; & ſicut in fine evacuanda fides, ſic & evacuandus Vicarius, cum venerit qui Perfectus eſt; & ſicut nobis inviſibilium iſte, ſic nobis viſibilium ille; & ecce, ſicuti ſedes prima poſita erat in Cælo, & ſupra ſedem ſedens, & prima ſedes poſita in Terris, & ſupra eam ſedens; & ſicut clavem David Chriſtus in manu ſua, ſic & Vicarius clavem Chriſti; igitur quo pacto Chriſtus iuxta quamvis ſuppoſitionem ſupra vniverſos in luce triumphans, erit, qui in ænigmatè Chriſtifer ſupra vniverſos in fide militans. Tenebit profectò paritas, ſi ſicuti inviſibile ad inviſibilia, viſibile ad viſibilia, & ſicuti faciale ad facialia, ænigmaticum ad ænigmatica quæque comparentur.

295 Tertio ſuadetur noſtra reſolutio, dum etiam Triumphantis obſervemus ſcopum, tum prę omnibus participibus ſuis excellentior ſit qui primam ſedem occupat, vt fuit qui ſedebat in Throno, nova faciens omnia. Exponitur intentum, quia qui ſedens vt Chriſti Vicarius, eſt qui iuſtorum animas, ſicque plurima Chriſti membra declarat, & decidit beatas, & quoad nos glorioſas facit, & earum cœleſtem locum penetrat: Tum cultum deſignat, vel deſignatum approbat, aut reprobat: in divinis officijs ſolemnitates auget, aut minuit, præparans & diſtinguens claſſes, quo pacto illac Altiſſimus in Domo Patris ſui manſiones: Tum regularius diſpenſat Cœleſtium Theſaurorũ divitias, etiam ex alia parte obſtantibus Eccleſiæ Principibus, vt viſum, & mire expertum fuit in Portiunculę mirabiliori indulugentia; Tum

cum

ſum certe conſtet, Chriſtum Dominum pro cæleſtis indulugentiæ expeditione, non miſiſſe Franciſcum ad Sacri Collegij Patres, ſed ad ſuum Vicarium dumtaxat, volens per miram dignationem ſuam, vt ille confirmaret quod ipſe omnium potentiſſimus Dominus concedebat vniverſis Eccleſiæ fidelibus: Tum miracula, ſupernæ illuſtrationes per ſomnia, quæ ſunt coruſcationes, quæ illuxerunt Orbi Terrę, prout Eccleſiæ commoda, per ſuum Vicarium ſæpe, & regularius Altiſſimus manifeſtare dignatus eſt; vt conſtat ex quam pluribus Pontificibus fœliciſſimæ recordationis Patribus Sanctiſſimis, prout etiam nō ſine ſtupendo miraculo fuit expertum per SS. Innocentium Tertium circa Seraphicæ Religionis erectionem, cum contradictionibus adhibitis, vidit per ſomnium Franciſcum ſuis humeris ſuſtinere Eccleſiam iam collabentem: Tum cui Dominus Eccleſiam ſuam oſtendit collabentem? Non ſacro Collegio, aut alicui nunquam ſine Papa Concilio; ei enim oſtendit collabentem, quem præ omnibus elegit conſervantem. Non enim provide oſtenderentur vlcera, niſi dumtaxat potenti applicare remedia. Sic enim præ omnibus habemus Pontificem, qui poſſit condolere de infirmitatibus noſtris, & non de noſtris tantum, ſed & totius mundi; igitur etiam cæteris ex alia parte contradicentibus, ille vt Prothomedicus obſervandus, & præ cunctis vocibus audiendus, ex quo vox Chriſti intonuit, *Confirma fratres tuos: Occide & manduca. Diligis mè plus his?* A nobis namque plus omnibus diligendus, qui plus omnibus dilexit Chriſtum.

296 Quarto ſuadetur noſtra reſolutio, quia in his quæ vniverſis Eccleſiæ fidelibus importantiſſima ſunt, ſi catholice, & rationabiliter, videtur ſolidiori, & ſecuriori parti ſtandum, ſed videtur abſque dubio, ſolidius & ſecurius ire Auctores illos, necnon vniverſos fideles, qui obedirent, & aſſentirent Concilio Generali dum Papę conſenſum, & approbationem obſervanti, & ſpectanti, quam Concilio è contrario congregato reſolventi; ergo. Major conſtans eſt. Minor etiam, alias abſque Papæ conſenſu providiſſet Altiſſimus ſolemniora, & venerabiliora Concilia, prætérquam quod non divino Numine, ſed ſolo humano nomine haberemus Papam.

297 Dices ſtatim, non poſſe à pacifico, & rationali Catholico præfatæ rationis robur negatiſas pari metro poſſe à Contrarijs formari, cum quilibet Catholicus, & æternorum ſollicitus, ſecurius ſiſteret, dum obediret Papæ qui ſubiaceret Concilio, quam dum è contrario ex oppoſita parte vtrumque foret diviſum, S, Papa, & Concilium. Contra extat ſemper, quia licet demus ſecurius quemlibet ire, & ſerenius aſſentire dum Papa ſequeretur Concilium, & poſt ipſum iret venerans, at iret ſerenius quo pacto ſerenius iret Caput, quod præeuntibus pedibus, aut manibus viam amplecteret, eamque bonam notaret, nonque diſcordarent; ſicque & Paſtor qui præeuntibus ovibus paſtum non revocaret, aut contradiceret; verumtamen iuxta argumenti obſervandum intentum, deficit ſolutio, cum præfata ſerenitas nulla ſit pro Contrarijs, niſi dum caput debeant cætera membra dirigere, & oves Paſtorem gubernare, ſicque Sponſa Sponſo imperare, ac proinde Chriſti fideles ſibi ſubiacere eum qui Chriſti locum tenet, necnon ad firmiorem Conſiſtorij ſiſtentiam, cæteras ſedes ſupra primam collocare, qui fuſet perverſus ordo, & adhuc vbi nullus ordo non obſervatus, cum Supremus ille Angelus, ex quo Conciliabuli Præſes, & infernalium Spirituum caput, ſupra cœteros obtinet, & obtinuit Principatum, vt viſum fuit cum cauda traxit vt Lucifer tertiam partem errantium Stellarum. Oro Doctiſſimi Auctores ſi contrariorum eadem ſit ratio, vt à veſtra ſententia declinetis, ne Filij illius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſint, aut videantur: Nam licet millia pedagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres, vnus eſt enim Pater veſter in Cœlis, & vnum pro ſe Patrem habere in Terris deſtinavit, cui omnia dedit in manus, ex quo Anteceſſor Petrus omnium Apoſtolorum fideliſſimus.

298 Quinto reſolutio ſuadetur ex nomine quo ab vniverſa Eccleſia Pontifex non ſine divina providentia inſignitur, veluti dum qui regeneratur prout Maximus è Cœlo factus. Dicitur enim *Beatiſſimus* Pater per anthonomaſiam, & veluti caracteriſticum ſignum, ſicque nominatur *Beatitudo*, cuius ſcopus eſt omnium bonorum aggregatione perfectus, ac proinde, cæteris omnibus altior, quæcunque veluti Beatitudo perficiens, ſuperans, & ſuperne complens, non ex alio motivo, quam ex quo in repræſentatione glorię Primogenitus, & Chriſtus eſt vtpote ipſe ſolus homo ille ſuperne ad imaginem, & ſimilitudinem hominis Dei factus. Inde invenies notatu dignum, Seraphicum Patrem noſtrum Franciſcum nominari ab Eccleſia Beatum, quo pacto cæteri Eccleſiæ Sancti nominantur Beati, ita vt in eo Sanctitatis caractere ęqualis cum cæteris Sanctis in Catalogo poſitis veneretur, at dum cultum exhibet Eccleſia Franciſco, vt Chriſto inſignito, vtpote vulnerum ſacra rubrica ſimilimo, tunc ſupra cæteros,

& ſe ipſum, vt ſupernis alijs virtuiibus ſanctificatus veneratur, eum ſiquidem Eccleſia nominat Beatiſſimum, vt in ſolemni oratione pto Sacrorum Srigmatum cultu, vbi dicitur: *Domine Ieſu-Chriſte, qui frigeſcente mundo in carne* Beatiſſimi Franciſci, *Paſſionis tua ſacra ſtigmata renovaſti.* Igitut,& à ſimili in eo,qui in Summo Pontificatus apice adeſt veluti Chtiſtus aſſiſtens Pontifex præſentium bonorum: *Et conſummatus* (ad Hebręos 5.) *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis aterna,appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchiſedech.*

199 Confirmatur illa excelſiotis Beatitudinis appellatio, dum id, nominis non fore quæſitum, præcavetur ex Paulo ad *Hebraos* 1. qui cum Angelorum Choris Chriſtum comparans, ſupta omnes ex vna parte, Chriſti D, excellentiam reſolvir, quia *Tanto melior Angelis effectus,quanto differentius prę illis nomen hareditavit.* Igitut dum non caſu humano & inſcio placito, Summus Pontifex, vtpote Chriſti Vicarius, Beatiſſimus appelletur Pater, nedum voce populi, ſed voce Conciliorum, & vniverſæ Eccleſiæ, tanto melior illis & omnibus effectus repurabitue, quanto differentius præ illis nomẽ hæreditavit, etiam ſi Conciliantes quicunque ſint veluti Angeli, ſpititu eximij.

300 Confitmatur intentum teſolutionis noſtrę, dum ſyncera litera præfatam Pauli Epiſtolam ad Pontificem ſummum, & Primogenitum in multis fratribus vertimus. Comparat Paulus Chtiſtum cum præcedentibus Patribus ſpiritu prophetico ſublimibus, quibus multifariam locutus Deus in Prophetis;comparat cum Angelis, vt nupet diximus; comparat cum cæteris divinę gratię participibus, ſicut & oleo Chriſtifero vnctis, & eum, vt Primogenitum præ omnibus adorandum teſolvit, quia eum Deus conſtituit hæredem vniverſorum ; quia ſplendor eſt gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius,pottans omnia verbo virtutis,purgationem peccatorum faciens,ſedens ad dexteram Maieſtatis in excelſis,differentius nomẽ hæreditans:Rurſus,infert Paulus excellentiã,quia Angelos ſuos facit Spiritus,& Miniſtros ſuos fervidos,Filium autem Thronum ipſius in ſæculum ſæculi ; *Propterea* (infert Paulus cum Chriſto loquens) *vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis prę participibus tuis.* Igitut à ſibi ſimilimo ex re,& nomine,de Beatiſſimo Patre noſtro dogmatizandum,cum multifariam multiſque modis olim Deus loquens,noviſſimè in diebus iſtis locutus eſt nobis in ſimili Filio ſuo, eum conſtituens hęredem vniverſotum (Tibi dabo claves) purgationem peccatorum faciens(quodcunque ſolveris)qui vt Beatiſſimus eſt ſplendor gloriæ, & vt Chriſti Vicarius figura ſubſtantiæ eius, qui verbo vittutis omnia portans (& ſuper hanc petram) ſedet ad dexteram Maieſtatis,ſi ſic ſedeat, cui paratur Prima Sedes ; Qui habet Chriſtum in Patrem, & ipſe eſt ei in Filium (Diligis me plus his?)Qui habet Thronum à Deo,veluti Vnigenitus in ſæculum ſæculi(Ego rogavi pro te, vt non deficiat)Tum faciens Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos creans, & firmiter ſtabiliens (confirma fratres tuos)igitur cum ſic ſit à Deo introductus in orbem terrę Primogenitus in multis fratribus, adorent eum omnes tamctſi Angelici, & ſit, veluti à Chriſto vnctus, oleo exultationis præ participibus ſuis. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, & in miniſterium miſſi propter eum?* & *Ad quem eorum dixit aliquando : Sede à dextris meis?* Propterea ſolus exaltavit caput,qui in Cathedra ſeniorum præ omnibus tenet primam re, & nomine ſedem.

301 Tandem ex ſublimi Beatiſſimi denominatione præſentis diſcurſus intentum confirmatur ex comparatione noſtri Catholici ſtatus cum vniverſis Sectariorum ex diametro oppoſitis. Igitut circa vetam æternę ſalutis viam ab vniverſis Sectarijs diviſi ſumus Catholici, ita vt nos ſimus ex vna parte, & ex cõtraria ſint cæteri;vertitur diſputatio inter nos,& illos,vt veritas reſolvatur, & in noſtræ viæ favorem, prout bene ſciunt Dogmatici, & noviſſimè in Calviniſtas inſurgit Maſſuchius alibi citatus, nimis iuvat argumentum ex *Catholicorum nomine* conſtructo, eum per tot vitiata errorum, & Zizaniarum ſæcula,ſalubris Catholicorum denominatio in nobis ſemper maneret conſtans, & inconcuſa, non que iuxta altiſſimam Dei providentiam, qui nedum ab initio cœleſtibus creaturis ſuis *nomina vocat,* quin etiam viæ ſuæ viris dilectis, vt ſæpe evenit ab Abraham,ex quo Pater fidei noſtræ cluxit; igitur dum quicunque fidei Patres ſint ex vna parte, & ex alia ſit Pater omnium credentium,vtpote iuxta divinam providentiam Beatiſſimus nominatus, non minus congrue præ omnibus ſublimandus, ac luminare *maius* reſpectu Stellarum, Abraham reſpectu tribuum benedictorum,& Catholicum agmen reſpectu cæterorum. Præfato medio, neſcio ſi reſpondere volent Sorbonici contrarij ex nominato illo *Chriſtianiſſimi.*

302 Sexto noſtra reſolutio ſuadetut,dum intuetur Concilium, nec Pontificis conſenſum rogans,nec approbationem ſperans.Confluant ergo ad tale Concilium, congregati tractent quæ ad fidem, morumque optimo-

rum

rum præſtantiam ſpectant; at vt evenire poteſt, in ipſo inquiſitionis, & diſputationis tramite dividantur, ita vt plures ſint ex parte hac, & tot ſint ex parte altera, vt in Populi Dei agminibus evenit in valle Terebinthi (in valle Terebinthi repræſentabatur Eccleſia Dei, vt patet ex illo 1. *Reg.* c. 17: *Et noverit univerſa Eccleſia hac.* Tum quo pacto victoria ſiſtere debuit indiviſibiliter in vna, aut altera parte, dum diſputabatur, necnon Religionis ſequendæ proba fœlicitas, iuxta illud, *Erimus vobis ſervi*, ſic, ſervatis ſervandis, talis Concilij Patribus in duo agmina ex diametro diviſis in hac Eccleſiaſtica lachrymarū valle, veritas credenda ita indiviſibiliter ſiſtere debebat in ſola vna parte, quod contraria altera, vel determinatè deberet eſſe vera, vel falſa, ſicque vel militantis David, vel militantis Goliath) Rogo nunc, vt noverit vniverſa Eccleſia noſtra veritatis definitivæ partem, quis decidet, & aliter ſic, vel ſic inſtruet agmen, vel coadunare aliter ſic, vel ſic faciet, dum vnus omnium potentiſſimus iuxta cor Dei deficiat David? *Mandа Deus Virtuti tuæ*, vtpote ei, quæ Summa, in medio cordis tui eſt.

303 Dices ſtatim, quod dum Concilium ex parte hac, & ex parte illa foret diviſum, non foret Concilium Dei, quia Dei, vtpote perfectiſſimi, dumtaxat ſunt, quæ virtutis vnitæ, vt inhabitare facientis vnius moris in domo. Benè quidem, at in primis ad ſolidæ, ſyncereque veritatis cupidos irrefragabile ducam argumentum. Non minus in quovis rectè diſpoſito, & ad pondus ordinato corpore oportet membrorum vnitas, & conformitas inter ſe, quam cum membro capitali, ſeu ſic, vel ſic principaliſſimo, vt propugnavimus à paritate totius corporis cęleſtis reſpectu Solis, & corporis humani reſpectu cordis pro vivificandis, vel capitis pro dirigendis, & ſic; ſed dum membra æquè bona forent à capitali, & reſpectivè principali diviſa, eiuſque influxum non recipientia, ne forent ſalubris vitæ, & bonæ directionis non minus vrgeret, ac dum forent inter ſe diviſa, & ex diametro æquè oppoſita; igitur dum Patres Concilij illius forent ab Eccleſiæ capite diviſi, ab eoque influxum vitalis fidei non ſuſcipientes, ſi ex diviſione Patrum Conciliatorum inter ſe, reſolvant tale Concilium non fore ſalubre, nec Dei, dum non magis, ſaltim æquè reſolvant, ex diviſione Patrum cum omnium Sanctiſſimo, nec ſalubre, nec Dei fore tale Patrum Concilium.

304 Et rurſus, dum talis Concilij Patres diviſi ſiſterent, & tunc alij vellent aliud conflare Concilium, cui ſtandum? Dices, primum Concilium, qui ex Patribus diviſis conflatum, non reputandum proficuum, & ſecundum quia ex Patribus non proprijs conflatum, non reputandum legitimum. Benè, at ſcire cupio, ex quo legitimi vnius, & illegitimi alterius Concilij Patres reputandi? Abſque Summi Patris convocatione, adiutorio, & contemplanda Auctoritate, vnde convinceetur primi Concilij Patres legitimos, & ſecundi improprios? Non invenio, etiam ſi in diſputandis, & inquirendis primi Concilij Patres concordarent circa ea, dum tot alij volentes aliud conflare Concilium circa eadem in diſcordando concordarent, & ſic alij vſque ad infinitum proceſſum, prout inevitabilem, dum imperfectiſſimum in cauſis etiam naturali ratione agnovit Philoſophus, ſi in vnam primam cauſam cunctę omnes non reſolvantur, à qua vivamus, moveamur, & ſimus.

305 Nec valet ſi dicas, iam pro talis Concilij Patribus, qui veluti cauſæ ſecundæ ſunt, dari vnam primam cauſam, vtpote Deum ipſum, qui eos dirigeret, prout promiſſit vſque ad conſummationem ſæculi. Contra hæc iam alibi plura direxi. Tum brevius hinc, Deum fore omnium Conciliorum primam cauſam, at influendo per ſuam cauſam primam in terris delegatam, vt moris habuit ex Petri inſtitutione, vt toties fuiſſe viſum diximus. Sic primam divinitatis definitionem noluit manifeſtare per ſe, nec per Collegium, ſed per Petrum, & tali ſervata proportione, quod appropriativè non fuiſſet revelatio à Divino Trinitatis Conſiſtorio, ſed à Prima Perſona Cælorum, quæ erat Pater, ad primam perſonam Terrarum, quę erat Petrus, vtpatet ex illo Matt. 16. Sic in Apocalypſi ille qui ſimilis Filio hominis, manifeſtabat alloqui Eccleſijs, dum non ipſis immediate, ſed Rectoribus alloquebatur, vtpatet ex cap. 11. vbi dicitur, *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſijs*, cum revera ſolis Rectoribus ſcriberet, vt *Angelo Epheſi*, & ſic de alijs. Sic Altiſſimus Angelorum choris non immediate, ſed à Supremis incipit, vt alij illuminentur, qui docendi ordo vtpote cœleſtis, & Angelicus debet aptius quam alter Eccleſiæ Patribus, ramenti Angelicis accomodari. Prçliabantur Angeli, dum Michael præliabatur; & quouſque Michael præliaretur, *non fuit audita vox dicentium, Salus Deo noſtro &c.* Et etiam ſic, vſque ad conſummationem ſæculi, & ovilis erit Dominus cum ovibus ſuis, at per Paſtores ſuos dirigens, vtpote per eos, quos gregis ſui Vicarios eidem contulit præeſſe: Sic enim, dum

dum *gregem ſuum Paſtor æternus Chriſtus non* deſerat, benè cum grege erit vſque ad conſummationem ſæculi.

306 Septimò ſuadetur dum corroboratur noſtra reſolutio ex præcitato Apocalypſis textu, vbi venit clarè obſervandum, ibi Eccleſias deſcribi à Joanne ſub ſymbolo candelabrorum, & Rectores earum ſub ſymbolo ſtellarum,& ſub expreſo nomine Angelorum. Ait ſic: *Sacramentum ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea; ſeptem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum: & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſię ſunt*: ſed ibi locus, conditio, & prærogativę Rectorum ſublimios exponuntur, & reputantur, tum quia habentur, vt Angeli; tum vt ſtellæ quæ lucem candelabrorum ſuperant; tum quia candelabra erant ad latera Filij hominis, dum ſtellæ in ipſius dextera collocata; igitur Rectores vndequaque Eccleſias præcedent, ſi dextera Domini ſit quæ dat virtutem, & quę exaltat, & Angelus Domini ſit qui ad populum Dei miſſus fuit, vt eum pręcedat, & Dei populus obſervet vocem eius, prout ſæpè evenit, vt patet ex illo Exodi cap. 23. Obſerva eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes; quia non dimittet cum peccaveris, *& eſt nomen meum in illo.*

307 Ne igitur, doctiſſimi Auctores, ex parte altera pro Concilio, Populoque Dei ſtantes, contemnendum putetis nedum vnius aut ſeptem Eccleſiarum Angelum quemquam, ſicque ſtellam vnam in Regno Cœlorum, quod præſentis temporis Eccleſia dicitur, ſed etiam Supremum Angelum, ac militiæ Eccleſiaſticæ Principem, ſicque in Regno Cælorum præſentis temporis Solem, & ſupra omnes ſtellas vt luminare maius, in quo poſuit tabernaculum ſuum, & eſt ipſius nomen in illo, cum ſit Aſſiſtens Pontifex etiam futurorum bonorum per amplius, & perfectius ex ſumma Chriſti dignatione. Igitur nullum veſtrum Concilium, tametſi Chriſtianiſſimi Populi Dei, contemnendum putet, quin obſervabit eum, & audiet vocem eius, *& præcedet*. Aliter enim dum fiat (quod abſit, & non credam) poſſemus audire, quæ Dominus dixerat ad Samuelem Populum Dei diligentem, & iudicantem, ſcilicet: *Non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Vbi clarè venit obſervandum circa Chriſti Vicarium, quam intimus ſit Chriſto, cum prout Samuel reſpectu Dei, alter ipſe reputetur ex pientiſſima dignatione.

308 Octavo tandem, vt reſolutionem ſuadeam, & dicta confirmem, dum noſtræ opinionis Auctores plures adducant ex veteri teſtamento textus, eleganti robuſtaque vi formatos, vnicum dumtaxat adducam ego, & erit ex Judic. cap. 16. vbi inveni Samſonem, ſummo noſtro Antiſtiti ſimillimum, tum cum foret Populi Dei Protector Maximus, tum inimicorum eius Vindex acerrimus, tum à Summo Cœlo vt Gigas eius occurſus, tum cum in portas eorum, veluti in portas inferi Pontifex noſter, prævaluiſſet, tum *cum ferrum non aſcendit ſuper caput eius*, quo pacto nec vllus error ſuper noſtræ Eccleſiæ caput, tum quia *Nazaræus*, tum tandem, quia *conſecratus Deo* ex vtero Matris ſuę, quo pacto Pontifex noſter ex inſtanti Creationis, aut Electionis ſuæ. His igitur eo modo expoſitis, & combinatis, intuear in toto Samſonis corpore, vniverſum noſtræ Eccleſiæ robur, ſcilicet Eccleſię cum capite ſuo, tum quia inter cunctos Populi Dei, tunc ſolus ipſe Deo conſecratus, ſolus ipſe *invocato Domino* conquaſſavit capita Philiſthiim, & tandem tunc cuncta Populi potentia ſiſtebat in ipſo. Obſervatè nunc, quo pacto Samſon potentiſſimus foret ex omnibus membris ſuis, cum manibus ſuffocaret leonem, brachijs portaret portas, & humeris ferret vſque ad verticem montis, pedibus inimicos contereret, &c, ſic.; verumtamen totius corporis fortitudo à capite derivata, eique radicitus & principiativè innixa, ſicque in capite virtute conſervata, cætera corporis potentiſſima, nec nerviceis funibus enervata, nec ianuis cum poſtibus ſuis impedita, Sin autem, inquit Samſon, *Raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicuti cæteri homines.*

309 Sic, ſervatis ſervandis, intuear vniverſum Eccleſiæ, aut Concilij corpus, fide cum capite ſuo cōpactum, & vnitum. Quouſque enim robur Capitis ſui veneretur, & ab eo fortitudinem ſuam ſumere originem ſentiat, eique innixum conſervetur, potentiſſimum erit vt quæcunque ligantia ſolvat, portas inferi evertat, inimicos Dei damnet, & conterat, fontem & miraculoſos rivulos efluere faciat, &c, ſic; at ſi virium ſuarum initium à capite tollat, & ab eo radere, & extinguere præſumat, tunc quæcunque vires tametſi conciliatę deficient, divina fortitudo recedet, eruntque illa membra, ſcilicet, Concilium illud ſicuti cæterorum hominum membra, & Concilia, ac proinde debilia, errori ſubiecta, & timere poterunt, ne vt Samſon à capitis robore præciſum, tradantur in manus inimicorum ſuorum.

In

§. IV.

In quarto ſenſu expenditur Reſolutio.

310 Reſolvendum ; in quarto ſenſu ſummam fore Concilij excellentiam ; ſeu congregationis repręſentantis Eccleſiam, venerandum vt penitus ſublimem, & infallibilem. Suadetur, quia, prout iam alibi expendimus, Eccleſia veluti Sponſa percipienda, vt iam circa huiuſcemodi ſcopum plures ſacros textus adduximus ; igitur quo pacto ex quovis exacto motivo deficiente Sponſo, ſicque orbata valet domum ſuam dirigere, filiorum curam habere ; torpentes ſervos reijcere, & ſic quę ad bonos mores ſpectant decernere, & obſervare facere, multo melius poterit facere, quę vt Chriſto iugata Principi, melior Sponſa habet eſſe.

311 Tum ſic Eccleſia debet nos illuminare, vt Sole, Luna, quæ licet, in comparatione Solis, & ad eius, quoad nos, viſibilem præſentiam, nil ſplendeſcere faciat, at Sole recedente, ipſa vt cunctis aſtris maior lucet, viam docet, & ſupra quęque viſibilia vt excellentius luminare præeſt : & ſi deficiat comparatio circa ſubiectam materiam ; eo quod Eccleſia in occaſu Papæ, ſummam Papæ potentiam, & virtutem vrgentibus cauſis, retineret, ſecus autem Luna plenitudinem Solaris lucis; ſiſtit in eo extremorum inęqualitas, quod Sol non occidat ſimpliciter, & ſic quoad omne tempus, ſin autem Pontifex ; ſeu viſibilis Eccleſię Sol, qui vltra non revertitur, nec in promptu reviviſcit, ac proinde oportet quod Eccleſię Luna plenitudinem lucis habeat, quouſque novus Sol oriatur: Sol enim qui in Eccleſia iam non moritur, eſt Chriſtus Dominus, at hic eſt reſpectu præſentis Eccleſiæ inviſibilis; quapropter eget iuxta præſentem providentiam Eccleſia ſemper habere virtutem luminoſam rectricem; quæ ſit plena, & perfecta in diebus ſuis. Tum ſiſtit imparitas ex eo, quod nox ſit maiori ex parte deſtinata quieti, & ſilentio, ſicque tunc lucis plenitudo otioſa, dum non nociva; at Eccleſia, maximè ex ſuppoſitione vrgentis neceſſitatis, debet, veluti habens oves & tunc ſibi commiſſum gregem, obſervare vigilias noctis; ne lupus rapiat, vel ne fur qui appropriare fuit viſus, ruinam inducat, & bona domus diſperdat; igitur, ſervatis nuper expoſitis ſervandis, ſicut in nocte excellit & præeſt Luna, ſic & ad Papæ receſſum vt excellens & veluti Chriſti Vicaria, vtpote quæ Regis immortalis, & mortui Sponſi, virtutis, & dominationis independentis habebit præſidentiam.

312 Deinde, quia ſemper & quando inſtare & vrgere poſſit infirmitas, congruit abundanti Chriſti providentię relinquere remedium, ne maior ſit principatus, malorum quam bonorum; vbi enim nocere potuit culpa, ibi plus vltra ſuperabundavit divina gratia; ſicque ſemper & quando diabolus, & ſic Eccleſiæ inimici poſſint intendere ruinam, congruit quod Altiſſimus impendat auxilia, & arma, quibus fortem armatum devincat, ac proſpere procedat, regnet, & reſiſtat vt caſtrorum acies ordinata; igitur cum viſibili ſuo Duce, orbata manet Eccleſia, vtpote contra quam nullæ inimicorum inſidiæ prævalere valent, congruet; iuxta Chriſti providam curam, ſic eam relinquere ex toto corpore perfectam, vigoroſam, & irrefragabilem, quod capitis robur & directionem in ipſam transferat, vt ſic contra capita draconum non diminutè, ſed proportionatè dimicet, & invincibilis ſpecie, & pulchritudine ſua procedat.

313 Dices Papæ abſentiam adęquatè ſuppleri à Chriſto, ac proinde non debet maioris roboris contemplari Eccleſia poſt Papæ obitum, ac ante. Non obſtat; concedam enim libentiſſimè Papæ abſentiam ſuppleri à Chriſto Domino, at tunc divina Chriſti directio non recipitur ab Eccleſia per aliud, ſicque mediatè, vt cum Papa vivebat, & per ipſum veluti per labium loquebatur ; ſed recipit directionem immediatè per ſe, ac proinde ad manifeſtandam divinam diſpoſitionem non eget tunc viſibili capite, quo egebat antea, quin ipſa Eccleſia, ſeu Congregatio eam repræſentans, veluti viſibiliter capitata pro illo Supremi capitis intervallo, quæcunque importantia dirigeret, & ſi vrgeret caſus, definiret, & manifeſtaret, vtpote dum ſuppoſito caſu vrgentis neceſſitatis, facilius foret convenire in vnum ad deciſionem, & talis caſus remedium, quam ſic brevius convenire ad Pontificis erectionem. Sin autem caſus ſuppoſitus non vrgeret, iuxta regularem providentiam, & capitis plus optatum influxum, nil deberet reſolvi, quouſque Pontificem Maximum non eligerent, cum aliter incedi debeat per viam irregularis neceſſitatis, & aliter per viam regularis proportionis.

314 Tum pręfata reſolutio ſuadetur à paritate virtutis Eccleſiæ reſpectu Papæ eligendi, & virtutis Papę iam electi reſpectu Eccleſiæ. Corpus enim quod ſic perfectum eſt & provide à Domino inſtructum, vt ſibi poſſit optimum eligere caput, & pro eo tempore

ſic

ſic perfectum,& abundans in providentia erit, vt poſſit viam ſalutis decernere, & cuiuſvis membri bonitatem approbare,ſicuti malitiam damnare, & ſi oporteret, illud reijcere, & ſeparare,ac proinde quo pacto(licet reſpectivè) ſemel electo capite, virtus eius perfectiſſima deinceps, vt præ omnibus dirigat, priuſquam ſit virtus Eccleſię etiam perfectiſſima & tuoc independens, vt præ omnibus eligat; igitur quo pacto ſemel ſtabilito capite ſuſcipit virtutem exactam, & cunctis excellentem, ſic ante electioneu Eccleſia quę ita optimum valuit ſibi eligere caput, & optimè poterit tunc quodcumque diſtinguere, & dirigere membrum, &c,vt ſupra;necnon tunc præ omnibus habebit virtutem exactam, & cunctis excellentem.

315 Vnum equidem ex importantioribus Eccleſię Dei negotijs eſt Supremum Antiſtitem eligere, vt patebit cuicumque rectum habere caput exoptanti;manet quidam numero homo, Supremus Antiſtes totius Orbis conſtitutus, & conſenſu & receptione Eccleſiæ vltimate & complete in ſuprema illa dignitate collocatus; igitur quo pacto Papa conſenſu & approbatione ſua complens Concilium, tunc Papa ex ſuo complente conſenſu tenetur à nobis, vt ad quæcunque perfectiſſimus, & ſic ad quæcunque habilis, etiam Eccleſiæ Congregatio pro tempore quo ſine Papa exiſtit, dum ipſa coovocat, & conſenſu ſuo electiooem approbat, tenenda erit vt ad quævis alia penitus perfecta, & ſic habilis ad quęcunque oegotia.

316 Dices, ita à conſenſu in conſenſum inferri, at inferri etiam Concilium fore pariter ſupra Papam, cum inferatur Eccleſiam fore ſupra illum, dum conſenſu & receptione Eccleſiæ manet Papa firmiter ſtabilitus. Declaratur illationis intentum; nam, vnum ex principalibus motivis, vt reſolveremus Papam fore ſupra Concilium ſtetit in eo, quod conſenſu, receptione, & approbatione Papæ manebat Concilium ſtabilitum, ſecus autem ſine conſenſu, & receptione approbativa Papæ; ſed ſic eſt, quod vt Papa, vt talis firmiter habeatur, non minus requirit Eccleſiæ receptionem, & placidum conſenſum, prout illac propugnavimus; igitur quo pacto teneamus Papam fore ſupra Eccleſiam, id eſt ſupra Congregationem repræſentantem illam,& tenere debebimus Congregationem repræſentantem Eccleſiam fore ſupra Papam.

317 Occurram,dum dicam ex hac inſtantia, quę omnium principaliſſima, nec intentum, nec rationem noſtram enervari. Ratio, ni fallor, conſpicua videbitur,quia quouſque Eccleſia conſenſu, & receptione pacifica non reſpicit electum, perfectè & formaliter non eſt Papa, tunc ſiquidem Papa formaliter, & perfectè ſtabilitur, quando pacifica Eccleſiæ receptione admittitur, & veneratur, cum prout alibi ſupra propugnavimus,talis Eccleſiæ receptio ſit ſpecificativum, & completivum Papatus, cum eo pacifico conſenſu deficiente vt Papa verus non deberet teneri; vnde nunquam formaliter infertur Eccleſiam fore ſupra Papam, Papa ſiquidem formaliſſimè talis, tunc adhuc noo eſt, talis ſiquidem formaliter quoad nos, ſeu Eccleſiæ vltimum forum eſſet, ſuperflua, & iuutilis foret pacifica Eccleſiæ receptio. Qua propter ſemel per Eccleſiæ pacificam receptionem Papa formaliter vt talis ſtabilito, nil iam ſupra ipſum habet Eccleſia, cum tunc iam ſit adæquatè, & formaliter Eccleſiæ Paſtor, & ſupremus Rector; ita vt vltimum inſtans receptioois Eccleſiæ intelligi debeat primum perfecti Papatus, & ſic in eo inſtanti ceſſat Eccleſiæ ſuperioritas qua ſcilicet perfruebatur à morte immediati Papę vſque ad perfectam erectionem Succeſſoris.Uſque tunc enim, Eccleſię poteſtas erat independens, ſoli Chriſto & non alteri vtpote Vicario immediata, ac proinde procedere valens veluti capitis robore,& Suprema Domina, quo pacto Sponſa eo tempore quo viro ſuo orbata, nulli manet ſubiecta, ſed bonorum domina,&c, vt diximus, quouſque virum alterum ſibi eligat, ita vt vltimum inſtans conſenſus & viri receptionis,ſit,in quo independentia,& libertas ſponſæ ceſſat, cum iam ab eo inſtanti debeat eſſe ſub viri & capitis ſui poteſtate, dum per primi dormitionem liberata fuit, & potuit, nubere cui vellet, ſicque pro eo tempore vſque ad inſtans conſenſus ſupra quemlibet ipſa erat, & ſupra quem eſt in fieri electionis vſque ad conſenſum,quia formaliter non eſt adhuc vir eius, ſicque formaliter nunquam infertur ipſam ſupra virum fore. A ſimili ergo, ſervatis ſervandis, circa præſatum ſcopum applica.

318 Conſonant, quia duo æquè ſuprema in vna linea, vti monſtruoſa contradicunt, vt in quibuslibet lineis experitur, & cunctis notum eſt;igitur quo tempore Congregatio Eccleſiam repræſentans ſupra omnes ſit, nullus erit qui ſupra eam intelligatur; & è converſo ab inſtanti à quo aliquis ſupremus ſit, iam ea formalis Eccleſiæ ſupremitas ceſſare debebit, ita vt ſummo iure quo antea, non perfruatur, cum eo ſummè Supremus alter perfruatur, & duo ſuprema genera in quavis bona arbore ſivè ſubſtantiæ, ſivè accidentis contradicant. Igitur & ſic in linea viſibilis directionis,qua-

lis

lis eſt linea Eccleſiæ noſtræ, quæ duo viſibiliter ſumma nunquã habuit iuxta hanc providentiam, vt fuit viſum inter Apoſtolos ipſos, quorum vnus viſibilis Princeps, necnon viuente & viſibiliter gubernante Chriſto D. quo tempore ſupremum ius in re non habuit Petrus, ideoque non dixit, *Tibi do claves, ſed dabo*, prout poſt mortem exhibuit.

319 Quod autem Summum Eccleſiæ caput, conſenſu & pacifica Eccleſiæ electione egeat, hæcque pro fieri illo ſupra illud ſit, non obſtet, vt ſemel ſtabilito, & formaliter habito, incomparabiliter ſupremum ſit, ſicque maximè ſupra Eccleſiam, pluribus in locis in præcedentibus Articulis ſuaſimus, & in hoc, prout in Subſec. 5. à §. 1. hincque etiam ſuadet exemplar Sponſæ cuius conſenſu eget ſponſus vt talis ſit. Et potiſſima ſemper ratio ſtat in eo, quod plura adinvicem dependere videantur, & æquè cocigi quoad eſſendi neceſſitatem, ſecus autem quoad eſſendi perfectionem, vt patet in fine, & medijs; in quibuslibet neceſſario diſponentibus, & formas ſeu terminos formales ad quos tendunt diſpoſitiones, & ſic in quibuslibet lineis. Sic per diſpoſitionum, & conditionantium ſcopum poſſet dici Eccleſiam fore ſupra divina verba, cum divinum verbum egeat iuxta hanc providentiam, quod Eccleſia illud vt tale recipiat, ſuoque conſenſu divinizet, & tamen ſemel ab Eccleſia verbo recepto vt divino, in perfectione excellentius Eccleſia erit, vt Deus ipſe qui ſupra Eccleſiam eſt, & tamen dum de homine qui Deus foret, dubitaretur an foret Baptiſta, an Elias, &c, Deus homo tunc Eccleſiæ declaratione, & receptione egeret, ita vt per talem lineam poſſet Eccleſia ſupra eum dici, prout & iuxta Auguſtinum illac, & ſupra Evangelia divina, eſt ſemel Filio Virginis Mariæ ab Eccleſia recepto, & in Filium Dei declarato, ab illo inſtanti ſupra quæque Eccleſiæ perfectiora foret, vt eſt. Aſimili ergo applica, ſemel à grege Eccleſiaſtico, aliquo in ſupremum Paſtorem, & Chriſti Vicarium electo.

320 Dices ad ſupra in priſtina illatione dicta, S, ex dictis in prima reſponſione inferri, Papam non fore ſupra Eccleſiam perfectè, & completè captam, vtpote quando Eccleſia vti Sponſa abſque viro ſupreme dominatur, & ſoli Chriſto immediata eſt: necnon ſic idem poſſe dici de Concilio perfecte capto, & vltimate ſtabilito, ſupra quod Papa non erit. Nil hoc dictum enervat ob iam dicta, quia ſcilicet, dum Eccleſia manet dominatrix, & ſoli Chriſto ſubiecta, vſque ad inſtans electionis, & pacificæ receptionis tunc Papa non eſt, & ſic nil mirum quod non ſit ſupra quod deinceps eſt. Et ad illud, Concilij dicam, ita eſſe, quia Concilium formaliter perfectum, & completum non intelligitur quouſque à Papa approbatum, quo pacto dum comparatione non diſtinguatur, vt ab initio, & deinceps diſtinximus, ſupra Concilium non erit, cum Papa approbans, non ſit ſupra approbationem ſuam, vel non ſit ſupra id, in quo, ſeu intra quod debet ipſe intelligi, vt perfectè, & completè ſit. Quapropter, vt Pontificis excellentia ſecernetur, toties comparationes expendimus, & prævſionibus theologicis extrema perpendimus, prout paſſim efficitur, vt quæcunque liueæ iuxta perfectionis exceſſum videantur, &c ſic. Eo enim pacto quo ſic, Papam ſupra Concilium non fore velis, velle poteris, reſpectivè, nec Deum ſupra Eccleſiam fore, cum hæc perfectè, & completè non ſit abſque Deo.

SVBART. II.

De non indubitato Papa.

321 Egimus huc uſque per totum Articulum primum de vero, & indubitato Papa, reſtat pro huiuſce graviſſimæ controverſiæ complemento nonnulla dicere de non ſic vero, nec indubitato, quæ cum iam parum obſtent, brevius expedientur. Circa quæ, cum etiam comparatione vertenda ſit reſolutio, videtur dupliciter poſſe comparationem expendi, videlicet de dubitato Papa cum dubitato Concilio, & de dubitato Papa cum Concilio indubitato.

SECT. I.

In primo ſenſu expenditur reſolutio.

322 Non loquimur in præſenti de Papa ſic abſque vllo dubio non Papa, quod cum talem non fore certiſſime ſciatur, & ſimiliter de Concilio, nam ſic circa mutuam excellentiam nulla dubitatio erit, cum nec ad rem vlla poſſit eſſe comparatio, prout ſatis ex penetratione diſputabilium terminorum cuicunque diſſerto patebit. Loquimur ergo de Papa ſic dubitato, quod poſſit dubitari Pontificatus veritas, eo pacto quo cæteræ res ſub dubio opinantur; & pari etiam dubitationis metro inteudimus

Tt allo-

alloqui de Concilio, nam ſi Concilium circa *talis* veritatem indubitatum ſit, abſque dubio ſupra dubitatum Papam erit, prout in Sect. 2. reſolvemus.

323 Reſolvendum igitur, Papam dubium fore Concilio dubio excellentiorem, ſeu vt proprie loquamur (non enim quod excellens non eſt, poteſt dici excellentius, ſicuti nec melius quod non eſt bonum) minus in excellentem. Colligitur ex iam propugnatis, quia Papa vt ſic excellit Concilium vt ſic, ac proinde Papa verus excellit Concilium verum; igitur vtrique extremo æqualiter addita forma diminuente, vt eſt dubitatio, ſemper cum ea excellet extremum illud, quod ſecundum ſe excellebat. Suadetur ex illa regula ſi ab æqualibus æqualia demas, & ſic iuxta camilē ſi ab inæqualibus, quæ remanent ſemper inęqualia; igitur cum Papa, & Concilium ſecundum ſe inæqualia ſint, ſi ab eis æqualiter demas certitudinis, ſicque dubitationis addas, ſemper inæqualia erunt quę remanent extrema, ac proinde ille, qui ſub dubio Papa foret quodcunque ſub æquali dubij metro Concilium excellet.

324 Confirmatur ab exemplaribus, maximè Concilij malignantium, dum ſederunt & aſtiterunt adverſus Chriſtum Domini. Ibi enim omnes erant falſi, mali, & ſeditioſi, vt in conventu malignantium, & multitudine operantium iniquitatem, & tamen quem excelſum verſus alios habuit Cayphas ex conceptu Pontificatus vt ſic, ſemper retinuit (dixi Pontificatus vt ſic, quia hunc prævisionis conceptum Virgineus Evangeliſta ſignavit dum dixit, *Cum eſſet Pontifex anni illius*, vbi ex formali verborum ſigno, & reduplicatione cauſalitatis, abſtrahitur à bono, & malo, & ſolum exprimitur Pontificius conceptus) etiam ſi malus, & falſus ſicuti cæteri, cum ad proportionem deberet additum malitiæ applicari; igitur & à ſimili circa dubitationis malum, æquè vtrique extremo diſtributum.

325 Tum à paritate cuiuſvis rei dubitabilis; etenim dum æquè foret ſub dubio Epiſcopus, ac alter ſub dubio Cardinalis, abſque dubio intra opinionis terminos, Cardinalis excellentior, & ſic ſi aliquis æquè ſub dubio Cardinalis, & alter Summus Pontifex; ergo & à ſimili reſpectu Concilij, ſemel ſtabilito, quod Pontificis conceptus alterum ſecundum ſe excellat. Tum patet in quibuſlibet etiam iocoſis repręſentationibus, cum quis repręſentat Regem, dum alius equitem; ioco enim æquè vtrique addito, ſemper ſubiectiva ſplendet inęqualitas. Sic etiam inæqualitas invenitur in cuiuſvis artis figmentis, idolorum cultibus, falſis adorationibus, &c, ſic.

SECT. II.

In ſecundo ſenſu expenditur reſolutio.

326 Reſolvendum, ſupra dubium Papam fore indubitatum Concilium. Pręſens reſolutio ab omnibus Catholicis tenenda abſque dubio, quia Catholicorum via debet eſſe infallibilis, ac proinde repellens omne dubium, ſicque intra æternæ ſalutis media eligere vt excellentius, quod teneat infallibilitatis, & æternæ veritatis excellentiam; ſed hæc in ſuppoſita extremorum comparatione nō poſſet inveniri niſi in Concilio tunc indubitanter Eccleſiam Catholicam, vnam, & veram repræſentante; ergo tunc Concilium ſupra quemlibet dubium Papam venerandum. Patet minor, quia æternæ veritatis via infallibilis, & futurorum bonorum ſpes per amplius & perfectius, in aliquo etiam viſibiliter cæteris viſibilibus ſacramentis debet fundari pro nobis etiam viſibiliter inviſibilium participantibus, vt ſupra Chryſoſtomo expoſuimus iuxta pronunc ab Auctore gratiarum præfixam providentiam; ſed non poterat ſic infallibiliter via veritatis æternæ fundari viſibiliter ſupra dubium, & fallibilem Papam, cum contradicat ex natura rei & terminorum quorumlibet ex dubio certum, ex fallibili infallibile, & ex probabili evidens inferri; igitur cum tunc ſolum ſic infallibile medium reſtaret Concilium, ſolum in eo poſſet ea via inveniri, & ſupra ipſum vt excellentius fundari.

327 Quid enim fortius deſiderat anima quam veritatem, vt aiebat Auguſtinus Tract. 26. in Ioannem? igitur dum æternorum veritas dumtaxat in Concilio maneret abſque dubio, anima quæ rationalis illud fortius, quam debilem & infirmum Papam quæreret, ac illi pro viribus fidei duntaxat vt excellenti ſubiaceret, maximè in his, quæ fidei, cum hæc ſoli firmiter, & abſque hæſitatione vero pro viribus mentis vſque ad Deum inquietæ cædat. Sic veros totius Orbis Catholicos docuit omnium fideliſſimus Petrus in capite 6. Ioan. dum Euchariſtico dubio exaſperatis aliquibus, & eo ipſo dubiatæ ab eis viæ terga vertentibus, cum æternæ veritatis viam, vnam, & præ omnibus amplectendam infallibiliter agnoſceret, dubitantium derelicta

licta multitudine, dixit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habet.*

328 Et fundamentalis ratio ſemper ſtat in eo, quod Piiſſimus Dominus noſter Jeſus, vt potens, vt amans, & vt Deus vberius ac pro veteribus fidelibus ad nos qui legis gratiæ applicaret providentiam ſuam, vt pro omni tempore foret quibuſcunque errantibus in lumine veritatis efficax remedium; ſed non poterat inveniri efficax in inefficaci Papa, vtpote inefficaciter, & opinativè vero; igitur dum verum efficaciter duntaxat maneret Concilium, omnium & pro omnibus tunc malis in Eccleſiam occurrentibus, illud debebat conſuli, timeri, & venerari, vt ſuper quęcunque alia ſupereminẽs, & excellentius.

329 Confirmatur ex principali illa cauſarum ratione, iuxta quam valide expoſuimus repugnare duo prima in vna linea irreducibiliter, & inſubordinate, prout cunctis etiam Philoſophiæ principia meditãtibus notum eſt; igitur cum in linea certitudinis, quę eſt ale fidei noſtræ principatu, vna prima cauſa foret Concilium, cuique cæteræ partiales ſubordinandæ, & ad ipſum reducendæ, contradiceret intra eamdem lineam inſubordinatam contemplari aliam, ſicque Pontificiam: eo ipſo, quod hęc ſic infallibiliter prima non foret, infallibilius primę, vtpote priori quodcunque poſterius debebat cædere, & vt excellentiori ſubordinari; ergo &c.

330 Tum corroborantur dicta à paritate Papę è vivis ſublati, quo in caſu Eccleſia, vt ab omni viſibili independens, & ſoli Chriſto immediata, veluti Sponſa pro viro mortuo ſubſtituens potentiſſimum habet dominium, ſicque valet ſibi eligere Antiſtitem alium in nomine Domini, prout nunc iam cupit congregata ob obitum Sanctiſſimi, & vt pie credimus, Sancti Innocentij Vndecimi (dixi Sanctiſſimi ex Auctoritate officij, & Sancti ex probitate perſonæ) igitur cum veritas, quæ eſt, nedum moraliter, ſed ex natura rei intentionaliter, vita mentis, dubio ſi non moriatur, ſaltim debilitata, & mortificata obſcuretur, Eccleſia quæ totis eſt tunc veriſſima viribus, potentiſſimum ſola retinebit dominium, vt poſſit dubium mortificans repellere, ſicque vt Sponſa ſine opinionis ruga, vt verę, & ſalubris vitę Principem, vtpote cor, ſibi creare, ſeu eligere.

331 Tum, quia illud revera debet in linea perfectionis vt excellentius anteponi ad aliud, ex quo non poteſt haberi occaſio variandi veram perfectionem lineæ; igitur cum ex dubio Papa variandi occaſio valeat exhiberi, ſecus autem ex indubitato Concilio, iſtud vt excellentius ad illum anteponendum. Exponitur, & comprobatur intentum, quia propoſito vno Papa dubio, & opinabili, valet exhiberi alius ſic æquè dubius & opinabilis, ac proinde iam dabitur occaſio variãdi notionalem lineæ perfectionem. Patet, quia circa eamdem lineam duo in contrarium poſſunt probabiliter apponi, vt paſſim evenit; dum æquè probabiliter circa eiuſdem lineæ ſcopum affirmatur ab aliquibus quod à tot negatur.

332 Secus autem evenire poteſt in principio infallibiliter vero, vt eſſet illius indubitati Concilij, quia verum cum ſiſtat in indiviſibili, nec ſuſtinet in linea multiplicitatem oppoſitam, nec variationem; ac proinde ſi linea determinate ſit vera, ſicque cognoſcatur, aliter eſſe, aut per cognitionem variari, per locum intrinſecum repugnat, prout late expoſui, & propugnavi in Curſu Philoſophico, maximè in *Lib. Entis intentionalis.* Quapropter Papa dubius debet ſtatim à Concilio repelli, ne ſchiſmati detur occaſio, alius ſiquidem pari dubitationis metro poſſet oriri, cum probabilium non ſit indiviſibilitas, ſicque perfectio lineæ variatione confundi, & diviſione imperfici. Igitur cum ex eo indubitato Concilio tales perverſos oriri effectus contradicat, in omni eventu ſemper reſpectu dubij Papæ præponendus.

SVBART. III.

Pro omnium argumentorum ſatiſfactione.

333 QVamplurima vidi, & nonnulla vltra valui notare argumenta, quibus principaliſſimæ noſtræ reſolutioni contrarij Auctores opponuntur, ſed nullius mentionem facere decrevi, tum quia quæ à pravo hęreticorum animo congeſta Pontificiam dignitatem ſupplantare intendunt, in primis quæſtionibus huius Diſtinctionis, maximè at in quinta, ſolicitè manent præoccupata; tum, quia quæ à Catholicis opponuntur, vel opponuntur à ratione, vel ab hiſtoriarum Sacrarũ Auctoritate, vtpote ex Conciliorum, & Põtificiorum Actorum deſumpta notitia? Si à ratione opponantur: neſcio revera quid vltra opponere valeant, cum extra poſſibili cura à me viſa, & in veteribus, & recentioribus Auctoribus inquiſita, ſedens cogitavi quamplurima alia, vt viderem ſi occurrere poſſem, prout Deo dante, ni fallor feci, cuiuſvis imaginabilis rationis viam con-

trariam præoccupans, & quo valui pro virium mearum robore fundamenta queque evertens, vt oculato lectori patebit. Rurſus in Articulo 1, & in 2. huius quintæ quæſtionis, maximè in argumentorum ſolutionibus plurimas, dum ſingulares nonnullas relinquo doctrinas, quibus ſi attendatur, evaneſcent plura alia, quę in huius Articuli 3, reſolutiones, opponuntur argumenta prout benè colliget, & in eis proficiet qui attente legere, & ruminare vellit. Ea propter, cum ex tot præformatis diſcurſibus, pro Contrarijs penitus enervandis, præſens quæſitum maximè difuſum reliquerim, nec indirectè quidquam repetere in contrariantium ſatisfactione opus ſit, ideo vberiorem adhibere curam, ſoli moleſtiæ fore propriam exiſtimavi.

334 Sin autem ab Hiſtoriarum, & Actorum Pontificiorum notitijs opponantur argumenta, eorum nullam facere mentionem conſultò decrevi, tum quia circa iam Hiſtoriarum eventos caſus, nil valet adduci, quod penitus adductum non ſit, cum nos vltra eas quę præceſſerunt, non poſſimus alias formare Hiſtorias, niſi illas fingamus, prout à veracibus Auctoribus, ſic alios circa ſubiectam materiam aliquando feciſſe, non ſine ingenti dolore probatur. Tum quia pro ſolutione rationum hiſtoricè inſertarum, revera abundarunt noſtræ opinionis Auctores, quos refert Eminētiſſimus Bellarm. *lib.* 2. *à cap.* 14. cum etiam ipſe principalius oppoſita ſoluit vt ſolet, in *cap.* 19. Tum, quia prout moris habui, dum vera fatear, hiſtoricos memorię labores, invita Minerva ſemper amplexus; cum extra ea, quæ pro Fidei viribus hiſtoricè credeuda, pro cunctis alijs Hiſtoriarum licet venerandis medijs, mihi ſemper quæ robuſta ratio, extitit Princeps Quæſtio. Tum tandē, quia pro irrefragrabili ſolutione eorum, quæ more hiſtorico ſolent opponi, & ex Actibus Conciliorum Baſileenſi, & Conſtantienſi conſtrui, abunde, dum pręclare ſatisfacit noviſſime Eminentiſſimus Dominus Saenz de Aguirre *Tract.* 1. *à Diſp.* 15. maximè à *Sect.* 2. *&* 3. vbi tam firmiter, quam eleganter ſoluit quæque pro Sæculo 15. in contrarium collecta, evertens Cleri Gallicani fabricam editam 19. Martij, anno 1682,

Annos æternos Petri in
mente habens,

(***)

AD

AD BEATISSIMVM PETRVM, PATRVM PATREM, SANCTORVM SANCTISSIMVM, ET APOSTOLORVM PRINCIPEM,

quem vt obſervantiſſimum, huiuſce Opuſculi Auctor veneratur Patronum, humilis Oratio; qua, & quæque optima reſolutio completur,& vti fine opus coronatur.

335 SUPRA fitmam Petram, Sublimium Apoſtolorum Princeps, ex quo, vſque ad Summum, hic homo cæpit ædificare, vt conſummare poſſet, non ſcientia ſed fide, non manu ſed corde, nec vt avas cœli volans,ſed vt zelo domus tuæ velans, quem tuum reprobaverunt ædificantes, ex lapidibus, quos ſuppoſuerat Capiti, hunc erexit lapidem in titulum. Si erravi ſicut ovis, quæ perijt, Tu es Paſtor ovium, & virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Si defecerunt oculi mei in eloquium tuum, at dicentes, quando conſolaveris me? Si defecit in ſalutare tuum anima mea, & hæc ſcribens in verbum tuum ſuperſperavi, tunc forte perijſſem in humilitate mea. Si narraverunt mihi iniqui fabulationes, ordinatione tua perſeverat dies, Cœlum, Fides. Si in altitudine maris elatorum dubiorum tempeſtas demerſit me, ego ſum vermis, & quaſi arena exigua; recordare quando dubitaſti, cum cæpiſſes mergi, cum Tu potentiſſimus contribulaſti Capita draconum in aquis, poſtquè in altum ducens vſque ad eas, quæ ſuper Cœlos ſunt. Si tandem inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam: idcirco ipſe me reprehendo, orans Pijſſime animarum Paſtor, indices mihi, vbi paſcas, ne factus confuſus vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum, ſicque doleam quidquid deleam. Etſi habes brachium ſicut Deus, & ſimili voce tonas? Circunda Tibi decorem, in ſublime erigere, eſto glorioſus, & pretioſis induere veſtibus.

Nimis honorati ſunt amici tui Deus, conſtituiſti eos Principes ſupat Tartam; Petrum autem, quo nec magis amica veritas, ſuper Cœlum,& ſuper Principes. Petri magnitudinem, aliquantulum tentare vultis? Eum intuemini, & mare calcantem, & dexteram Domini tunc extendentem. Immenſus Dominus, qui mundum pugillo continet, & extēdit Simoni manum, vt quæ toto clauſa mundo inanis, vtius Petræ latitudine amplietur & impleatur. Extendit Jeſus manum; quis vnquam audivit, poſſe immenſum extendi! Quod itaque cæpiſſet mergi, benè quidem, mergi incipere valuit, ſecus autem vltra tranſire, cum toto ſub pede mari, gigantei corporis manu, cælos teneret & aſtra. Hoc mari magno,non ſic ſpacioſo manibus, ac Evangelizantis ſpecioſo pedibus, poſſet dumtaxat perire latum Simonis à Chriſti latere pectus, cum extra Omnipotentis ambitum deficerent aëra, quibus penitus reſpiraret. Hoc pacto, magis ei erat contrarius ventus.

Plus vltra, mecum Petri impavidum intuere pectus. Dominus Jeſus cæpit tædere & pavere vinciendus catenis vicinus; vigilat; & Petrus duabus vinctus catenis, dormit. Vt calix tranſeat, verritur & revertitur ad Patrem Chriſtus; & iam à ſe tranſire ſcit verè, dum ſemel Petrus ad ſe reverſus. Chriſtus inter privatos amicos etiam agone movetur; ſoporatus inter privatos parietes Petrus quieſcit, & inter contrarios. Divino percuſo Paſtore, oves errantes volant; ſolum apprehenſo Petro, vnanimes ſine intermiſſione balant. O mira Domini cum Petro dignatio! Etenim in Apoſtolo Petro, Te mirabilem prædicamus. Magnus Dominus, ipſe dum verè tulit dolores, amicis inter ſolatia præſtitit.

Meditabar inde, quod ſi lavas, primo Petrum, vt omnia quæ Tibi Pater dedit in manus,rapido fluminis impetu, ſubijcias ſub pedibus eius. Si triburum ſolvas, Tu tribuis cum non debeas, vt Deificato manente Petro, facta ſit Deitas ſub tributo. Si mirabilium facias memoriam, abſque vmbra Petri, numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua? Si ædifices domum, Petrus erat Petra, Petra autem erat Chriſtus. Si Cœli enarrent

rent gloriam tuam, in Templo eius omnes dicent, & viderunt omnes populi gloriam eius. Si vias tuas demonſtres, fuit Beatus ille vir, qui Beatiſſimus in via, in Concilio impiorum non abijt, & in Cathedra peſtilentię non ſedit. Etſi vniverſa quæque patrare velis, tenemus Omnipotentiam in aure, cum ſæpè in tuo tenes Petrum in ore, vt veluti nunquam ſine petra domum, intueremur nec ſine Petro Deum.

Ut Gigas exultaſti Domine ad currendam viam, & *Tu me ſequere*, Petro dicis, qui ponis nubem aſcenſum tuum, & ambulas ſuper pennas ventorum. *Tu me ſequere*, inquis, tametſi immenſus, quia potuit Te paſſim ſequi, qui potuit Te paſſum imitari. Vadis Petre Romam pati, vadit & Chriſtus iterum crucifigi. Quomodo ergo Chriſtus jam non moritur, & mors illi vltra non dominatur? An, quia non vltra moritur in homine, qui Chriſtus vltra moritur in Petro? Vel cum pro eo Petrus moritur, ſi videatur ipſum magis vivere Chriſtum, Chriſtus iam non morietur, etiam dum plus vltra moriatur. Dominus regnavit à ligno, Petrus autem, & à quo Dominus regnavit. Dilectio fortis vtrique vt mors, corporumque ſtatera Crux, vbi fides non argueret, eamdem naturam conformis vna paſſio probaret.

Petre diligis me plus his, inquitis Domine, & non reſpondit Petrus *Scio*, ſed *Tu ſcis*, veluti ſi amaret vltra quod ſciret; aut veluti ſi ſolus Deus poſſet ſcire, quod Petrus amare. Inde amarè flevit, quantum amare ſcivit. *Diligis me plus his?* igitur non vult ſcire, an Petrus amet, ſi an plus amet ignoret. Erat iam Deus amatus ſuper omnia, non quieſcit, ſi deficiat qui & ſuper omnes amans. *Petre amas me? Domine Tu omnia ſcis*, Petrus mire reſpondit, veluti ſi ſcire omnia ſit, ſcire quidquid Petrus eſt. Ter interrogat, & iuxta Patres, vt toties retractet, quia quis facile poſſet credere, ſi non affirmaret Petrus, quantum negarat ipſe.

Paſce oves & agnos. Ecce nunc Petri Succeſſorum interminabile tempus. Defeciſſent abſque agnellis oves, vt abſque ſemine plantæ: veteraſcunt illæ, & agnis ſeneſcentis mundi tempore in Catholico ovili renovantur. Receſſit Paſtor noſter, & poſſet timere puſillus grex, nè dediſſet nos tanquã oves eſcarum, ſi prout viſibiles ſuccedere lupos, in *Summis montium*, nollet ſuccedere Baculos. Iſte eſt Baculus Paſtoralis, quem veluti David, iuxta cor Dei electus, ſemper habet in manu, & erit tanquam lignum quod plantatum ſecus decurſus aquarum, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius, & folium eius non defluet. Contra commotionem Capitis in Populis, Deus in medio eius non commovebitur. Extra Petrum, omne Caput languidum, Caput autem eius aurum optimum, fœcundum, ac facundum, vetore plenum, quo, & Dextera Domini, quæ fecit virtutem, vti ſolidiori Petra conquaſſavit capita in Terra multorum. Fiat, Fiat, Fiat.

(***)

DIST.

DIST. IX.

De Spe Theologica.

1 POſt Fidem theologicam manent Spes, & Charitas, quarum, ſervato ordine, nunc acturi, ac per conſequens de Spe primo quæ reſolvenda, vt deinceps chara perfectione hoc maius & melius ædificium compleatur. Igitur impræſentiarum venit agendum de Spe, quæ vt pes animæ noſtræ habetur, iuxta præclarum illud Auguſtini proloquium, Non pedibus, ſed affectibus movetur voluntas. Utinam ſicuti intellectus fide, Deo, qui Spes noſtra, nedum moveatur, ſed ſurſum columbæ pennis, volet & requieſcat voluntas, dum in ſpei arduis, difficiliora cupit & animus evincere ſperat, Scoto comite *in* 3. *d.* 26.

QUÆST. I.

De obiecto formali Spei Theologicæ.

2 CUm habitus ſint potentiarum ſymbolica comprincipia; eas adiuvantia, & perficientia intra ſpecialiſſimum potentiarum ſcopum, inde, ſicuti animæ noſtræ potentiæ tam materiale, quam formale obiectum concernant, conſimiliter & ipſarum proprij & ſpeciales habitus. Verùm tam habitus, quam potentię, ex nullo magis diſtinctius, quam ex obiecto formali dilucidantur, cum ſit forma reſpectu materię, & genuina norma reſpectu potentiæ, eam primo & de per ſe menſurans, diſtinguens, & ſpecificans, ſigillans lineam ab vltimo actus vſque ad primum radicis (videantur plura notata, ni fallor, digna, iuxta Scoti literam, de obiectorum conditionibus, à me abunde expoſita in Curſu Philoſophico, *tom.* 1. *lib.* 2. *diſt.* 2. *à quæſt.* 1.) quapropter, cum ad proportionem potentiæ, & habituum philoſophare debeamus, priuſquam deſcendamus ad alias Spei quæſtiones, vt principaliorem hanc obiecti formalis tractare, & reſoluere intendimus, cognito namque eo, propter quod ſunt cætera, eorum facilius iam expendetur cognitio.

3 Igitur circa formale obiectum Spei theologicæ dividantur celebriores Auctores, quos ad tres præcipuos opinandi modos reducunt Recentiores. Opinantur nonnulli obiectum formale Spei eſſe Beatitudinem noſtram, vt ardua eſt. Pro hoc opinandi modo citantur Henricus, Richardus, Durandus, Paludanus, & alij veteres cum Seraphico Doctore apud Gaudentium, eximium Seraphici Commentatorem, qui *Tract.* 1. *de virtutibus Theologicis dp.* 4. *q.* 3. *num.* 18. ſentie opinionem D. Seraphici, mutilam tradi à modernis, prout moris, circa eum habent. Exponit ergo, quod iuxta Seraphici mentem, obiectum formale Spei, eſt Deus bonus, amore concupiſcentiæ appetibilis, non vt bonum, ſed vt magnum arduum expectatum à nobis; conſequendum tamen divina liberalitate, veritate, & Omnipotentia innixia. Ita *in corpore* quæſtionis D. Bonavi ſe explicare, teſtatur Gaud. id comprobans tribus rationibus, quas infra referemus, dum argumentis ſatisfaciamus.

4 Diſplicet præadductus dicendi modus; & in primis, vt unde in arduitate propoſitus. Primo, quia ſi bonum, vt arduum foret ratio formalis ſperandi, ille ſperaret magis, qui magis deſperaret; ſed id contradicit; ergo. Tota difficultas eſt in maiori, quam ſic ſuadeo. Quia ille ſperatet magis, cui intenſius, & vehementius proponeretur ratio formalis obiecti; ſed ratio formalis obiecti, vtpote arduitas, nemini intenſius. & vehementius proponitur, quam deſperanti, vt patet; ergo. Comprobatur maior à paritate fidei, & charitatis; quia enim Auctoritas aſſertoria eſt obiectum formale fidei, robuſtius aſſentit ille, cui intenſius, & vehementius proponitur; & ſimiliter magis diligit, cui robuſtius Dei bonitas in ſe offeratur; necnon convincit diſcurſus à paritate potentiarum, & appetituum.

5 Dices, quod in deſperantibus non ſtat quoad ſpem defectus ex ratione ſpecifica ardui, ſed ex alijs, quæ deficiunt in eis. Contra, ſemper vrget, quia non minus id contradicit, vt patet, quia implicat, quod dum ratio formalis eſt ratio propterquam cætera ponuntur, & propterquam ad cætera aptius movemur, poſſimus magis retrahi dum ratio formalis intenſius nos contrahit, necnon, quod motivum vt cætera magis recedant, ſit intenſior acceſſus ipſius rationis formalis, vt etiam patet à paritate cæterarum virtutum, appetituum, & potentiarum; ergo contradicet quod tunc cætera deficiant circa ſpem, quando in ſua maiori vi ſit ratio ipſa atrahendi, & afficiendi cætera.

6 Secundo, quia quod arduitas ſit extra rationem formalem movendi ſuadet ſcopus virtutis Charitatis vix (hęc ratio aptior erit

apud tenentes Chritatem viæ & Patriæ in ſpecie diſtinctas) quia prout in via etiam nobis indiſpenſabilis eſt ænigmatica propoſitio bonitatis divinę, etiam Charitati ardua eſt, ſi arduum ſit quod ſecum tradit contrariantia, & opus ſit ab appetente ea evincere (Ipſe Henricus apud Scotum *diſt. 26. q. vn.* verſ. *Primo per obiecta*, tenet : *Bonum delectabile eſt bonum concupitum à concupiſcente propter commodum eius. Bonum arduum dicitur bonum appetitum, quo voluntas appetit ſuperare omnia ſibi contraria*) Sed licet ęnigmatica propoſitione bonitatis ſuppoſita, ſit neceſſariſſimè etiam conſequens arduitas ad bonum terminabile à Charitate, ſic attingit bonum arduum, quod arduitas vt ratio formalis non attingatur, ſed arduum vt in ſe bonum; ergo & vt nobis bonum, vel aliter attingetur ab Spe, tametſi ab ea non poſſit attingi niſi bonum quod arduum.

7 Tertio, quia imperceptibilis eſt ratio formalis & motiva Spei ex parte obiecti, per viam aliquam extra rationem formalem deſiderij ex parte actus; ſed ſi formaliſſima ratio ex parte motivi foret arduitas, extra formaliſſimam rationem deſiderij expediretur ſpes ex parte actus, quia arduitas vt talis & ſecundum ſe non eſt appetibilis, ſed ratione boni quod circuit, ſicuti lilium inter ſpinas appetitum (nec aliud huic ſimile invenio ad ſpem exemplar, eo vide, an tametſi quia appetat lilium ſpinatum, quia ſpinatum appetat? Necnon, an licet non poſſit colligere quin pungi velit, velit, quia pungere ſe, ſit ratio appetendi collectum?) ergo.

8 Quarto, quia licet ſuperare contraria ſpectet ad rationem Spei, vt ſupra ex Henrico exponebatur, nunquam tamen vt vltimo formalizans, quia ſi percontetur ſperans propter quid ardua ſequatur, & contraria vincat, vltimo reſpondebit, quia illius boni poſſeſſionem appeto; ob idem enim omnia agentia etiam inanimata contraria vincunt; ſic etiam diligentes pugnant, & cætera ardua ad victoriam.

9 Dices, quæ P. Gonet *hinc dp. 9. art. 3. §. 2.* qui cum deffendat etiam iuxta Angelici mentem arduitatem non fore rationem formalem appetendi, & ei obijciatur Angelici textus, diſtinguit duplicem ardui conceptum, vnum videlicet qui ſiſtat in difficultatibus, & anxietatibus, & alium qui ſiſtat in quadam pretioſitate, iuxta illud D. Angelici *in 3. d. 26. q. 1. art. 2. Difficile, vel arduum addit, quamdam rationem ſpecialem bonitatis, ſcilicet, pretioſitatem quamdam, ex hoc ipſo quod de facili non habetur, ſicuti dicitur omne rarum charum.* Unde inquit Gonet, quod arduitas primo modo ſe habet vt conditio duntaxat ad Spei obiectum; ſin autem ſecundo modo ſpectat ad obiectum formale quod Spei. Dices itaque quæ Gonet, addens tamen excellentiam & pretioſitatem, nedum fore de ratione formali quod, ſed ipſam rationem formalem ſub qua, ſicque venimus ad opinionem Doctoris Seraphici iuxta Gaudentij commentarium.

10 Contra præfatam expoſitionem inſurgit Subtilis Doctor, verſ. *Præterea*, ſic arguens: Aut appretiabilitas iſta in obiecto intelligitur aptitudinaliter, vel actualiter? Si aptitudinaliter, quia ſcilicet, præfato modo, natum ſit appeti obiectum, contra, nam hoc maximè pertinet ad obiectum Charitatis, quia vt dictum eſt ab eis, & de ſe patet, Charitas reſpicit Deum, vt obiectum ſuum ſub ratione infiniti in ſe, quæ eſt radix & norma totius pretioſitatis. Si actualiter ſumatur pretioſitas, hoc eſt, quia voluntas ſic appretiatur, contra, quia ſic eius appretiatio ſit actualis, ſeu ſiſtat in eo quod voluntas per actum ſuum appretietur tantum obiectum, erit imperceptibile, quod appretiatio vt in obiecto pręcedens, ſit quæ moveat potentiam ad appretiandum, ante actum ſiquidem non datur actualis pretioſitas, & ante actum debet pręcedere obiectum.

11 Deinde, iam expreſſius attendentes ad opinionem Seraphici, prout ſupra à Gaudentio expoſitam, in eam, vnam dirigo ex vniverſali exemplari rationem. Dum enim benè attendatur, difficile invenietur aliqua virtus, habitus, potentia, & forma, quibus exercendis deficiat aliquid quod non ſe habeat vt conditio, vt patebit diſcurrenti per ſingula: Tum, vbi plures miſcentur cauſæ, maximè efficiendo, prę formalibus dignoſcuntur efficientes; ſed iuxta expoſitionem Gaudentij, nec quidquam manet quod ſit conditio, cum ſtabiliat in obiectum Spei formale, appetibile, vt magnum arduum, expectatum à nobis, conſequendum divina liberalitate, veritate, & Omnipotētia innixis; nec quidquā reliquit ad efficientē cauſam, cum ipſam Omnipotentiam efficientē imbibat intra formalem; ergo.

12 Ulterius, ſi percontetur, quid nomine ardui intelligat: Reſpondet Gaudentius: Dico intelligi bonum, vt magnum, & excellens, multiſque difficultatibus obtinendum. Inſtant Caſpenſis, Suarez, & Maſtrius (inquit ſemper ipſe Gaudentius) difficultates non movent ad volendum, ſed retrahunt; ſed ſpes eſt volitio; ergo. Sed obviam (inquit ipſe) reſponſionem habent in Seraphico Doctore,

tore, nam difficultas in bono eſt obiectum non concupiſcibilis, ſed iraſcibilis, quę inſurgit ad bonum impeditum, & ad obſtacula removenda; ſpes autem perficit iraſcibilem. Hæc Gaudentius, dum ibidem dixerat: *Hinc ſolvitur argumentum, quod tanti pendunt Scotus, Maſtrius, & Suarez*, cum mirari debeat, ipſum non vidiſſe argumentum in proprijs terminis in eius vltimam ſolutionem ab Scoto poſitum.

13 Contra illam opinionem (inquit ibi ad literam Scotus) arguo, & primo contra primam rationem, quæ procedit de obiecto, quęro, quid intelligatur per bonum arduum? Aut intelligitur bonum abſens; aut excedens facultatem potentię, cui dicitur arduum; aut bonum appetibile excedens omnia alia ſibi contraria. Si primo modo: igitur iraſcibilis non erit in Patria, ac per conſequens ſpei non ſuccedet tentio, nam oporteret quod tentio eſſet in eadem potentia & vi cum ſpe, quia ſuccedit ipſi, ſicque haberet pro obiecto ſuo arduum, quod eſt bonum abſens, quod habere contradiceret in Patria. Si ſecundo modo: igitur in Deo non eſſet iraſcibilis, cum nullum ſit obiectum excedens reſpectu eius; igitur nec eſſet tentio, quod conſequens eſt falſum, cum in Deo ſit tentio reſpectu ſui ipſius; igitur & erit falſum antecedens, ſcilicet, quod in habentibus ſpem, ſpes ſit habitus iraſcibilis. Si tertio modo: tunc male ponetur obiectum ſpei diſtinctum contra obiectum charitatis; quia charitas inter omnes virtutes maximè reſpicit Deum ſub ratione appetibilis, quia ſub ratione infiniti. Hæc eruditiſſime Scotus, quibus directiſſime ſuperioris opinionis expoſitiva fundamenta enervat.

14 Opinantur alij obiectum formale Spei, eſſe Omnipotentiam divinam, ſeu Deum vt auxiliantem. Pro hoc opinandi modo citantur plures, quorum principaliſſimus Angelicus Magiſter varijs in locis, maximè in quæſtionibus diſputatis *quæſt. vn. de Spe*, apud Gonet *hinc art. 3. §. 1. à nu. 47.*

15 Diſplicet præfatus dicendi modus. Et in primis, quia vſque adhuc pro ſpecificativo improbe videtur ſumi principium inter omnia, & pro omnibus indifferentiſſimum, vt eſt Omnipotentia; ergo dum ſpecificatio, quæ contrahit & reſtringit inquiritur, impropriè ad eam ſumitur Omnipotentia, quæ cuncta dilatat, & pro cunctis eſt generaliſſimum præſtandi centrum. Comprobatur intentum, quia vt rationem *à qua*, non minus ac ſpes, vniverſi habitus concernunt Omnipotentiam, idque vel in priori ad ſpem, vel extra ſpei ambitum, vt patet in vniverſis principijs, virtutibus, & habitibus, idque æquè, ſivè ſint ordinis ſuperni, ſivè ſint ordinis naturalis; igitur dum virtus ſpei noſtra vndequaque requirat in ſpecificativo diſtinctionem, vtpote tam ex ordine, quam ex ratione à qua, non benè ei Omnipotentia attribuitur in rationem, vt à quo principium.

16 Quod enim (præcavetur reſponſio) vel in priori ad ſpem, vel extra ſpei ambitum nonnulli habitus & comprincipia ſic concernant Omnipotentiam, ſuadet ſatis clarè ipſe ſtatus beatificus, in quo luminis poſitio, & ipſius conſervatio volita à Beatis, eſt ab ipſa Omnipotentia; necnon habitus ille charitatis: Tum, etiam in via, quia dum velimus amare Deum ſuper omnia & propter ſe, ad eamdem virtutem, ſicuti & ad eamdem potentiam ad quam ſpectat finis intentio, debet ſpectare regulatio directa mediorum, vt eſt habitus charus, & ſic quodvis comprincipians; ergo extra ſpei ambitum, videtur id charitate voluntati informatæ præſtandum.

17 Deinde præfata opinio venit reprobanda ex ipſa poſitione concluſionis Thomiſticæ; reſolvebant enim, apud Gonet, quod ratio formalis ſpei erat Omnipotentia, cuius vniverſa & peculiaris ratio eſt eſſe ratio *à quâ*, dum ipſe Gonet, concluſionem ſtabiliens, manifeſtat loqui de ratione *ſub quâ* Spei theologicæ; quæ rationes ſi benè combinentur diſtinctum ſcopum habent, vt patet in cunctis rationibus cauſarum, excepta formali; ergo quia dum ab Omnipotentia aliquid accipere ſperamus, reſtat perfectè formalizanti deſignare rationem ſub qua ſperamus, videlicet, quia bonum, vel quia commodum, vtile, &c. prout iam benè contrariantes Thomiſtico ſuadent ab exemplari infirmi ſperantis à medico ſalutem, quia bonam, commodam &c.

18 Deinde, quia extra contentionem ſolide, & genuine diſcurrentes, diſcurrere debemus proportionate obſervantes ſcopum potentiarum, & obiectorum; ſicque inveniemus, quod ſicuti ſe habet potentia intra ſui obiecti ſphæram, & ſe habere debent, ſervatis dumtaxat ſervandis, habitus, & propria comprincipia talis potentiæ, vt patet diſcurrendo de potentijs animæ rationalis penes verum, & penes bonum: Nunc ſic, ſic attenditur abſtractè & ſecundum ſe ſcopus potentię volitivæ, quod bonum ſit abſtractè, & ſecundum ſe ipſius formale & ſpecificans obiectum; igitur dum habitibus voluntas concractè habeatur, ſemper bonum erit obiectum

tum formale ipſius, tametſi debeat eſſe iuxta contractas & ſpeciales alias rationes bonitatis, vtpote, vel quia ſimpliciter bonum, vel quia commodè bonum, vel delectabiliter bonum &c. prout id ſatis proprie poteſt conſiſtere in potentia intellectiva tam abſtractè, quam contractè à paritate veri, quod eſt obiectum condiviſivum ad velle.

ART. VN.

Scotica opinio proponitur.

19 IN primis venit reſolvendum ex dictis, quod intra rationem obiecti Spei theologicæ debet ingredi ratio boni, & infiniti. Sic formata reſolutio, eſt conſormis ad dicta ſuperius, necnon ad dicenda iuxta Scoti mentem. Quod enim debeat ingredi bonitas, ſuadet ſcopus actus volitivi, qui primo & de per ſe habet tendere in bonum, extra huius namque rationem, non valet moveri voluntas, maximè quæ perfecta, & honeſta, vtpote virtute ſuperna informata; ergo. Quod etiam debeat ingredi infinitas, ſuadet conditio actus theologici, qui primo & per ſe, cum debeat pro regula habere primam regulam, & debet primo & per ſe à bonitate infinita moveri, prout ſuadet Scotus vbi ſupra in 3. §. *Ad quæſtionem* ex eo, quod *nullum bonum ſufficienter quietet appetitum, niſi ſit infinitum bonum*, vt patet ex penetratione noſtri inquieti & inſatiabilis cordis.

20 His ita, nunc maior difficultas, tam intra, quam extra Scoti aulam, ſtat in formalizando obiectum Spei theologicæ. Formatur difficultandi ratio ex eo, quod ſi obiectum Spei ſit bonum divinum, hincque ſiſtendo, difficile deſignabitur quod ex formali obiecto ſit Spes diſtincta virtus à charitate, dum revera diſtincta numeretur ab Apoſtolo, iuxta illud, *Tria hæc*, & ſic diſtinctè probatur ab Scoto. Sin autem vltra divinum bonum addatur aliquid in ſpecificè diſtinctivum, v.g. *Vt nobis bonum*, ſeu *commodum &c.* ſic, tunc ſpecificativum virtutis theologicæ erit aliquid finitum, quod contradicit ipſi theologalitatis ſcopo, prout cunctis clarum eſt.

21 Ex vltima propoſitæ difficultatis parte Noſter Faber motus, apud Gaudentium, & Maſtrium, reſolvit, Deum ſub abſoluta ratione Deitatis eſſe obiectum formale Spei, idque iuxta Scoti mentem deducere intendit, videlicet ex illis Scoti verbis à §. *Ad quæſtionem*, vbi ait: Si dicatur, quod deſiderare bonum mihi variat rationem formalem obiecti, quia commutat bonum honeſtum in bonum vtile: Hoc falſum eſt, quia conditio illa, vel circunſtantia Cui, non eſt conditio obiecti per ſe, imò talis conditio poteſt addi ſuper obiectum ſtante formali ratione obiecti, ſicut patet in fide &c. Quibus vltimis Scoti verbis Faber iuxta Scotum ſuam expoſitionem firmat.

22 Pater Maſtrius, & Gaudentius expoſitionem Fabri vt Scoto improbam refellunt, recitantes expoſitionem Reverendiſſimi Licheti, vt prædictis Scoti verbis genuinam, quam tenuerat etiam Aretinus aiens, ea verba ſic capienda, quod actus ſpei, vtpote deſiderantis bonum infinitum, terminetur primo ad illud bonum ſub ipſius ratione formali abſoluta, non quod ille actus terminetur ad tale bonum vt in ſe, & propter ſe, ſed ad illud vt bonum mihi, bonum ſuperabundans, & me vltimatè perficiens, eo tamen modo, quo obiectum valet perficere potentiam, vtpote extrinſece: & proſequitur rationem Maſtrius, quia voluntas ſi illud bonum vellet tantum vt ſibi commodum, non foret recta, ſed mercenaria, quod declarat Lichetus egregiam Scoti doctrinam adducens *ex 2. d. 6. q. 2.* vbi tenet Subtilis, quod appetere actum perfectum, vt per illum magis ametur obiectum in ſe, eſt ex affectione iuſtitiæ, quia ex eo quod amo aliquid in ſe, inde volo aliquid in ſe, & inde boni Angeli potuerunt appetere beatitudinem, vt habentes illam perfectius amarent ſummum bonum; & ille actus appetendi beatitudinem eſſet meritorius, quia non vtitur fruendo, ſed fruitur eo, quia bonum, quod concupiſco mihi, ad hoc concupiſco, vt plus amem illud bonum in ſe. Ita Scotus apud Maſtrium, & Gaudentium.

23 Veneror cuncta, quæ celebres Scotiſtæ iſti adducunt, maximè ea, quæ Scoti labio, verumtamen ratio difficultandi ſupra formata ſemper vrget, nedum in Fabrum, ſed in Maſtrium, cæteroſque Scotiſtas. In Fabrum, quia ſi Deitas abſolutè & irreferibiliter ſit obiectum, manet imperceptibilis ſpei differentia formalis ex obiecto, ſiſtentes ſiquidem in bono, chari ſumus & amici, vt patet. In Maſtrium & alios, qui aiebant, quod *actus ille terminetur primo & immediatè ad illud bonum ſub ipſius ratione formali abſoluta, non quod terminetur ad tale bonum in ſe, & propter ſe, ſed ad illud, vt bonum mihi, perficiens &c.* Igitur licet terminetur ad bonum infinitum (infero ex eorum dicto) ratio formalis terminativa præfati actus, non erit bonum infinitum, vt tale, & vt in ſe,

ſed

ſed vt in me, vtpote, quia bonum mihi. Igitur, prout formaliter ex obiecto ſpes ſumit ſpeciem, & maximè vt à charitate diſtinctam, eam ſumet ex addito ad infinitam bonitatem, quod infinitum non eſt, ſed infinitum, prout finitatum. Urgetur clare, quia addito præciſo, nil formaliter manet ſpei; dumtaxat addito intellecto ſpes ponitur, & à charitate diſtinctè percipitur; ergo. Hæc eſt, prout iam pluries notaram, maior ſpei difficultas. Et vlterius hinc notanter adverto, quod ea celebris Scoti doctrina notabiliter adducta à Licheto, & à Maſtrio & Aretino affectiſſimè amplexa, ni fallor, non ſic percipitur ab eis, eo ſubtili diſcriminè, quo ab Scoto. Scotus enim tametſi teneat compatibilem intra perfectionem diligentis, poſſe aliquem commode concupiſcere bonū dum aptius bonum in ſe diligat, at Scotus vtrumque illum actum ad amicitiæ ſcopum ſic reducit quod ſpei actum tunc non formalizet, ſed totum ſtabiliat intra charitatis metas; ergo dum Scotus pro viribus laboret, vt extra adæquatum charitatis ſcopum probet ſpei actum, ea notabilis doctrina, quæ ſpem confundit, vel ex charitate ſpem ſummè perficit, non manet benè capta. Et ne hoc liberum videatur, lege attente Scotum *in 3. ſupra diſt. 26. à* verſ. *Ad ſecundum dico, quod ſicut charitas &c.*

24 Verumtamen ob Scotum, duplicem affectionem in voluntate clarè, & pręclare diſtinguentem, duplici medio (& tertio, in fine) præformatæ difficultati ſatisfacere intendam, etitque primum Scotiſtarum veſtigijs inhærendo. In primis ergo reſolvimus, quod ſicuti in voluntate dantur duo affectus, vnus iuſtitiæ, & alter concupiſcentiæ (loquar Scoti labio, prout videri poteſt in diſt. 26.) conſimiliter dari oportet duos virtutis habitus, quibus reſpectivè & ad proportionem perficiatur voluntas, ſicque vt oportet in Deum tendat. Ratio eſt, quia per vtrumque actum poteſt voluntas recedere à ſummo bono; igitur dum non ſint potentiores vires malitiæ, quam bonitatis, & per vtrumque affectum poterit ad ſummum bonum ſe propinquare. Igitur oportebit duplex perfectivum ponere ex parte virtutis, ſicuti datur duplex ſuſceptivum perfectionis ex parte voluntatis.

25 Oportet etiam eum duplicem habitum ſtabilire diſtinctum, oportet ſiquidem eum ſtabilire ad proportionem ſuſcipientis; ſed voluntas iuxta vnum actum, diſtincto modo operatur ac iuxta alium, quia per vnum operatur iuxta affectum iuſtitię, & iuxta alium iuxta affectum commodi; ergo. Sic ad proportionem oportet vnum alio perfectiorem intelligere, quia affectus iuſtitiæ eſt ſupremus, & nobilior, vt patet, quam commodi, vnde affectus charus inter cunctos affectus eſt maior apud Apoſtolum; ergo dum connaturaliter operari oporteat, oportebit vt magis & minus perfectos vtrinſque affectus habitus ſtabilire.

26 Habitus & ſic coadiuvantes facultates non invertunt potentiarum inclinationes, & affectus, ſed perficiunt, ac proinde formalis ſcopus quem obiecti concernebat potentia, concernit & habitus, ac proinde quem ſcopum obiecti tenebat voluntas iuxta diverſitatem illam affectionum, retinent habitus; igitur quantumvis virtuoſus, perfectus, & ſupernus, ſic diſtinguēdi habitus ex obiectis, ſicuti ex ipſis diſtinguebantur potentiarum affectus. Igitur quo pacto firmiter teneamus affectum iuſtitiæ habere formaliſſime diſtinctum obiectum, ac concupiſcentiæ, & tenere debemus de obiecto habitus charitatis, & ſpei: Igitur dum firmiter teneamus, quod bonum in ſe ſit formalis terminus affectus iuſtitiæ, firmiter tenendum eſt, quod aliud quam bonum in ſe ſit terminus affectus concupiſcentiæ. Pro diverſis namque, nunquam fuit norma indiviſa, prout ex hoc principio paſſim expendere concluſiones inveni Scotum.

27 Unde venit dicendum nil trepidandum in eo, quod obiectum Spei ſit Deus, nedum vt bonus, ſed & vt commodè bonus, quin præformata difficultandi ratio obſtare debeat. Ratio eſt, quia ſpes non debet perfectius cenſeri ex obiecto, quam ex ipſa linea & ſuimet propriſſima ſphæra, quæ veluti conſona affectui intra quem tendit, non eſt maximè perfectionis; ſicque dum perfectiſſimè non exequatur, & per eum affectum tendat in Deum, nil mirandum, cum iuxta illius lineæ conditionem, perfectius tendere contradicat, ſicuti iuxta Apoſtolum contradicit ſic tendere, quod maneat in ſtatu perfectiſſimo obiecti, ad cuius perfecti ſtatus præſentiam evacuatur, & expellitur, veluti non perfectum ad introductionē perfecti. Non enim poſſumus ex obiectis reſpicere æqualia, quæ inęqualia Deus poſuit in nobis ex natura ipſorum actuum, & affectuum, prout hinc in affectu iuſtitiæ, & commodi, ſed ea debemus reſpectivè conſiderare; igitur dum per vtrumque affectum nos tendere voluiſſet Deus, & affectus ſpei ignobilis appareat reſpectu alterius, nil obſtandum, quod eius obiectum etiam minus nobile perpendatur. Quapropter

otioſum, & inconſequens invenio, etiam iuxta Scotum, nimis laborare in eo, quod ſignetur ſpei ſtructura ſic ab omni imperfectione depurata, ac charitatis, prout comprobat Scotus à verſ. *De Charitate probatur*, vbi probans ſpem eſſe diſtinctam virtutem à charitate infert: *Igitur charitas inclinat ad amandum ſimpliciter amore amicitiæ; ſed deſiderare bonum infinitum eſſe bonum meum, non eſt amor amicitia, nec eſt nobiliſſimus, quia nobilius eſſe habet illud obiectum in ſe, quam habeat in alio*, v.g. in me; ergo.

28 Igitur iuxta Scotum, obiectum Spei, præ Charitatis obiecto, eſt bonum in alio, ita vt Spei obiectum ſit obiectum in alio. Neque ad aliud defenſandum poteſt inveniri medium, eſtò ſit ad probandum fore diſtinctas virtutes, ſicque & diſtincta obiecta. Neque huic illationi obſtat illud dictum de ordine perverſo, prout ſic formatur ab Scoto: Obiicitur, ergo voluntas ſperans eſt mala, quia vtitur fruendo referendo illud ad aliud. Reſpondeo (inquit præclarè Scotus) non omnis comparatio obiecti per voluntatem ad aliud obiectum eſt comparatio, quæ eſt vſus, ſed tantum quando comparatur, vt minus bonum ordinatum ad aliud tamquam ad maius bonum conſequendum per illud: ſic autem non eſt in propoſito, ſed voluntas comparat illud, vt abundans bonum ad minus bonum, cui liberaliter conceditur, tamquam perficiendum ab eo. Hæc Doctor, quibus clarè ſatisfit; voluntas enim noſtra tunc non pervertit, quia vt excellentiorem reputat & appreciatur lineam boni in ſe, ad eam appetens tendere per affectum ſupremum charitatis; at dum per inferiorem affectum tendere, opus ſit etiam, vt non pervertat, debet etiam ſic tendere ad bonum, ſicuti ſolum per eam lineam adipiſci poteſt, ſic tendens, quod non pervertere intendat. Si namque peccans pervertit, oritur, non ex eo quod maius bonum comparet, ſed quia male ſi comparat, quod creatum vt maius reputet, veluti à creato vt vltimo perficienda voluntas, ita vt vtrumque pervertat. Secus autem hinc, vt aiebat Scotus, quia eo ipſo, quod velit maius bonum ſibi, probat clarè quod in ſe eſt, & ſummè habet; nec enim vellet ſibi, ſi minus bonum foret in ſe. Voluntas itaque vtrumque actum ex vtroque habitu recta in ordine regulat, ac ſi diceret, Hoc bonum quod volo vt mihi bonum, eſt quod eſt in ſe ſummè bonum, & volo ſuper omnia bonum. Unde aiebat Scotus à verſ. *Prima circunſtantiæ: Nullum autem bonum ſufficienter quietat appetitum, niſi ſit infinitum bonum.*

29 Unde nec obſtat ea difficultas oppoſita contra rationem theologalitatis in ſpe. Non obſtat, quia obiectum Spei theologicæ, non eſt bonum, ſic *vt mihi*, quod voluntas mea ſit reduplicativè ſpecificans, ſed obiectum Spei theologicæ eſt Deus, *vt bonus mihi*, ſic concretivè, quod vtrumque concernat, ita vt eum deſiderare mihi, non tollat eum deſiderare, prout diſſerte percepetat Subtilis à verſ. *Hac etiam virtus*, ad idem intentum aiens: *Quia enim deſidero illud mihi, vel tali, vel tali, non tollitur, quin deſiderem illud, vt obiectum; igitur illud circa quod eſt actus ſpei eſt bonum infinitum, & ita æternum; igitur eſt virtus theologica.* Ratio eſt, quia eſt impereeptibilis circunſtantia *Cui* quin inſimul circunſtantia obiecti attingatur, quia ſi alicui deſiderem, aliquid quod deſiderem, opus eſt attingere; igitur dum tale aliquid infinitum ſit, tale infinitum à deſiderio meo attingetur, ac proinde vt eſt ſpecificabit, ſicque theologicè.

30 Et ad illud quod amplius vrgebat ex diſtinctivo charitatis, dicendum, ſemper ſalvari diſtinctionem, quia quod eſt obiectum charitatis eſt bonum, vt in ſe bonum, quod autem eſt obiectum ſpei, eſt bonum, non præciſé *vt mihi*, id eſt, non ſolum *me* addendo, ſed inſimul ſumendo vtrumque, vtpote, *bonitatem in me*, ſeu vt bonum mihi, prout ſupra exponebam, ita vt vnum concretum diſtinguatur ab alio, quod eſt veluti abſtractum; bonum enim in me concretum, & bonum à me abſtractum, diſtinctè habentur, ita vt vnum concretivè, ab alio abſtractivè capto ſecernatur. Hæc expoſui ex primo medio in Scotiſtarum gratiam, & communiorem viam.

31 Ex ſecundo medio ad præformatam illam rationem difficultandi ſatisfacientes, dicimus, quod Spes theologica eſt virtus ex duplici formalitate conſtructa, ac proinde ſic, quod penes obiectum duplex debeat correſpondere. Itaque Spes theologica appetit Deum, vt nobis bonum, ſic, quod ex formalitate ſpei appetat voluntas bonum, prout nobis; ex formalitate theologicæ appetat, quod divinum eſt præciſivè: Unde dicendum, quod in præciſa ratione theologalitatis, conveniunt omnes virtutes theologicæ, cum indiſtinctè ſolum appetant quod increatum eſt; differunt tamen ex conceptibus ſpecialibus, propter quos illud divinum diverſimode concernunt. V.g. charitas, quæ prout theologica reſpicit bonum divinum, & prout amicitia eſt, reſpicit divinum, prout in ſe bonum: Sic fides prout aſſenſus in atteſtante

concer-

concernit veracitatem ; & prout aſſenſus theologicus concernit veracitatem divinam: ſic igitur & ſpes , prout theologica concernit bonum divinum , prout affectus concupiſcentiæ concernit divinum etiam vt nobis bonum. Vide dicta *in Diſt. de fide quæſt. 4. art. 3.* vbi hoc idem melius , forſan , exprimitur à §. *Dices in nos.*

32 Neque repugnat , quod ſcilicet ſic, obiectum virtutis theologicę foret conſtructum ex formalitate creati , & increati ; Ratio evertens repugnantiam eſt , quia vt theologica denominetur , ſat eſt quod ex vna parte increata ſit , aliàs ſi ex omni , etiam ex principio à quo oritur deberet eſſe actus theologicus, ſicque increatum principium ſpeciale. Sic enim vt actus ſit ſupernus non requirit ſupernaturalitatem in vtroque principio à quo procedit , ſed ſat eſt in vno ; quo pacto ergo miſceatur ab eis ſupernaturalitas , & miſcebitur à nobis theologalitas. Tum, quia ſatis probabiliter defenditur ab aliquibus, obiectum formale fidei theologicę conſtrui ex Auctoritate aſſertoria, & revelatione inſimul , quin tamen obſtet quod formalitas revelationis creata ſit , vt enim theologica denominetur fides , ſat eſt vnica Aſſertoriæ formalitas ; ergo & à ſimili in ſpe.

33 Vlterius ſi cunctis difficulter oppoſitis ſatisfacere cupias, ſtabis in eo, quod bonum divinum ſit obiectum formale tam charitatis , quam ſpei theologicæ , ſic tamen, quod reſpectu ſpei ſit obiectum bonitas in recto dicens de connotato ſubiectum , cui appetitus ; charitatis vero ſic ſit bonitas, quod nil in obliquo concernat. Et hic theologizandi modus ſatis conſonus videtur doctrinæ Scoti in ſupra citatis locis, necnon expoſitio Fabri iuxta hunc exponendi modum, valet Scoticè, vt intendebat ipſe, ad familiarem & ſuavem ſenſum tradi. Et ſi dicas,quod ſic, ſola bonitas erit forma, ac proinde quod ea ſola ſpecificabit ſpei actus , contra quod præcipuam difficultandi rationem formavimus ſupra: Dicam, eſſe formam ſolam in recto, quo pacto non eſt abſolutè forma ſola, cum nunquam ſic ſola ſit, quod non dicat de connotato ſubiectum *cui* , quod ſufficit , vt ſufficienti diſtinctivo ſalvetur, quod ſola bonitas in recto ſit obiectum formale ſpei, dum alio modo ſit charitatis. Adaptabo proportionatum exemplar , iuxta communiſſimam opinionem de principio formali productionum ad intra , iuxta quam in principium formale conſtituitur vt forma ſola divina Eſſentia in recto, ita tamen quod dicat de connotato relationem : à ſimili ergo dum theologizes , pluribus ſatisfacies.

34 Contra noſtram reſolutionem, quæ ſpecialiter iam militent argumenta , non invenio roboris, ſicuti nec adducta à P. Gonet, vt ſtatim videbitur. Opponit enim , quod à paritate fidei, illud debet eſſe obiectum ſpei, in quod vltimo reſolvitur ſpes ; ſed vltimò reſolvitur in Omnipotentiam auxiliantem; ergo. Prob. min. quia ſi percontetur , cur ſperatur Beatitudo, reſpōdebitur, quia Deus eſt miſericors & omnipotens; ergo. Nullius eſt roboris , quia vel loquitur de cauſa formali , vel de cauſa efficienti? Si de formali: reſpondebit , quia eſt bonus. Si de efficienti: quia bonitatem quam finaliter deſidero, poteſt mihi præſtare. Nullus enim eſt finis abſque medijs concupiſcibilis efficaciter ; igitur dum in ſpei linea media debeant eſſe ; neſcio quæ hæc poſſint eſſe, niſi quæ valent efficere, ea , quæ deſiderantur. Et cum ſolus omnipotens poſſit efficere ea , quæ deſiderantur supernè , ſolus Deus erit efficiens eorum, quæ finalizat. Dixi medium, eo pacto , quo cauſa efficiens valet dici executiva finalis cauſæ.

QUÆST. II.

De Obiecto materiali Spei.

1 STabilito iam obiecto formali ſpei noſtræ, facilius eſt iam obiecti materialis præſtare rationem , ſiquidem iuxta communiſſima principia, illud omne eſt materiale obiectum , quod ratione formalis attingitur à potentia, ſivè ab habitu quo informata percipitur , tametſi ſervatis in materia attingentia gradibus, videlicet, iuxta immediationem, vel mediationem, primarietatem, vel ſecundarietatem, totalitatem, vel partialitatem , prout ipſi attingendi modi differtè ſpeculanti offeruntur.

2 Igitur circa obiectum materiale ſpei theologicæ videntur convenire Theologi in eo, quod huius virtutis primaria,& principalis materia ſit Beatitudo noſtra , idque facile ſuadent,tum ex ſacris textibus, tum ex rationibus , quæ clarè manifeſtant nil aliud poſſe eſſe principalem huius noſtri deſiderij materiam , ſicuti nec noſtri inquieti & ſperantis cordis proportionatum,& rationale centrum. Verumtamen cum circa Beatitudinis normā dividantur Auctores, aliqua remanet evincenda difficultas, quæ maximè circa Beatitudinem ſiſtit, an ſpei obiectum ſit Deus ipſe, qui eſt Beatitudo obiectiva , an vero ſit viſio

Dei,

Dei,quæ eſt Beatitudo formalis? Circa quod verſatur Auctorum diviſio, prout recitant hinc ex Angelicis Gonet *dp.9. Art.2.* ex Subtilibus Maſtrius *quæſt.17. art.1.*

3 Aliqui ergo exponunt, non Deum viſum, ſed ipſam viſionem Dei, ſic fore ſpei noſtræ obiectum, quod Deus ſolum remotè attingatur, ac proinde ſic, quod non attingatur in ſe, niſi medio ereato actu noſtro. Ita Durandus & Paludanus, inter quos cenſetur etiam Seraphicus Doctor, tametſi id defenſare, diſſentiat Gaudentius *dp.4.q.2.* Alij vero è contrario exponunt obiectum ſpei noſtræ ſic ſolum fore Deum viſum, quod viſio Dei ingrediatur dumtaxat vt conditio. Alij autem medium tenentes iter exponunt obiectum ſpei noſtræ, æquè integrari ex vtraque Beatitudine. Ita quamplurimi Auctores videndi apud Gaudentium. Alij exponunt nullam ex præfatis opinionibus amplectendam eſſe, ac proinde nec tertiam, cum falſum ſit Beatitudinem formalem, & obiectivam ex æquo integrare ſpei obiectum, exponentes deinceps, principale obiectum immediatum ſpei fore Beatitudinem obiectivam, formalem vero fore etiam obiectum, ſed minus principale, cum ſit propter obiectivam. Ita etiam noſter Maſtrius *num.* 443. Alij tandem circa ſpei obiectum indiſtinctè diſcurrentes exponunt, tale eſſe omne illud quod in poteſtate Dei continetur, & ab illo ſperare poſſumus, ſivè naturale, ſivè ſupernaturale, ſivè creatum, ſivè increatum. Ita Vazquez, Turrianus, Metarius & alij apud Gonet ſupra. His ita

4 Circa principaliſſimum, quod revera in Beatitudine eſt, ni fallor, nonnulli ex præfatis Auctoribus, iuxta rerum proprietatem non diſcurrunt hinc, maximè Maſtrius, & omnes illi qui in Beatitudine formali, ſeu in poſſeſſione illius non ſtabiliunt principalem etiam ſpei noſtræ ſcopum. In primis enim militat, hinc non diſputari penes ſpei tendentiam, quod ſolet à Theologis diſputari penes æqualitatem, vel inæqualitatem Beatitudinum ſecundum ſe, dum ſit comparatio. Certum eſt enim, vel magis probabiliter receptum, quod facta comparatione Beatitudinum inter ſe, ſit perfectior obiectiva, quam formalis, illa ſiquidem eſt vndequaque increata, infinita, prima & vltima, radix, norma, & centrale obiectum, necnon Deus in ſe, qui perfectius attendi debet, quam Deus vt in nobis, ſeu in noſtris actibus, prout provide Scotus verſ. *De charitate probatur*, dum aiebat: *Quia nobilius eſſe habet illud obiectum in ſe, quam habeat in alio, vel quod ſit comparatio eius ad aliud à ſe.* Non enim ſic ſit comparatio, nec ſic debet id diſputari, nulla enim ſic offertur dubitatio, ſed dumtaxat contractè ad lineam ſpei, & prout non ab amico, ſed à concupiſcenti concernitur Beatitudo, quo pacto non ſit comparatio Beatitudinum inter ſe abſolutè, & ſimpliciter, ſed reſpectivè, & concretivè applicando eas ad ſperandi lineam, & prout à nobis ſpei deſiderio concernuntur: Sic enim Beatitudo formalis, quæ eſt aliter minus principalis, hoc modo eſt principaliſſima, cum ſit Deus vt poſſidendus, quod de per ſe ab affectu commodi deſideratur. Exiſtimo ergo quod ex huius notæ impenetratione, reſolutionem præformatam firmarunt illi Auctores. Sed de hoc amplius ſtatim.

5 Comprobatur intentum, quia aliter videtur diſcurrendum de ſpe, ac de charitate, maximè dum tales virtutes præſtent in obiectis ſpatium; ſed ſi primarium & principale obiectum ſpei, foret Beatitudo obiectiva, indiſtinctè haberentur; ergo. Maior videtur tenenda, quia aliud eſt centrum affectus iuſtitiæ, & aliud eſt centrum affectus commodi, & prout vndequaque diverſi vſque adhuc reputantur, diſtincta eſt linea vtriuſque affectus; ſed charitas fundatur in affectu iuſtitiæ, & ſpes in affectu commodi; ergo. Minor primi diſcurſus ſuadetur clarè, quia Beatitudo obiectiva indiſtinctiſſimè habetur, Deus namque ſecundum ſe nullam derivat diſtinctionem; ergo.

6 Comprobatur etiam dum principale fundamentum infringitur. Ex eo enim Beatitudo obiectiva debebat eſſe principalis ſpei ſcopus in eo quod deſideratur, quia eſt perfectior, & nobilior; ſed ſic eſt, quod eo ipſo, diſſonat in ſpei ſcopum; ergo. Prob. min. quia ille debet eſſe principaliſſimus ſcopus alicuius lineæ, qui ſpecialius conformat cum tali linea; ſed ſcopus perfectior, & nobilior ſpecialius non conformat cum linea ſpei; ergo. Suadetur minor. Quia linea ſpei eſt minus perfecta, & minus nobilis (ex hac ratione pro nobis tenendus eſt Scotus nuper citatus) vt communiter conceditur ex Apoſtoli dicto; ſed quod eſt minus perfectum, & nobile, ſpecialius cum ſuperexcedente non conformat, & dum conformet, non ſic conformat ac cum eo, quod eſt eiuſdem normæ; ergo.

7 Comprobatur (alio Contrariorum fundamento, corroboratur noſtrum) quia ex contrario, potius perverteretur rectus ille ordo ab Auguſtino deſignatus; ergo. Suadetur, rectus ordo perverteretur ſi ſcopus principalis

cipalis ſpei, ſtabiliretur in ſcopum principalem charitatis, cum charior amicitia ſic abuteretur; ergo & dum ſcopus principalis charitatis ſtabiliretur in principalem ſcopum ſpei. Prob. intentum, quia ex eo interpretaretur abuſus, quia quod erat amicitiæ conſtitueretur in illud quod erat concupiſcentiæ; ſed dum ſcopus principalis charitatis ſtabiliretur in ſcopum ſpei quod erat concupiſcentiæ conſtitueretur & appretiaretur in illud quod erat amicitiæ; ergo.

8 Comprobantur omnia ex comprehenſione & diſcretione ipſarum rerum. Non enim, quia pluribus ad Beatitudinem tendamus, cunctis, quæ perfectioris conditionis ſunt, intendimus, ſicuti nec in Patria ipſa, Deo dante, conſequemur. Non enim quia cuncti appetitus ſatiati ſint in Patria, eodem perfectionis ſcopo ſatiabuntur, ſed erit differentia in appetitis, ſicuti & in appetitibus; & hoc ſignum, Dei gloriæ, maius. Igitur dum ſpei appetitui, non præſtetur niſi quod commodè appetibile eſt, præſtabitur ex Deo, quidquid ei magis & melius præſtare poterit. Sicuti enim ſint manentes actus, ſic & manſiones conſimiles. Aurum ad aurea, argentum ad argentea, & lignum ad lignea habuit pro Templo Dei ſtabilita à David ſapientiſſimus Salomon; & licet cuncta intra Templum, & cuncta perfectiora, at iuxta genus ſuum, ita vt tametſi argentum in ea linea perfectius, nunquam tamen ad idem aſſumptum ac aurum; igitur à ſimili in ſpe, & conſimilibus appetitibus reſpectu auri chariſſimi amicitiæ. Ubi addo in corroborationem primæ notæ factæ ſupra, quod licet aurum in comparatione argenti longe perfectius ſit, at comparatione facta ad lineam proprij miniſterij, conſonatius argentum, vt patet; à ſimili ergo diſcurre de Beatitudinibus inter ſe, & de ipſis comparatis ad genuinas & proprias lineas.

9 Ex his, quæ modo expoſuimus, clarè videtur inferri, quod tametſi Beatitudo formalis non excludat obiectivam, quinimo connexivè habeantur, cum poſſeſſio boni, bonum poſſeſſum importare debeat, at cum eximia connexione capta, valeat vnum dici de principali, & aliud vel vt conditio, vel vt minus principale, videtur ex dictis inferri, quod Beatitudo formalis ſit iuxta ſpei affectum ſpecialius importata, vel ad minus, non minus principaliter importata, necnon vim ſufficientem retinent ſuperius expoſita, vt obiectiva Beatitudo ſolum vt indiſpenſabilis conditio concernatur. Quidquid enim ex his reſolvi videatur, attendi & commenſurari poteſt iuxta expoſita ſupra in quæſt. 1. Art. vn. iuxta vnum aut aliud medium ex eis quæ adaptavimus pro ſolutione illius formatæ rationis de diſtinctivo affectus ſpei, & charitatis. Si namque defenſetur, quod nunquam vt minus principalis attendenda eſt Beatitudo formalis, tunc id conformandum cum ſolutione ex primo medio ſupra in Art. vn. à §. *Unde nec obſtat.* Si vero defenſetur, quod iuxta ſpei affectum Beatitudo formalis ſit de principaliſſimo attendenda, tunc id conformandum iuxta ſolutionem de ſecundo medio, necnon ſi cunctis illis doctrinis attendatur diſtinctè, pluribus hinc opponendis, occurretur.

10 Oppones ſtatim doctrinam, quia Maſtrius ſuam concluſionem probabat, Illud eſt principale, & immediatum alicuius virtutis obiectum, quod immediatè, & principaliter perficit operantem, quod vero perficit dependenter ab illo, & in illius virtute eſt minus principale; ſed in virtute ſpei, quod immediatè, & principaliter perficit operantem eſt ipſe Deus, Beatitudo vero formalis non niſi propter Deum, & dependenter ab ipſo; ergo obiectum immediatum, & principale eſt Deus ipſe, & Beatitudo formalis minus principale. Maior patet. Minor prob. quia licet Deus nequeat eſſe noſtra Beatitudo obiectiva, niſi mediante formali qua illum aſſequimur, hæc tamen Beatitudo formalis, eatenus eſt noſtra Beatitudo, & à nobis appetitur, quatenus aſſecutio eſt, & poſſeſſio ipſius obiectivæ Beatitudinis, à qua omnem rationem bonitatis deſumit; igitur quod immediatè & principaliter perficit operantem eſt ipſe Deus, & Beatitudo noſtra formalis non niſi propter Deum, & dependenter ab ipſo. Hæc ſunt, in quibus principaliter ſiſtit contraria opinio, quibus facile reſpondebis, ſi attendas ad annotationem poſitam in initio noſtræ præcedentis expoſitionis. Illis ibi

11 Reſpondendum, & in primis ad formam argumenti reſpondentes, diſtinguitur maior; eſt principale obiectum, quod immediatè & principaliter perficit operantem, vt ſpecialiter & proximè contractum iuxta ſpecialem lineam talis virtutis, conceditur; quod perficit operantem ſecundum ſe & non vt ſpecialiter contractum erit obiectum, ſubdiſtingue, erit obiectum ſpecialis illius actus virtutis ſpecialis, negatur; erit obiectum alterius actus diſtincti, vt v. g. Deus qui eſt obiectum fruitionis, ſeu Beatitudinis formalis (nota, quod Beatitudo formalis quę eſt actus reſpectu obiectivæ, eſt obiectum reſpectu

pectu affectus concupiſcentiæ ſpei) conceditur. Et ſic percipe illam aliam partem additam, de quibus deinceps. Deinde potes negare minorem, quoad primam partem. ſed tamen diſtingue ſic: Quod in virtute ſpei immediatè & principaliter perficit operantem eſt Deus vt commodus, ſeu vt poſſeſſus; ita vt poſſeſſio de principali importetur in virtute ſpei, conceditur; aliter negatur, vel vt infra, ſubdiſtingue: & nega conſequentiam. Ad probationem minoris, Ipſa Beatitudo formalis eatenus eſt noſtra, & prout eſt aſſecutio obiectivè, à nobis appetitur per ſpecialem & proximum affectum ſpei, negatur, per connexivum, & remotum, conceditur, & negatur, vel vt ſupra diſtinguitur conſequens. Quæ, & alia per expoſitivam ſolutionem aptius diſſolventur.

12 Dicimus ergo Beatitudinem obiectivam fore principalem perfectionem operantis, attamen operans & operatur per actus charos, & operatur per actus commodos. In quantum charè operans eſt, quod immediatè, & de principali reſpicit eſt Deus in ſe; prout autem operatur commodè, & minus nobiliter, vt aiebat Scotus, obiectum principale & immediatum, eſt Deus vt in ipſo, id eſt, vt ipſi operanti bonus, quo pacto directè, formaliter, & ſpecialiter, quod perficit operantem ſic contractum, non eſt quod perficit ipſam Beatitudinem formalem, quinimo ipſa Beatitudo formalis, quę ſecundum ſe erat ex alio affectu perfecta à Deo, ex minus nobili, eſt ipſa perfectio operantis, ſeu deſiderantis obiectum. Sicuti enim operans eſt vt contractus, minus nobiliter operans, oportet etiam, quod perficiens & obiectum, vt ſic contractè, minus nobiliter habeantur.

13 Et vt huius principalem difficultatem ſolvamus, & dilucidemus, eamus ad illam partem, ſcilicet, formalem Beatitudinem fore propter Deum, & dependere ab ipſo &c. necnon nil habituram formalem, niſi ex obiectiva derivatam. Dicimus ita eſſe ſecundum ſe, & abſolutè, ſecus autem cõtractè & ſpecialiter; pro quo adapto exemplar clariſſimum in fine, & medijs (nota exemplar exactiſſimum) certum eſt enim quod finis ſit id, cuius gratia cætera ſunt, ab ipſo pendentia, bonitatem participantia &c. verumtamen compatitur, quod illa dependentia, & cætera alia non tollant, quod obiectum principale & immediatum electionis, ſint media, & ſi connexivè, & inductivè, ſit finis; ſicuti è converſo, intentionis obiectum principale, & proximum non media, ſed finis ipſe, tametſi deinceps inducantur connexivè media: Finis namque longe perfectior eſt, principaliter intentus, radix & cauſa cæterorum; Igitur ex eo erit obiectum primo, proximè, & principaliter attactum, à quocunque volentis actu? Abſit. Quod enim erat primum per vnam lineam, per aliam, etſi dependentem, erat vltimum, per quam vltimum concernitur primum, tametſi nil foret ſine illo alio, ſicuti ſine radice fructus, & ſine cauſa effectus. Conſimiliter poſſes diſcurrere in obiecto demonſtrationis *Quia*, & demonſtrationis *Propter quid*, dum reſpectu illius, obiectum principale, nõ eſt quod ſecundum ſe eſt principalius, cum ſit obiectum paſſio, quæ cuncta participatâ natura, & in omnibus dependet; quin minus principale, vt ſibi, eſt obiectum magis principale. Sic diſcurre circa vtramque Beatitudinem ſecundum ſe, & vt attactas ab affectibus illis magis nobilibus, & minus nobilibus, tametſi obiectiva ſit vt finis, & vt demonſtratio *Propter quid.*

14 Tandem circa hoc corroboratur intentum ex alio eiuſdem ſtructuræ exemplari. Inſiſtebat enim P. Maſtrius in eo, quod Beatitudo formalis cunctam perfectionem ſuam teneat ex Deo; igitur obiectiva reputanda eſt principalior reſpectu affectus ſpei: Reſpondetur ita eſſe ſubiectivè, & entitativè, ſecus autem obiectivè, & intentionaliter, ſeu iuxta ſtructuram actus & obiecti, ſic enim ſpecificatio formalis (de radicali & ſubiectiva dabimus Maſtrio, quidquid velit) incipit principaliter ab ea formalitate, quæ proximè lineam actus ſignat, & format. Exponitur ab exemplari fidei iuxta communiorem opinionem tenentem obiectum formale fidei theologicæ non fore Deitatem ſecundum ſe, ſed Auctoritatem aſſertoriam, quæ eſt attributum, vel paſſio ipſius Deitatis: & dum conſimiliter, ac Maſtrius, arguitur, quod Auctoritas vt attributum totam perfectionem habet à Deitate, necnon ſi fiat reſolutio, fiet in Deitatem, &c. Reſpondent & probatiſſimè plures Doctores, ita fore ſubiectivè, phyſicè, radicaliter, & entitativè, ſecus autem obiectivè, intentionaliter, & iuxta lineam formalis, & proximę ſpecificationis, eo pacto quo ſic linea formalis intelligendi, & proximè informandi obiectivè, non incipit ab anima, ſed ab intellectu, quem ſic formaliter & proximè movet obiectum, & à quo proximè & formaliter linea intellectionis ſumitur; ab anima enim ſumitur phyſicè, & radicaliter, ita vt ſubiectivè ſit principaliſſima entitas. A ſimili ergo circa vtramque Beatitudinem, vt lineam formalem ſpei concernentem, theologiza.

Quam-

15 Quamplurima alia ſolent opponi argumenta, quæ conſulto omitto, cùm quia ad prędicta reducuntur, quę alicuius momenti ſunt, tum quia ſcio, poſſe ſufficienter occurri ex his quæ reliquimus in articulo prçcedentis quæſtionis.

QUÆST. III.

An Deus poſſit alicui revelare damnationem, & tunc, an ille poſſet licite deſperare.

1 Circa huius quæſtionis ſcopum invenio iam advertendum quod ea, quæ diſtinxerunt Auctores ad modificandam reſolutionem circa deſperationis licitam vel illicitam expeditionem, etiam diſtinguere debemus circa ea, quę antecederent, & ea, quę ſubſequerentur. Expono advertentiæ intentum. Dum enim inquiritur, an licite poſſet deſperare ille cui facta revelatio damnationis, iam prius ſecernunt, & diſtinguunt quęſitum, videlicet, vel capiendum de revelatione facta alicui de damnatione, ex ſola Dei voluntate præciſa operum qualitate, vel capiendum de revelatione deducta ex operibus pravis, & tunc vel de facta revelatione ob opera prava præterita, vel de facta ob opera libere futura. Dum igitur ſic diſtinguitur circa expeditionem deſperationis, quæ eſt in medio, videtur diſtinguendum circa expeditionem eorum quæ antecedunt, & ſubſequuntur. Ad deſperationis enim quæſitum, antecedit poſſibilis expeditio revelationis, pro cuius reſolutione venit illa diſtinctio applicanda, videlicet, an Deus poſſit revelare damnationem ex pleno & abſoluto ſuæ voluntatis arbitrio, nulla declarata operum qualitate, vel an expoſitis pravis operibus poſſit expendere revelationem, & tunc, vel de præteritis, vel de futuris. Deinde ad deſperationis quæſitum ſubſequuntur alia, videlicet poſſe orare pro eo, & huiuſmodi, vbi venit pro reſolutione præformata diſtinctio conſtruenda, videlicet, an poſſit aliquis orare pro eo dum ex primo modo, ex ſecundo, vel tertio foret ex revelatione deſperatio imminens. Nonnulla alia notavi notanda, quorum memorabor, vel in quæſtionis curſu, vel in fine.

(***)

ART. I.

Circa ea, quæ antecedunt.

2 Circa ea quæ antecedunt venit decidenda quæſtio iuxta tripliciter diſtincta, & in primis, an Deus ex ſupremo dominio voluntatis ſuę poſſit alicui manifeſtare ſuam damnationem? Circa quod individuum quęſitum, parum invenio apud Auctores, cum apud neminem, ſic inveniam formatum, tametſi iam excitaverint ex parte, videlicet, an Deus poſſet de abſoluta potentia aliquem ad inferos damnare, nullis malis operibus præviſis.

3 Reſolvendum, Deum ſic maximum eſſe in iure poteſtatis, & dominij ſui, quod ſi velit, poſſit cuilibet manifeſtare ſuam damnationem, tametſi qualitas malorum operum non attendatur. Hęc reſolutio ſuadetur, quia Deus poteſt manifeſtare, quod poteſt facere; ſed Deus poteſt ad inferos damnare aliquem, nedum abſque malis operibus inventum, ſed etiam inventum bonis; ergo ſi abſolutiſſimè velit, poterit id manifeſtare Deus. Maior videtur certa, quia quod factum non contradicat Deitatis ſplendori, nec contradicet dictum, quinimo & in nobis raro eſt illicitum dicere, quod fuit licitum facere. Minorem ſuadendam invenio à paritate doctrinæ, quam amplectuntur graviſſimi Doctores, inter quos Illuſtriſſimus Godoy *tom.* 2. *q.* 7. *num.* 39. vbi tenet Deum poſſe de potentia abſoluta nedum non præſtare glorificationem homini conſtituto in gratia, quin & ei pœnam æternam præbere, & plus vltra defenſans, quod licet repugnet humanitatem vnitam Verbo poſſe in aliquo malo culpæ deficere, ſecus autem ad malum pœnæ deſtinarit. Nunc ſic magis contradicere videtur Deum poſſe iuſtum damnare, quam poſſe damnare aliquem à iuſtis, vel iniuſtis operibus præciſum; ſed primum ſi vellet poſſet facere Deus; ergo & ſecundum.

4 Deinde ſuaderi poſſet reſolutio eam probabilizando ſaltim quoad pœnam damni, quæ principalius conſtituit pœnæ, & damnationis tribunal. Et vt declaretur intentum, ſuppono iuxta communiorem opinionem reprobationem negativam Deum expendere ante præviſionem malorum operum; necnon iuxta eamdem opinionem probatiſſimum fore; negativè reprobatum infallibiliter manere à gloria excluſum, ſeu, vt melius alloquar, in gloria non incluſum,

ita vt diſſonaret eum ad gloriam revocare, cum quicunque prædeſtinati infimul, & in priori aliquo ad reprobationem prædeſtinati, vel ſaltem non poſt negativam reprobationem prædeſtinati; nunc ſic, illud decretum, ſic à Deo circa excluſionem gloriæ, poſſet ſi vellet ipſi ſic excluſo manifeſtare, vel ſic quod ſuſpenderet quæcunque deinceps ſpectarent ad ſtatum reprobationis poſitivæ, & pœnæ ſenſus; vel ſic quod tametſi non ſuſpenderet, ei tantum manifeſtaret manere intra numerum negativè reprobatorum, ac proinde manere excluſum à gloria; ergo ſi Deus vellet, quoad principaliſſimum, poſſet damnationem manifeſtare.

5 Ulterius ſuadetur quoad principalem ſcopum reſolutio. Quia quod Deus poteſt expendere in tempore, & poterit,ſi velit,expendere ſemper, quod enim facere non contradicit, nec contradicit conſervare;ſed Deus poteſt ex mera voluntate ſua dare pœnam alicui, eumque ærumnis,& laboribus,pœniſque ſenſuum involvere, ad tempus; igitur & pro ſemper. Comprobatur & exponitur intentum, quia ſi malum pœnæ dare, repugnaret iuxta Dei conditionem, nedum in perpetuum, ſed & ad tempus infigere repugnaret Deo; igitur dum in tempore non ſit contra Dei conditionem,nec erit in perpetuum.Suadetur antecedens, & præoccupatur ſolutio; quia ex eo quod malum culpæ ſit contra Dei conditionem, non magis repugnat Deo influere in malum culpæ leve, quam in malum culpæ grave; ergo ſi malum pœnæ infigere repugnaret iuxta Dei conditionem, nedum in perpetuum (hoc eſt grave) ſed & ad tempus infigere, quod eſt leve, repugnaret.

6 Suadetur ex alio medio principale intentum, & alia ſolutio ex Dei bonitate præoccupatur. Non enim Deo minus competit infinitè rigida iuſtitia, quam competat infinita miſericordia: Nec magis apparet opponi miſericordiæ præſtare pœnam ex mera voluntate pravis operibus præciſis, quam ex mera voluntate remittere culpam, quin & præſtare gloriam; ſed de abſoluto potentiæ divinæ dominio, ſi velit, poteſt Deus remittere culpam ex mera voluntate ſua, vt tenent nonnulli, quin & culpa non ablata, inſimul præſtare gratiam, vt defenſant alij; ergo.

7 Oppones, repugnare Deo attributum crudelitatis; ſed ex dictis Deum fore crudelem deduceretur; ergo repugnaret facere, ſicut dicere, & revelare. Reſpondendum concedendo maiorem, & negando minorem, quia ex nullo dicto deducitur apud Deum crudelitas, ſicuti nec iniquitas, ſed duntaxat infinitum dominium, & abſque vlla reſiſtentia poteſtas ſumma,& ab omnibus noſtris independentiſſima. Unde Divus Paulus, tametſi miſericordiæ Dei Egregius Prædicator, hanc divini dominij ampliſſimam poteſtatem penetravit ad Rom. 9. aiens: *Quia in hoc ipſum excitavi te* (loquitur de Pharaone) *vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniverſa terra. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quæ enim ſupra, diviniſſimæ poteſtati dedimus poſſibiliter, ſi crudelitatis appareant, oritur ex tot miſerationibus quas ſemper experimur actualiter, ſieque miſerendo, potentiam ſolum ordinariam notam faciens; veruntamen ſi de abſoluta vellet, poſſet facere quidquid abſque culpa fieri poteſt. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam &c.* Nec miſericordia læditur, dum potentia exaltatur. Ex quovis enim attributo poteſt infinita operari infinitè, quin in aliquo deficeret, tametſi quæcunque poſſet, pro libito ſuo faceret & facienda diceret. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, non ex operibus* (nota ad præfatarum rationum ſcopum) *ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quid eſt dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit.* Magna etenim eſt potentia Domini: & quanto magis, vt ſupra, elevamus quæ facere poteſt, & potuit, dum nec fecit, nec facit, tanto magis eum miſericordem exaltamus, & à crudeliter Dominantibus ſecernimus. Non enim eſt miſericors, qui non poteſt habere rigorem; ergo nec ſummè miſericors, qui non poteſt eſſe ſummè rigidus.

8 Circa ſecundum, venit reſolvendum, videlicet de revelatione iam opera prava concernente. Circa quod prius loquendo de operibus præteritis, venit ſubdividendus quæſiti ſenſus ex parte ſubiecti cui facienda revelatio, videlicet, an ob præterita poſſet etiam fieri iuſto, iuxta connaturalem ſtatum,& exigentiam gratiæ, & an ſolum fieri poſſet peccatori.

9 Reſolvendum primo,quod iuxta connaturalem ſtatum, & exigentiam debitam gratiæ, ob ſolum peccata præterita non poſſet fieri iuſto revelatio de ipſius damnatione. Exponitur, & ſuadetur, quia ſi Deus ſtet ad id quod iuxta connaturalem providentiam debetur gratiæ, ex his quæ ipſe pactare voluit,

fuit, debebit ei grato ſubiecto præſtare gloriam, dum ex futuro peccatorum ſtatu aliud non debeatur; igitur ſi ſolus ſtatus præteritus peccatoris attendatur, dum Deus ſtare debeat ad ſtatum & exigentiam connaturalem gratiæ, ob ea quæ præterita, ſicuti iam in gratia poſito, non poteſt eum à gloria relegare, nec poterit ei gloriæ excluſionem manifeſtare, quia prout ſupra dicebamus ad primum fundamentum, ſicuti decent dicta, quæ decent facta, ſic quæ non decent facta, nec decebant dicta.

10 Reſolvendum itaque ſecundo, quod dum Deus iuſto antea peccatori, & de præſenti in gratia revelaret damnationem, eo ipſo, ſi loquebatur de præteritis, interpretativè intelligenda erat revelatio de futuris, vel ſi tantum de præteritis, tunc intelligenda iuxta potentiam abſolutam, & irregularem providentiam. Hæc reſolutio, quoad vtramque partem breviter eam exponendo, ſuadetur. Quoad primam, quia ſi iam exiſtenti in gratia, peccata pręterita non obſtant, vt ei debeatur gloria iuxta connaturaliter ſtatutum, ſi ei reveletur gloriæ excluſio, manifeſte deducitur, quod interpretari debeat futurus ſtatus in quo ab eo gratiæ ſtatu cadat, aliàs daretur in factis contradictio promiſſis; ergo. Quoad ſecundam partem etiam ſuadetur breviter, quia dum loquatur ſolum de præteritis, & præſentialiter ſit in gratia, cui debetur connaturaliter gloria, ne detur contradictio ex ordine ſtabilito, neceſſe eſt eum caſum ab hac providentia reſpicere extractum, & ſic exceptum iuxta irregularem, quo pacto ceſſat contradictio, cum varietur ordo, & non detur idempticas ſtatus.

11 De peccatore vero alloquendo, venit reſolvendum, poſſe Deum ob peccata præterita ei revelare damnationem. Suadetur facile, quia ex dictis in præcedenti deducitur eum etiam tunc fore in peccato, & iure gratiæ deſtitutum, quo pacto, neſcio ex quo poſſit repugnare intimatio ſententiæ, quia licet intimatio ſententiæ pœna ſit, etiam eſt pœna, & omnium maxima, ipſa actualis & vltima intimatio pœnæ; ſed dum in eo ſtatu eſt, valet Deus non retardare pœnam; ergo & poterit ante intimare ſententiam. Difficultas enim, ex cuius reſolutione pendet ſolutio aliquorum (eorum in ſequentibus faciemus mentionem) quę huic reſolutioni opponi poſſunt, ſtat in reſolvendo, an talis revelatio fieri poſſet à Deo de potentia ordinaria, & iuxta hanc providentiam, an vero iuxta irregularem, & abſolutam, de quo formabimus iudicium poſt reſolutionē de peccato futuro.

12 Reſolvendum, poſſe etiam Deum manifeſtare damnationem ob peccata futura. Hanc ſuadent Recentiores, quibus & Maſtrius, quia talis revelatio non eſt intrinſeca mala, cum talis non ſit ex obiecto, eum ſit obiectum iuſtitiæ vindicativæ; neque ex ſubiecto *Cui*, cum in pœnam poſſet intimari (exiſtimo tamen, hos Auctores præſcindere revelationem à præterito, & futuro, & maximè à futuro, cum Deus non puniat ob peccatum quod non dum eſt) ſuorum peccatorum; neque ex parte principij à quo fieret, quia Deus non tenetur retardare ſententiam. Unde ſemper infero præfatos Auctores non loqui de peccatis futuris. Sed quidquid de earum ratione ſit, poſita reſolutio aliter poterit ſuaderi.

13 Suadetur ex eo, quod nulla ſequatur repugnantia ex eo quod Deus revelet aliquid quod ad ipſius revelationem, iam ſupponebatur obiectum; ſed peccatum futurum iam ſupponebatur infallibiliter obiectum divinæ ſcientię; ergo. Dices, quod licet ſupponeretur obiectum ad ſcientiam Dei, ſecus autem ad ſcientiam peccatoris, qui ex revelatione damnationis amitteret libere operari poſſe, ac proinde invalidaret revelationem, ſicuti invalidaret peccatum, quia non eſt peccatum, quod non eſt liberum. Hoc eſt pręcipuum contrariæ ſententiæ fundamentum, quod infringere intendam.

14 Primo, quia licet peccator poſita revelatione ſciret, eam fore infallibilem, etiam ſciret, eam non poſſe infallibilitare ſuam operationem, eo quod eam vt ab ipſo libere futuram ſupponeret revelatio, prius enim fuit libere futura, quam cognita, & prius cognita, quam revelata; ſed quod ſemel liberum, ſemper liberum, neenon, quod ſubſequitur non conſtituit ſuum antecedens; ergo.

15 Deinde, quia dum non poſſim negare, quę in oppoſitum immineant, verumtamen nec poterunt negare ea eſſe ex motivis generaliter difficilimis, & æquè ab omnibus ſolvendis, prout ſtatim ex ſimilimis præoccupare intendam reſolutioni imminentia. Igitur ſi benè intueatur (eo ad libertatis ſcopum) dum libertas poſſet lędi cognitione alicuius, etiam lædi deberet, ipſo, tametſi non cognoſceretur. Expono intentum; ſine auxilio efficaci nullus ſalvabitur, Idque nullus ignorat; verumtamen licet ſalus non ſit infallibiliter futura niſi in virtute auxilij efficacis, illius defectus verè exiſtens non tollit poſſe hominem ſalvari; manifeſtaret Deus alicui, quod ei non erat daturus niſi auxilium ſufficiens; reſpec-

reſpectu infallibilis excluſionis à gloria, quid minus haberet ille ex negatione incognita auxilij efficacis, quam ex cognitione? Sed id quod ſecundum ſe tollet gloriæ futuritionem non tollit ſecundum ſe libertatem; ergo neque eam tollet ex ipſius cognitione. Similiter ex decreto negativæ reprobationis, quo poſito, infallibiliter ſequitur, vel virtualizatur gloriæ excluſio; voluntas namque tametſi ignoret illud, iam manet extra numerum prædeſtinatorum, & dum id ei manifeſtatetur, non plus haberet, cum ſolum perciperet, quod extra, vel intra numerum prædeſtinatorum non erat; nil enim vltra illud haberet; ſed ſic eſt, quod factum ignotum, ignoſcibiliter reddens voluntatem excluſam, vel non incluſam, ignoſcibiliter non nocet voluntati quoad liberum, quod ignoſcibiliter capax eſt manendi læſum; ergo nec amplius ex conſimiliter & vniformiter cognitis nocebitur cognoſcibiliter.

16 Dices, quod ea ignoſcibilia realiter, & quoad entitatem ſubſequuntur, ſicque non lædunt, nec obſtant libero quoad potentiam; ſecus autem eſt, facta revelatione, quia tunc iam cognitio præcederet ad futurum opus. In primis ſemper ſiſtit, & vrget primo ſupra ſormatum, videlicet, quod priuſquam Deus revelaret, & revelare decerneret, ſupponatur libera futuritio operis peccaminoſi; igitur Deus nunquam revelaret, niſi malum quod liberè futurum erat ante revelationis poſitionem. Deinde vrgetur ex decreto reprobationis negativè, quæ, vt communius defenſatur, antecedit futuritionem operum malorum; ſicque, & dum Deus in priori ad omnia operabilia noſtra decerneret his vel illis nunquam præſtare auxilium efficax; hoc enim decretum antecederet, deinde non repugnat fieri à Deo, tum quia quod Deus poteſt facere per vnum inſtans, poteſt facere per omnia, tum quia Deus non eſt obligatus ad efficax, ſed ad ſufficiens; ergo manet medium vndequaque reſtauratum. Quidquid ergo dicant, & eorum dictis dicemus. His ita

17 Extat nunc reſolvendum, an foret expeditio revelationis iuxta potentiam ordinariam, an vero iuxta abſolutam. Paucis exceptis, prout Maſtrius refert, & defenſat, reſolvitur, nec primam de præterito, nec ſecundam de futuro fieri poſſe iuxta ordinariam potentiam. Si ſtatim proponendis, præfati Auctores ſatisfaciant, eis ſubſcribam, eo quod hinc iam non compellat motivum non limitandi divinum dominium, nam quod Deo negetur iuxta vnam potentiam, concedetur iuxta aliam, & ad dominij ſplendorem, ſat eſt poſſe facere aliquid, ſemper quod velit facere.

18 Verumtamen exiſtimo præfatorum reſolutionem, de ſecundo maximè, nobis fore difficilimam, ita vt mirarer tot celebres Auctores, facilime reſolventes tales revelationes repugnare de ordinaria potentia. Eſt ratio, quia nemo ſcire poteſt facile, quos limites teneat ordinaria Dei potentia, neenon quos fines, vt iuxta vnum, aut alium, ad hanc providentiam non ſpectet huius, vel illius revelatio; & maximè id notandum de illis, quorum poſitio non alterat ordinem providentiæ, quia elevata, & rara ſunt iuxta naturam ipſorum, ſed ſolum quia minus vſitata. Plura enim ex natura ſua mirabiliora, quam revelationes prædictæ, facta fuerunt, & fiunt quotidie, quæ tamen ad hanc providentiam ſpectant. Dum igitur non alterent ordinem, quia ex natura rei ſupra naturam, ſed quia minus vſitata, idque, vel quia ſtatuta, vel non ſtatuta, difficilem, vt iam notavi, habent reſolutionem penes ignorantem, an Deus non repugnantiam talium revelationum voluiſſet ſtatuere intra facta huius generalis providentiæ.

19 Noſter Vulpes, nedum præciſivè, vt nos, quin etiam defenſat poſitivè ad hanc providentiam ſpectare præfatarum revelationum expeditionem. Id ſuadet ex revelatione perditionis Iudæ, Math. 26: *Veh homini illi per quem filius hominis tradetur.* Tum ex revelatione facta Antichriſto. Tum etiam ex contrariorum ratione ſumit medium ex finali perſeverantia, quæ biennio ante obitum revelata fuit Seraphico Patri Noſtro Franciſco. Ad primum reſpondet Maſtrius, Chriſtum ſolum ante cæteros Apoſtolos Iudam declaraſſe proditorem, præterquam verba illa fuerunt comminatoria. Ad ſecundum reſpondet, eam revelationem factam Eccleſiæ in communi, ſecus ipſi Antichriſto, qui quando naſcatur non tenebitur credere, ſe fore illum hominem. Ad vltimum negat aſſumptum, & quod dum regulariter fieri poſſet revelatio gloriæ, ſecus pœnæ.

20 Exiſtimo, præformatis Vulpis rationibus, prout ſupra non reſponderi exactè. Non ad primam, quia tametſi traditorem in ſingulari ſolum ſingularibus diſcipulis manifeſtaret, ſin autem in communi, cum in communi traditionem eius omnibus manifeſtaret, neenon traditoris infelicitatem, vt patet ex Marc. cap. 14. *Venit cum duodecim, & diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Ieſus: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Et ibidem: *Unus ex duodecim, qui intingit mecum*

mecum manum in catino. Væ autem homini illi &c. bonum erat ei, ſi non eſſet natus. Ex quibus ſatis conſtat, quod nedum in communi, quin & in ſingulari manifeſtavit Judæ, cum ipſe ſuam manum in catino non ignoraſſet. Tum dum dixit Judæ, quod oſculo eum tradebat, ſatis manifeſtum fuit, eum eſſe infelicem illum. Nec obſtat aliud Maſtij de comminatione, quia tam infallibiliter futura erat iam traditio, ac paſſio, & paſſio iam erat indiſpenſabilis, vt inter alios ſermones conſtat ex oratione ad Patrem de tranſitu calicis. Nec exactè reſpondet ad ſecundum, quia vel Enoch, & Elias, vel Eccleſia in illo omnium maximo ſchiſmate tenebitur ad declarandum eum contagioſum hominem eſſe Antichriſtum, qui tunc culpabiliter diſſentiet. Ad tertium reſpondens, plus diſplicet Maſtrius, cum conſtet de pluribus canonizatis proceſſibus Sanctorum, hos horam ſui feliciſſimi tranſitus prævidiſſe, & annuntiaſſe.

21 Quapropter exiſtimo, quod dum aliquid reſpondendum foret, id deſumendum ex vltima reſolutione noſtra, videlicet, non poſſe certè reſolvi, an prædicti caſus, maximè, cum vſitati, & ordinatij non ſint, ſpectent ad ordinariam noſtram providentiam, ſicque an Deus ſtatuiſſet eos intra regularis providentiæ limites, dum quamplurima non aliter valeant eſſe extra eam, quam ex raria eventibus prout à Deo iuxta ipſius libitum diſpenſatis, quod determinatè neſcimus.

ART. II.

Circa ea, quæ ſunt ad medium.

22 CIrca ea quæ ſunt ad medium, videlicet de praxi tenenda ab eo cui facta foret revelatio, verſus ſpei, vel deſperationis intentum, cum ſimiliter ſub triplici revelationis ſcopo ſit formandum iudicium, illud iam brevius per ſequentes reſolutiones formare intendemus.

23 Reſolvendum 1. quod nec poſſet, nec deberet ſpectare Beatitudinem ille, cui facta foret revelatio excluſionis à gloria, ex ſolo ſupremo dominio divinæ poteſtatis. Id manifeſtè convincitur, quia ſi poſſet ſperare gloriæ incluſionem, vel eſſet ex libera voluntate Dei in dando gloriam, vel eſſet ex voluntate Dei conditionante opera ipſius hominis, ſed in caſu reſolutionis, vtriuſque viæ clauſa eſt ianua; ergo &c.

24 Reſolvendum 2. quod nec poſſet, nec deberet ſperare Beatitudinem ille, cui facta foret revelatio damnationis ob peccata præterita. Id etiam manifeſtè convincitur, & conſimiliter ſuadetur, quia Beatitudinis ſpes, vel poterat ſuaderi in virtute divinæ liberalitatis, vel in virtute operum futurorum, quia in præteritis nulla iam erat virtus; ſed nec poterat ſuaderi in virtute divinæ liberalitatis, cum ex oppoſito efficacem formaſſet ſententiam; nec in virtute operum futurorum, tum quia in ea quæ fuerunt, nil poſſunt influere quæ ventura ſunt, tum quia nec ſufficientibus remaneret habilitas, cum ad impoſſibile nemo teneatur, nec adiuvetur, & averſio illius ſententiæ ſub præterito iam erat impoſſibilis; ergo &c.

25 Reſolvendum 3. quod non deberet, nec poſſet licite deſperare ille, cui facta foret damnationis revelatio ob peccata futura. Eſt mihi ratio, quia gloriæ conſequibilitas, vtpote finis, ad inſtar effectus in ordine executionis connectitur cum medijs, quæ ſunt ad inſtar cauſarum, ita vt connectatur ſic, iuxta proportionem mediorum, vt patet ex directa medij & finis conſonantia; ſed media, quæ ſunt opera meritoria, vt liberè factibilia à voluntate ſufficientibus auxilijs adiuta, vt ſupponimus & credimus, retinent ſufficientem probabilitatem, & poſſibilitatem; igitur & eam ſufficientem tenebit apud voluntatem gloriæ aſſequibilitas, quæ eſt finis, & concernitur vt effectus. Maior eſt certiſſima, maximè philoſophicè. Minor etiam, iuxta ſolitum, & fide dignum ambitum virium ab auxilijs ſufficientium, ita vt nemo audeat dicere, quod auxilijs ſufficientibus poſitis, & à Deo non retractatis, maneat improbabilis effectus, quoad poſſe enim, cuncta defluunt, & probationi ſubiacent, tametſi quoad futuritionem aliud requiratur. Quapropter, cum gloriæ poſitio ſtet ad mediorum normam, ita vt currat ad meritorum paſſum, quo pacto merita haberi poſſint, conſequens erit, quod & gloria poſſit haberi; igitur dum non poſſit dici, quod in vi ſufficientium non poſſit habere voluntas probabilitatem ſufficientem quoad meritum, nec poterit dici, quod eam ſufficientem non poſſit habere quoad gloriam.

26 Non enim Deus manifeſtando damnationem (præoccupantur quæ in contrarium imminentia) impediret lineam ſufficientiæ, quia cum Deus eam manifeſtaret ob opera, quæ prævidit libere futura, & hæc libere futura non poſſent eſſe quin inſimul prævidiſſet auxiliorum ſufficientiam, dum manifeſtatione futuri eventus impediretur

linea

linea ſufficientiæ, manifeſtaret Deus, quæ futura non prævidiſſet; igitur dum eventus deberet eſſe futurus, vt à Deo dicebatur, opus erat, vt quo pacto manifeſtatio non impediebat futuritionem, nec impediret ſufficientiam. Igitur & quo pacto manifeſtare peccatum, non impedit peccatum, quia manifeſtatio peccati futuri ſupponere debet peccatum futurum, aliter foret impoſſibilis defectu obiecti manifeſtatio, conſimiliter ſupponet ſufficientiam, quia eſt impoſſibile peccatum abſque ea.

27 Ex precedenti doctrina firmitèr deducendum eſt, quod dum revelatio fiat ob peccatum futurum, ſemper tenebitur homo ad vitandam talis peccati poſitionem, & conſequenter ad non deſperandum ex vllo, modo revelatio ſit de peccato indeterminato, modo de determinato. Ratio eſt iam poſita, tum ex motivo libetæ futuritionis; cuius quodlibet, etiam deſignatum eſt capax, cum futuritio non opponatur libero, maximè dum ad futuritionem præintelligebatur voluntas cum habilibus comprincipijs, vt ipſa manifeſtatio futuri operis probat, tum ex alijs, quæ ſupra in art. 1. ad idem expoſuimus comparando vim facti & decreti cum vi dicti, & ſic manifeſtati, maximè cum vi decreti reprobationis negativæ, in qua ſaltim virtualiter imbibitur negatio auxilij efficacis, ſine quo eſt infallibilis boni non futuritio &c. ea vide, & difficulter, quin increpantes maneant retardati, retardatus eris ab eis. Aliqua hinc opponuntur argumenta, quorum non curo, quia iam Recentiores ſatisfaciunt. Vide Maſtrium.

ART. III.

Circa ea, quæ ſubſequuntur.

28 Circa ea, quæ ſubſequuntur ad hominem vt ſpe, vel deſperatione ex damnationis notitia informatum, expendemus reſolutionem, & pro eius captu, deſignabimus exemplar in ſuffragijs, & huius vitę orationibus, videlicet, an licitum foret pro eo orare &c. ſic.

29 Reſolvendum, quod neque ex charitate, nec ſic ex alio motivo, teneretur aliquis ad orandum pro eo, in primo, & ſecundo caſu, videlicet, dum revelatio fieret, vel ſine reſpectu ad opera, vel cum reſpectu dumtaxat ad præterita. Ratio eſt conſequens ad dicta, quia tunc ſalvatio, & gloriæ habitio erat impoſſibilis, ſed ad impoſſibile nullum præceptum, nec virtus extenditur; ergo. Hoc enim eſt principale fundamentum, quin tale ſit ad non orandum pro eo, fore Dei inimicum; nam poſſumus fructuoſe orare pro inimicis Dei, vt pro hominibus, quos in peccato evidenter videremus, quia non ſunt in præfixo termino, nec efficaci ſera divinæ volitionis, irrevocabiliter clauſa eſt ianua, vnde infructuoſa fuit ea fatuarum virginum deprecatio, dum clamantes dixerunt *Domine Domine aperi nobis.* Etenim ſic apertio impoſſibilis iam, veluti ſi Deus clamorem ignoraret, iuxta illud: *Neſcio vos.*

30 Reſolvendum, quod pro homine tertio modo damnationis ſuę conſcio, poſſet quis abſque temeritate orare. Ratio eſt, quia ſolum poſſet obſtare divinæ voluntatis contradictio; ſed hæc non obſtaret, nam præſtaretur auxilium, cui Deus ipſe præſtabat adhue, & oraretur pro eo, quem Deus ſufficienter volebat ſalvum; ergo. Unde ea verba Auguſtini, S, *Si Eccleſia certitudinaliter ſciret, qui ſunt reprobi, & damnandi non plus pro illis oraret, quam pro diabolo,* exiſtimo in mente Auguſtini ſignificare ſtatum reprobi ſic in termino conſideratum, ac ſi extra viam foret, vt diabolus, qui iuxta aliam conſiderationem diverſus habetur, cum non poſſit iam diabolus facere benè, quæ facere bone poterat ille homo. Vel dic ob Auguſtini verba, quod poſſet eſſe oratio, ſicuti auxilium, ac proinde quod Eccleſia non oraret efficaciter, ſed inefficaciter, ita vt penes efficaciam, non plus oraret pro eo, quam pro diabolo.

QUÆST. IV.

An ſit poſſibilis deſperatio abſque hæreſi.

1 PRæſens quæſitum duplicem ſenſum poteſt habere, videlicet, an actus deſperationis ſit, vel imbibat in ſe formaliter actum hæreſis; vel an ſolum inductivè, eo pacto quo voluntatis actus connotat actum intellectus, iuxta illud nil volitum quin præcognitum, ac proinde ſic, quod non poſſit dari deſperatio in actu voluntatis, quin detur hæreſis in actu intellectus.

2 Circa primum reſolvendum venit, nedum poſſe dari deſperationem abſque hæreſi, quin nec vllam deſperationem poſſe dari cum hæreſi, nullus ſiquidem deſperationis actus eſt formaliter actus hæreſis. Ita clare Scotus *in 3. d. 36. verſ. Hæc eſt igitur prima concluſio,* vbi ait: *Quia omnis actus fidei eſt credere, nul-* *lum*

non deſiderare eſt credere. Igitur & omnis actus hæreſis eſt diſcredere, & non eſt formaliter diſcredere vllum deſperare. Prob. quia contraria directa & formalia ſunt circa idem ſubiectum, aliter ab eodem ſubiecto, mutuo non ſe expellerent, vt patet diſcurtendo per ſingula, nec non probat efficaciter ipſa contradictionis ſtructura, in diverſis namque diverſa non contradicunt, nec ſe expellunt, vt calor in igne, & frigus in aqua; ſed deſperatio, quæ eſt ſpei contraria, reſidet formaliter in voluntate, & hæreſis in intellectu, vt ex ipſa contrariorum regula ſuadebitur; ergo dum nullum credere ſit ſperare, nec vllum deſperare erit diſcredere. Ex probatione minoris ſuadetur totus diſcurſus. Quia ibi datur credere, vbi diſcredere poteſt dari, ſicuti ibi datur aſſentire, vbi diſſentire poteſt dari, aliàs affirmatio, & negatio non forent intra ambitum eiuſdem potentiæ, vtpote intellectivæ: Tum ibi datur deſperare vbi ſperare ex eadem proportione; ſed fides formaliter reſidet in intellectu, & ſpes in voluntate, cum ſit actus practicabilis deſiderij; igitur & deſperatio reſidebit in voluntate, & hæreſis in intellectu, ſi firma ſit maxima illa, quę eſt contrariorum ratio: ac proinde dum nullum credere ſit ſperare, nec deſperare erit vllum diſcredere.

3 Circa ſecundum ſtat maior difficultas, cum ſtricta & formalis oppoſitio non requiratur, ſed ſolum inductiva: Circa quod reſolvendum etiam, quod tametſi aliquando eveniat non dari deſperationem in voluntate, quin antecedat error in fide in intellectu, ſicque inductivè hæreſis, verumtamen dicimus fore poſſibilem abſque hæreſi deſperationem. Difficultas ſolum ſtat in ſecunda parte huius reſolutionis. Suadetur ſpeculativè, & deinceps practice, & exempla riter. Speculativè, quia quin intellectus deficiat circa verum, poteſt voluntas deficere circa bonum; ergo quin detur hęreſis in intellectu, poterit dari deſperatio in voluntate. Suadetur anteced. quia tametſi intellectus rectus aliquomodo rectificet voluntatem, ſecus autem ſic infallibiliter, quod impediat liberum, & abſolutum voluntatis dominium; vnde eſt probatiſſimum, quod maiori bono deſignato ab intellectu, poſſit voluntas eligere minus bonum, quin & propoſito divino eligere poteſt temporale, vt paſſim eligit; & plus vltra apud alios, nedum ſpecificativè bonum præ malo, ſed & reduplicativè poteſt relinquere, tametſi perfecta vel ſufficiens prædictorum diſcretio ex parte intellectus non deficiat; igitur quin intellectus deficiat circa verum poterit voluntas deficere circa bonum.

4 Nec valet ſi dicas fore eximiam connexionem habituum ſupernorum, maximè fidei, & ſpei, quarum habitus ſimul recedunt in Patria; ergo & ſimul recedent in demerito viæ. Non valet, quia non poteſt eſſe maior connexio habitus cum habitu, ac ſit potentiæ cum potentia, maximè cum habitus ſequantur potentiarum ſuarum conditionem; ſed non obſtanti ea indiſpenſabili potentiarum connexione, poteſt deficere vna potentia in his quæ exercet, quin deficiat alia; ergo & actus vnius habitus, quin deficiat alterius; idque maximè, dum potius habitibus vtamur, prout volumus.

5 Nec obſtat illud de receſſu, prout ſtatim ex inſtantia deducetur. Quia licet reprobus dum plura vitia haberet, cunctis inſimul recedere deberet ad vitæ terminum, inde tamen non probatur, quod eſtò habeat vnum vitium in vnam virtutem, quod debeat habere in omnes; non enim quia inſimul recedat liberum exercitium cunctarum virtutum, & vitiorum, deducitur quod omnes prædeſtinati cunctas exercuiſſent, vel quod inſimul exercuiſſent, ſicuti nec è contra omnes reprobi; ergo conſimiliter, eo quod virtutes theologicæ aliquam connexionem habeant, & penes ſimultatem receſſus teneant eximiam, non debet deduci, quod ad vnius defectum inducatur neceſſario alterius.

6 Suadetur practicè, & prius ſupponimus hanc ſpeculativam rationem, videlicet, quod nunquam deficitur in fide, quando cenſetur vera, quæcunque revelata circa Deum, cæteroſque articulos; ſed dum nulli diſſentiat poteſt aliquis deſperare; ergo dum in eo non deficiat fides, poteſt deficere ſpes. Comprobatur nunc practicè minor, in qua ſiſtit tota quæſiti difficultas. Poteſt enim deſperare aliquis, hoc pacto, videlicet, ſibi tribuendo defectum, v. g. deſpero de ſalute æterna, non quia exiſtimem fore impoſſibilem ſecundum Dei Omnipotentiam, nec quia exiſtimem iniquitatem meam fore ſupra Dei miſericordiam, nec quia exiſtimem Deum in auxilijs non pręſtare quod ſufficiat, nec quia exiſtimem quod vltimum vitæ inſtans non ſit maximæ contritioni habile, ſed quia ex totius vitæ pravę pręmiſſis certe infero, quod deficienda eſt ſalus ex parte mea, ob moralem impoſſibilitatem quam mihi ſuadeo &c. Tum poteſt deſperare, quia ſe putat ex numero reproborum, ita vt illud dictamen non ſit hæreticum, tametſi imprudentiſſimum: Tum poteſt deſperare, dum conſopito ardenter & turpiter mulieris paſſione, ei revelata ſit mors anno ſequenti, ipſeque decerneret, ſemper ſiſtere

in

in illius amore, prout non raro id evenit; ſed in hoc caſu eſt impracticabilis vitæ æternæ aſſequutio, dum in nullo fidei contradicitur; ergo.

7 Oppones in contrarium Seraphicum Patrem Noſtrum S. Franciſcum, qui *tom. 2. cap. de virtut.* ait: *Qui vnam habet, & alias non offendit, omnes habet, & qui vnam offendit, nullam habet, & omnes offendit*: ergo iuxta tantum Patrem liquido conſtat, quod non poſſit habere fidem, eamque non offendere, qui ſpem offendens non retineat. Reſpondendum, Seraphicum Patrem intendiſſe alloqui de virtutibus non quoad ſtructuram entitativam, & formalem ipſarum, ſed quoad ſtatum de condigno meritorium, iuxta quem veriſſimum eſt, quod ſaltim ſi ex theologicis vna deficiat & deficiant omnes, iuxta illud ſi diſtribuero omnia in cibos pauperum, &c. charitatem autem non habeam &c. Et iuxta illud, de fide ſine operibus mortua &c. Ita vt etſi fides ſit mortua quoad ſtatum de condigno, quin tamen ablata ſit quoad entitatem, aliàs quicunque manens abſque charitate foret hæreticus formaliter, quod non creditur ab vllo; ſolum enim quoad ſtatum poteſt dici hæreticus, cum vitali fidei forma ſit privatus, ſicque eſt in fide mortuus, & catholicus non animatus.

8 Oppones 2. non poteſt aliquis ſine hęreſi exiſtimare Deum non poſſe eum ſalvare; ſed dum poſſibilis eſt ſalus non poteſt auferri ſpes; ergo vel non deſperabit, vel ſi deſperet, omnem poſſibilitatem gloriç excludet, ac proinde in fide etiam deficiet. Reſpondendum, & in primis poteſt diſtingui maior, eam concedendo ſi exiſtimata ſalutis impoſſibilitas ſumatur ex parte Dei, ſecus autem ſi ſumatur ex parte deſperantis eo pacto quo ſupra expoſuimus. Deinde minor negari debet, quia vt iam communius docetur, ad ſpem non ſufficit quæcunque poſſibilitas, ſcilicet, tam remota quam proxima, tam improbabilis, quam moraliter probabilis, ſed requiritur probabilitatis exiſtimatio, cum ſpes limitatiorem ſphęram teneat, quam nudum deſiderium, vt patet ex quam pluribus, quę dum deſideramus ſecus autem ſperamus; ſed ſic eſt, quod deſiderium, ad minus requirit poſſibilitatem; ergo hæc ſola non valebit ad ſpem, quin plus vltra requiretur, ſicuti plus vltra requiritur ad ſperandum, quam ad deſiderandum. Sic Scotus *in 3. d. 26. verſ. Confirmatur*, aiebat: *Quia deſperans non dicitur odire, ſed diffidere.*

9 Ex quibus in aliquam dictorum corroborationem venit deducendum, quod deſperatio non opponitur virtuti ſpei, prout ſpes eſt deſiderium boni; quin ſolum ei opponitur, prout eſt conſequendi fiducia, ita vt deſperatio ſiſtat in diffidentia conſequendi bonum, quę aliter ac deſiderium ex probabilitate informatur. Qua propter, vt bene ſupra Scotus compatibilis eſt deſperatio cum ardenti deſiderio eius, quod deſperatur, prout Oxea exemplificat in damnatis, qui ardentiſſimè deſiderant exire ab eis cruciatibus, & tamen ſummè deſperant. Vbi addo, quod etiam deſperati forent, tametſi apprehenderent exitum poſſibilem, dum firmiter apprehenderent exitum in futurũ, & conſequendum; igitur quia ſpes venit formanda vltra deſiderium, eiuſque ſterilem poſſibilitatem. Prout ènim vulgariter dicitur, poſſibilitas eſt res ampla.

10 Oppones 3. quod non poteſt aliquis ſperare quin credat, ſicuti nec habere ſpem, quin habeat fidem; ergo & è contrario non poterit aliquis deſperare quin diſcredat, ſicque nec amittere ſpem, quin amittat fidem. Reſpondendum concedendo antecedens, & negando cæterum. Datur enim fallacia conſequentis, cum ſumatur ad illationem illud, ex quo æquè non ſequitur aliud, prout inſtando argumentum manifeſtabitur, v.g: non poteſt quis amare quin cognoſcat; ergo nec poterit eſſe non amans, quin ſit non cognoſcens. Non ſequitur ex prædicta fallacia, quia licet deficiẽte cognitione debeat deficere amor, ſecus autem è contrario, cum poſſit quis cognoſcitivam exercere, & non exercere volitivam. Sicuti ergo ſe habet potentia ad potentiam, & ſe habet habitus ad habitum; igitur ſicuti ſe habet actus potentię ad actum potentię, & ſe habebit actus potentiæ habitnatæ ad potentiam habituatam; ac proinde, licet deficiente fide debeant deficere ſpes & charitas, cum harum virtutum fides fundamentum ſit, & deficiente fundamento cętera corruant, & deficiant; ſecus autem eveniet deficientibus ſpe, & charitate, cum tametſi deficiant quæ fundantur, poſſit ſubſiſtere id ſupra quod fundata erant.

QUÆST. V.

An in Beatis maneat ſpes.

1 POſtquam generaliter, necnon magis principaliter loquuti fuimus de ſpe, prout ſumus in via, qua ad Patriam pergimus, vt de primo ad vltimum quæ ſunt ſpei noſtrę, reſoluta maneant, venit examinanda quęſtio de ſpe, prout ad Patriam comparata.

rata. Hinc etiam nonnulli ſolent inquirere de ſpe verſus Purgatorij animas, circa quod parum dicere invenio, vel quia facilime poteſt capi reſolutio, vel quia ex dicendis de Beatorum ſpe, etiam facile valebit adaptari illatio.

2 Igitur circa ſpem, videlicet, an dabilis ſit in Beatis, nimis variant Auctores, prout videri poſſunt apud P. Oxeam, & Maſtrium. Communiter Schola Angelica tenet ſpem in Beatis nullatenus reperiri, ac proinde nec quoad habitum, nec quoad vllum actum. Ita apud Gonet *dp.9.art.*4. Alij vero tenent ſpem manere in Beatis quoad habitum, necnon quoad actum, licet non quoad omnem. Ita Goninch, Suarez, Petrus Hurtado, Arriaga, Amicus, Caſpenſis, Morandus, & alij apud Maſtrium *dp. 6. q.*18. & Oxeam *dp. 6.ſect.*3. qui iuxta ſuos ait, manere in Beatis eumdem habitum ſpei theologicę quem habuerunt in via, tametſi non cum propria, & rigoroſa denominatione ſpei circa iam adeptam Beatitudinem. Conſimiliter reſolvit P.Maſtrius. Vbi addendum venit, nonnullos defenſare in Beatis non dari ſpem quoad gloriam animæ, ſin autem quoad gloriam corporis. Circa quorum diverſionem, parum exiſtimo detinendum, tum quia eorum quæ non habent, quin nimis aliquid obſtet in contrarium; poteſt decidi dari ſpem in eis (modo ſit dicenda theologica, modo non, id enim manet decidendum iuxta dicta *in queſt.* 1. *&* 2.) Eſt ratio in promptu, quia magis, vel æquè diſſonat fides in Beatis, quam ſpes, ſed eorum quorum non haberent claram viſionem poſſent habere fidem, vt de illa die venturi judicij, & ſic de his quorum noſſe reliquit Pater in ſua poteſtate; ergo pariter quorum non haberent tentionem poſſent habere ſpem: Tum, quia hinc revera ſcopus difficultatis principaliter ventilandus, non eſt à tentione rei deſideratę divertendus; in eo dumtaxat inſtat omnium maxima difficultas; & dum ardua & principaliſſima vrgent, porrò vnum pro viribus eſt neceſſarium.

3 Circa principale ergo, etiam inter Scotiſtas invenietur diſſidium, nedum quoad reſolutionis habendam formam, quin etiam quoad obtinendam Scoti mentem. Licħetus enim, Tartaretus, Aretinus, & alij apud Maſtrium, & Gaudentium tenent partem negativam, hancque eſſe germanam Scoti mentem *in* 3. *d.* 30. reputant. Pontius vero, Maſtrius & alij Recentiores partem affirmativam tenent, eamque iuxta Scoti mentem adaptare curant, prout intendit Maſtrius, tametſi fateatur, mentem Scoti non inveniri expreſſam, vnde provenit, quod nedum proprij, quin etiam exteri pro vna & altera parte diviſi, in propriæ opinionis favorem Scotum adducant, prout videri poteſt apud Oxeam, eum adducentem pro parte affirmativa, & apud Gaudentium *dp.*4. *q.*11. iam pro affirmante, iam pro negante, Scotum tradentem: ibique Gaudentius partem negantem iuxta Seraphici Doctoris mentem propugnat.

4 Circa hoc difficilimum punctum ſemel, & iterum conſului Scotum, *in* 3. *tam in diſt.* 16. *quam in diſt.* 31. in quibus eius deliberatior mens non facile poteſt adipiſci, prout notavit quicunque etiam in Scoti doctrina exacte verſatus. Verumtamen cum potius ardua egeant expoſitione, prout magis genuine valeam, Scoti & veritatis centrum per ſequentes reſolutiones poſſibili claritate, & brevitate attingere intendam.

5 Reſolvendum 1. Spem quoad habitum non repugnare in Patria ex incompatibilitate, ſecundum habitus entitatem, ſed ex non indigentia, etiam ſumpta ſpe ſpecialius & rigoroſius prout nunc. In hoc conſentit Scotus *diſt.* 31. à verſ. *Sed hic eſt vnum dubium, an ſcilicet iſtæ virtutes evacuentur, quia ſuccedant eis aliqua incompoſſibilia*: Vbi noſtram partem reſolvens, ait: *Quod ſi ſuccedant aliqui actus repugnantes illis, qui nunc habentur, v. g. ſi videre, & tenere ſuccedant ad credere, & ſperare, illi actus ſuccedentes non habent proprie incompoſſibilitatem ad habitus fidei & ſpei.* Quod probat: *Quia Paulus in raptu habuit ſaltem actum viſionis, & tamen non erat in eo evacuatus habitus fidei; igitur ille actus non repugnat habitui fidei; igitur non evacuantur Fides, & Spes, quia ſuccedat eis aliquid incompoſſibile, ſed quia eſſent ſuperflui.*

6 Neque ad præformatæ reſolutionis ſcopum invenio aliud motivum præclarius, quam hoc ab Scoto excitatum ex ſuperfluitate, & non ex entitatũ contradictione. Suadetur quoad primum, quia dum magis intendatur diſcurſus, pervenietur ad id, vt habitus ille ſpei auferatur, quia imperficit quod ſuperfluit, & eſt fruſtra in ſtatu perfectiſſimo; igitur radix integra ablationis illius, erit dumtaxat ſuperfluitas. Suadetur quoad ſecũdum, quia habitus charitatis non evacuatur, ſed ſecundum ſe compatibilis fuit ſpei habitus cum actu, & habitu charitatis; ergo & in Patria, in ea ſiquidem non evacuata manet. Deinde, quia habitus in quantum poſſibile eſt, ſequuntur ſuarum potentiarum proportionem penes ea, quæ ſunt actus primi, & ſecundi, ita vt virtus quoad habitum concernat potentiam in actu 1, & quoad actum

concernat exercitium; ſed in actibus primis non ſic expelluntur ac in ſecundis potentiæ, cum vſque adhuc non vigeat tanta oppoſitio in principijs ac in principiatis, vt patet in divinis, & in nobis penes maiorem diſtantiam cognitionis ab amore, ac intellectus, & voluntatis; necnon in eadem voluntate in qua non ſic diviſa eſt vis volendi & nolendi, ac volitionis, & nolitionis; ergo nec quoad habitum ſicuti quoad actum expellentur virtutes, quæ quoad aliquod ex duobus expulſibiles ſint. Rectè igitur Scotus in ſuperfluitate poſuit repugnantiam, quia revera evidens eſt poſſe in ſtatu illo repugnare aliquid quia ſuperfluum, & non quia ex natura rei; vt ſic repugnaret alter habitus charitatis, qui nec activior, nec magis perfectus, ac primo habitus in Beato, vt patet, cum ſolum ſuperfluitas replicationis obſtaret, ablato ſiquidem primo, qui antea obſtaret, deinceps perficeret; ergo.

7 Reſolvendum 2. non repugnare, de facto dari habitum in Patria, qui diſtinctus ſit ab habitu fidei, & charitatis. Formata reſolutio, quæ expeditè, & non ſuperfluè capit habitum, etiam eſt conformis Scoto, tam *in diſt.26.quam in* 31.vbi verſ. *Quantũ ad aliud,* ait: *Concedo igitur quod benè poteſt eſſe vnus habitus tendens in ipſum Deum, vt eſt bonum commodum,& non oportet illum evacuari.* Et in verſ. *Si obijcitur,* tenet etiam: *Breviter igitur, quidquid ſit de fide, de iſtis tamen duabus virtutibus appetitivis concedi poteſt, quod poteſt eſſe vnus habitus appetitivus reſpectu commodi manens, ſicut charitas manet.* Quæ reſolutio ſcoticè fundatur in diſtinctione præclarè ab Scoto ſtabilita inter affectum iuſtitiæ,& commodi, qui ſecundum ſe ſic diverſi ſunt, quod petant diverſos habitus in voluntate, vt ex vtroque iuxta affectuum proportionem ſupernè perficiatur vndequaque voluntas. Sic latè de his loquuti fuimus hinc *in quaeſt.*1. *&* 2. iuxta ea verba Scoti *in diſt.* 26. ſic aientis: *Dico igitur, quod charitas perficit voluntatem, in quantum eſt affectiva affectione iuſtitiæ, & ſpes perficit eam in quantum eſt affectiva affectione commodi,& ita erunt diſtinctæ virtutes.*

8 Exponitur & ſuadetur reſolutio. Quia dum non evacuetur ſcopus formaliſſimus obiecti, ſicuti nec potentiæ, improbum, & improprium foret evacuare, ſeu non percipere alicuius habitus expeditionem, qui foret diſtinctus iuxta conditionem obiecti, & affectus potentiæ; ſed in Patria tam ex parte obiecti, quam affectus voluntatis præfatus ſcopus manet; ergo ſic diſtincti habitus expeditio. Maior conſonat vniverſaliſſimè, ſivè metaphyſicè, ſivè phyſicè, ſivè intentionaliter, ſivè moraliter, prout in cunctis principijs experto patebit. Minor etiam convincitur, tum quia Deus etiam in Patria eſt bonus mihi, eiuſque viſio mihi commoda, tum quia ſecundum ſe non indecet ex beatificis, commoditatis & delectationis exercitia tenere; tum quia in Patria ſi quidquam poſſet affectus alicuius expeditionem impedire, foret non eſſe præſentia compatibilem; ſed affectus commodi ſecundum ſe nec abſentiam requirit, nec præſentiam excludit; ergo. Tum, quia quę ſecundum ſe diſtincta, ſemper diſtincta, ſi enim intellectus diſtinctus à voluntate ſecundum ſe, & ſic diſtinctus intellectus supernè & beatificè elevatus; ergo ſimiliter quoad ſcopum diſtinctionis inter eos affectus, dum ſecundum ſe diſtinctos.

9 Deinde clarius ſuadetur, quia affectus commodi non manet otioſus in Patria, nec ex aliquo contradicit, vt iuxta ſibi poſſibilem perfectionem, iuxta eum etiam perficiatur voluntas; ſed habitus eum perficiens, neque eſſet intellectualis, neque charitatis; ergo foret alter habitus diſtinctus. Dices, quod tametſi voluntas iuxta eum affectum exerceatur, verumtamen in Patria exercetur ab habitu ipſo charitatis, quia dum Beatus diligat Deum vt in ſe ex puriſſimo charitatis habitu, eſt conſentaneum ex ipſo diligere Deum, vt ſibi bonum, ibi enim ex omnium perfectiſſimo habitu, omnia quæ eiuſdem potentiæ, regulanda ſunt.

10 Contra, quia ſic, etiam vbicunque, præfati affectus ſecundum ſe diſtincti poſſent confundi, quod difficile concedetur. Suadetur, quia etiam eo ipſo quo aliquis ex affectu amicitiæ diligat aliquid, vel aliquem vt in ſe bonum, eſt conſentaneum diligere ſibi bonum, & tamen tametſi inductivè ſit idem, ſecus autem formaliter. Idem enim evenit in voluntate finis cuius eſt conſentanea voluntas mediorum, & tamen idemptitas inductiva non confundit, quod vna ſit intentio & principalis, & alia electio ſicuti executio, & minus principalis; ergo à ſimili. Tum quia nulla poſſet dari ratio, vt in via ſpem, & charitatem diſtingueremus, quia nõ poſſet everti, qui etiam diceret, quod cum conſentaneum ſit appetere quod in ſe bonum habetur, & aliàs reſpectivè charitas foret vis eminentioris in via, ſicuti in Patria, ab ea vt à famoſiori deberent cæteri actus regulari, ſicque elici, &c. ac proinde ſpei habitum ſolum fore denominativè, ſecus verè & effectivè. Tum etiam vrget ſemper ratio ex obiecto, vtpote menſura cæterorum. Quia hoc con-

cretum

cretum obiectivum, *bonum vt in ſe*, tametſi inducat iſtud, *bonum vt mihi*, tamen formaliter non poſſunt eſſe idem; igitur nec formale habitus ſeu virtutis à quo oriatur formalis actus terminatus ad vnum obiectum, eſſe poterit vnquam formale ipſum à quo oriatur actus terminatus ad alium. Tandem ne circa id moleſti ſimus vide dicta ſupra in quæſt. 2. vbi præſens intentum pluribus rationibus comprobatum invenies, necnon ſoluta, & retardata nonnulla principaliter obiecta. Ea vide, maximè *Comprobationes*.

11 Deinde, vt principale quæſitum de formaliſſimæ ſpei ſiſtentia poſſimus adæquatè eviſcerare, oportet prius aliqua vltra exponere iuxta Scoti mentem, vt probabilem, & probabiliorem.

12 Reſolvimus ergo ſupra, dabilem, & dandum in Patria habitum ſupernum, qui ſpectans ad lineam commodi, nec ſit fidei, nec ſit charitatis. Quibus ſtabilitis, ſcire volet aliquis, an in via dabilis ſit etiam ſcoticè præfatus habitus, qui circa commodum tendebat? Exiſtimo reſolvendum, poſſe iuxta Scotum concedi, dum aliàs non obſtet aliorum improbabilitas; quorum loquemur infra. Exponitur iuxta Scotum probabilitas reſolutionis. Scotus enim in §. *Si obiicitur diſt.* 31. tenet concedi poſſe, quod poſſit eſſe vnus habitus appetitivus reſpectu commodi manens, ſicut charitas manet, dum ibidem concedit duos habitus, ita vt vnus evacuaretur, ſicuti nunc fides in Patria evacuatur; igitur iuxta Scotum, attenta terminorum conditione, probabiliter poteſt teneri, dari intra lineam appetitivam concupiſcentiæ duos habitus, quorum vnus ſit commodi tantum, & alter commodi de per ſe dicens abſentiam, qui foret habitus ſpei formaliſſimæ. Convincitur ex textu, iuxta quem, vnus maneret, vtpote, commodi tantum, vt charitas manet; ergo erat in via, & extra lineam amicitiæ & charitatis. Deinde alter evacuaretur, vt evacuatur fides; ergo non erat idem, ſed vnus & alter, vtpote vnus dumtaxat commodi, quo compatibilis eſt tentio, & alter commodi dumtaxat abſentis, quo compatibile dumtaxat deſiderium, quo ſpei ſcopus formalizatur.

13 Dixi in reſolutione ſtandum, dum aliàs non obſtaret aliorum improbabilitas, quorum ſtatim agam. Dices, adhuc probabiliter non tenendam præformatam reſolutionem, quia tam iuxta rationem, quam iuxta Scotum paſſim, fruſtra ponuntur plura, dum valeant pauciora; ſed ad bonum commodum, & ad commodum abſens ſufficit vnus habitus, vtpote ſpei formaliſſimus; ergo in via liberè probabilizatur alter, qui deinceps remaneat. Deinde, quia ſi ille præfatus habitus commodi, ſit compatibilis cum tentione in Patria, etiam dum ſemper vt obiectum concernat de per ſe, quod commodum, erit compatibilis cum deſiderio in via: quo pacto non foret alter habitus; necnon ſolum evacuaretur quoad connotatum abſentiæ, & non quoad connotatum commodi; ſicque nunc præclarius intelligitur aliquorum doctrina, qui iuxta Scotum defenſant ſpem non evacuari quoad hanc vel illam denominationem. Utinam ita ſit, quod ſic, ex vna parte illius noſtræ novæ expoſitionis, aptius cuncta Scotiſtarum probabilizatur. Sed quidquid ſit de ea

14 Præformatæ increpationi, quam robuſtiſſimam fatemur, etiam, ni fallimur, robuſtam doctrinam & expoſitionem apponemus. Igitur apponam, & opponam Scotum, & rationem. Scotum, qui (ſi exactè videatur in diſt. 31.) nimis inclinatur ad id, quod habitui ſpei non accidat abſentia, quinimò ſic de per ſe abſentia boni circumſtet ſpem, quod ſit de eius propria ratione. Videatur attente ibi. Igitur iuxta Scotum, dum probabiliter teneatur quod aliquis habitus extra charum in patria, non evacuetur, non poteſt teneri, niſi in via tenendo habitum vltra charum, & qui non ſit ſpei formaliſſimæ. Tum, quia ſi dicatur ſpem evacuari quoad vnam formalitatem, S, abſentiæ, & non quoad aliam, S, commodi, tunc non minus evacuaretur charitas, quam ſpes, nec magis charitas, quam ſpes maneret; ſed id Scotus contradicit ibi; ergo. Suadetur ex vtroque diſcurſus; quia etiam Scotus tenet, quod in via obiectum charitatis ſit ænigmaticè propoſitum, ita vt ſolum ſit per fidem præſentiatus, & è contra in Patria, & quoad eam conditionem evacuari charitatem, quin tamen inde liceat deduci, charitatem non minus evacuari quam ſpem; ergo ſi ſpes quoad entitatem eadem manens, evacuaretur dumtaxat quoad hanc, vel illam denominationem, & non de per ſe, nec magis evacuaretur, nec maneret, quam charitas, quod Scotus contradicit. Vide eum ibi.

15 Confirmatur amplius, quia vt habitus ſpei formaliſſimæ foret idem habitus iuxta Scotum, debebat ſpes conſtitui ſic habitus, quod foret ſecundum ſe habilis, vt tenderet in obiectum ſuum deſiderando (vtpote nunc) & tenendo (vtpote tunc) ſic enim, ait Scotus, indiſtinctè tendens habitus non variaretur; ſed apud Scotum (verba ſunt ipſius) *Talis habitus non ponitur ſpes, ſed ſpes poni-*

tur præciſè inclinans ad iſtum actum imperfectum , qui eſt deſiderium; igitur iuxta Scotum, ſpei habitus non ſufficit indiſtinctè.

16 Deinde ratione,& Scoto ibi,quia quādo actus ſic ſunt diverſi in ſpecie , quod non præciſè ſint diſtincti ſecundum magis & minus, ſed vt duo extrema verè genus dividentia, tunc oportet ponere duos etiam habitus: *Similis namque diſtinctio poteſt poni habituum inclinantium ad tales actus* ; ſed apud ipſum tentio, & deſiderium ex abſentia, & præſentia , ſic diſtinguuntur ; ergo habitus qui de per ſe tendit in abſens , nunquam de per ſe poterit in præſens , ac proinde talis erit habitus ſperandi reſpectu habitus tendendi. Dices Scotum ibi etiam tenere quod *poſſunt etiam eſſe diverſi in eadem vi*, vt in *verſ. Quando ergo*. Reſpondeo ita eſſe, at vt ibi conſtat, Scotus ſumit vim pro potentia,quæ habilior, latior , & indifferentior eſt , ac habitus , qui ſecundum ſe ſunt potentiarum veluti determinantes formæ. Sicque capiendæ ſunt rationes & Auctoritates , quibus arguitur , quod idem quod eſt principium motus ad terminum , & eſt quietis in illo ; & ſic *appetitus inhiantis ſit amor fruentis* , quod erat illud Auguſtini apud Scotum ibi. Eadem enim virtus quæ diſcurſiva eſt diſcurrens, quæ volitiva eſt volens , quę mobilis eſt quieſcens: necnon eadem voluntas quę amans , eſt ſperans ; ſecus idem habitus , vt patet in charitate, & ſpe. Quo pacto noſcitur , in quibus ſit fruſtra plura ponere , & in quibus non, habitus ſiquidem non ſunt ad tanta , ſicuti potentiæ. Sic principali increpationi reſpondetur.

17 Necnon mihi principalis ratio tam increpationem retardans , quam fundamentum principalioris doctrinæ noſtræ corroborans ſtat in eo , quod reſpectivè , nedum in Patria ſit amor commodi , ſed etiam in via, ita vt in via non omnis amor concupiſcentiæ ſit ſperare de per ſe abſens ; quin quo pacto in via poteſt aliquis elicere amorem amicitiæ , vtpote Dei boni in ſe , & ſæpè id ipſum ſperare exercere in Patria , etiam in via poteſt elicere actum, vt Deus tunc etiam ſibi commodus eſt , & vt eſt ſibi bonum, cum ſic habere, & latenter tenere , circa abſentiam, & ſtrictam præſentiam ſe habere, ſicuti charitas habetur nunc , ſervatis in rationibus formalibus amicitiæ & commodi ſervandis; æquè tamen procedētibus circa præſentiam , vel abſentiam , ita vt ſicuti charo nunc amori ſit de per accidens circunſtantia abſentiæ , quam habet, quia de per ſe , vt inquit Scotus, ſolum tendit ad quod in ſe bonum , ſic amori vt dumtaxat concupiſcenti, ſit de per accidens circunſtantia abſentiæ quam habet , quia de per ſe ſolum tendit ad quod ſibi commodum.

18 Secus autem erit de concupiſcentiæ actu includente vt ſpecificam differentiam boni abſentiam , vt ſpes ; quia ſpes , vt inquiebat Scotus , non inclinat ad actum tendendi in bonum commodum abſolutè , ſed ad actum imperfectum ex abſentia obiecti, ita quod abſentia non accidat actui in quantum eſt habitus ſperandi. Et hinc dilucidatur ratio , quia *ſperare*, ſecundum ſuam formalem rationem , vel de per ſe connotatum, explicat non tenere , quia quod quis tenet, non ſperat , vt ſolet dici ex D. Paulo ; ac proinde de per ſe connotat abſentiam ; at *amare commode* , non dicit de per ſe abſentiam , aliàs foret talis amor incompatibilis in Patria, & dum evacuata maneret ſpes , non maneret repleta illa pars; igitur de per ſe vbicunque Deus poſſit eſſe commodus, poterit ſic de per ſe amari , & talis actus diſtinctè elici.

19 Nec inde inferas eum affectum commodi coæquari charo , eo quod permaneret. Non infertur , quia magis eſt, de novo produci (apud plurimos) in Patria , & tamen cuncti dicent, quod magis & minus perfecti erunt actus illi, ac proinde inæquales : Necnon apud ipſos, licet ſpes maneat quoad entitatem, tametſi nō quoad denominationem, quoad illud quod maneat , nunquam ipſi eam æqualem facient charitati; ergo à ſimili. Et ratio eſt , quia de per ſe ſcopus linearum nunquam confunditur , ſed etiam vnaquęque in ſua propria perfectione, etiam ſi ſummè elevata , conſervatur , vt patet in cunctis gradibus , ſivè qualis , ſivè quanti &c. Addo hinc , quod ille habitus foret minus imperfectus , ac ſpei formaliſſimæ , quia hæc imperfecta ex affectu, & ex circunſtantia abſentiæ de per ſe connotatæ ; at autem actus ille commodi , ſolum imperfectus , vel minus perfectus, ac charus, ex linea amoris , ſecus ex de per ſe abſenti; & ſic minus perfectum eſſe, parum obſtat, cum etiam in Patria, talis affectus minus perfectus ac charus neceſſe ſit.

20 Hæc probabiliter, & ſic iuxta Scotum expoſui , ita tamen , quod etiam ſi præfatus habitus commodi , ab habitu ſpei formaliſſimæ diſtinctus , non ſubſiſteret probabiliter in via, attamen in Patria, cum probabilius ſubſiſtendum defenſarem , tam iuxta Scotum , quam iuxta præfatam rationum proportionandam vim. Quapropter ad vltimum

mum & principalius reſolvendum deveniendo.

21 Reſolvendum ſentio ſpem noſtram, quæ formaliter ſpes dicitur, nec quoad habitum manere in Patria. Hanc reſolutionem contrariam Maſtrio,aliiſque Scotiſtis Recentioribus, exiſtimo conformiorem iuxta probabiliorem inclinationem Scotiſtarum veterum,& Scoti, maximè in *diſt.*31. in *diſt.namque* 26. non ſic adeſt pro hac parte,quod probabilis non adſit pro alia. Ubi adverto,quod dum dubius appareat Scotus in præfatis locis, maximè attentè non eviſceranti, debeat cenſeri ex eo, quod Scotus plura conſulat poſſibilitate rationum, plura probabilitate opinantium, ſicque plura, ea non declarando nec reſolvendo iuxta hanc vel illam ſpecialem providentiam; vnde provenit, quod difficulter determinatior eius mens poſſit adipiſci, maximè à non experto nimis circa ſtyllum Scoti.

22 Præformatam reſolutionem exponam & ſuadebo ab exemplari ſequentis rationis (plures iam adaptandas reliquimus) quia non minus venit (iuxta rationem, Scotum, & Apoſtolum) evacuanda ſpes, quam fides; ſed fides evacuatur ſic quoad habitum, quod evacuetur quoad omnem actum, & denominationem; ergo & ſic evacuabitur ſpes. Difficultas ſtat in maiori, quam ſtatim ſuadeo. Quia ex eo evacuatur ita fides, quia obſcuritas quæ ab ea neceſſario dicitur, directè pugnat cum claritate viſionis; ſed abſentia, quę etiam ab ſpe neceſſariſſime dicitur, non minus pugnat cum præſentia, vtpote cum tentione; ergo non minus venit evacuanda ſpes, quam fides.

23 Dices, fidem, vnicum tantum habere, quod eſt credere, ſeu obſcurè aſſentire, ac proinde ſuperveniente viſione evacuabitur totaliter; ſpes autem habet actum deſiderij, & tentionis actum, ac proinde licet maneat evacuata quoad primi denominationem, ſecus autem quoad ſecundi exercitium, ſicque quoad hoc ſubſiſtet habitus ſubſtantia. Non ſatisfit formalitati noſtri argumenti, clarè Scoto innixi in verſ. *Quantum ad aliud*, & verſ. *Si obijcitur* in *diſt.*31.

24 Sic argumentor: non minus pugnat cum pręſentia abſentia, quam cum claritate obſcuritas, non minus ſiquidem contradicit idem eſſe præſens & abſens, quam eſſe clarum,& obſcurum; ſed dum talis conditionis ſit aliquis habitus, quod in via neceſſario dicat obſcuritatem, repugnat quod ſic in Patria dicat claritatem, quod evacuatus quoad actum obſcurum, eiuſque denominationem, poſſit idem in entitate habitus manere quoad actum clarum; ergo dum talis conditionis ſit aliquis alius habitus, quod in via neceſſario dicat abſentiam, repugnabit quod ſic in Patria dicat præſentiam, quod evacuatus quoad actum abſentiæ, eiuſque denominationem, poſſit idem in entitate habitus manere quoad pręſentiæ actum.

25 Præfata ratio, ni fallor, ex terminorum proportione vrgētiſſima eſt; & ita quod ſemel conceſſo, prout exiſtimo debere concedi, quod æquè abſens opponatur præſenti, ac claro obſcurum, ſi probabiliter poſſet deffendi, quod habitus ſpei non evacuetur quoad omnem actum, ſed quoad vnum & eius denominationem, æquè probabiliter poſſet deffendi habitum fidei non evacuari niſi quoad alium, eiuſque denominationem; ac proinde quo pacto valeant interpretare Sanctorum dicta quoad ſpei evacuationem, valebit quilibet interpretare ea quoad fidei evacuationem.

26 Exponitur hoc principale intentum. Quia ſi ſpei obiectum ſit intra lineam boni, etiam fidei obiectum eſt intra lineam veri: Si ſpei habitus conſtituat affectum volibilem in linea ſuperna, etiam in eadem ſuperna linea habitus fidei conſtituit facultatem intelligibilem: & dum fides vltra verum connotet obſcurum, ſpes vltra bonum connotat abſens; ſi fides ſit determinatæ lineæ, quia habitus, & quia habitus, determinatæ debet eſſe ſpes; ſi theologica ſpes, præclarius theologica fides: Si bonum poſſit pluribus modis attingi, & pluribus modis poteſt attingi verum: & tandem, quæcunque conditiones poſſint diſcutri ex adverſo in vero credito, præ facialiter viſo, poterunt diſcutri in bono ſperato præ facialiter tento; igitur quo pacto ſpes poſſit habere dilatationem in habitu, ita vt abſentia & pręſentia ſolum ſint accidentia variabilia, ſicuti remotio & approximatio boni; etiam eam dilatationem poterit habere fides, ita vt remotio vel approximatio veri, ſolum variabilia accidentia ſint.

27 Confirmo intentum (nunc principaliter alloquor præfatis Recentioribus Scotiſtis) ex illo vrgenti argumento Scoto obiecto in diſt. 31. Obijciebatur Scoto, quod ſi vnus habitus ſpei non poſſet ſubſiſtere inevacuatus pro actibus viæ & Patrię, nec, pro eis vnus charitatis habitus ſubſiſteret. Siſtebat obiecta ratio. Quia etiam charitas in via concernebat bonum latens, vt præſentatum per fidem, & bonum præſens, vt præſentatum per viſionem; ergo ſi propter has circunſtantias

tias evacuetur ſpes ; & evacuabitur charitas; & è converſo. Huic argumento reſpondit Scotus, imparem eſſe rationem, quia charitas de per ſe tantum reſpicit bonum in ſe, vbicunque ſit, & cum bonum in ſe, tam in via quam in Patria ſit compatibile, compatibilis erit vnus charitatis habitus. Secus autem eſt de ſpe, quæ de per ſe concernit bonum commodum, ſic circunſtando abſentiam neceſſario, quod non concernat illud vbicunque, cum ſpei non accidat abſentia, ſicuti charitati. Vnde argui poteſt, quod ſibi obijciebat Scotus ſicque deducendum, quod dum etiam præſentia & abſentia ſint ſic variabilia reſpectu ſpei, ac charitatis, everſa manebat in ſe ipſa Scoti ſolutio. Necnon pro exteris deducendum quæ ſupra, videlicet, quod æquè, ac charitas manebit inevacuata ſpes, vel iuxta Recentiorum dicta, quod non minus charitas quoad actum viæ evacuabitur, ac ſpes; quod aſperum videtur.

28 P. Maſtrius reſpondet, Scotum ibi, vt ex eius verbis conſtat, non loqui abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quod iuxta dicta Patrum, ſic diſtinguantur ſpes & charitas (videlicet ex abſentia ab ſpei deſiderio) ipſe tamen ſimpliciter & abſolutè non tenet ſic diſtingui tales habitus, ſed per hoc, quod charitas tendit in Deum vt eſt bonus in ſe, ſpes autem quatenus eſt bonum noſtrum, vt expreſſe iam docuerat in *diſt.* 26. vbi etiam docuit quod præſentia & abſentia obiecti non diſtinguit ſpecie illas virtutes, nec ingrediuntur rationem formalem obiecti, quia in vtraque virtute eadem eſt ratio tendendi in obiectum, & quieſcendi in illo ; ſed ſunt conditiones requiſitæ ad eorum actus &c.

29 Sed contra hæc Maſtrij, in quibus & alij Scotiſtæ principaliter fundantur, ni fallor, efficaciter inſurgam. Et in primis, quia dum Scotus formaſſet, vt nos formavimus, diſtinctionem, eam ſupponens iuxta dicta Sanctorum Patrum, non bene Maſtrius ſumit motivum, vt eam abſolutè non teneret Scotus ; quinimo aptius nos debemus ſupponere eſſe Scoti, quod ipſe ſupponit eſſe Sanctorum Patrum, aliàs plura indecenter poſſent deduci ex reſolutione Scoti iuxta Maſtrij intentionem; ergo. Vbi addo hanc expoſitionem noſtram nimis tenendam, quando Scotus eam diſtinctionem vt Patrum ſupponens, vltra non interpretatur, vt ſolet, dum ſibi alia opinio vt proprior habetur.

30 Deinde, quia quod Scotus diſtinxiſſet ſpem & charitatem ex bono commodo, & ex bono propter ſe, in *diſt.* 26. nil iuvat, vt Maſtrij & aliorum expoſitio ex hoc ſubſiſtat. Eſt ratio, quia cum in *diſt.* 26 diſputaretur, an fides, ſpes, & charitas diſtinguerentur, eo quod nonnulli apud Scotum probabile exiſtimarent ſufficere vnum habitum qui ſpem & charitatem aggregaret, Scotus vt diſtinctionem probaret in habitibus, recurrit ad formalem differentiam obiectorum, itaque cum Scotus pro viribus probet ſpei normam ſpectare ad lineam concupiſcentiæ, & & affectum commodi, & charitatis normam ad lineam amicitiæ, & affectum iuſtitiæ, & aliàs ad ſtabiliendam diſtinctionem, nullum medium aptius quam commodi & iuſtitiæ, inde Scotus pro earum virtutum diſtinctione non pertranſivit ad vlteriores differentias vtriuſque virtutis, ſed ſumpſit notiores, & immediatiores, vtpote ad intentum ſufficientiſſimas. Clarum enim eſt, quod ſi charitas ſit in affectu iuſtitiæ, & ſpes in affectu commodi, tunc clarius diſtinguendas ex eis. Sic enim ſi intendiſſet probare vt ibi probat, fidem & ſpem fore virtutes diſtinctas, eas probaret, vt etiam probat, quia vna reſpicit verum, & alia bonum, quia actus vnius ſpectat ad intellectum, & alterius ad voluntatem, tametſi ſpes vltra ſpectare ad voluntatem, adderet differentiam, vt addit.

31 Confirmo hoc intentum, quia dum Scotus in *diſt.* 31. iuxta Patrum ſuppoſitionem, vt vult Maſtrius, defenſat ſpem de per ſe importare abſens, & ſic talem habitum evacuandum, tenet etiam inſimul, dabilem habitum tendentem in ipſum Deum vt eſt bonum commodum, huncque non evacuandum ; ſed talis habitus boni commodi non evacuandus, tametſi ibi non ſit habitus ſpei apud Scotum, penes diſtingui ab habitu charitatis, non minus habet ex formalitate commodi, quam habitus ipſe ſpei, iuxta illam generalem Scoti doctrinam illius duplicis in ſpecie diſtincti affectus, S, iuſtitiæ, & commodi ; ergo tametſi Scotus in *diſt.* 26. ex eadem doctrina idem ſentiret circa charitatis & ſpei diſtinctionem, nullus pro Maſtrio favor, eſto ſpes etiam ſic vel ſic, commodi affectum participaret. Vide pro hoc Scotum *diſt.* 31. verſ. *Quantum ad aliud,* vbi ait: *Benè poteſt eſſe vnus habitus tendens in ipſum Deum, vt eſt bonum commodum, & non oporteet illum evacuari ; ſed ſpes ponitur præciſè inclinans ad actum imperfectum*, vtpote, quem circunſtat abſentia obiecti. Et clarius iuxta huius intenti ſcopum, in verſ. *Si obijcitur,* vbi ait: *Ita quod ſpes non inclinat ad actum tendendi in bonum commodum abſolutè, ſed ad actum imperfectum ex abſentia obiecti.* En, quod etiam ſi ſpes vltra *commodum* addat aliud, tamen

men

men commodum includens; ſufficienter, & clarè diſtingueretur præ charo affectu.

32 Scotus igitur, dum pro diſtinctione ſpei à charitate, rationem formalem ſpei poſuit abſque addito in *commodo*, fecit, vt ſic ex formalibus immediatè oppoſitis, directius diſtinctæ agnoſcerentur, quia, vt patet, *bono in ſe*, nil directius opponitur, quam *bonum in alio*, vtpote *bonum mihi:* qua regula Metaphyſici paſſim vtuntur circa entium diſtinctionem, v.g. hominem diſtinguentes ab inſenſibili per ſenſibile, tametſi rationalis etiam ſit; &c. quo pacto Scotus cum de principali intento intendiſſet ſolum diſtinguere ſpei habitum ab alijs duobus, prout in *diſt.* 26. & directius ratio formalis foret immediata cômodi, cum ad hoc intentum aliæ acciderent, & illa ratio formalis invariata maneret quoad intentum, vt homini accideret rationalitas, provt præciſè diſtinguendo formaliter ab inſenſibili, ea enim formalis ſenſibilitatis invariata abundaret, inde valuit loqui, vt putavit Maſtrius, circa rationem formalem ſpei, præ charitate, quin noſtræ reſolutioni obſtaret.

33 Necnon patebit iuxta Scotum, quod etſi abſentia non ſit formalis ratio fidei, nec ſpei, tamen pro eis, apud Scotum, ſic erit abſentia neceſſario requiſita, quod de per ſe debeat comitari, vbi adſint fides, & ſpes, ſecus autem vbi adſit charitas, tametſi in via concernat illud quod latet, & imperfecto modo attingitur. Audi Scotum in *diſt.*31. prope finem, verſ. *Ad ſecundum patet, quod etſi abſentia non ſit formalis ratio in obiecto fides, & ſpei, tamen actus fidei, & ſpei eſt talis per ſe, quod neceſſario concomitatur ipſum imperfectio, & ideo fidet determinatè inclinat ad actum talis ſpei ad quem non poteſt eſſe determinatio in Patria. Charitas autem, etſi nunc ſit determinata ad actum circa illud quod latet, & per conſequens circa imperfectum; non tam inclinat ad actum ſic imperfectum, ſed ad actum cui accidit imperfectio.* Igitur tametſi iuxta Scotum, abſentia non ingrediatur rationem formalem obiecti, nil obſtabit, vt iuxta ipſum ſpei habitus de per ſe, & neceſſario ſic requirat abſentiam, quod evacuandus ſit. Convincitur, quia ſic per ſe, & neceſſario requirit abſentiam, ſicut è contrario charitas; ſed charitas quia de per ſe non requirit non evacuatur apud Scotum quoad habitum, ſed quoad circunſtantiam abſentiæ, quia ei accidebat; ergo è contrario evacuanda ſpes, cum è contrario de per ſe requirat. Deinde, quia penes abſentiæ requiſitum ſic de per ſe ibi loquitur de ſpe, ac de fide; ſed etſi fidei non ſit ratio formalis, abſentia, firmiter cenſuit, quod habitus fidei erat ſimpliciter evacuandus; igitur tametſi ſpei non fore rationem formalem, abſentiam, teneret, cenſebit firmiter ſimpliciter evacuandam.

34 Contra principalem reſolutionem noſtram, nil roboris; quod iam ſciam opponi poteſt, niſi quod Apoſtolus tres virtutes ſeu habitus numeravit, videlicet dum dixit, manete tria hæc, quæ erant fides, ſpes, & charitas, vltra quarum habitus, diſtinxi & deſignavi habitum illum commodi ſuperni, qui non evacuatur, ſicuti nec habitus bonitatis in ſe. Huic ergo oppoſito reſponderi poteſt primo, quod dum Apoſtolus etia numeravit, non excluſit cæterum, non enim poſuit clauſulam poſitivè limitantem, ſed præciſivè locutus. Difficilius enim videtur ſalvare ſecundum dictum Apoſtoli aliquam victurem præter charitatem non evacuari, & tamen dum Apoſtolus dixit, charitatem non evacuari, exponit Maſtrius, quod inde non ſequitur ſpem evacuandam iuxta eum.

35 Reſponderi poteſt 2. intentum Apoſtoli dumtaxat fore deſignare tres illas virtutes, quæ dum ſufficere poſſent ad erectionem ædificij ſuperni, vniverſis fidelibus poſſent manere notiores, vtpote credere, ſperare, & ſuper omnia diligere, quæ etiam idiotis & inſipientibus noſcibilia eſſe oportebat, quare cum de habitu illo à nobis ſtabilito ſublimior & delicatior ſpeculatio requireretur, dum magis ad ſpeculativam theologiam, quam ad practicam quam docebat ibi, ſpectaret, noluit facere diſtinctius mentionem. Necnon, quia illius noſtri habitus etiam ex formalitate ſui obiecti relinquebat in ſpe notitiam, quia licet ſpes vltra bonum commodum addat etiam abſentiam, ſivè vt partialem rationem formalem (non contradicit obiecto habitus theologici conſtrui ex diverſis formalitatibus, prout probatiſſimè defenſant graves Theologi, obiectû formale fidei, conſtrui ex veritate prima, & ex veracitate, ſimul cum revelatione, quæ creata eſt) ſivè vt de per ſe connotatum, tamen ſic, iam bonum commodum expetebat, & manifeſtabat, tametſi non ſic abſolutè, ac noſter habitus, cui abſentia accidit.

36 Tertio, quia ſi intra lineam commodi præfati Auctores reſolvunt dari habitum qui maneat, & non maneat, vtpote qui maneat quoad actum tentionis & non maneat quoad actum deſiderij, facilius reſolvimus nos diſtincta, & ſe expellentia exerceri per diſtinctos habitus, ac proinde dari intra lineam commodi habitum qui non evacuetur, vt eſt

eſt habitus ſupra à nobis præfixus,& dari habitum, qui evacuetur, vt eſt habitus formaliſſimæ ſpei, etiam abſentiam dicens. Et in corroborationem prædictorum ſuperiùs, addo, quod ſemper & quando non obſtet aliquid incompatibile cum ſtatu beatifico, videtur congruere, quod ea quæ in via fuerunt inſtrumenta meritorum, & anxietatum, permaneant vt per eadem recipiat præmium laboris, & ſic in eis in quibus paſſus, perfruatur bonis; igitur dum habitus ſpei ex de per ſe requiſito abſentiæ ſit incompatibilis cum ſtatu beatifico, vtpote de per ſe præſentium, & aliàs plura paſſi fuerint Beati intra lineam concupiſcibilium, congruet quod ille alter ſtabilitus habitus ſubſiſtat, vtpote cum præſentibus compatibilis.

37 Tandem, quia vltra tres qualitates theologicas, & ſupernas aliam deſignare non erit contra inauditam praxim graviſſimorum Teologorum, prout in Schola Angelica etiam tenetur dari qualitatem ſupernam phyſicè præmoventem, & ad inſtar virtutis apud nonnullos, ita vt vno, aut altero modo theologica virtus dici poſſit, maximè dum proficuus & neceſſario requiſitus eſt eius influxus ad actus fidei in intellectu, & ad actus ſpei & charitatis in voluntate. Quidquid enim recipitur ad modum recipientis denominatur, vel eſt denominabile.

38 Adverto tamen in fine, quod tametſi in hac graviſſima quæſtione, diverſi fuerimus ad quam plura quę hinc aliter videautur, ac ea quæ expoſuimus circa obiectum formale ſpei in quæſtione 1. & in 2. at quin deficiat in his conformitas iuxta vnum aut alterum modum, quem iam provide ibi de obiecto ſpei ſtatuimus. Itaque dum abſentia ſit etiã partialiter ingrediens rationem obiecti formalis, combinetur hoc iuxta quamdam expoſitionem ibi, & nuper à paritate fidei poſitam; vel iuxta eam expoſitionem diſtinguentem ſpem, ex formalitate ſpei, & theologalitatis. Verumtamen in omni eventu, & maximè dum abſentia non ſit de ratione formali, & tamen ſic neceſſario requiſita, quod ſpes abſque abſentia deficiat; tunc recurres ad ea, quæ ibi reliquimus de recto neceſſario connotante obliquum, vbi ſignamus exemplar in diſtinctione divinarum proceſſionum pro diverſis eſſentiæ connotatis. Et melius, dum pręfati habitus reſolutio Sanctis Patribus diſſonet, eam retractare volo, & nunquam melius, ac nunc reſolvam.

39 Ex hucvſque dictis, nota, quam facilimè nunc inferes dari ſpei habitum in animabus Purgatorij, cum detur appetitus boni commodi, abſentiam connotantis, & aliàs non detur illa boni præſentia, quæ ad evacuandum vrgeat. Vtinam pro cunctis illis animabus in ictu oculi vrgeret, prout miſericors Deus valet ſi vult, & hinc miſereatur noſtri.

DIST. X.

De Charitate Teologica.

1 INtendimus quærere in præſenti diſt. quæ ſint Charitatis, dum ſic excellens eſt virtus, quod non quærat quæ ſua ſunt. Eminet vniverſas in bonitate virtutes, cum hominibus, Angelis, & Deo ſit magis amica virtus. Conterit peccatum, corroborat virtutes, auget meritum, vivificat opera, gratiam conſervat, præparatque gloriam. Vtinam Subtilis voce hinc alloqui de tanta virtute poſſimus, cuius ſupereminens ſcopus apud Doctorem gentium exaltatur ſupra linguas hominum, & Angelorum. Verumtamen charitas benigna eſt, quapropter eius participare lucem, Deo dante, ſperamus, vt, prout moris habemus, principaliores difficultates evincere, vel tractare tentemus.

QUÆST. I.

De obiecto formali, & materiali Charitatis.

2 PRiuſquam de materiali decerno de formali tenere ſcopum, quia materiæ, vtpote indifferentes, & ſpeciem non deſignantes, nunquam abſque formæ ſpecificante luce facile diſcernuntur. Specialem, & propriam notare materiam, ab eo, quod ſpeciale, & proprium eſt in quavis linea pendet.

ART. I.

De obiecto formali Charitatis.

3 SUpponimus cum Scoto, & communi Theologorum opinione, dari charitatem theologicam (quidquid circa theologicam normam de fide & ſpe diximus, venit de charitate dicendum) quæ ſit (extra aſperum illud dictum Magiſtri ab Scoto *in 1. d.17. q.2.* benignè interpretatum) habitus ſupernus voluntatem complens, eleuans, & perficiens, vt in linea amoris charioris, vtpote amicabilis, natura intellectualis, prout opor-

oportet, valeat exerceri. Hoc eſt theologicum aſſertum, Concilijs, & Sanctis Patribus conſorme. Inveſtigamus itaque præſentati habitus, rationem formalem ex obiecto, vtpote illam, propter quam actus ab eo & voluntate productus, maneat ſpecificè diſcretus ab actibus cæterarum virtutum & habituum, etiam intra lineam theologicam conſtitutorum.

4 Igitur circa obiectum formale charitatis varij ſunt opinandi modi. Primus opinandi modus eſt aliquorum tenentium, obiectum formale charitatis theologicæ, eſſe bonitatem divinam, prout analogicè communem divinæ per eſſentiam, & divinæ per participationem, ſeu conceptum bonitatis analogicè communem divinæ, & creatæ. Ita apud Gonet *hinc art.* 3. ſentire videtur Suarez, eoque plures Recentiores. Secundus dicendi modus eſt aliorum tenentium obiectum formale charitatis eſſe Deum, quatenus in ſe bonum, bonitate vero ſpectante ad ordinem rerum ſupernarum, ſeu bonitate qua eſt principium rerum ſeu bonorum ſupernorum. Ita paſſim cum D. Angelico Thomiſtæ apud Maſtrium *hinc q.* 20. *art.* 1. Tertius opinandi modus è contrario tenet, obiectum formale charitatis eſſe, bonitatem Dei, qua in ſe bonus eſt, & perfectus eſt ſecundum omnem rationem entis, ac proinde nedum vt eſt Auctor ſupernorum, & obiectum beatificum noſtrum. Ita apud Maſtrium ibidem Vazquez, & Coninch, citantque Scotum *in* 3. *d.*27. §. *Contra primam viam*, & §. *Quantum ad iſtum artic.* Alij exprimunt eſſe bonitatem divinam, vt per tranſcendentiam, divinæ naturæ, attributis, & relationibus communem, prout Granadus, & Hurtadus: dum alij (apud Gonet illi & iſti) è contra exprimunt obiectum formale eſſe bonitatem ſolius naturæ Dei, vt ab attributis, & relationibus virtualiter diſtinctæ. Ita P. Gonet *num.* 43. idque ex D. Angelico ſuadere intendens.

5 His de opinionum varietate poſitis, quamplurima occurrunt diſtinctè dilucidanda, ad charitatis ſiquidem ſphæram plurima conducunt, & ſpectant, ſervatis tamen ſervandis, cum nonnulla ſpectent non vltimo in ſpecie, & vltimo in ſpecie, & formalius ſpectent alia, quæ vt clarius innoteſcant per ſequentes reſolutiones exponere tentabimus.

6 *Reſolvendum, & exponendum* 1. quod vt intelligatur charitas, prout præ fide & ſpe diſtinctum ſcopum formalem habitura, ſolum requirit in obiectivam normam, terminari ad rem, vt in ſe perfectam. Exponitur, quia in primis, vt ſit à fide diſtincta, ſat eſt, quod ſit actus alterius in ſpecie potentiæ ab intellectu à quo ſolum eſt fides; igitur ſicuti amor & cognitio ſpecificè ſecernuntur, etiam charitas ex eo dumtaxat ſpecificè ſecernetur, vt præ fide diſtinctè & formaliter dignoſcenda. Deinde & ſpecificè ſecernetur in comparatione ad ſpem; quia movere aliquid, vt in ſe, & movere aliquid vt in alio, eſt habere diſtinctam rationem movendi, cum pateat ſic diſtinctam normam habere, quod eſt in ſe, & quod non in ſe, ſed extra eſt; ſed charitas movetur ex eo quod eſt in ſe, & ſpes dumtaxat ex eo quod eſt in alio; igitur dum dumtaxat ſpecificativum virtutum ex earum diſtinctivo intendatur, charitas ex eo ſolum, ſpecificè præ alijs ſecernetur. Sic ſuadet Scotus puram diſtinctionem *in* 3. *diſt.* 26. verſ. *Hæc eſt igitur.* Et *diſt.*27. in verſ. *Confirmatur.*

7 *Reſolvendum, & expenendum* 2. quod tametſi charitatis affectus ſæpè amicitiæ ſcopo circunſtetur, verùm ſpecificus ille charitatis affectus, vt præ alijs diſtinctus, intelligi poſſet abſque amicitiæ norma. Exponitur, quia videtur, quod charitatis affectus, vt amicitiæ eſt, verſetur circa terminum, qui ſit amicitiæ capax, ac proinde capax rationis, & activi amoris; amicitia namque non videtur quod poſſit aliter conſurgere; ſed valet affectus vt ſpecificè ad commodi affectum contradiſtinctus terminari ad rem rationis & amotis incapacem; ergo. Suadetur min. in actibus quibus aliquis cognoſcendo aliquarum rerum valorem & bonitatem intrinſecam terminaretur ad eas, quin eas ſibi vellet, ſed quia in ſe bonę erant, iuxta illud, vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; ac proinde ſic, qui amaret adamantis valorem, aquilæ perſpicacitatem, generoſitatem leonis, columbæ ſimplicitatem &c ſic. Necnon, qui abſtractè & pręciſè aliquas perfectiones, etiam ſimpliciter ſimplices amaret, vt immaterialitatem, firmitatem, &c. & maximè ſi pręciſè etiam eas applicaret ad ſuppoſitum, ſiſtendo in illa deſcriptione Anſelmi, vtpotè, quod *in quolibet habente ipſam, melius ſit, &c.* Sic ſentiebat Scotus, prout inſero ex *diſt.*27. à verſ. *Confirmatur*, vbi aiebat: Similiter ab ſpe (diſtinguitur) quia actus eius non eſt concupiſcere bonum amanti, in quantum eſt commodum amantis, *ſed tendere in obiectum ſecundum ſe, etiam ſi per impoſſibile circumſcriberetur ab eo commoditas eius ad amantem.* Ubi redamatio cum videatur etiam cedere in amantis commodum, interpretari licet, quod abla-

ablata etiam per impoſſibile ſalvaretur affectus charus, tametſi explicitè non ſalvaretur amicitia.

8 *Reſolvendum, & exponendum* 3. quod affectus charus iuxta formalem ſtructuram ſuam, poteſt ſalvari & percipi abſque formalitate eſſendi ſuper omnia. Suadetur & exponitur, quia ille affectus erit charus, qui fundetur ſupra affectum iuſtitiæ, & amicitiæ, cum ſic formaliter debeat diſtingui ab affectu formato intra affectum commodi; ſed ille affectus ſic diſtinguetur, dum præciſè tendat ad bonum, & amicum vt in ſe bonum, tametſi non tendat vt ſuper omnia bonum, & amicabile, prout evenit in nobis & evenire poteſt in alijs, ſic amicos diligentibus; ergo. Tum comprobatur ab exemplaribus ſupra in 2. reſolutione poſitis, vbi ſimplicitatem columbæ, vt in ſe volens, non vellet ſuper omnia, cum ſic iniuſtus foret affectus, & tamen charitatis ſtructuram amor ille retineret. Sic etiam qui Angelum, & ipſam almam Matrem, vt in ſe bonam vellet, charum expenderet affectum, tametſi non vellet vt ſuper omnia, quin ab hoc vel præciſus, vel debitè & ordinatè contrahens affectum; ergo. Et principalis ratio ſtat ſemper in eo, quod virtutes & habitus (ſivè ſint innatiſivè infuſi, à quo vſque adhuc præſcindo) ſecundum ſe requirentes diſtinctos in ſpecie affectus, debeant diſtingui, ſaltim prout ſecundum ſe diſtinguuntur potentiæ affectus; ſed ſic in ſpecie diſtinguitur affectus iuſtitiæ, dum ſolum habeatur tendens ad rem vt in ſe, reſpectu affectus commodi; ergo. Sic lego Scotum in *diſt.* 26. à §. *Hoc etiam probatur tertio.* Quæ omnia efficaciter poſſent comprobari à paritate diſtinctæ ſtructuræ ſpei, & fidei, etiam in ſtatu præciſionis.

9 *Reſolvendum, & exponendum* 4. quod etiam ille charitatis affectus, qui ſic in ſe bonum attingeret ſuum obiectum, quod etiam ſuper omnia bonum deberet attingere, dum comparatio vtriuſque formalitatis fieret, præ alijs affectibus, ſemper ſingularius ex primo, S, pront in ſe, ſpecificaretur. Exponitur, & ſuadetur, quia ex illa formalitate debet ſpecialius deſignari conſtitutus affectus, ex qua minus poteſt alijs convenire; ſed id ſolum habet charitas ex formalitate attingendi bonum, prout in ſe, quam ex attingendi ſuper omnia; ergo. Suadetur minor in charitate, & ſpe reſpicientibus bonum increatum pro obiecto: quia non eſt extra ambitum talis ſpei velle, nedum quod eſt ſibi commodum, ſed etiam quod eſt ſibi ſuper omnia commodum, vnde communiter defenſatur obiectum eius eſſe Beatitudinem; ſed reſpicere commodum, vt ſuper omnia amanti commodum, non eſt intra ambitum formalem charitatis, dum aliàs reſpicere ſuper omnia commodum, vt in ſe bonum, nec eſt intra formalem ambitum ſpei; ergo. Convincitur maior, quia ſi ſperem aliquid, quia mihi commodum, non retardabitur ſpes mea, quia mihi magis commodum, ſicuti dum credam alicui quia verax, non retardabitur fides, quia ſummè verax; ergo. Sed quod credam, quia ſuper omnia verum & verax, non confunditur charitatis ſtructura; ergo nec confundetur, quia ex illa ſpe ſperem quia mihi ſuper omnia commodum. Hæc omnia ſic deduco ex Scoto in *diſt.* 27. verſ. *Contra tertium arguitur.* Vbi attendatur à diſerto Scotiſta.

10 *Reſolvendum, & exponendum* 5. charitatem ſub ſpecifico, & formaliſſimo charitatis conceptu poſſe intelligi, etiam ſupernaturalitatis conceptu præciſo. Hæc reſolutio, quæ contra nonnullos eſt, mihi equidem ſic certa, quod ni fallor, convinci poſſit. Suadetur, quia quando in aliquo ente venit de per ſe ſignanda ſpecifica differentia præ alijs, eius non debet ſignari conceptus ſpecificus illa formalitas in qua cum alijs conveniat, ſed illa in qua convenire non habeat, vt patebit diſcurrenti per ſingula ſpecificè diſtinguentia; ſed non minus patens eſt, quod charitas cum fide & ſpe cum quibus de per ſe debet diſtingui, habeat convenire in formalitate ſupernaturalitatis; ergo non minus patens debet eſſe, quod præciſo ſupernaturalitatis conceptu, poſſit intelligi ſub ſpecifico, & formaliſſimo charitatis conceptu.

11 Si difficultas valet eſſe in præformato diſcurſu, erit ſolum in minori, cuius evidentiam ſtatim exponere intendam. Primo à paritate potentiarum in quibus de per ſe reſident. Si namque intellectus foret ſupernus, ſicuti & ſuperna voluntas, non differrent magis ſpecificè ob ſupernaturalitatem, nec ſupernaturalitate præciſa, minus ſpecificè differrent, idque non aliunde, niſi quia ſupernaturalitas præterquam quod non foret in ſpecie diverſa, diverſa in ſpecie foret vnicuique potentiæ formalis ratio obiectivæ menſuræ, vtpote veritas, & bonitas; ergo à ſimili. Confirmatur, quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile daretur ſubſtantia ſuperna, vel cui ſuperni actus forent ſuperni, tunc ab eadem voluntate vndequaque penes virtutem indiviſa derivaretur actus ſpei, & charitatis, non minus in ſpecie diſtincti, ſicuti non minus in ſpecie diſtincti actus amoris, etiam contrarij & contradictorij ab eadem indiviſa voluntate derivan-

derivantur; ergo ſupernaturalitatis indiviſio, & conſormitas nil obſtaret diſtinctioni ſpecificæ ſpei & charitatis. Tum ſic, ſi poſſemus ſic capere virtutes theologicas, quod penes ſupernaturalitatem vnus habitus ſufficeret ad elevandum, prout vnicum auxilium extrinſece applicatum, re benè inſpecta, vnaquæque ſuam ſpecificam differentiam retineret, & manifeſtaret, quin pluſquam materialiter ad ſummum, ac nunc differret; ergo.

12 Tum confirmatur idem intentum ab exacta paritate infinitatis, & finitatis, quæ diſtantius haberi videntur, cum naturale poſſit ſupernaturalizari apud quos non ſic finitum infinitari; ſed ea quæ ſecundum ſe non diſtinguantur, nec infinitatis addito diſtinguentur, & viceverſa, quæ diſtinguantur, infinitate præciſa pariter diſtinguentur; ergo à ſimili, & aptius addito vel præciſo naturalitatis, vel ſupernaturalitatis conceptu. Exponitur minoris intentum inter intellectum, & voluntatem divinam, ſeu infinitam, non enim quia infinitus intellectus plus habet diſtinctionis cum voluntate infinita, quam haberet ab infinitate præciſus. Sic pariter in alijs, vt ſi quantitatea in ſpecie diverſæ perciperentur infinitè, ſicque differentes in ſpecie qualitates. Et revera, id clariſſimum eſt, prout Subtilis Doctor paſſim comprobat.

13 Prædicta, nedum Subtilis regulis in *diſt.* 26. conformant, quin & ibi, conformia ſunt Antiquorum ſapientiæ, & doctrinæ. Dum enim vniverſali methodo Scotus ibi, intendit in tribus virtutibus probare theologalitatem, non diverſificat medium, ſed vno eiſdemque regulis vtitur, & vſi fuerunt alij, triplicem cōditionem deſignantes, inter quas indiſpenſabilis eſt infinitas, ſeu divinitas in obiecto, & ſimiliter dum de ſupernaturalitate loquuntur, non ſtatuunt diſtinctam infuſionis regulam, quin & pro infuſione trium virtutum vndequaque concordatur ſimultas; ſecus autem circa ſpecificam diſtinctionem inter ſe, cum ſic intendatur probari, ac ſi nulla earum foret ſuperna. Et dum ad ſupernum, vel theologicum ſcopum recurratur pro diſtinctivo cum alijs virtutibus moralibus, tunc indiviſe loquitur ſic de tribus, ac ſi vna & eadem forent; vt enim à non theologicis obſervetur diſtinctio, ſic ſufficit adducere fidem in exemplar, ac adducere ſpem, & ſic ſpem, ac adducere charitatem; igitur firmiter debet manere reſolutum, quod charitati, vt ſub formaliſſimo & ſpecifico diſtinctivo captæ, non ſic competat ſupernaturalitas, quod non poſſit talem conceptum retinere, tametſi percipiatur à ſupernaturalitate præciſa. Sic debere deduci ex Scoto invenietur abunde *in diſt.* 26. verſ. *Hac eſt igitur prima.* Et verſ. *De charitate probatur.* Et verſ. *Dico igitur*, vbi & alibi virtutum diſtinctionem, ad ipſos voluntatis affectus ex ſe in ſpecie diſtinctos, reducit. Illum attende in verſ. *Hoc etiam probatur tertio.*

14 *Reſolvendum, & exponendum.* 6. charitatem ex conceptu charitatis theologicæ importare ex parte obiecti quod ſit in ſe infinitè perfectum, ſeu quod idem eſt, quod in ſe divine perfectum. Suadetur, quia id ſufficit & præciſé requiritur ex parte obiecti formalis ad conſtituendam ſpecificam lineam charitatis theologicæ, quod ſufficit ad diſtinguendam charitatem præ alijs virtutibus theologicis, & non theologicis, vtpote moralibus; ſed ad ſic diſtinguendum, præciſé ſufficit conceptus eſſendi obiectum in ſe infinitè perfecti; ergo. Maior eſt certiſſima in omni linea, nedum practica, & morali, ſed ſpeculativa, philoſophica, & theologica. Minor ſuadetur, quia prout eſt aliquid attactum, vt in ſe perfectum, manifeſte diſtinguitur à modis quibus ab alijs virtutibus theologicis concernitur, vtpote, atteſtatum, vel vt nobis commodum, prout iam abunde manet probatum ſupra loquendo de ſpe, præterquam quod ex ipſis terminis manifeſtatur conceptuum diſtinctio; ergo. Quoad alteram partem, etiam clarè ſuadetur, quia quod de per ſe, & ex conceptu ſuo exigit infinitatem, de per ſe debet diſtingui ab ex ſe infinitatem non exigentibus; ſed charitas theologica ex conceptu de per ſe exigit infinitatem, & nulla virtus non theologica, ſeu moralis de per ſe infinitatem exigit; ergo vt ab eis diſtinguatur ille præciſus infinitatis conceptus ſufficit. De his abundat Scotus vbi nuper citatus.

15 *Reſolvendum, & exponendum* 7. charitati, vt theologicæ charitati ſufficere præſignatum ex parte obiecti conceptum, ac proinde ſic, quod exactua ſit, tametſi à naturalitate, vel ſupernaturalitate præciſus. Principaliſſimum ſuadeo, quia eſto obiectum maneat infinitè perfectum, ſic manebit, quod nec ab excellentioris ſupernaturalitatis actu noſtro ſuperexcedatur, quinimo obiectum ſic in ſe præciſé infinitè perfectum, infinitè in perfectione excedet perfectiorem actum noſtrum; igitur dum ſic maneat, ſic manebit, quod abunde ſufficiat, itaut nunquam ex parte obiecti, vt ab actu excellentiori attingendi ſit pertimeſcendus defectus, quinimo, ſolum pertimeſcendus ex parte actus, vtpote infini-

infinitate in perfectione ab intrinſeco carentis. Hæc ratio à diſſerto intueatur.

16 Secundo, quia quod idem (& maximè, dum divinitatis numine eminentiſſimum) poſſit eſſe terminus à naturali, & ſuperno attingendus, non contradicit conditioni ex parte obiecti attendendæ; ergo nec quod illud in ſe vt præciſé infinitè perfectum valeat vni & ali lineæ ſecundum ſe obijci. Suadetur & exponitur à paritate diſtantioris, quia magis, vel ſaltim æquè diſtare videtur infinitum à finito, quam à naturali ſupernum, quia quod naturale poteſt erigi ad lineam ſupernam, & nunquam quod finitum ad lineam ſimpliciter infinitam; ſed idem infinitè perfectum quod à Deo attingitur per infinitè perfectum actum eſt quod à Beato attingitur per ſummè diſtantem actum, vt per actum infinitè finitum, vt ſic alloquar; ergo. Ut in ſe enim infinitè perfectus diligitur Deus à Beato, & vt in ſe infinitè perfectus diligit ſe Deus; nec aliam eſſentiam Beatus ſi videret, Beatus foret; quin ſolum alio modo, non ex obiecto, ſed aliunde capto. Quapropter

17 *Reſolvendum, & exponendum* 8, quod aliter veniat concipienda charitas, vt theologica, & aliter vt superna. Ab expoſitione huius octavæ reſolutionis pendent nonnulla revera non ab omnibus diſſertè capta. Suadetur, & exponitur, quia id debet cenſeri theologicum, quod exigit ſolum habere obiectum divinum, ex obiecto namque iſto diſcurſus aliquis ſcientificus, vel obſcurus dicitur theologicus, & noſtra ſcientia Theologia vocitatur; ſed ſupernaturalitate præciſa, poteſt aliqua virtus habere pro obiecto aliquid divinum; igitur quia aliunde erit ſuperna, & aliunde theologica. Suadetur minor ab Scoto, quia præcepta moralia ſunt de lege naturæ, & ſic illud præceptum Deut. *6.* & Matt.22: Diliges Dominum Deum tuum, eſt de lege naturæ, & ita naturaliter notum talem actum eſſe rectum; ergo ſupernaturalitate præciſa poterit eſſe aliqua virtus inclinans in Deum immediatè. Vide Scotum in *diſt.* 27. à verſ. *Confirmatur.* Vide etiam eum à verſ. *Iſtis igitur*, vbi ſtatuens, quod ratio naturalis oſtendit naturæ intellectuali, eſſe aliquid ſummè diligendum, quia in omnibus actibus & obiectis eſſentialiter ordinatis debet eſſe aliquid ſupremum; infert quod id debet naturaliter eſſe inſitum voluntati, quia nil poteſt intellectus rectè dictare, in quod dictatum non poſſit voluntas naturalis naturaliter tendere, aliàs voluntas foret naturaliter mala, vel non æquè libera ad amandum, quod intellectus ad intelligendum, eique proponendum.

18 Deinde exponitur intentum, quia revera illud debet cenſeri obiectivè theologicum, quod ab alijs non theologicis, ſeu moralibus virtutibus non poteſt obiectivè capi; ſi enim hæc norma ſolidè non ſubſiſtat, omnis virtutum ordo confundetur; ſed ſupernaturalitate præciſa, obiectum dilectionis Dei, à nulla ex virtutibus moralibus poſſet capi; ergo. Vel ſic poteſt ſuaderi principale intentum; etiam ſi aliqua abſtinentia ſolum poſſet eſſe ſupernaturalis (ſic theologiza de alijs virtutibus) nunquam tamen perveniret ad lineam theologicam; igitur quia aliunde capiendum ſupernum, & aliunde theologicum. Vel poſſet ſuaderi, dum ſupponamus dabilem habitum ad cognoſcendum omnia creata, & creabilia, necnon, ſi poſſibile foret, & ad comprehendendum ea, tunc ille habitus nedum foret ſupernaturalis, ſed ſupernaturalior cunctis noſtris habitibus; ſed nunquam, æquans, vel ſuperans in ſupernaturalitate, æquaret in theologalitate, cum nec ſecundum quid foret theologicus; ergo.

19 Conſimiliter in *diſt. de Fide*, ſupra theologizabam, ſuadebamque actum aliunde infallibilem, & aliunde theologicum, vt ab exemplari cuiuſvis primi principij, v. g. omne totum eſt maius ſua parte, cuius veritas non minus infallibilis, ac veritas actus aſſentientis Deum eſſe vnum, & dari primam cauſam, & tamen primus actus nec de potentia abſoluta valet eſſe pluſquam philoſophicus, & ſecundus actus dum naturalis non poteſt non eſſe theologicus; ergo.

20 Inde Subtilis Doctor cum hæc, non ſemel, & difficultate ſemper, cogitaſſet, dum in *diſt.* 26, reſtringeretur ad ſtatuendum normam theologicam, ſicque ad deſignandum conditiones theologalitatis, videlicet primam, reſpicere Deum pro primo obiecto; ſecundam, habere pro regula primam regulam; tertiam immediatè infundi à Deo, ſicut à cauſa efficienti, huius tertiæ conditionis difficultatem perpēdens, cum ad theologicam normam duas primas conditiones ſufficere, non ſemel ipſi viſum foret, inquit deinceps: *Quia ſi illæ duæ conditiones non ſufficiant, oportet dicere conſequenter, quod Theologia non ſit habitus theologicus: poteſt enim eſſe, & non immediatè infuſa à Deo, ſed acquiſita, & hoc tam ad aſſenſum actualem, quam habitualem, qui eſt fides acquiſita, quam etiam quantum ad apprehenſionem, quæ habetur ex doctrina, & tunc* (nota hæc) *oportet multum reſtringere habitum theologicum.*

Re

21 Re enim vera, nimis reſtringeretur habitus theologicus, vt perpendenti patebit. Et dum aliquia Auctor vellet firmiter ſtare in eo, quod ad theologicum, tertia illa conditio requiratur, in nomine ſtabiliet vinculum, neſcio vero an benè fundatum, quia quidquid ſtabilire velit, nunquam poterit negare quod quicunque actus, ſivè naturaliter cognoſcés verum infinitum, ſivè illud amans, ſit divinus ex parte obiecti, & infinito Deitatis caractere ſignatus, necnon diſtantiam infinitam ſic præ aliarum virtutum actibus habés, quod nec de abſoluta potentia valeat adipiſci ab vllo; & quod magis ſemper vrget, quod ſi valeat dici divinus, ex quo non valebit dici theologicus? Vellem ſcire, vnde veniſſe Theologiam putent: quæ enim ſcientia eſt divina, illa eſt Theologia dicenda.

22 Neque inde volumus, ſicut nec Scotus voluit, negare habitus ſuperni charitatis importantiam, quia tametſi reſolverimus ex parte obiecti dari ſic indiviſionem quoad theologalitatis ſcopum; quod circa idem, quod in ſe infinitè perfectum eſt, poſſit ex parte obiecti terminari habitus ſivè naturalis, ſivè ſupernus ſit, tamen cum hoc ſentimus compati importare habitum ſupernum, cum ex modo tendendi potentiæ dabilis ſit diverſitas, vt circa eumdem terminum diverſi tendendi modi paſſim philoſophantur. Quapropter dictis conformes

23 *Reſolvendum, & exponendum 9*, compatibilem, & importantem fore habitum ſupernum charitatis. Compatibilem fore cum idemptitate theologalitatis ex parte obiecti, nullo melius ſuadebitur, quam iam inſinuato. Quia circa eamdem Deitatem ad quam tendit Deus actu infinito, tendere poteſt Beatus actu finito; igitur circa idem theologicum, & divinum circa quod tendit habitus ſupernus, poterit tendere habitus naturalis. Si namque ibi modi tendendi infinitè diſtantes compatibiles ſunt circa idem theologicum, & divinum, & circa idem magis vel æquè compatibiles erunt modi non ſic diſtantes.

24 Importantem etiam fore ſuadetur, quia quando aliquod obiectum eſt omnium perfectiſſimum, & aliàs vt probabimus incompatibiles non ſunt circa illud actus magis, & minus perfecti, dum agitur de portione ſuprema, cum ei nimis etiam oporteat ſupremè perfici, importans erit omnium ſuorum modorum perfectiſſimo ex parte ſui illud attingere; igitur cum de charitate agitur, agatur de nobiliori animæ portione, & circa obiectum in ſe omnium perfectiſſimum, dum modus attingendi ſupremè ſupernus ſit, eum expendere ex parte ſui importantiſſimum erit voluntati, vt charitatis affectu informatæ. Itaque id firmiter concedere, non diſſonat noſtris reſolutionibus, in quibus theologalitatem ſtatuimus ex parte obiecti, ſecus autem ſupernaturalitatem, cum obiectum theologicum eminenter & virtualiter naturale & ſupernum contineat, aliàs non foret infinitè perfectum. Ex parte enim potentiæ requiritur ſupernaturalitas ex addito comprincipij, vt potentia magis corroborata, & perfecta, perfectius tendere queat, eum oporteat in quavis linea dari ſupremum, ac proinde in linea deſumpta ex parte actus. Ita Scotus exponebat in verſ. *Quia ſi illæ duæ conditiones*, aiens: *Cum enim ſuprema portio rationis immediatè ſubdatur Deo, non perficitur perfectiſſimè ab aliquo creato, ſed immediatè à Deo perficiente.* Datur itaque charitas ſuperna, non vt attingatur quod eſt ſuper omnia perfectum in ſe, ſed vt perfectius attingatur; ſicque non vt attingatur quod eſt melius, ſed vt melius attingatur. Erit ergo theologica dum attingat quod melius, erit ſuperna dum melius attingat. Utraque melioreitas diverſa eſt in linea, ita vt directè non reduplicet, vt patet ab hoc conſimili, quia aliud eſt attingere divinum, & aliud divinè attingere.

25 In corroborationem principalium reſolutionum, ſolum reſtat hinc addere, Scoti vrgentem rationem, poſitam *in 3. diſt. 27.* à verſ. *Contra hoc*, vbi ad ſalvandum theologalitatis ſcopum, prout ex parte obiecti perfectè captum, fore à naturali, & ſuperno præciſum, ait: *Additur quædam perſuaſio theologica, quia ſi nullus poteſt habere actum virtutis perfectum* (inquit perfectum, prout quoad theologalitatis normam formatum) *diligendi Deum ſuper omnia ex puris naturalibus, igitur qui inveniret ſe pronum ad talem actum, poſſet ſcire ſe eſſe in charitate; quia ſine charitate non eſſet talis pronitas; conſequens eſt pro hoc ſtatu falſum; ergo.* Celebris profectò Scoti ratio, qua vrgere ſolent Recentiores, tametſi aliquando ſuppreſo rationis Auctore.

26 *Reſolvendum, & exponendum 10*, conceptum ſufficientem charitati theologicæ, ſalvari in affectu tendente ad quodlibet Dei attributum prout in ſe infinitè perfectum. Notanter dixi attributum, prout infinitè perfectum; dantur namque attributa ſecundum ſe divinitatem determinatè ſignantia, v. g. Omnipotentia, immenſitas, & alia ſic; dantur vero alia ſecundum ſe à divinitate præſcindentia, v.g. vitalitas intellectualis, immate-

rialitas

rialitas &c. & affectus dumtaxat ſiſtens in iſtis, prout in ſe perfectis, tametſi charitatis caracterem teneat, vtpote fundatus non ſupra affectum commodi, ſed iuſtitiæ, at non tenebit characterem charitatis vt theologicæ, cum à divina norma præſcindat, immaterialitas ſiquidem non ſolum in divinitate invenitur, ſicuti nec plura alia attributa; quapropter ad ſummum ſolum præciſivè, & genericè poſſet talis affectus dici theologicus, ſicuti infinitus, ſecus autem ſpecificè, & contractè.

27 Quod autem circa cætera alia infinitatem ſignantia affectus tendens charitati theologicæ ſufficiat, ſuadetur; quia ex quolibet vt ex obiecto ſic valet divinizari, & theologizari actus, quod præ omnibus alijs maneat ſpecificè diſtinctus, & iuxta perfectionem obiectivam ſignet infinitam diſtantiam præ omnibus perfectionibus obiectivis; ſed id ſufficit ad theologizandum affectum, ſicuti & ad theologizandam cognitionem; ergo. Tum, quia vel charus affectus, ſumetur vt tendens ad obiectum, quia in ſe infinitè perfectum, vel quia ſuper omnia limita perfecta perfectum, ſed quomodolibet affectus ille, perfectus extaret; ergo ſufficeret.

28 *Reſolvendum, & exponendum* it, exactum, purum, ſublimem, & vltimum charitatis conceptum, dumtaxat ſalvandum ex affectu ad eſſentiam, ſeu naturam divinam terminato. Hæc reſolutio proprijſſima debet eſſe Scotiſtarum, vt ſuadebunt aliquæ ex formandis rationibus. Suadetur 1. ex nota Scoti, quia iuxta ipſum paſſim, illud obiectum quod ſublimat, & nobilius elevat, eſt proprior charitatis, cum ſit, iuxta Subtilis labium, charitatis affectus, ſupremus, perfectior, & nobilior; ſed licet nobiliſſimæ ſint cunctæ perfectiones ſimpliciter ſimplices, divina Eſſentia, vtpote cunctarum pelagus magis ſublimat, & nobilitat; ergo. Suadetur minor, quia, eſt ſic radix cunctarum, quod ab ipſa in ſe vnica totuplices deriventur, ita vt ab ipſa habeant quod ſunt, ſecus autem ipſa ab ipſis, quod eſt: Tum ex illo principio propter quod vnumquodque eſt tale: Tum, quia revera eſt divina Eſſentia, quæ habet primitatem, qui primitatis conceptus in perfectione, caracteriſticus eſt charitati; ergo.

29 Secundo ſuadetur reſolutio, quia illud debet eſſe proprius charitatis, quod eſt proprius beatificæ fruitionis, cum inde charitas habeat nec evacuari, nec excidere; ſed affectus beatificus ſublimius, & vltimius habetur ex divina Eſſentia; ergo. Prob. minor, quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile videretur Eſſentia, cæteris non viſis, foret aliquis eſſentialiter & perfectè (ſaltim perfectè intenſivè) Beatus; ſecus autem ſi cæteris viſis Eſſentia non videretur; ergo quia affectus beatificus ſublimius, & vltimius ex divina Eſſentia tenetur.

30 Tertio, quia, licet ſublatis imperfectionibus, non videtur in Deitate neganda ſtructura naturæ, & ſic cum proprietatibus, modis, dimanationibus, & productionibus, & terminis notionalibus; ergo nec videtur negandum, quod proprietates tametſi ſint à natura, vt ſolent, verumtamen cum nota, & proprietatum ibi poſſibili diſtinctione, ac proinde ſic, quod tametſi infinitæ, vt infinitæ naturæ proprietates, at infinitæ in linea proprij, & perfectæ extra (quo pacto quidditativè valet dici) quidditativam eſſentiæ perfectionem. Comprobatur in proprietatibus & terminis notionalibus Deitatis, qui ex tali ordine proportionis, iam non ſunt poſitivæ perfectæ; ergo ſervatis ſervandis, & in cæteris cum eſſentia erit ordo proportionandus. Igitur charitas, quæ exacta, pura, ſublimis, & vltima erit dumtaxat, quæ ad divinam Naturam terminata. Charitas namque eſt ſummè cordialis, & centralis, vtque talis in gradu ſublimi, obiecti quidditativa præcordia penetrans, tuncque ſolum vltimò quieſcens.

31 Quarto, quia ſervatis in materia ſervandis, ſic debemus attendere & formare conceptum amoris per lineam boni, ac cognitionis per lineam veri; ſed notiſſimè demonſtratio *propter quid* excellit demonſtrationem *quia*; ergo & ſimiliter amor. Tum, quia in linea intellectiva, excellentior cognitio, non eſt, quæ habetur ex curſu, ſed ex intuitione primorum principiorum, quapropter Beatorum cognitio huic ſimilatur; igitur & ſic excellentior amor, vtpote dum primis principijs ſimilis, in eſſentia ſiſtat. Tum, quia in demonſtrandis non quodlibet medium eſt potiſſimum, ſed dumtaxat definitio eſſentialis & quidditativa, cum per ipſam eſſentiæ viam tendat intellectus; igitur & in puriori & ſublimiosi gradu, ſeu conceptu ſic ſtabit potiſſimum in diligendis. Tum, quia nulla regula aptior ad charitatis proceſſum, quam ipſa divinarum proceſſionum; ſed ſaltim apud celebres Scotiſtas, divinum Verbum, ſic procedit, ex ſolius eſſentiæ motivo formali, necnon ſi ſic procederet, procederet vt Deitatis conſors; ergo à ſimili dum ſic procederet charitatis affectus. Sic etiam audiebam Scotum *in diſt.*27. verſ. *Quantum ad iſtum artic.* aientem; *Præciſa enim ratio huius*

eſſentiæ,

eſſentia, eſt ratio formalis terminandi omnem actum, & habitum theologicum.

32 *Reſolvendum, & exponendum* 12, quod etiam, ſic reſolutionibus formatis, vnicus charitatis habitus ſufficiet. Exponitur, & in primis, quia proprietates tametſi diſtinctæ, & ab eſſentia quidditativè diſtinguantur, tamen cum eſſentia, & natura ſit vnum ſubiectum integrans lineam, & habitus iuxta ſubiecti formalis vim ſit attendendus, vnus habitus ſufficiet. Suadetur à paritate habitus ſcientifici, qui reſpectu humani obiecti vnus eſt, quia vt paſſim aiebat Scotus, ratio primi ſubiecti eſt contiuere omnes veritates illius ſcientiæ; ſed non minus divina natura continet omnes veritates, & bonitates; ergo. Deinde ſuadetur, quia in entitate magis diſtant à fine, quæ ſunt in ordine ad finem, quam diſtent à natura, quę ſunt ab ipſa natura, vel ipſius naturæ; ſed communiter tenetur, quod eadem virtus quæ eſt ad finem, ſufficit pro eis quæ ſunt ad finem; ergo & eadem quæ ſit pro natura ſufficiet pro his quæ ſunt à natura. Ex eo namque ſufficit vna virtus ibi, quia finis eſt id cuius gratia cætera fiunt; ſed etiam natura eſt id cuius motivo cætera ſicuti eſſe, habent originativè amari; ergo.

33 Deinde, quia ſi quidquam obſtare poterat, dumtaxat erat diverſus attingendi modus, qui vniformis foret formaliter. Quapropter notanter in ferè omnibus reſolutionibus dixi quod modus quo ſecundum ſe obiectum charitatis petit attingi, circunſtatur, non ſub formalitate boni, ſed ſub formalitate perfecti, ac proinde ſe, quod forma ſpecificativa charitatis theologicæ, ſit *infinitè perfectum.* Notanter enim ſic poſui, vt tametſi variæ ſint entitates, quin tamen variæ quoad formaliter moveri. Itaque charitas poterit etiam diligere verum, non vt bonum, ſed vt verum, io ſe dicit perfectionem, ac proinde, affectus charitatis theologicæ foret, qui diligeret Deitatem quia vt infinitè vera, infinitam in ſe habebat perfectionem; & ſimiliter theologizandum eſt de Omnipotentia, immenſitate, & quibuslibet alijs prędicatis vt infinitam ſecundum ſe perfectionem exprimentibus. Et ratio à priori pro his fundari debet in doctrina valida ſcotizantium, quod nec vnicè verum ſit obiectum intellectus, nec vnicè bonum voluntatis, ſed vtriuſque potentiæ fore ens ſub entitatis ratione.

34 *Reſolvendum, & exponendum* 13, quæcunque divina poſſe eſſe obiectum charitatis theologicæ, prout iam reſolutum manet, verumtamen ſic, quod debeant percipi prout ſunt in ſe abſolutiſſimè, & non prout aliquo reſpectu involuta. Exponitur reſolutio. Dixerunt enim aliqui obiectum charitatis fore divinam bonitatem, vt analogicè communem divinæ per eſſentiam, & per participationem. Dixerunt alij, Deum fore tale obiectum, vt eſt principium bonorum ſupernorum, ſic & vt glorificatorem &c. prout retulimus in initio articuli. Dico ergo, quod ſic Deus debeat eſſe obiectum charitatis, quod nil extra ipſum dicat. Ratio eſt in promptu, & nec elegantius, quam prout ab Scoto adducitur in *diſt.*27. à verſ. *Contra primam viam,* vbi ſic arguit: *Improbatur ſecundum; quia actus charitatis qui eſt perfectus, reſpicit Deum ſub perfectiſſima ratione diligibilitatis; ſed non eſt perfectiſſima ratio diligibilitatis in Deo comparatio aliqua ſui ad creaturam, ſed aliqua ratio eius abſolutè in ſe*; ergo ſic Deus debet eſſe obiectum charitatis, quod nil concernatur in eo extra ſe. Minor videtur clara, quia abſolutè, vt inquit Scotus, melius eſt Deus io ſe, quam in me ſit, ac proinde quam poſſit eſſe quæcunque habitudo ad alterum, prout patet ex terminis; quia melius habetur aliquid intra ſe, quam extra ſe; ſicuti & linea operationum ad intra, quam operationum ad extra; ergo. Deinde non parum debet attendi quod charitas non aliunde ſit ſpe perfectior, niſi quia charitas attingit divinam perfectionem irreferibiliter, & referibiliter ſpes; ergo nulla, vel improba, foret charitas, quæ referibiliter attingeret Deum. Ulterius, quia ſi referibilis aliqua poſſit percipi charitas, inferam ad minus, quod inevitabilis ſit duplex in ſpecie diſtincta charitas, & etiam intra Patriam; quia intra Patriam foret amabilis referibiliter, & irreferibiliter, cum foret amabilis apud præfatos Auctores, vt in ſe, & concernens nos; ſed contradicit in Patria duplex habitus charus in ſpecie diſtinctus; ergo. Quod in ſpecie diſtinctus foret, vel debent concedere, vel nunquam probabunt, quod charitas & ſpes diſtinguantur.

35 Dices compatibile fore, quod aliquod divinum concernat nos, & tamen in ſe poſſe attingi, quia io ſe infinitè perfectum eſt, v.g. divina miſericordia, infinita liberalitas &c. ſic. Dicam, verum eſſe, talia, & ſimilia prædicata, in ſe ſic infinitè perfecta fore, quod ſufficiant ad terminandam charitatem theologicam; ſed tamen dum provt in ſe ſiſtere debeant, vt charitati proprium eſt, ſic nos, qui videmur termini talium prædicatorum debemus eſſe, ac ſi non fuiſſemus, ac proinde ſic intra ſe debet manere quodvis tale divi-

num,

nium, quod nobis impoſſibilibus, integrè, & eodem modo maneret; idque eſt proprium affectus ſtricti iuſtitiæ, ſupra quem charitas fundatur contra affectum commodi, qui ſolus referibiliter capitur.

36 Adapto exemplar ad huius manifeſtationem in Omnipotentia prout probabiliter cum poſſibilibus non connexa, cuius poſſibilia ſic debent videri termini quoad abſolutum virtutis, & quoad entitatem eius, prout in ſe, quod illis impoſſibilibus, prout ſic in ſe, pariformiter ſubſiſteret, & ratio nulla melior, quam Scoti ſupra, ſcilicet, quia melius ſemper eſt aliquid in ſe, quam extra, cum melius capiatur aliquid in eo quod eſt melius, quam in eo quod extra melius eſt. Quo pacto virtus Omnipotentiæ altius & melius haberetur in ſe, quam in nobis, prout in nobis ſiquidem, poſſet percipi infinita & finitata, vtpote finitis involuta. Necnon, etiam ſi connexa haberetur, dum charitate attingibilis, attingeretur à charitate ſic, quod hæc virtus ſiſteret in eo quod in ſe erat Omnipotentia, & non poſſet tranſire vltra, nedum quia theologica, eo quod non poſſit tangere niſi quod theologicum, quod nil poſſibilitatis foret, ſed ſtrictius, quia chara, cum ex hoc rei vt in ſe metas non poſſet prætcrire; eo pacto quo apud connectentes, tametſi Deus odio charitatis oppoſito poſſit attingere poſſibilia, ſecus autem Omnipotentiam. Si enim benedicta perpendantur, præfatæ Scoti rationes vrgebunt ſemper.

37 Manet itaque charitas, ni fallor, ex vniverſis formalitatum combinationibus penitus eviſcerata, nedum rationum pondere, quin etiam Scoti examinato dictamme. Nonnulla ſcio poſſe formari argumenta in vnam, aut aliam ex ſtabilitis reſolutionibus, quæ conſulto omitto, tum quia ſi benè capias tot, quæ per reſolutiones præformatas dilucidavimus, & diſtinximus, crede, quod facili negotio obviantibus occurrere valebis. Quæ enim alicuius momenti formari poterunt, dumtaxar in reſolutionem quintam, & ſeptimam, ab eis tamen facile diverteres, ſi ad formalitatem præſcindentium reſolutionum attendas, necnon pro eis ſolvendis vide Maſtrium *dp.6. quæſt.7. maximè à num.* 225. Vlterius adverto, quod tam hinc expoſita, & reſoluta, quam nonnulla alia exactius percipies, & ad contraria corroboratus manebis, ſi videas à me dicta in *diſt. de Fide, quæſt.* 2. vbi cum aliquo problemate theologalitatem expono. Vide etiam dicta *quæſt.* 4. *Art.* 3. maximè §. *Fides itaque.* Vide tandem dicta de Spe *quæſt.*1. *Art. vn.* maximè §. *Ex ſecundo medio.*

A R T. II.

De obiecto materiali.

38 Circa obiectum materiale charitatis, facilius iam evincitur controverſia, quia quod entitas habitus charitatis huius vel alterius entitativæ perfectionis ſit, id non debet obſtare, vt non comprehendatur in regulis communibus obiecti materialis, & formalis. Quapropter, cum ſit tranſcendens maxima, quod illa ſit materia cuiuſvis habitus, vel virtutis, quæ attingitur ſpecialiter propter ſpecificam, & rationem formalem talis habitus, vel virtutis, ſic generaliter clariſſimè deducetur, quod quidquid propter rationem & formale motivum charitatis attingatur, erit obiectum materiale conſimilis charitatis. Notanter dico conſimilis charitatis, quia cum, prout ſupra in tot reſolutionibus diſtinximus, multiformes poſſint eſſe intelligibiles charitatis conceptus, qualis ſit conceptus aſſumptæ charitatis, & talis formalis conceptus, dignoſcetur materia, quæ propter ipſum ſic, vel ſic ſpecialiter attingatur. Hæc enim vniverſaliſſimis ſubiacent principijs.

39 Igitur dum hinc alloqui debeamus, non de quovis charitatis obiecto, ſed determinatius de obiecto charitatis theologicæ, cum huius formaliſſimum ſit bonitas, aut infinita perfectio, quidquid propter divinam perfectionem attingatur, erit obiectum proprie materiale theologicæ charitatis. Ita paſſim Subtilis in locis ſæpè relatis ſupra, & literaliter in *diſt.* 27. verſ. *Quantum ad iſtum artic.* vbi vniverſam ſphæram tam habitus quam actus theologici charitatis conſiderans, ſic reſolvit: *Et hæc ratio obiectiva, eſt ratio Dei in ſe. Præciſa enim ratio huius eſſentiæ eſt ratio formalis terminandi omnem actum, & habitum theologicum, & hoc in quacunque natura intellectuali.*

40 Neque ad huius vniverſalis maximæ ſiſtentiam obſtare debent, quæ in promptu offeruntur, videlicet, eximia diſtantia tam materiarum inter ſe, quam ipſarum nedum cum obiecto formali vtpote diviniſſimo, quin etiam cum propriori eius materia, vt eſſe valet, & melius eſſe debet quælibet divina perfectio, nedum ſiquidem, quæcumque chare amabilia propter Deitatem amabilia, quin etiam ipſa Deitas eſt amabilis

materia per actum charum. Non obſtat, quia in eo ſtat obiectorum formalium conditio, cum ex eminentiæ vi pluribus contineant perfectionem, vt patebit diſcurrenti per ſingula, ſivè logicalia, ſivè phyſicalia, ſeu geometralia, vt illae exponebat Scotus, & facilime manifeſtat Sigilli exemplar, dum in ſe indiviſum in forma, dividi valet in tot materias, quin harum varietas obſtet ad formæ eiuſdem impreſſionem, ſivè aurea, ſivè argentea, ſivè lutea. Imò vniformitas materiæ & formæ potius obſtaret, cum difficilius deſignari poſſet diſtantia materiæ à forma, prout exactè de his loquor in 1. Phyſ. diſt. de primis principijs, vbi probans ex quo non poſſit conſtrui ens naturale ex forma & forma, ex materia & materia, ſed ex materia & forma; ita vt ibi exponam, quo pacto ipſa diverſitas conducat ad proportionem. Ea vide, & hæc perpendes clarè.

41 Nec obſtat diſtantia materiarum inter ſe, v.g. dum materia charitatis eſt bonum finitum, vt proximi, & charitatis materia eſt bonum infinitum, vt Deitatis. Non obſtat, quinimo congruit iuxta conditionem attributionis, & principalitatis in obiectis. Oportet enim in vniverſa entium ſphæra plura deſignare, quæ non imperficiunt, licet debeat dari omnium perfectiſſimum, quia inter tot plura tametſi ſit, at vt primum, principale, maximum, & independens ſic, quod cætera ei ſubiaceant, & ab eo pendeant, vt in proceſſu omnium cauſarum reſpectu primæ; ac proinde in eo potius ſplendet, & deducitur eximia vnius perfectio, ſicuti & præ cæteris obiectiva diſtantia.

42 Et horum omnium ratio eſt, quia habitus, in quantum poſſibile eſt, intendunt imitari potentiarum conditiones; & potentiæ reſpectivè iuxta lineam & proportionem obiecti, v.g. vel veri, vel boni, petunt attingere omne ens, ſicque iuxta proportionem habitus, petunt attingere vel omne verum, vel omne bonum, ac per conſequens omne bonum, vel commodum, vel abſolutum, non enim fruſtra eſt inſita vis illa potentiarum, ſicuti nec fruſtra eſt ratio illa menſuræ pro vniverſis in obiectis: verumtamen cum hac dilatatione tot rerum, compatitur, imò & neceſſe eſt, quod quævis potentia habeat vltimo ſolum quietari in omnium perfectiſſimo, vtpote in illo quod cætera contineat eminenter, & cui cætera attribuantur, ac proinde ſic, quod dum hæc attingantur à potentia habitu informata, & ſpecialius determinata, ſic attingantur, quod cum nota ſubordinationis & attributionis ad illud attingantur. Centrum enim in quibuslibet oportere dignoſcitur, in ordine ad quod debeant attingi, quæcunque in ordine ad centrum ſunt, quę tametſi plura prout in plurimum debeant eſſe, at centrum ſemper vnicum, & indiviſum, in nulla namque linea duo puncta finalizantia ſiſtere queunt, tametſi in quacunque linea quamplurima ingrediantur.

43 Hæc ſic eviſcerare conſulto propoſui; cum paſſim ex eorum impenetratione nonnullos confundi viderim, prout percipiens Subtilis Magiſter circa præſentem materiam, ſolidavit præfatam expoſitionem noſtram in *diſt*.27. verſ. *Quantum ad iſtum articulum*, ſic aiens & probans: *Quia potentia reſpiciens aliquod obiectum commune, ſivè in ratione motivi, ſivè in ratione termini, non poteſt perfectiſſime quietari, niſi in eo ſolo, in quo eſt perfectiſſima ratio adæquati: Omnis autem potentia intellectiva, & volitiva reſpicit pro obiecto adæquato terminante totum ens; igitur nulla natura ſivè creata, ſivè increata poteſt perfectè quietari, niſi in illa, in qua eſt perfecta ratio entitatis, quæ ſolum eſt ens primum.* Ex quibus clarè inferes plurima poſſe attingi à charitate, ita vt poſſint eſſe talis virtutis materia, at ſolam Deitatem fore obiectum primarium, & attributionis; idque omne compatibile, cum eſtò centrum ſit, & plura in ordine ad illud debent eſſe, quæ à tendente attingi valeant.

Proximi dilectio indicitur.

44 SOlum reſtat dilucidare, quo pacto (loquimur nunc de obiecto materiali ad formale comparato) obiectum materiale in entitate diſtantiſſimum poſſit attingi à formali, v.g. homo propter Deum? Siſtit in hoc ratio dubitandi, quia obiectum formale charitatis de per ſe, exprimit conditionem eſſendi abſolutè, cum attingatur, quia *in ſe* præciſè, & abſque expreſione alicuius applicationis ad nos, vel per reſpectum, vel comparationem, prout paſſim Scotus, & nuper citatus, vbi concludit: *Tale autem eſt ſolum ens primum, non ſub ratione aliqua relativa, ſed ſub ratione qua eſt hoc ens.* Non enim videtur obiectum materiale poſſe attingi abſque poſitione alicuius connexionis cum formali, vt patet à paritate materiæ ſi informabilis; idque difficile reſpectu obiecti chari, vtpote in ſe ſiſtentis, vt apparebit ab hoc exemplari, v.g. *diligo proximum, quia Deus in ſe eſt bonus, ſeu ſuper omnia bonus*, etenim actus inconnexus, & diſparatus apparet. In alijs namque virtutibus id non obſtat, cum indicent

applicationem obiecti formalis ad materiam diſtantiorem, v. g. *credo Mahomam damnatum, quia Deus dixit*; videlicet, quia Deus dixit Mahomam eſſe damnatum, vbi dictio Dei vertitur & extenditur vſque ad materiæ attingentiam. Sic etiam in ſpe, v. g. *ſpero Beatitudinem, quia mihi commodam*, vbi commoditas bonitatis vſque ad me connexivè diffunditur, ipſaque bonitas commoditate informatur. Secus autem de obiecto charitatis videtur, vt ex natura rei manifeſtat, reſpectu materiæ quę ſecundum ſe diſtans eſt ab ipſa ratione formali obiecti, vt in exemplari propoſito.

45 Dices, proximum v.g. & ſic quodlibet bonum noſtrum poſſe ſic ſub alia expreſſione attingi, quod obiectum formale applicetur, v.g. *diligo proximum propter Deum.* Sed contra, quia hic deficit directio boni proximi vt propter Dei bonitatem ſit. Quare ergo diligo proximum propter Deum? Bonitas enim Dei verè propter ſe eſt diligibilis, necnon propter Deum eſt diligibilis proximus bonus, & etiam malus ingratus; at difficultas ſtat in exprimendo bonitatis divinæ irreferibilem conceptum ex charitate, vt verſum & relatum ad nos. Verum eſt enim quod diligimus proximum propter Deum, at dicet & ad rem aliquis quod propter Deum pręcipientem, & dictantem talem dilectionem, vt evenit in dilectione perſequentis nos, & nobis non bonus, ſed malus eſt, quia Deus pręcipit, & dicit, iuxta illud, Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros; hinc enim divina adeſt applicatio ad materiam, at non ſpectabit ad virtutem charitatis talis executio amoris, ſed ad virtutem obedientiæ, cum ſine applicatione facta ab obedientia non poſſit percipi via per quam tendat amor, & Deum attingat.

46 Reſpondendum ex charitatis ſcopo plura poſſe diligi, tametſi ſic imparia, vt ſumus nos reſpectu Deitatis, quia ad id defenſandum nimis vrget SS. Patrum Auctoritas, & communis fidelium praxis. Et ad dubitandi rationem dico, non poſſe negari, quod Deus, prout in ſe attentus, difficile habeatur relatus, ita vt attingamur nos, quia in ſe præciſé attactus. Quapropter exiſtimo dicendum, requiri præceptum, non vero aliter, quam vt conditio, media qua poſſit affectus charus applicari ad materiam charitatis. Neque enim ſic abſoluta debent eſſe abſolutiora, quod his, aut illis conditionibus non egeant, vt patebit diſcurrenti per plurima, necnon infra lineam ipſam charitatis, in via requirentis fidem conditionantem bonitatem ſuper omnia diligendam, & in Patria viſionem facialem.

47 Sed quia hæc, melius percipiuntur practicè, & ab exemplari, ideo eo vti opus erit. Igitur ex affectu primo & principali charitatis diligo Deum quia in ſe bonum, deinde proponitur, & pręcipitur diligendum proximum propter Deum, & tunc elevat dilectio præcepto applicata proximum vſque ad Deum quia in ſe bonum, ſeu quia ipſum vt in ſe bonum dilexi, ſicuti & diligo, v.g. *diligo proximum quia ille præcipit & proponit. qui eſt in ſe ſummè bonus.* Ubi tametſi propoſitio & præceptum requiratur, veruntamen vt medium, & conditio, cum ratio prima, & vltimo quietativa huius amoris, ſit vt radix amor ille quo diligebam præcipientem quia in ſe ſummè bonus; neque enim ad charum amorem quidquam vrgeret præceptum alicuius, cuius entitas in ſe primo & per actum directum non diligeretur; pręceptum namque poſſet vrgere ex alijs motivis, ſecundum ſe, & ad actus aliarum virtutum, at ad nobilem & independentem actum charitatis, à pœnę & glorię impoſitione liberum, nil vrgeret, nec excitaret.

48 Quapropter cum radix & origo illorum veluti ſubſequentium, & reflexorum actuum, ſit primus ille actus directus bonitatis Dei in ſe, cæteri deinde deducti, eiuſdem claſſis & normæ reputandi ſunt, facta ſiquidem reſolutione amoris proximi, & cæterorum, devenietur vt ad vltimum ad Deitatem in ſe bonam, quod ſufficit, vt quæcunque derivata ſapiant charitatis radicem, vt à radice rami. Ita ad propoſitum inveni Subtilem Magiſtrum ſupra *diſt.* 23. verſ. *Ad ſecundum dico* (vbi ſic) quod ſicut charitas in actu recto habet pro primo obiecto Deum, vt in ſe, ita etiam in quocunque actu reflexo eſt quodam modo principium tendēdi Deum vt in ſe. Principium enim actus recti eſt principium omnium actuum reflexorum tendentium in finem vltimum ſub eadem ratione, ſicuti ergo ex charitate diligo Deum in ſe, ita ex charitate diligo me diligere Deum in ſe; quotieſcunque igitur reflecto, nunquam habeo obiectum, vt commodum mihi, ſed tantum bonum infinitum, vt in ſe bonum.

Hæc Scotus, ad inſtar cuius, valet præfata expoſitio proportionari iuxta intentum propoſitum ſupra.

(***)

QUÆST.

QUÆST. III.

De Charitate vt excellenti.

1 IN præſenti quæſito parum difficile, maximè apud Scotiſtas continet reſolutio, dum inquiritur de charitatis excellentia præ cæteris virtutibus; veruntamen ob excellentiſſimam charitatis perfectionem quęſtionem præſentem proponere, & reſolvere decrevi. Inquiritur ergo, an charitas ſit perfectior cæteris virtutibus theologicis? Circa quod breviter advertendum, comparationem fieri inter ipſas virtutes theologicas, cæteras enim excedere ſic notum eſt, ac theologicum ſupra cuncta, cum quod divinum nullam cæteris poſſit ſuſtinere paritatem.

2 Reſolvendum charitatem nedum in eſſe moris, ſed etiam in eſſe phyſico eſſe alijs virtutibus perfectiorem. Hæc reſolutio eſt communis etiam apud Angelicos, prout de mente Divi Thomæ eam tenet, & propugnat Gonet *hinc dp.* 10. *art.* 5. Miror tamen Angelicos eam etiam in genere phyſico propugnare, dum pro viribus propugnant lineam intellectus in genere phyſico, & entitativo eſſe perfectiorem linea voluntatis; neque enim, prout apud Gonet notavi, vnquam exactè his ſatisfaciunt; videantur quæ diximus circa harum linearum exceſum in *lib.* 1. *ſent. diſt. de viſione*, vbi principalem inſtituimus quæſtionem.

3 Igitur quod in linea phyſica ſit charitas perfectior, de per ſe, & principaliſſime probari debet apud Subtiles omnibus illis quibus probatur lineam volitivam eſſe perfectiorem linea intellectiva; ſed in linea volitiva necnon, perfectior eſt linea amoris chari, vt ipſa charioris vox indicit; ergo nedum fide, ſed etiam ſpe præclariorem fore charitatem ſatis conſtat. Nec exactioribus fundamentis maius maioris propugnabimus, quam omnibus illis quibus in diſt. de viſione propugnatum reliquimus voluntatem vndequaque intellectu perfectiorem.

4 Probatur quoad aliam lineam. Quia nil videtur perfectius in eſſe moris, quam illud quod obſcurat, ſimulat, & operit peccata; ſed id facit charitas iuxta Divum Petrum, iuxta quem nedum operit peccata, ſed & peccatorum multitudinem; ergo nil erit quod chariſſimo pallio perfectius & prætioſius ſit. Maior congruentiſſima videtur, iuxta illud, Contrariorum eadem eſt ratio; ſed in eſſe moris nil imperfectius eſt peccato, ſicuti ante illius Regis præſentiam, nemo indignior quam ille, qui extitit hac veſte nuptiali privatus, ita vt abſque charo ornatu, nil cætera prodeſſent, ſed manus pedeſque vt in vinculis haberentur; ergo.

5 Secundo, quia illud debet cenſeri perfectius, quod ad perfectiſſimorum præſentiam ſubſiſtit, necnon dum agitur de ſtatu reformationis non reformatur; ſed ſic, ſola charitas ante perfectiſſimorum præſentiam habetur; ergo quia cæteris perfectior. Maior conſona videtur, vt in cunctis lineis etiam vulgarius experitur, quę enim optima ſunt nec auferuntur, nec emmendantur. Minor patet iuxta Paulum, iuxta quem charitas nunquam excidit, ita vt ferè cunctis exercitijs & habitibus ceſſantibus, ipſa tamen nunquam ceſſet, nec evacuetur; ergo.

6 Dices ceſſare, & evacuari meritum, quod eſt radix ad ſtabiliendam, & augendam perfectionem, ac proinde iam etiam ex parte reformabitur, & evacuabitur charitas. Non obſtat hæc oppoſitio. Ratio eſt, quia motivum evacuandi meritum de per accidens habetur reſpectu charitatis, cum de per ſe ſit reſpectu aliarum virtutum in via charitatem ſociantium, vt ſunt fides, & ſpes, quæ cum deficiant, & deficit meritum, quin quoad entitatem quidquam deficiat charitati, ſed dumtaxat quoad terminationem, cum illis virtutibus deficientibus non poſſit ad earum ſpatia diffundi valor intrinſecus charitatis. Tum etiam meriti circunſtantia nil obſtat ad id quod de per ſe valet eſſe charitatis, cum, prout in diſt. de viſione, & alibi latius diximus, non ſit incompatibilis ex natura virtutis charæ, etiam in eſſe moris inſpectę, ſed dumtaxat ex extrinſeca Dei providentia, cum qua ſicuti nunc abſque fide & ſpe eſt incompatibilis meritoria charitas, valuit etiam eſſe compatibilis, prout fuit in humanitate Chriſtifera, & ſi Deus aliter vellet providere compatibilis foret in omnibus Beatis. Re enim benè inſpecta, ſolum poteſt vel non poteſt obſtare meritum ex eo quod Deus velit vel non velit.

7 Tertio, quia id vndequaque perfectius eſt, ſine quo cætera omnia etiam ſi bona ſint in genere moris, tamen nihil ſunt; ſed cunctæ virtutes tam theologicæ, quam morales, necnon quod minus non eſt, exercitia omnium aliarum virtutum, ſi abſque charitate, nihil ſunt; igitur quia charitas ſic in linea perfectiſſima eſt totum, quod in eius comparatione cætera omnia cenſeantur, vt nihil. Maior profecto, nedum theologicè, ſed

& philoſophicè patens eſt. Minor non minus iuxta D. Paulum 1. ad Corinth. 13, vbi comparana charitatem ad omnem prophetiam, ad omnem fidem, & cætera virtutum exercitia, cuncta reputat ſore nihil abſque charitate, prout aiens, *Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cives pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Nec poteſt eſſe huic ſimile.

8 Dices ſtatim, quod conſimili norma poſſet argui in favorem fidei, & ſpei, nam ſi deficiat fides, nil proficient exercitia aliarum virtutum, cum abſque fide ſit impoſſibilis iuſtificatio; ac proinde ſicuti abſque charitate nil proficit fides, etiam abſque fide nil proficiet charitas; igitur ſicuti ex ea fidei importantia non probatur præ cæteria excellentia fidei, nec ex ea charitatia importantia, probabitur præ cæteria excellentia charitatis. Neque hæc oppoſitio obſtat, cum inæqualitas medij ex ipſo ſimili ſatis conſtet. Exponitur, quia non benè dicitur, quod abſque fide nil proſit charitas, quo pacto nec abſque charitate fides; nam abſque fide non remanet charitas, quę prodeſſe poſſit, quin totaliter abeſt charitas, idque eſt argumentum ſummæ, & excellentiſſimæ perfectionis charitatis, & non aliarum virtutum. Ratio eſt, quia quod optimum, non adeſt niſi dum integra perfectionis cauſa, ac proinde eo ipſo quod abſque charitate poſſint aliquæ virtutes manere, ſecus autem charitas abſque eis, probatur imperfecta conditio earum, & perfectiſſima conditio charitatis. Dum enim elevatiora deficiunt, altera quæ inferiua ſubſiſtere poſſunt adhuc, at dum ſic penitus evellitur fabrica, quod minima quæque auferuntur, tunc perfectiora abeſſe ſatis oſtenditur.

9 In horum confirmationem dum nonnulla poſſem adducere exemplaria, ſat erit magis perceptibile animæ noſtræ, quæ etiam inter cunctas formas perfectior habetur. Valet enim quod poſſint ſubſiſtere plura in materia abſque forma rationali ante huius creationem, & tamen non valet quod anima poſſit eſſe in materia abſque aliqua, ita vt animæ præſentia probet nil cæterorum deficere; id tamen aptius, vt patet, probat præ cæteris diſpoſitivis excellentiorem animæ conditionem; ergo à ſimili. Rurſus convincitur in alijs formis ſubſtantialibus inæqualitas medij pręfati ex extremorum coexigentia. Exponitur, nam male argueretur ad reprobandam maiorem perfectionem formę ſubſtantialis præ materia, ex eo, quod ſicuti nil proficit ad ens naturale materia abſque forma, etiam nil proficit forma abſque materia; ergo ex ęquali importantia, æquè probanda perſectio. Male enim, quia abſque materia cum non remaneat forma, improbe argueretur quod nil proſit forma, ſecus autem quod non proſit materia, quę revera remanere poteſt, quin proſit; igitur etiam à ſimili, ſicuti cum ea inæquali ſiſtentia formę, benè compatitur maior perfectio formæ cuiuſvia ſubſtantialia præ materia, ex ea alia inęquali ſiſtentia charitatis, optimè compatietur maior perfectio charitatis præ fide, & alijs.

10 Quarto, quia dum determinatè cum fide, & ſpe comparetur charitas, exceſſiva invenietur. Suadetur in comparatione fidei, quæ ſic adeſt abſque charitate, ac materia abſque forma, & corpus abſque anima, quapropter fides abſque charia operibus mortua, & exanimis eſt; igitur quo pacto anima excedit corpus, ſic & charitas excedit fidem. Tum quia fides ingerit licet merito violentiam, cum ſit ænigmatica, & inter moleſtas nebulas ducens intellectum, eum veluti captivum exercens; ſecus autem charitas quæ ex natura rei vſque ad intimam ſummi boni vnionem, & dulce conſortium penetrat: & dum hinc charitas etiam nonnullas habeat pati moleſtias, non eſt ex natura charitatis de per ſe, ſed ex ſibi accidentali conſortio fidei; ergo quia ſemper ſecundum ſe adeſt præclarior & nobilior inſita charitatis conditio.

11 Suadetur in comparatione ſpei, quia quo pacto excelluntur ſundantia, & diſponentia, videntur excelli termini, & formæ quæ ſunt de per ſe ratio fundantium, & diſponentium; ſed excelluntur fundantia & diſponentia ad ſpem à fundantibus & diſponentibus ad charitatem; ergo. Maior videtur ad proportionem. Minor convincitur, quia linea charitatis formalizatur intra affectum amicitiæ, qui eſt omnium perfectiſſimus, linea vero ſpei intra affectum commodi qui imperfectionibus immiſcetur; ergo. Et horum fundamentalem rationem dederat Scotus hinc *diſt.* 27. verſ. *Secundum improbatur*, vbi ſuadet actum charitatis reſpicere Deum ſub perfectiſſima ratione charitatis, quia abſolutè eſt Deus melior in ſe, quam poſſet eſſe quæcunque habitudo ad alterum. Patet, quia *vt in ſe*, nil dicit, nec connotat quod ſimpliciter infinitum ſit; at autem, *vt mihi*, non poteſt non connotare aliquid quod ſimpliciter non ſit finitum; igitur dum charitas eum

vt

vt in ſe concernat, & ſpes cum vt mihi, non poterit non excedi modus attingendi ſpei à modo attingendi charitatis.

12 Contra præformatam reſolutionem, cum quæ alicuius poſſent eſſe momenti, præoccupata maneant in diſt. de viſione, vbi de comparatione facta inter intellectum, & voluntatem, ideo hinc conſulto ea omittere decrevi. Unicum dumtaxat proponam, quod videtur militare in primam rationem. Dices, quod iuxta primæ rationis normam, nil aptius videtur in eſſe moris perfectioni reputandum, quam eleemoſina, cum ad plura operienda peccata nil magis in ſacris literis vocitetur; ergo vel illa ratio non probat excellenter pro charitate, vel non minus excellenter probat pro alijs à charitate, vtpote pro eleemoſina. Reſpondendum primam rationem noſtram ſemper manere inconcuſam, quia eleemoſinę vigor vel capiendus de congruo dumtaxat ad delenda peccata, vel ſi etiam in linea condigna, tunc capiendus vt charitate animatus, ac proinde ſi alicuius pretij chari digna eleemoſina ſit vt diſpenſanti theſaurum charitati debebitur, prout præclarè D.Paulus, vbi ſupra deſignarat dicens, *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et pro hucuſque dictis ratio eſt, quia nihil habet qui Deum non habet, at eo, etiam quę quis habet, melius habet, & ſolus ille qui manet in charitate in Deo manet. Ubi notandum quod cunctas virtutes diligens Deus, ſola charitate voluit denominari, iuxta illud Ioan. *Deus charitas eſt*, nec ob aliam Filium ſuum vnigenitum præſtaret nobis in ſimilitudinem carnis peccati, iuxta illud, *Ob nimiam charitatem ſuam &c.*

QUÆST. IV.

De dilectione Dei ſuper omnia.

1 IN quæſtione præſenti comparatur amor Dei cum creaturarum amore, & dum notum ſit, Deum à nobis ſuper omnia diligendum, inquiritur, quo pacto debeat percipi hæc noſtra Dei dilectio ſuper omnia? Videlicet, an appreciativè ſufficiat, an ve etiam intenſivè requiratur. Pro quorum reſolutione ſolet dilectionis modus diſtingui in obiectivum, appretiativum, & intenſivum. Dicitur, Deum ſuper omnia diligi obiectivè, nil aliud eſſe, quam prout obiectivè ſonat, hoc eſt, quod inter cuncta obiecta nullum debeat eſſe obiectum ſupra quod diligibilis non ſit Deus, vtpote ſimpliciter infinitus. Dicitur appretiativè ſuper omnia diligi illud ens, cuius bonitas ſic æſtimabilis eſt diligenti, quod ſeria ſi vrgeat in comparatione reſolutio, cætera deſinat, ne illa privetur. Hic enim dicitur amor ſuper omnia appretiativè, ſeu prælativè. Dicitur intenſivè ſuper omnia diligi illud ens, circa cuius bonitatem plures amoris gradus expendit voluntas, quo pacto ſolet dum circa aliquid magis deliciatur, prout exemplificatur communiter in amore Matris filium intenſius, dum tenerius diligentis.

2 Circa excellentiam in primo & ſecundo dilectionis modo concordant Auctores, communiterque tenent, Deum ſuper omnia diligendum, idque facilime debet occurri euicunque non inſipienti, cum nulla ſit ſcibilium ſeries, quæ id de ſuo primo omniumque principali ſubiecto non convincat, vt patebit diſcurrenti per ſingulas; idque ipſum nedum moraliter, & politice in cunctis Monarchijs, quin etiam ex inſtinctu in brutis paſſim experientiæ ſuadent, etiam in individua comparatione, vt ſerpentes probant, dum cæteras partes pro viribus exponunt ne caput deperdant. Tota igitur difficultas ſiſtit iam circa tertiam dilectionem, quæ intenſiva dicebatur. Adrianus, Durandus, Soto, & nonnulli Scotiſtæ cum Fabro *dp.16. de Pœnit. c. 2.* apud Maſtrium *hinc dp. 6. q. 21.* tenent Deum diligendum etiam intenſivè ſuper omnia, ita vt teneatur creatura diligere Deum ſecundum omnem intenſionem actus, qua eum diligere poteſt. Citant Scotum *in 3. d. 27.* & vt notavi non levi fundamento, vt videri poteſt à verſ. *De primo dico*, de quo infra. Contrarium tenent communiter Auctores, & ex noſtris Recentioribus Pontius & Maſtrius, qui circa Scoti intelligentiam ſequitur expoſitionem Aretini ſupra *3.d.27. q. vn. art. 14.*

Reſolutio eligenda iuxta Scotum.

3 ANte reſolutionis propoſitionem vellem duo contrarla notari, è quibus pendet quod vtriuſque opinionis Auctores maximo fundamento ad ſuas reſolutiones ex diametro oppoſitas propendunt. Venit ergo conſiderandum, quid ſit quod Deo debeatur, & qualis ſit ille qui debitum ſolvere poteſt. Si namque debitoris infima, imbecillis, invalida, debiliſque conditio intueatur, non mirabor Auctores præfatos propenſos vt defendant non requirendam

dam

dam à nobis dilectionem ſuper omnia penes intenſionem, ſed ſat fore penes appretiationem. Si vero intueatur benè, quid ſit quod debeatur Deo, Auctori naturæ, Datori gratiæ, ex quo omnia, per quem omnia, ad quem omnia, ſic ipſi gratia, gloria, cunctaque imaginabilia penitus debita, quod mirabor poſſe aliquem Auctorem defendere, ſat fore diligere eum ſuper omnia quoad appretiationem, ſecus autem quoad intenſionem. Nec mihi levis eſt ratio, dum eum inter mortales levius diligo, & pro viribus vtroque modo ſuper omnia diligendum revera ſentio.

4 Reſolvendum, dilectionem Dei ſuper omnia, nedum appretiativè, ſed & intenſivè capiendam. Hanc reſolutionem vt Scoti germanam exiſtimavi loco ſupra citato, quidquid in contrarium ſentiat P. Maſtrius ad aliam partem expoſitionem ducens. Suadetur fore Scoticam reſolutionem noſtram ex verſ. *De primo dico*, vbi ait: *Illud ſuper omnia poteſt intelligi intenſivè, puta quod plus diligat Deum, quam omnia alia, & citius vellet omnia alia non eſſe, quam Deum non eſſe, & intenſivè, puta ex maiori affectu vult Deo benè eſſe, quam alicui alteri.* Et infra in verſ. *Dico igitur*, confirmat intentum; dum poſtquam modos diligendi Deum ſuper omnia diſtinxit, ait: *Dico igitur, quod illud ſuper omnia debet intelligi vtroque modo: ſicut enim tenetur diligere Deum ſuper omnia alia extenſivè, ita etiam maiori affectu, quam aliquod aliud.*

5 Reſpondet Maſtrius iuxta Aretini verſionem, quod per ly *intenſivè* non intendit Scotus quod teneamur Deum diligere magis quantum ad intenſionem gradualem, ſed ſecundum appretiationem, ita vt ille dicatur maior affectus, cui magis repugnat actus oppoſitus, id eſt, quod facilius poſſet inclinari ad oppoſitum dilectionis cuiuſcunque alterius, quam ad oppoſitum dilectionis Dei; ſic enim exponit Scotus ipſe ibidem, quid ſit Deum diligere maiori affectu, dum ait: *Ita etiam maiori affectu, quam aliquid aliud; & dico maiori ſimpliciter, quia magis repugnat affectui oppoſito, quia facilius poſſet inclinari ad oppoſitum dilectionis cuiuſcunque alterius quam Dei.* Unde patet, quod adverbium *intenſivè* ab ipſo accipiatur, vt idem ſignificat quod appretiativè, ſeu prælativè; adverbium vero extenſivè accipit, vt idem ſonat, ac diligi ſuper omnia obiectivè, quantum ſcilicet, plura, & maiora bona dilecto volenda.

6 Sed contra Maſtrium, Aretinum, Lichetum, & alios Scotiſtas inſurgam, & in primis, quia verbum *intenſivum*, nec fuit Scoto incognitum, nec inuſitatum, cum illo pluries vſus fuerit quo pacto nos, & paſſim non aliter ac nos ſolemus, ipſe condiſtinguens cum verbo *extenſivo*; igitur dum credamus Scotum proprie loquutum, credere debemus quod dum ly *intenſivum* contra extenſivum ſumpſit, illud accepit quo pacto proprie accipi debet, & alibi accepit ipſe. Deinde confirmatur, quia Scotus vt quæſiti præſentis comprehenſivus, non potuit ignorare ſiſtere difficultatem circa fore, vel non fore intenſivè diligendum; igitur dum reſolvit diligendum, idque verbo intenſivo, & aliàs non inveniatur vbi Scotus vt neget, tali verbo vtatur, clariſſimè manifeſtatur Scotum parti noſtræ conſenſiſſe.

7 Tum confirmatur, & non minus clarè vrgetur. Quia Scotus duo membra, & modos, quibus Deus diligi poteſt, diſtinxerat, ſcilicet extenſivè, & intenſivè, & de primo reſolvens loquitur appretiativè, vt patet in verſ. *De primo membro*; & deinde vtrumque membrum comprehendens, ait verſ. *Dico igitur, Illud ſuper omnia debet intelligi vtroque modo*; igitur dum in primo modo iam percepit appretiationem, in ſecundo modo (puta, dum iam ponit *vtroque modo*) Intenſionem extra appretiationem percipere debuit.

8 Ulterius (Maſtrius & Lichetus non benè adducunt Scotum pro ipſorum intento à verſ. *Contra iſtam diſtinctionem*) dum aliqui diſtinxerunt amorem quoad firmitatem, & quoad teneritudinem, & deinde dixerunt, quoad primum, Deum magis diligendum, licet non quoad ſecundum, Scotus contra talem diſtinctionem arguit, & clarè ſuadet, quod eo ipſo quod aliquis aptus ſit vt ad plura ſe exponat pro alio, eum magis diliget: & dum opponant, poſſe aliquem firmius diligere alium, tametſi non tenerius, & dulcius, tunc Scotus inſurgit dicens, repugnare quod firmius aliquis diligat, & quod non diligat magis alium, omnibus modis quibus elicitè diligibilis eſt, ita vt ſi dabilis ſit intenſivè maior dilectio vltra dilectionem firmitatis, illa non ſit operatio elicita, ſed paſſionalis affectio; igitur vel debemus reſolvere Scotum ſibi contradicere, vel debemus tenere iuxta ipſum, repugnare intenſius non diligi, quod firmius aliàs diligitur, eſtò intenſius ſeu quomodolibet magis diligi, ſit actus elicitus voluntatis.

9 Neque obſtat locus, quem Maſtrius ex Reportatis & ex Sentent. adducit, vt ſuadeat Scotum contrarium tenuiſſe. Adducit enim, quod eodem actu ibi iuxta Scotum poſſit diligi Deus, & creatura propter Deum, in quo caſu, inquit Maſtrius, dilectio Dei non

eſt

eſt perfectior intenſivè, quam dilectio proximi, quia ſupponitur eſſe idem actus, & idem actus non poteſt ſe ipſo eſſe gradualiter perfectior, & imperfectior, maior, & minor; igitur nullus remanet dubitandi locus (inquit Maſtrius) quin hæc ſit vera, & genuina Scoti ſententia, quidquid Recentiores dicant, qui Scoti phraſim non ſatis expenderunt. Miror P. Maſtrium clariſſimam ſibi opponendam inſtantiam non præveniſſe. Sic inſto, P. Maſtrius iuxta Scotum nunquam defendet, quod Deus appretiativè non diligatur magis quam creatura; ſed id contradicet iuxta nobis à Maſtrio oppoſitum fundamentum; ergo. Suadetur non minus clarè, quia Scotus tenet quod eodem actu quo Deum, poſſit & propter ipſum diligi creatura; ſed non minus contradicit quod idem actus ſit ſe ipſo magis & minus appretiatus; ergo. Dices, poſſe ſumi appretiationem ex parte obiecti, ex quo & inæqualitas. Ita ſit, at etiam ex parte actus datur appretiatio, aliàs inutiliter P. Maſtrius abinitio quæſtionis diſtinxiſſet dilectionem in obiectivam, & in appretiativam, ſeu pralativam. Necnon inepte iuxta Scoti phraſim expoſuiſſet *extenſivum* pro obiectivo, & *intenſivum* pro appretiativo.

10 Reſpondendum deinceps, quod etiam ſi admittamus iuxta Scotum, eodem actu poſſe Deum, & creaturam ob ipſum diligi, at etiam iuxta Scotum tenemus primum actum dilectionis debere à nobis elici erga Deum ſolum, & in ſe, cum divina bonitas ſit prima ratio, & finalis cauſa, ordinateque volens prius debeat velle finem, quam ea quæ ſunt propter ipſum. Itaque etiam ſi prima dilectione appretiativè, & intenſivè maiori expedita, eodem actu deinceps Deus & creatura attingantur, tamen virtualiter & implicite ſemper Deus magis etiam tunc diligetur, cum virtualiter & implicite duo actus ſint, ſiquidem imbibitur actus ille primus ſolius primæ bonitatis, in quem reſolvi poteſt, & dumtaxat reſolvetur, ſi fiat amoris reſolutio. Sufficit ergo ad actum hinc propoſitum, vt virtualiter ſit maior reſpectu Dei, illa prima radix amoris actus primi, cuius inæqualitas derivari debet in cæteris, prout à ſimili iam Scotus prævenerat hinc in *diſt.* 23. verſ. *Ad ſecundum dico*, aiens: *Sicut charitas in actu recto habet pro primo obiecto Deum, vt in ſe, ita etiam in quocunque actu reflexo eſt quodam modo principium tendendi Deum, vt in ſe. Principium enim actus recti eſt principium omnium actuum reflexorum, &c.*

(*⁎*)

Ratione ſuadetur.

11 SUadendum primo. Quia etiam maioris amoris intenſivè dignior eſt Deus, ita vt in comparatione ad creaturam ei magis debeatur; ergo ei præſtandum. Conſequentia probatur, quia quod Deo debetur præſtandum eſt ei, ſed Deo debetur, quod magis debetur; ergo. Suadetur nunc veritas primi antecedentis. Quia illud eſt dignius maioris amoris intenſivè, quod præterquam capax eſt ſic amandi, habet ſuperexcedentem bonitatem, amabilitatem, necnon delectabilitatem; ſed cuncta hæc exceſſivè fore in quibuslibet divinis perfectionibus eſt de per ſe notum, ſaltim reſpectu amoris eliciti, de quo nunc diſputamus; ergo.

12 Dices cum Maſtrio, & alijs, inde nunquam ſuaderi intenſionem, ſed appretiationem. Contra, quia non ex alio motivo magis debetur Deo amor appretiativus, niſi quia eſt magis dignus appretiationis, ſed etiam eſt magis dignus amoris intenſivi; ergo ſemper vrget motivum. Vel ſic: ex eo excedere debet Deus in amore appretiativo, quia ratio obiecti quam habet reſpectu amoris appretiativi excedit alias, cum ſummè, & infinitè bonus ſit; ſed ſic eſt etiam, quod ratio obiecti amoris intenſivi quam habet, excedere debet cæteras, cum ſummè & infinitè bonus etiam ſit; ergo dum vrgeat motivum, vt amor ipſius in comparatione ad creaturam magis appretietur, & vrgebit motivum vt in comparatione ad illam, ipſius amor magis intendatur.

13 Dices aliter cum Aretino, Maſtrio, & alijs, id fore bonum ad conſilium, ſecus autem ad præceptum. Contra ſemper vrget, quia non aliter eſt bonus ad præceptum amor appretiativus, niſi quia in comparatione ad creaturam, habet Deus in ſe rationem exceſſivam obiecti terminativam appretiationis; ſed etiam in comparatione ad creaturam habet Deus rationem exceſſivam obiecti terminativam intenſionis, prout innumerabiles iuſti exercuerunt; ergo. Tum, quia eſtò magis debeatur Deo, ſat erit ad præceptum, cum cuncta quæ præcepta non in alio fundentur, quam in eo, quod debita ſint.

14 Dices ita fore, ſi comparatio attenderetur ex parte obiecti, at hinc debet attendi quoad intenſionem ex parte actus, & conditionum potentiæ creatæ, quæ pronior eſt ad ea, quæ tendunt iuxta pondus naturalis affectus, vt in Matre erga filium, reſpectu cuius promptiores, & recollectiores habet

vires,

vires, quibus vtpote infimis, magis diligibile eſt quod infimum, vtpote eis proportionatum. Contra, quia nec magis pronior, nec ex pondere naturalis affectus inclinatur Mater in filium, ac inclinantur plures, ſi non ferè omnes ex pondere appetituum ſenſitivorum, necnon immaterialium ad cuncta ex naturæ depravatione, vt patet; ſed nulla horum obſtant, vt contra legem appetituum, etiam intenſivo amore plus attenderetur Deus, prout innumerabiles attenderunt, & attendere debent penes aliqua, vt circa inordinatum amorem divitiarum, comedendi, vtendi matrimonio, vindictæ, ambitionis &c. ergo quia præfata ſolutio nil in contrarium eſt ex præadductis motivis.

15 Dices, præadducta à nobis cadere ſub præcepto, quo poſito nil miranda vndequaque maior dilectio Dei illis vitijs ſe contrarianti, ſecus autem nonnulla alia, quorum eſt diſputatio, nam v.g. non præcipitur Matri ne filium diligat. Contra, quia etiam inordinata filiorum dilectio cadit ſub præcepto, ſed dum Matri relinqueretur locus vt intenſius poſſet diligere filium, imperceptibilis maneret locus præcepto de amore inordinato, cum amoroſa intenſio (ſi ſit elicitè poſita) ſit præcipuum medium inordinationis; ergo quia etiam de intenſione erga filium creatum præ divino vget præcepti interpretatio.

16 Contra etiam, quia ſi pronitas illa, cunctaque ex naturæ pondere prædicta ſint motivum, vt non debeat Mater v.g. intenſius præ filio diligere Deum, ac proinde ne ſit præceptum, dum ex naturæ pondere &c, circa intenſivum etiam cuncta appetituum vrgeant in nos, non debuiſſet Deus nobis parare præcepta, non enim aliter deberemus nos habere, ac Mater quæ excuſationem habet; igitur dum intenſio iuxta potentiæ conditionem excuſationem poſſit inducere in Matre vt non ſit magis debita Deo, nec præcepta pro ipſo, iniuſtiſſimè foret pro alijs præcepto relegata, & inverſa.

17 Dices, Deum non obligare ad impoſſibilia, & ferè impoſſibile eſt, quod à Matre v.g. Deus intenſius ametur. Fateor ita eſſe, dum benè in ſimili caſu D. Hieronymo vrgeam, cum etiam dicebatur, *Sufficere non odiſſe inimicos; cæterum diligere, plus præcipi quam humana natura patiatur*: & horum increpationi opponebat Doctor Maximus, *Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta*, quæ plures ſervi Dei fecerunt; igitur dum plures alij erga intenſivum amorem, qui non eſt maioris difficultatis, ac inimicorum dilectio, Deum magis quam creaturas reputarunt, eum in ſummo gradu practicantes, ne dum erit vt impracticabilis, qua Deo debitus, exterminandus, quin iuxta crearam obligationem capiendus.

18 Suadendum ſecundo, quia dum ex parte Dei nulla apud Contrarios ſit difficultas, ne Deo magis debeatur intenſio amoris, ſolum poteſt ex parte noſtri difficultatis contemplatio; ſed nec debet eſſe ex parte noſtri; ergo. Suaderur minor, in qua ſiſtit difficultas. Ex parte noſtri ſolum poteſt eſſe difficultas ob defectum virium; ſed talis defectus non eſt; ergo. Prob. minor, quia quo pacto nobis conceduntur auxilia, & habitus ſuperni ad magis appretiandum Deum in tribus actibus theologicis, etiam conceduntur auxilia, & habitus qui aptiſſimi ſunt vt intenſius diligamus; igitur quo pacto ad appretiationem non habemus excuſationem in difficultate ob defectum virium, nec vlla difficultas excuſabit nos ob defectum virium ad intenſionem. Confirmatur, quia indecens, & indecorum eſt ſentire, meritorium etiam fore, Deum intenſius amare, & ad id non fore potentiores vires gratiæ, quam ad aliud diligere intenſius fore potentiores vires naturæ; ergo.

19 Comprobatur, & præcavetur evaſio. Quia ſi quidquam obſtaret ad debitam Deo intenſionem, maximè, quia dum difficultas maior vrgeret ad diligendũ intenſius Deum, ſolum forent comprincipia ad intenſionem ſufficientia, & ad intenſius diligendum creaturam forēt efficacia; ſed id nil obſtat, prætetquam quod etiam indecens eſt dictum; ergo. Exponitur minor, tum, quia in tali ſufficiētiæ caſu, etiam extra obligationem eſſemus, vt cum ſufficientibus auxilijs, deberemus potius implere divina præcepta, quam naturæ appetitus, quod fidei adverſatur; tum, ſi efficacia forent principia ad intenſius diligendam creaturam, nulla creatura aliud exercuiſſet, quod opponitur diviuis ſervorum Dei experimentis, & ſaltim beatiſſimis volitionibus; ergo.

20 Suadendum tertio, quia in via, quo pacto exercetur voluntas ex habitu charitatis per actus amoris, exercetur ex habitu ſpei per actum ſperandi, & ex habitu fidei per actum credendi; ſed duriſſimum foret aſſerere non debere aliquem intenſius ſperare in divinis promiſſis, nec intenſius credere in dicto Dei, quam creaturarum; ergo etiam duriſſimum erit aſſerere non debere aliquem Deum intenſius diligere. Confirmatur, & præcavetur evaſio; quia etiam in actibus fidei,

dei, & ſpei detur appretiativum, & intenſivum, & tamen non ſufficeret appretiatio pro fidei debito erga Deum; ergo etiam ſi in actu charo detur appretiativum,& intenſivum, tamen erga Deum non ſufficeret appretiativum.

21 Quod in fidei, & ſpei actibus detur appretiativum, & intenſivum, facile quiſque videbit. Appretiativum, cum habeat normã lineæ theologicæ, in qua ſiſtit appretiatio divina, cum hæc fundetur in excellentia divinarum perfectionum; nec aliter,poſſet appretiativum in amore charo, & amicabili ſuaderi, prout cuncta hucvſque dicta de charitate theologica ſuadent ex communi Theologorum ſcopo. Intenſivum etiam facile ſuadetur, tum ex conditione proprietativa potẽtiarum, & habituum, tum ex clariſſima Scripturarum phraſi, vt patet apud Apoſtolos qui orabant ad Chriſtum, vt fidem adaugeret; necnon ex Eccleſiæ orationibus, in quibus paſſim auditur, quod det nobis Deus, *fidei, ſpei, & charitatis augmentum*; ergo fides & ſpes, ſicuti charitas ipſa, compactæ ſunt ex appretiativo, & intenſivo. His ſuppoſitis, quis audebit dicere, quod non debeat intenſius ſperare, & credere in Deum, ac in creaturam? Etenim ille, in fide ſuſpectus maneret.

Principaliùs oppoſitis occurritur.

22 Opponunt principaliter, quod ſi etiam intenſivè Deus magis foret diligendus, peccarent mortaliter parentes, qui intenſius proprios diligunt filios, & de eorum amiſſione intenſius & ferventius dolent, ac de amiſſione Dei per mortale peccatum, quod plane, inquit Maſtrius, nimis durum eſt, & contra communem ſenſum fidelium, qui erga filios regulariter experiuntur intenſiorem affectum, quam erga Deum; neque de tali maiori intenſione vllum habent ſcrupulum, ſi verè animum non habeant nil faciendi contra Deum pro eorum amore: Teneremur etiam, inquit, data oppoſita ſententia, dolere intenſius de peccato mortali, quam de quocunque malo temporali, vt de filiorum amiſſione, quod etiam eſt contra experientiam; ergo maioritas illa amoris Dei ſuper omnia, qui nobis præcipitur, debet intelligi quoad appretiationem, ſecus autem quoad intenſionem.

23 Reſponderi poteſt concedendo, peccare mortaliter, qui actu elicito intenſionis diligant filios ſupra Deum. Neque id ſic durum, vt putat Maſtrius, videri debet, nam non ex alio motivo excuſare poteſt Maſtrius parentes, niſi quia filij ſunt eorum; ſed ſic eſt quod magis ſunt Dei, præterquam quod non forent,niſi eis dediſſet Deus; igitur nedum parentes in eo exceſſu amoris deficerent, quin etiam in fide Datoris ſuſpecti manerent, cum magis ipſorum, quam ipſius Dei exiſtimarent. Unde Job, cum id benè perpenderet, conformis expendebat, *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Nonne melius, quam Elcana arguebat pro Annæ ſolatio dicens, *Nunquid non ego tibi melius ſum, quam decem filij*, poterat pro cuiuſvis dilectionis ſolatio arguere Deus? Fateor, mihi nil durius eſſe, quam per actum elicitum non debere quemlibet magis dolere de amiſſione Dei, quam filiorum.

24 Id eviſceretur, & intueatur, pura enim ratio ſemper coget, & ſolum ex alia parte contrarię experientiæ, quæ parum vrgere debent, cum pateat quod etiam in appretiativo eximiè evincant mortalium experientiæ, innumerabiliores ſiquidem ſunt qui creata, propria bona, &c, magis appretiant quam cæleſtia, quin id quidquam obſtet, vt Deo magis non debeatur appretiatio. Tum eviſceretur, nam invenietur imperceptibile, poſſe aliquem componere penes elicitum minus intenſe dolere de abſentia Dei, quam filij, & tamen Deum magis appretiare. Si enim quis benè ſciret quo pacto Dei bonitas erat appretianda, vſque ad animi deliquium dolere, foret conſequenter infallibile. Quapropter ſicuti Subtilis Doctor expoſuit, quod dum aliqui non ſic quam alij appretiantes Deum, tamen dulcedinis fervore videntur magis eum diligere, ibi non eſt reputandus fervor elicitus, ſed paſſionalis, ſic dum abſque peccato dolere magis poſſent aliqui de amiſſione boni finiti, quam infiniti, tunc exponendum eſt, eum dolorem non fore elicitum, & libere actum, ſed paſſionalem, & naturalem naturæ noſtræ affectum. Dum enim non naturalis, ſed liber foret affectus, ex quo motivo in amiſſione boni temporalis erumpunt lachrymæ,extrema defluunt ſuſpiria, abſtinentiæ & mortales aliæ afflictiones expenduntur? Vellem audire motivum, quod præ Deo poſſit honeſtare actum liberum, cum advertentia, obiecti cognitione, iudicio forſan practico, &c; proponatur motivum, equidem ego ignoro, dum ſtatim in Dei favorem non vrgeat.

25 Opponunt magis principaliter, talis intenſio, quæ ſub præcepto caderet, vel eſſet ſumma, quæ eſſe poſſet ab homine cum ordinario Dei auxilio, & id non poteſt rationabiliter dici, quia,vt inquit Scotus, non poteſt

in hac vita eſſe talis ob impedimenta, & virium diſtractionem per ſenſus: Vel ſaltim ea intenſio deberet eſſe maior quavis alia, quæ circa creaturas modo elicitur, aut regulariter elici poteſt, vt inquit Faber; & nec hoc dici poteſt, quia ſemper hominem relinqueret dubium de præcepti adimpletione, ſemper enim dubitare poſſet, an intenſiori actu amaverit Deum quam creaturam. Tum, quia (arguit Amicus) ſequeretur ex hac doctrina, quod aliquis Pater amans Deum vt octo, filium vero, vt novem, hoc præceptum non ſervet; ſervet vero, qui Deum amat, vt duo, & filium vt vnum, eo quia primus intenſius amet filium, quam Deum, ſecundus vero intenſius Deum, quam filium, quod pater eſſe abſurdum, cum primus longe intenſiorem actum erga Deum exerceat, quam ſecundus. Denique per hoc præceptum petit à nobis Deus verum, & abſolutum amorem eius, vt vltimi finis gratiæ, & naturæ in quem omnia referamus; ſed talis actus ſalvari poſſet in quavis intenſione remiſſa; ergo &c. Maior patet. Prob. min. quia in eo ſiſtit appretiativa Dei dilectio, quod amans ſit paratus pro ipſo quodcunque aliud bonum contemnere; ſed poſſumus de Deo talem appretiationem habere, & non niſi remiſſe diligere, nam poſſumus aliquod obiectum intenſius, minus tamen appretiativè diligere, & è contra, vt patet in Patre filium minorem intenſius amante, & magis appretiativè maiorem; ergo.

26 Reſpondendum, & in primis ad primum diſcurſum dicimus, quod dato quod elicita intenſio deberet erga Deum eſſe ſumma, inde tamen non poſſet obſtare dictum Scoti, ſicuti necnon poſſe adimpleri præceptum eo conatu, quo in alia vita, ſeu ablatis ſenſibilium potentiarum impedimentis. Ratio eſt conſonans, quia ſummum non deberet intelligi abſolutè, ſed reſpectivè ad ſtatum impeditum, quo pacto ſi ex his vel illis ſtatus impedimentis, non manerent totæ vires expeditę, aut habiles omnes partes cordis, quia ob ſtatus impedimenta non poterant colligi, tunc licet non diligeretur Deus ex totis viribus, & ex toto corde abſolutè, & iuxta vires omnes ſecundum ſe, poſſet tamen dici quod diligebatur ex toto corde, & iuxta omnes vires vt comparatas & ligatas cum ſtatu hoc; eo pacto quo de aliquo partim vel funibus ligato, vel infirmitate partim impedito, poſſet dici quod iuxta eum ſtatum omnes vires applicabat ad ſe movendum, & erigendum, tametſi abſolutè non poſſet, cum omnes vires ſecundum ſe non poſſet colligere ad ſummam expeditionem. Sic capio Scotum in verſ. *Dico igitur*, vbi ait: *Quia non poteſt eſſe in via iſta tanta recollectio virium, vt amoris impedimentis poſſit voluntas tanto conatu ferri, quanto poſſet ſi vires eſſent vnitæ, & non impeditæ.* Quo pacto exponit ibi Auguſtinum. Sed de hoc, abſolutius infra.

27 Deinde ad ſecundam partem diſcurſus oppoſiti reſpondendo, dici poſſet primo, quod deberet eſſe maior ſic intenſio elicita, quod foret ſupra quamvis creaturæ, prout iam propugnatum manet, & ad illud de dubitatione operantis, dici poſſet, parum id obſtare, ſiquidem quod potius in dilectionibus Dei oportet, ſiſtit in aſſequenda Dei gratia, ad id enim omnis cura rationalis tendit, & tamen nedum de intenſiva, quin nec de appretiativa ſcit aliquis modo regulari, an dilectionem Dei ſic expendat, quod ſit certus de ea quæ oportet ad divinam amicitiam. Unde Scotus in eadem *diſt.* 27. ſuadet non poſſe facile negari quemlibet ex naturalibus non fore pronum ad dilectionem Dei ſuper omnia, nam aliàs qui ſe pronum inveniſſet, poſſet abſque dubio ſcire, ſe fore in charitate ſuperna.

28 Deinde poſſet dici, quod ad ſolatium rationabile animarum, & licet non ad infallibilem, ad probabilem tamen & nobis practicabilem ſecuritatem, qui eam vellet pulſare in intenſione elicita, poſſet recurrere ad combinationem cum appretiativa, & tentare, an fallatur vel non, ex fervore & dulcedine amoris, metiens dum recogitet, pro quali amato pluribus ſe exponeret, & re vera plura vinceret, & circa ipſum circa quod effervescere ſibi videtur pulſando, an ſi poſſet, & Deo gratum, vel ingratum perciperet, faceret, vel omitteret, &c, ſic; reflexio enim in voluntatibus, delicatiſſimo pondere fideliſſima inter omnes ſtatera eſt: probet ſe itaque amans, & tunc inferet intenſionis elicitæ maioritatem, quæ intenſius erit elicita circa bonitatem, præfatis modis magis appretiatam, ita vt quicunque alius fervor qui intenſe maior videatur, non poſſit ab Scoto percipi elicitus, ſed naturalis affectus, nam, vt inquit ipſe, *Hoc magis diligitur, quod firmius diligitur; hoc enim magis diligo cui minus volo malum accidere, & pro cuius bono ſalvando magis me expono ex amore, quia exponere ſequitur amorem.*

29 Dices ex vltimis Scoti ſolum probari appretiativum, ſecus alium amorem, cum parentes magis appretiantes Deum quam filios, pluribus laboribus, anxietatibus, ærumnijs, & vigilijs ſe exponant, dum ſic non ſe exponunt pro Deo; ergo. Non obſtant, quia

vel

vel dicam cum Scoto, non poſſe in talibus caſibus percipi, quod Deus magis appretietur, prout in ſimilibus paſſim conquæritur, necnon vt doceretur Chriſtus Dominus, dum his attendens dixit, *Quæ eſt Mater mea, & fratres mei &c.* ita vt Beata Virgo magis foret mente quam ventre, ac proinde quia vndequaque Dei dilectio, hominis ſolius, ſi foret, in alma Matre, excelleret; vel dicam, quod tunc debet ſciri, an pro Deo maiora facerent, ſaltim dum inſtaret neceſſitas, ſeu occaſio, vt perdendi vitam pro ipſo, &c, tunc enim perues eliciruum hæc dilectio etiam in linea intenſionis excelleret quamcunque, quia cum pes voluntatis velociſſimus ſit, licet conditionatus & diſtans appareat, non impedit realem & propinquum elicere motum. Et quod cuncti chriſtiani ſaltim pro aliqua vice debeant ſic circa Deum elicere actum, eſt communiſſimum, dum magis continuo iuxta Scotum; qui actus etiam parentum, dum ſemel ſaltim quemlibet intenſiorem filiorum ſuperaret, intenſivè ſuperans ſemper conſervaretur, tametſi aliud extenſivè foret de filijs, dum pluties renovarentur. Si vero aliter & in ſenſu abſolutiſſimo pluribus ſe exponant parentes pro filijs, & ac pro Deo nec ſe exponerent, tunc etiam abſolutè dicam, nimis peccare, prout parentes plures paſſim peccant, indeque in ipſos filios Deus vertit indignationem, & vindictam, vt revelationes abundant.

30 Deinde ad tertiam partem, magis ſubtiliter oppoſitam ex Amico, reſpondendo, dato caſu, quo etiam pacto proponitur, dicam, nullum ſentire inconveniens in eo, quod deficeret, & inutiliter haberetur ille, qui magis intenſe amans Deum, quam alter, ab iſto tamen in totum in appretiativo excederetur. Ratio eſt, quia quidquid de vtraque opinione circa præſens quæſitum ſit, ab vtraque opinione debet teneri firmiter, non poſſe dari vllum amorem, nec operationem proficuam etiam erga Deum ipſum abſque ſuperna appretiatione; itaque ſi Pater A, cum octo gradibus appretiativo careret, & Pater B, cum duobus gradibus teneret appretiativum, tunc nil vtile teneret Pater A, & totum vtile teneret Pater B, cum manerent chara appretiatione informati, & elevati duo illi gradus. Sic, ſi Pater A, haberet in ſummo omnium aliarum virtutum exercitium, bona quam plurima opera, & hæc in remiſſo cum chara appretiatione haberet Pater B, iſti forent vtilia, ſecus alteri, prout D. Paulus in his contemplans reſolvit dicens: *Et ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, nil mihi prodeſt.*

31 Dices, ipſos cum Amico ſupponere in caſu illo, Patrem A, etiam habere amorem appretiativum, cuius contrarium nos ſuppoſuimus in ſolutione, quo pacto reviviſcit difficultas. In tali caſu dicemus, quod debent probare quod pro caſu ſupponunt; ſi enim Pater A, magis Deum quam filium appretiativè diligat, tunc dum rectus, & honeſtè elicitus ſit amor intenſus, ſupra filij amorem erit, ac proinde caſus vt proponitur petet principium in hoc caſu.

32 Dices, quod amor appretiativus foret æqualis in vtroque Patre, aut æqualis in vtroque ſupponatur; ſed æqualis non foret, vt æqualis non eſt amor intenſivus in alijs amantibus; igitur quia erga Deo debitum, vnus amor non habet proportionem, & conſequentiam cum alio. Dicam, non poſſe facile ſic concedere caſum, ſicuti nec quod amor appretiativus debeat eſſe æqualis, cum non appareat rationabile tenere, quod alma Mater non appretiaret magis Deum, & ſic reſpectivè cæteri qui perfectiores alijs. Et ratio etiam eſt, quia aliqui pluribus ſe exponerent quam alij ob Dei honorem, necnon pluribus reflexionibus, vt ſupra dicebam, probarunt voluntatem, vſque ad impoſſibilia penetrantes, vt illac Auguſtinus. Tum, non facile negabunt Contrarij, quod amor intenſivus ſupernus charitatis non conſocietur cum appretiativo, ita vt licet diſtinctè circunſtati, at non ſe expellentes, vnde nec facile negabunt, quod qui intenſivo amore charo magis diligant Deum, ipſum magis appretient; igitur nec difficile dicere valebimus, quod magis appretietur Deus ab aliquibus, & quod magis intenſe ametur à quibus magis appretiatur, ac proinde caſus ille ex æqualitate nullus erit.

QUÆST. V.

De Charitate Dei erga Nos.

1 EGimus in præcedentibus quæſtionibus de charitate noſtra erga Deum, reſtat pro complemento nonnulla dicere de charitate Dei erga nos, vt ſic, vndequaque divina charitas eluceſcat. Deus enim ob nimiam charitatem ſuam dilexit nos, Angelos, & Chriſtiferam naturam, qua propter quæſita quæ ad hunc pertineant ſcopum proponemus, penitus mentem, & literam Seraphici Doctoris ſequentes, nec quidquam variare opus erit (vno, aut alio verbo excepto)

cepto) cum claram, & prælatam ipſe adducat in hiſce quæſitis doctrinam, quam in fine conſultò adducere decrevimus, vt dum pauca de tanto Eccleſiæ Doctore dixerimus, ſaltim finis coronet opus.

ART. I.

An Deus æqualiter omnes creaturas diligat.

2 REfert Seraphicus Doctor duas opiniones extreme oppoſitas, earumque fundamenta proponit, ipſas tamen propriæ reſolutionis expoſitione concordat, quorum omnium ſtatim per partes opus erit præſtare notitiam, at, prout dixi, non alio ſermone quam Seraphico, equidem exactus, dum non prolixus adeſt.

Fundamenta Opinionis æqualitatem defenſantis.

3 PRimum, quia iuxta illud Sap. *6.* Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt ei cura de omnibus; ſed eo modo diligit, quo eſt ei cura; ergo videtur quod omnes creaturas æqualiter diligat.

4 Secundum ex Philoſopho Propoſ. 24. de Cauſis, vbi tenet, Primum vno modo ſe habere ad omnia; ſed Deum diligere creaturam, hoc eſt Deum aliquo modo ad creaturam ſe habere; ergo & vniformiter diliget, ſicuti & vniformiter habetur.

5 Tertium, quia non alia dilectione diligit Pater Filium, ac creaturam; ſed dilectio qua Pater diligit Filium eſt dilectio ſumma; ergo & qua diligit creaturam: Nunc ſic, ſed in ſummo non eſt ponere magis, & minus, ſed ſolum æquale; ergo omnem creaturam diligit dilectione æquali, diligit ſiquidem dilectione ſumma.

6 Quartum ſic Deus creaturas diligit, ſicuti cognoſcit; ſed non magis cognoſcit vnam quam alteram, ſed omnes æqualiter cognoſcit; ergo & omnes æqualiter diligit.

7 Quintum, ſicut limpiditas cognitionis facit ad eius nobilitatem, ſic magnitudo dilectionis facit ad eius commendationem; ſed quia cognitio Dei eſt nobiliſſima omnem creaturam limpidiſſime cognoſcit; ergo pariter cum dilectio Dei ſit excellentiſſima omnem creaturam maximè diligit: Igitur ſi in maximo non eſt ponere magis, & minus, videtur quod æqualiter amet cũcta, quæ diligit.

Fundamenta alterius Opinionis.

8 PRimum ex Auguſt. in Joan. *tract.* 10. *ad finem tom. 9.* Quis digne exprimat, quantum Deus diligat membra Vnigeniti Filij ſui, & quanto amplius ipſum Vnigenitum? Si ergo amplius diligit Vnigenitum, quam ipſius membra, videtur inferri quod non omnia æqualiter diligat.

9 Secundum: Deus diligit bonum, quia bonum; ergo magis bonum magis diliget; ſed non omnia ſunt æqualiter bona; igitur nec omnia erunt æqualiter dilecta.

10 Tertium: quia divina charitas eſt exemplar charitatis creatæ; ſed charitas noſtra creata eſt ordinata, indeque non æqualis ad omnia; ergo & inæqualis erit charitas divina.

11 Quartum: quia ſicuti Deus diligit, ſic bona diſtribuit; ſed non omnibus æqualiter bona ſua diſtribuit; ergo non omnes æqualiter diligit.

12 Quintum: quia ſi æqualiter omnes diligeret, æqualiter omnibus propitius eſſet; ſed æqualiter omnibus non propitiatur, immo cui vult miſeretur, & quem vult indurat; igitur non æqualiter omnes creaturas diligit.

Seraphici Reſolutio, & concordia expoſitiva.

13 REſolvit, Deum diligere omnes æquali dilectione, ſi dilectionem quantum ad actum eſſentialem inſpiciamus, licet non quantum ad efficaciam. Pro reſolutionis intelligentia, & ſupra oppoſitorum ſatisfactione, docet ibi dupliciter poſſe loqui de dilectione Dei, videlicet ſecundum eſſentiam, & ſecundum efficaciam. Si loquamur de dilectione Dei quantum ad eſſentiam, ſeu quantum ad actum eſſentialem, quo pacto alibi Theologi ſolent communius exponere quoad entitatem; ſic, nedum æquali dilectione diligit omnia, quin etiam vno, & eodem actu ſimplici, nullo variato, nullo multiplicato, diligit ſe, & omnia, cum ſit identificata ſubſtantia dilectio ipſa. Si vero loquamur de dilectione quantum ad efficaciam, ſivè quantum ad effectum conſequentem, quo pacto alibi & paſſim ſolet dici quoad terminationem, ſeu quoad denominationem ab effectibus ſumptam, ſic, cum effectus ab ipſa dilectione Dei procedentes ſint ordinati, & ſe ſe excedentes, reſolvit Seraph.

Deum

Deum non omnes creaturas æqualiter diligere.

14 Id ipſum intendit Seraph declarare magis, eo quod diligere non ſit aliud quam velle bonum; vnde ait, æqualitatem poſſe ſumi, vel ex parte actus volendi, vel ex parte boni voliti. Si ex parte actus volendi, omnia vult æqualiter: ſecus autem ex parte boni voliti, cum velit communicari bonum, magnum, vel maximum. Quæ expoſitio, vt ipſe notat, in idem reddit ac prima. Inquit ergo quod rationes inæqualitatis capiendę ſunt ſecundum hanc vltimam partem, videlicet, ex parte boni voliti; ſic etiam rationes æqualitatis capiendæ ſunt ſecundum primam partem, videlicet ex parte actus volendi. Quare eodem diſtinctionis ſcopo cum vtriuſque opinionis fundamenta ſolvantur, ideo primæ opinionis fundamentis ſatisfacere, ſat erit, prout & ipſe Seraph. ibi facit.

15 Ad primum, quod objiciebatur, quod ſcilicet æqualiter eſt ei cura de omnibus: Reſpondit, quod illa æqualitas non excludit ordinatam boni communicationem, ſed excludit perſonarum acceptionem, quæ reprætenſibilis eſt, ideoque à Deo excludenda. Dum enim ex ordine perfecto vniverſi, ipſius pulchritudo inæqualem petat diſtributionem, manet compatibile, quod etiam iuxta conditionem terminorum ęqualis dicatur cura, licet abſolutè inęqualis ſit, dum reſpectivè & ad cuiuſvis rei proportionem ea cura habeatur de vnaquaque, quæ de ea haberi debet.

16 Ad ſecundum, videlicet quod ex Philoſopho, Prima cauſa vno modo ſe habet ad omnia: Reſpondet iuxta priſtinæ diſtinctionis doctrinam, ſcilicet, vno modo ſe habere ex parte cauſæ, ſecus autem ex parte effectuum, prout iam ipſe Philoſophus notarat dicens, quod creaturæ vniformiter non ſe habent ad ipſum, tametſi ipſe Deus ſemper ſecundum ſe vniformis ſit; quare cum adæquatè cauſalitas, nedum cauſam ſed effectum importet, ſat erit, vt inæqualitas habeatur.

17 Ad tertium quod objiciebatur, quod ſcilicet eadem dilectione qua Filium diligit & creaturas: Reſpondet, quod licet poſſit dici eadem, in quantum ad rationem principalis ſignificati, ſecus autem in quantum ad eius connotata. Eſt eadem in quantum ad principaliter importatam per dilectionem vt divinam, quia vt ipſi proprium quod dicit, non eſt terminus qui diligitur, ſed modus quo diligitur, quo pacto ſivè ſit terminus infinitus, ſivè finitus, modus dilectionis ſeit quo Deus diligit ſemper vniformis eſt, cum ſemper infinitus ſit, vt patet in Omnipotentia, quæ licet finitum & creatum actione increata & infinita producit. Eſt diverſa ex parte connotatorum terminorum, cum ad id ſat ſit quod diverſa connotata ſint, vt ſunt Filius, & creaturę, cum ad has communicatio boni connotet quid finitum, & ad illum, quid infinitum etiam ex termino connotare debeat.

18 Ad quartum, quod ſcilicet ſicuti cognoſcit ſic diligit: Reſpondet ita eſſe ex parte actus, ſeu quoad entitatem, ſecus autem quoad connotatum, nam idem poteſt magis & minus diligi, ſecus autem magis & minus cognoſci. Et valet eſſe ratio, quia ex maiori communicatione perfectionis poteſt aliquid fieri magis bonum, ſecus autem nunquam magis verum; idque oritur etiam, quia per vnam lineam exercetur libere, & per aliam naturaliter. Tum, ſi quis contrarium protervire vellet, poſſet etiam ex parte connotatorum etiam in cognitione admitti inæqualitas reſpectivè, cum ſic etiam eat ad aliquem paſſum volitionis, prout dicitur, aliam fore ſcientiam ſimplicis intelligentię, & aliam viſionis, dum liberam ſic, vel ſic, etiam reputant Doctores.

19 Ad quintum, quod ſcilicet de ratione divinæ dilectionis eſt magnitudo, ſicuti & immenſitas: Reſpondet conſimili doctrinæ ſcopo, ac proinde ita eſſe ex parte actus, cum ſic ſemper immenſa, ſicuti infinita debeat eſſe, taliter, quod primum & principale motivum diligendi creata, ſit ipſa divina bonitas, quæ per maxima ſemper, ac eam ante dilectionem ſuam ſemper habens, terminos varios connotans, valet dum vult, quibuſdam maiora bona, & quibuſdam minora communicare.

ART. II.

An Deus magis diligat hominem, quam Angelum.

20 PRoponit Seraph in favorem Angelorum quatuor rationes, & quatuor alias in humanæ naturæ favorem, & tametſi iuxta aliquam conditionem ad Angelos, vt Seraph inclinari videatur, at ſimpliciter, inclinatior erga homines intuetur.

Pro Angelis.

21 PRimò, quia tanto aliquis eſt Deo amabilior, quanto eſt ipſi ſimi-

ſimilior; ſed natura Angelica eſt Deo ſimilior, quam humana; igitur & ab eo erit magis dilecta. Prob. min. tum quia ſimpliciores, immaterialiores, & in intelligendo præclariores; ergo Deo ſimiliores Angeli, quam homines.

22 Secundo, quia maior & minor dilectio attenditur ſecundum maiorem, & minorem communicationem naturæ humanæ; ſed Deus pro vno ſolo motu Angelorum glorificavit, quod non facit hominibus; ergo extitit eis liberalior, quam nobis, ac proinde magis dilexit ſpecies Angelicas, quam genus humanum.

23 Tertio, quia Angeli magis diligunt Deum, quam nos, pro eo quod nullam habent retardationem qua præpediantur, ne totaliter poſſint tendere in Deum; igitur dum Deus magis diligat, ipſum magis diligentes, videtur quod magis Angelos quam homines diligat.

24 Quarto, quia Angeli ſunt mediatores inter nos, & Deum, ſecundum quod ſentit Auguſtinus *lib.8. de Civit. Dei c. 25.* Sed medium magis vnitur extremo, & eſt ei familiarius, quam vnum extremum reſpectu alterius; igitur quia magis diligit Angelos, quam homines.

25 Tum quia homines paſſim cadunt cumulantes in Deum offenſas, ſecus Angeli, qui ſemel eeciderunt, nunquam reincidentes. Tum, quia Angelica natura ob nullum miniſterium ceſſat à divinis, eum Angeli eorum ſemper videant faciem Patris, ſecus homines qui occupati erga plurima facile diſtrahuntur. Tum, quia Angelus valuit confortare eum, qui divina erat perſona, ſecus autem homo, quinimo ſolum valuit vt tormenta augeret, & mortales ſudores & agonias cauſaret, & in ipſam faciem cædens, quod nec Angeli apoſtatæ fecerunt. Tum, quia ignis purior & ſplendidior eſt terra, quapropter ſublimius tenet centrum, vtpote ipſi Cœlo vicinum; ſed Angeli ſunt ignei, cum feciſſet eos ignem vrentem; homines autem ſunt terrei, cum pulvis ſint, & in pulverem eant; ergo.

Pro hominibus.

26 PRimò, quia nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ; ſed illud fuit potiſſimum ſignum dilectionis, & familiaritatis divinæ quod aſſumeret naturam creatam in vnitatem perſonæ ſuæ; igitur quia præclarius infertur, quod magis dilexerit naturam humanam, quam Angelicam.

27 Secundò, quia maiorem charitatem nemo habet &c. ſed Deus poſuit animam ſuam pro hominibus, non autem poſuit eam pro Angelis; igitur, quia charius homines, quam Angelos dilexit.

28 Tertiò, quia illam naturam magis Deus diligit, quam in altiori gradu honoris conſtituit; ſed Deus humanam naturam in vtroque ſexu angelicis ſpiritibus ſuperpoſuit, videlicet Chriſtum, & eius nobiliſſimam Matrem, vtpote ſuper choros Angelorum in cæleſtibus exaltatam; igitur quia humanam naturam magis diligit & dilexit.

29 Quartò, quia magis diligit quis aliquem eum diligit eum in ſtatu amicitiæ & inimicitiæ, quam ſolum eum diligit in ſtatu amicitiæ; ſed Deus humanum genus diligit in ſtatu amicitiæ, & inimicitiæ, quia cum eſſemus peccatores, & inimici Dei, dilexit nos, & pro maioribus inimicis oravit; Angelos vero malos nec dilexit, nec diligit, nec pro talibus inimicis oravit, nec orare præcepit; igitur quia ſatis conſtare videtur, quod præ Angelis genus humanum dilexerit.

30 Tum, quia illi præ alijs magis diliguntur, qui conſtituuntur vt Domini, dum alij vt eorum ſervi; ſed ſic Deus dilexit homines, quod mandaret Angelis ſuis, vt eos portarent in manibus, & paſſim miniſtrarent, vt Scripturæ abundant; ergo. Tum, qui minus æſtimatur, conſtituitur in iuſtitiæ miniſtrum, vt patet in tortoribus; ſed in divinæ iuſtitiæ executionem non conſtituit ex humana natura, ſed ex angelica; ergo. Tum, quia exercitium paupertatis, & humilitatis, quas Deus ſummè dilexit, habile non ſic reliquit in natura Angelica, ac in humana, dum hæredem regni cæleſtis, quem pauperem Deus inſtituerit, iuxta illa Seraphici P. Franciſci verba ſupercelſa, *Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis* (ly altiſſimum nota) *quæ vos chariſſimos Fratres meos hæredes, & Reges Regni Cœlorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit.* Quid ſublimius, quam quod humilius? Quid ditius quam quod pauperius? (hinc aiebat Doctor Seraphicus: *Nemo tam auri, quam ipſe cupidus paupertatis*) quid Deo maius, quam quod minus? Nec aliud in cunctis ſimilius quam Seraph Pater Chriſto ſimilior, dum quia pauper & humilis conquaſſavit capita, & vt ipſe teſtatur, per ſe & Filios ſuos,

Angelorum implebit ruinas.

(*,*)

Seraphici reſolutio, & concordans expoſitio.

31 Reſolvit, quod Deus quantum ad effectum reparationis, magis hominem quam Angelum dilexit, habito tamen reſpectu non ad præſentem, ſed ad finalem ſtatum: at quoad naturalis conditionis effectum plus Angelum dilexit.

32 Pro præfatę reſolutionis intelligentia, & oppoſitarum ſupra rationum ſatisfactione, docet, quod cum Deus, prout ſupra in Art.1. expoſuit, dicatur diligere creaturas effectu, & duplex ſit principalis effectus Dei reſpectu creaturarum, ſic dilectio Dei valet vt maior & minor conſiderari. Eſt igitur effectus conditionis, & effectus reparationis. In effectu conditionis præcipue manifeſtatur Dei potentia, at in effectu reparationis præcipue manifeſtatur Dei miſericordia, dum in vtroque manifeſtatur Dei ſapientia. Si enim loquamur de dilectione Dei quantum ad effectum conditionis, ſic magis dilexit Angelum, quam hominem, cum illi meliora naturalia præſtaverit, & magis potentem illum fecerit, ac proinde in illo magis manifeſtatur divina potentia. Si autem loquamur quantum ad effectum reparationis, ſic magis diligit homines quam Angelos, nam Angelos deſervit, homines autem relevavit: ac proinde ſic patet, quod ſecundum diverſos effectus homo & Angelus in Dei dilectione ſe excedunt.

33 Si autem quæras, quæ iſtarum dilectionum magis excedat reliquam? Tunc diſtinctione etiam reſpondendum; quia vel loquitur de dilectionis exceſſu vt nunc, & ſecundum ſtatum præſentem, vel ſimpliciter & vt ſtatum adæquatè complectit, ſicque etiam ſecundum ſtatum finalem. Si loquamur de dilectione Dei ſecundum ſtatum præſentem, & vt nunc, ſic reſolvit Seraph, quod magis diligat Angelos quam homines. Si vero loquamur ſecundum ſtatum finalem gratiæ, in quo reparatio erit conſummata, ſic concedendum eſt quod magis diligat homines, quia in gloria de pluribus habebit homo vnde gratus & devotus exiſtat Deo, quam Angelus, tum ob beneficium Incarnationis, tum ob beneficium Redemptionis, tum ob beneficium eminentis glorificationis, quæ non tantum manifeſtant erga nos divinæ charitatis magnitudinem, ſed etiam eius nimietatem, iuxta illud *Epheſ. 2. Propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum eſſemus* mortui peccato, convivificavit nos Chriſto.

34 Exiſtimo ergo iuxta mentem Seraphici, potius ex rationibus deductam, quod abſolutè loquendo, tenendum ſit, Deum magis diligere homines, quam Angelos. Quia licet nunc, cuncti Angeli prædeſtinati perfectius habeantur cum ſint glorificati, & in termino, ſecus autem cuncti prædeſtinati homines, cum quamplures ſint in via; & licet in linea ſuperna vterque ſtatus, ſemper felicior & perfectior eſt ſtatus termini & Patrię, quam viæ, & miſeriæ; at dum ęquè fiat comparatio, felicior fuit homo, vt patet ſi fiat de termino cum termino, vt probabat Seraph; necnon de via cum via, cum iam via hominum fuerit redemptione & Incarnatione rubricata; ſic etiam dum fiat comparatio quoad effectus principales primæ diſtinctionis, videlicet conditionis pro Angelis, & reparationis pro hominibus, nam effectus maioris dilectionis fuit reparare hominem, quam creare Angelum, necnon magis exaltatur divinus amor per miſericordiam, quam per potentiam, & iuſtitiam; & tandem quia conditio Angelorum licet excellentior ac noſtra, at de per ſe ſolum concernit & terminatur ad ea, quæ ſunt naturæ; reparatio vero ad ea quæ ſunt ſupernaturalitatis & gratiæ.

Solvuntur quæ pro Angelis obiecta.

35 AD primum in oppoſitum, quod ſcilicet Angelus eſt Deo ſimilior: Reſpondet Seraph, verum eſſe in ordine ad ea quæ ſunt naturæ, ſed non in ordine ad ea quę ſpectant ad dona gratiæ. Dilectio enim Dei magis penſat dona naturæ ſuperaddita, quam ea quæ ſunt primo naturaliter inſita; quapropter vt alibi expendebat Seraph, dona naturæ ſpectant ad imaginem creationis, dona vero gratiæ ad imaginem recreationis, quæ ſupereminens eſt, prout recreate, ſeu ſupercreare ſatis indicit. Etſi hinc inſtare intendas quod gratia correſpondet naturæ, ac proinde ſublimior gratia data erit Angelis, quo pacto & ſublimior natura, cum humana paulominus fuiſſet reſpectu angelicæ: Reſpondet Seraph, quod de hoc ſatis dictum relinquit *in 2. Sent. diſt. 11. art. 1. q. 2. & diſt. 16. art. 1. q. 1.* quibus conformes dicimus, quod etiam tali proportione obſervata pro Angelis, ſecus abſolute, & pro omnibus obſervanda, cum non ad menſuram dare debeat Deus ſpiritum, ſed prout vult, vt hinc voluit, quapropter hominem quem in natura minuit paulominus ab Angelis, gloria & honore coronare voluit & conſtituere

tuere

tuere ſuper cætera manuum ſuarum opera.

36 Ad ſecundum, quod ſcilicet Deus liberalior eſt in Angelis, quia vno motu beatificavit: Reſpondet, quod illud non concludit de dilectione ſimpliciter, ſed de dilectione, vt nunc, & quæ ſtatum præſentem reſpicit. At ſimpliciter comparando excelluit liberalitas erga homines, quia maius fuit Vnigenitum pro impijs dare, quam Angelis merentibus æternam mercedem retribuere; hoc enim fuit iuſtitiæ, illud vero miſericordiæ, & pietatis abundantiſſimæ, & cui magis dimittitur magis diligitur.

37 Ad tertium, quod ſcilicet Angeli magis diligunt, quia nullum habent retardativum: Reſpondet Seraph, quod illa ratio concludit ſolum ſecundum ſtatum præſentem, in quo corpus cum corrumpitur aggravat ſpiritum; ſecundum vero ſtatum futurum cum corpus erit ſpirituale effectum, homo non habebit aliquod impedimentum, ſed habebit præcipuum gratiæ adiutorium, cum quo fulgebunt iuſti ſicut Sol, & tamquam ſcintillę diſcurrent.

38 Ad quartum, quod ſcilicet ſunt mediatores: Reſpondet conſimiliter, quod ſunt mediatores noſtri ſecundum ſtatum pręſentis miſeriæ, in quo propter multiplicem defectum, neceſſarium eſt nobis multiplex adiutorium, & propter magnam elongationem noſtri à Deo, indigemus mediatorum auxilio.

39 Et ad ea quæ poſt argumenta Seraphici addidi, reſpondeo, & in primis ad illud de multiplici hominum caſu, dico, quod improbans malitia non ſtat in pluries cadere, ſed in extremo pondere cadere, vt ceciderunt Angeli, qui ſemel cadentes, ſic malitioſe ceciderunt, quod nunquã reſurgere valuerunt; vnde interpretati valet, quod infinities cecidiſſent, ſicuti & ſuperbia eorum aſcendit ſemper.

40 Ad illud de non ceſſando à divinis: Reſpondendum iuxta Seraphici doctrinam, videlicet, illud tantum probare ſecundum quid, & pro ſtatu præſenti, ſecus autem pro ſtatu futuro, in quo pares ſint penes eſſe omnes in termino, & patria, in qua homines Miſericordias Domini in æternum cantabunt, cantantes Domino canticum novum.

41 Ad illud de confortante Angelo: Reſpondeo, quod præ omnibus magis confortavit eum Mater alma, necnon Sanctus Ioſeph dum comes fuit laboris & peregrinationis eius. Tum, ſi pro illa vice ſumpſit quoad nos ſolatium ab Angelo, pro pluribus alijs ſumere videtur ab hominibus, cum in ſervis ſuis conſoletur Deus, & iam alibi delectaretur per ſingulos dies. Et ad illud de cædere in faciem, reſpondendum plus vltra Angelos in Deitatis faciem cædere intendiſſe ex quo Trinitatis ſolium calcare volentes, ſimiles Altiſſimo volare intenderunt.

42 Ad illud de ignita Angelorum natura: Reſpondendum, inde ad ſummum ſolum poſſe deduci quod in naturæ donis excellentiores ſint Angeli, quod nunquam negare voluimus.

ART. III.

An Deus magis dilexerit genus humanum, quam Chriſtum.

43 IN præſenti difficultate expreſſius quam in præcedẽtibus reſolvit Seraph Doctor in favorem Chriſti Domini, & merito, cum eius opera vltra vniverſum immenſa, prout alibi evangelizabat Ioannes, & ſæpè canit Mater Eccleſia dum ait in almæ Matris præconium, quod, Quem Cœli capere non poterant, proprio gremio contulit.

Proponuntur rationes pro Genere humano.

44 PRimò, nam ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret; ſed qui dat aliquid pro aliquo, magis diligit illud, pro quo dat, quam illud, quod commutat; igitur dum Deus Filium ſuum dedit pro ſalute generis humani, videtur quod magis quam Chriſtum dilexerit genus humanum.

45 Secundò, Chriſtus homo eſt bonitatis finite, & genus humanum de ſe cum ſit multiplicabile in perſonas innumerabiles, habet quodam modo bonitatem infinitam; ſed quod plus habet de ratione boni, plus habet à Deo diligi; ergo videtur quod Deus magis diligat totum genus humanum, quam illum ſolum hominem.

46 Tertiò, propter quod vnumquodque, & illud magis *ex 1. Poſter. context. 5.* Sed Filius Dei incarnatus fuit propter genus humanum ſalvandum, & humana illa natura fuit aſſumpta pro redimenda tota natura humana; igitur quia magis diligebat Deus ipſam naturam humanam, propterquam carnem aſſumpſit, quam illam, quam aſſumpſit.

47 Quartò, quia ſtultus eſt, qui commutat

mutat rem maioris valoris pro re minoris valoris; igitur ſi Deus in redimendo genus humanum, non vſus eſt ſtultitia, imò potius ſapientia, non perdidit, ſed lucratus eſt: igitur maius bonum fuit illud quod redemit, quam illud per quod redemit; ac proinde ſi Deus genus humanum per Chriſtum redemit, videtur quod magis ipſum totum humanum genus, quam Chriſtum dilexerit.

Pro Chriſto Domino.

48 PRimò, quia dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen; ſed ſecundum dignitatem communicati nominis attenditur prærogativa amoris; igitur etiam ſecundum humanam naturam videtur quod ſupra totum genus humanum Chriſtum dilexerit.

49 Secundò, quia ſecundum quod Deus excellentius ſpiritum tribuit, ſecundum hoc eminentius diligit; ſed Chriſto non ad menſuram datus eſt ſpiritus, dum alijs hominibus ad menſuram datus eſt; igitur vltra omne genus humanum videtur quod dilexerit Chriſtum.

50 Tertiò, quia vel Deus appretiabatur illum hominem quantum totum genus humanum, vel non? Si ſi: habetur propoſitum. Si non; igitur non reputavit ſufficiens pretium, ac proinde per mortem Chriſti non fuit ei ſufficienter ſatisfactum; ſed hoc eſt manifeſtè falſum, quia abundantiſſimè fuit ſatisfactum Deo per mortem Filij ſui; igitur quia maioris pretij fuit Chriſtus, quam totum genus humanum.

51 Quartò, quia in infinitum maius eſt eſſe Deum, quam habere Deum; ſed Deus ſic dilexit Chriſtum, quod fecit ipſum eſſe Deum, alios vero ſic diligit, quod faciat eos ſuum habitaculum; ergo quia in infinitum plus dilexit Chriſtum, quam totum genus humanum.

52 Et vlterius, quia maiora bona primogenito præparantur in ſignum maioris voluntatis; ſed Chriſtus D. fuit à Deo conſtitutus Primogenitus vivorum, & mortuorum; ergo. Tum, quia non inepte, & abſque numine paſſim Sol ab Eccleſia dicitur iuſtitiæ Chriſtus; ſed Sol præ cunctis ſolus; ergo. Tum illud alicui charius eſt, pro quo expendit mirabilia ſua; ſed pro Chriſto Deus memoriam fecit mirabilium ſuorum; ergo. Tum, quia quod magis invidere potuit ab honorum obſervatore, magis amabile, & æſtimabile reputatur; ſed iuxta plures Patres Chriſtifera natura fuit invidentibus Angelis ſummè appetita; ergo. Tum, quia quæ filiationis ſunt, ſunt quæ præ omnibus naturaliſſimè magis diliguntur; ſed nulla filiatio in toto genere humano vt Chriſtifera, cum ſaltim ſit Chriſtus proprius Dei filius; ergo. Et quia circa hæc innumerabiles valent excitari rationes, ſat pro ineffabili dicta ſint.

Reſolutio.

53 REſolvit Seraph, Deum plus dilexiſſe Chriſtum, quam genus humanum vniverſum, cum fuerit perſona divina infinita. Sic etiam expreſſè Anſelmus *lib. 2. c. 14. Cur Deus homo*, vbi oſtendit, quod vita illius hominis præponderabat toti mundo, immo etiam mille mundis. Quapropter hinc ſolum reſtat oppoſitorum ſolutio.

54 Ad primum in oppoſitum, quod ſcilicet charius habetur illud quod emitur, quam pretium quo emitur: Reſpondet Seraph, illud eſſe verum, quando pretium ab emente omninò alienatur, & tranſfertur in dominium alienum: ſic autem non eſt in propoſito, quia Pater non tradebat Chriſtum ſine ſpe rehabendi ipſum, immo ſic tradidit eum ad mortem temporalem, vt ſine moræ diſpendio ſuſcitaret eum ad vitam immortalem. Unde quamvis Chriſtus vitam ſuam pro nobis poſuerit, non tamen illam amiſſit, quia eadem virtute, qua animam poſuit volendo pati, ipſam reſumpſit volendo reſurgere.

55 Ad ſecundum, quod ſcilicet genus humanum eſt bonitatis infinitæ cum ſit in infinitum multiplicabile: Reſpondet Seraph per interemptionem vtriuſque. Quamvis enim genus humanum ſit in infinitum multiplicabile quantum eſt de ſe per generationis ſucceſſionem, ſi tempus & motus infinitè durarent, tamen quantumcunque multiplicetur ſemper eſt actu finitum, & bonitatis finitæ. Humana vero natura in Chriſto ratione gratiæ vnionis per quam non ad menſuram datus fuit ſpiritus, quodam modo habet immenſitatis dignitatem, ob quam totum genus humanum excedit, quaſi improportionabiliter.

56 Tum etiam ſi infinitatem præſtaremus vel toti generi humano, vel quibuslibet etiam ſeorſim contentis in eo, nunquam quæcunque talis infinitas æquaretur Chriſtiferæ infinitati. Ratio eſt, quia inter ipſas infinitates valet dari exceſſus iuxta perfectionem linearum, v.g. in quanto infinito, & in infinito quali, vbi ſemper qualitas infinita quoad perfectionem excelleret; ſic & inter qualitates infinitas infinita charitas excelleret

ret infinitum frigus, necnon & infinitum actum fidei, quo pacto ſi ſtatus viæ aggregatione omnium poſitus infinitari poſſet, & etiam ſtatus Patriæ infinitari poſſet, hic ſemper excelleret; igitur cum ſumma illa perfectio & divinizans decor divinæ perſonalitatis nunquam per quæcunque imaginabilia creata compenſari poſſet, ſemper linea Chriſtifera vndequaque ſupereminèret.

57 Ad tertium, quod ſcilicet, propter quod vnumquodque tale &c. Reſpondet Seraph, quod illud verum eſt ſecundum quod *Propter* dicit habitudinem cauſæ finalis principalis, non prout dicit habitudinem rationis inducentis. Humanum vero genus reſpectu Incarnationis, & Nativitatis Chriſti non fuit ratio finaliter movens, ſed quodam modo inducens. Non enim Chriſtus finaliter ad nos ordinatur, ſed nos finaliter ordinamur ad ipſum, quia non caput propter pedes, ſed pedes propter caput. Ratio tamen inducens ad tantum bonum fuit noſtræ reparationis remedium, ſicut in principio huius libri *diſt.* 1. *art.* 2. *q.* 2. fuit oſtenſum. Sed ex hoc non ſequitur, quod genus humanum ſit melius, quia minus bonum poteſt inducere ad faciendum maius bonum. Noto hinc, Seraphicum Doctorem nimis ſcotizare viſum, cum Subtilis Magiſter ipſum Myſterij excellentiam pro diviniſſimo illo Adventu aſſumeret in principale, & de per ſe exactum motivum.

58 Ad quartum vero, quod ſcilicet ſtultus eſt mercator, qui emit rem charius quam valeat: Reſpondet Seraph, quod illud non habet veritatem niſi in eo mercatore, qui habet indigentiam pretij, & potius intendit in mercando ſe ipſum ditare, quam alienam inopiam relevare. Non autem ſic eſt in Deo, qui eſt dives in miſericordia, & bonorum noſtrorum non indiget, & non mercatur propter ſuam vtilitatem augendam, ſed propter noſtram inopiam relevandam; necnon non mercatur ad ſuæ vtilitatis promotionem, ſed potius ad ſuæ liberalitatis oſtenſionem. Et propterea maiori pretio voluit nos redimere, quam nos valeremus, vt eius liberalitatem circa nos agnoſcentes, ex totis præcordijs eidem adhæreremus, vt eum diligeremus, & etiam pretioſitatem noſtram ex tanti pretij immenſitate melius cognoſceremus, iuxta illud, Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.

59 Præterea, quia Deus non redimebat ab alio, ſed à ſe ipſo. Manus enim miſericordiæ redimebat à manu iuſtitiæ, in qua redemptione non tantum conſiderabatur pretioſitas rei emptæ, ſed etiam dignitas ipſius iuſtitiæ, cui illatum fuerat damnum, & offenſa. Et quia offenſio divinæ iuſtitiæ immenſæ quamdam habet immenſitatem, ideo quamvis homo redemptus non eſſet valoris infiniti, neceſſarium tamen fuit ipſum redimi pretio multo maioris, & immenſioris valoris, quam ſit valor generis humani. In his, non ſic ac in priſtinis Scoto conſonat Seraphicus.

A R T. IV.

An Chriſtus magis dilexerit Ioannem quam Petrum.

60 IN hoc articulo, in quo Seraph divinum amorem inter Petrum & Joannem perpendit, & ſeraphice, & cherubice comparat, etiam ſi videatur quæſito reſpondere per applicationem aliquarum diſtinctionum inter vtrumque, vt per varias vias vterque vt Gigas immenſi Orbis currat, at vltima expreſſione nunquam hanc reſolvit controverſiam, vt patet in fine, & etiam patebit duplicem illam viam vlterius inter ſe comparanti. Etenim in hiſce dicetur ad nos, quod illac Petro inquirenti de Joanne dixerat Chriſtus, ſcilicet, *Quid ad te?* Quapropter nec alio quam Seraphico ſermone, aliquem vertere, decens appareret.

Pro Ioanne.

61 PRimò, quia vt conſtat per textum Evangelij: Hic eſt diſcipulus ille quem diligebat Jeſus; ſed hoc non dicitur per diſcretionem, quaſi alios Jeſus non diligeret, cum dilexiſſet ſuos; ergo dicitur per excellentiam, vtpote quia ipſum præ cæteris diligebat.

62 Secundò, quia idem videtur ſuaderi per illud verbum Eccleſiæ, quod trahitur de verbis Bedæ, cantat enim Eccleſia: Hic eſt Joannes, qui privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari; ergo.

63 Tertiò, nam hoc ipſum videtur per teſtimonium Gloſſæ, ſuper vltim. Joan. vbi dicit Gloſſa Auguſtini, quod Joannes magis amabatur.

64 Quartò, quia comprobari videtur per ſignum familiaritatis divinæ. Si enim Chriſtus Joanni ſe familiariorem exhibebat,

& ma.

& maiora ſigna dilectionis oſtendebat, cum nihil perfectionem faceret, videtur, quod ipſum Joannem, non ſolum magis quam Petrum, ſed etiam præ cæteris diligebat.

65 Quintò, quia ille magis videtur diligi, cui magis aperitur cor, eique magis ſecreta panduntur; ſed hic erat Joannes reſpectu Chriſti, intra cor vigilans, dum ſupra pectus dormiens; necnon, vt ea ſciat, de Chriſto, ipſe Petrus interrogat Joannem; ergo.

66 Sextò, quia ea maximè dicuntur, quæ anthonomaſticè dicuntur; ſed ſic ſolus Joannes in Chriſti amore extitit celeberrimus, iuxta illud ipſius, *Diſcipulus quem diligebat Ieſus*; ergo.

67 Septimò, quia ille magis diligitur, cui pignus maioris æſtimabilitatis per vltimam voluntatem traditur; ſed inter vniverſa amoris, & decoris pignora nullum æſtimabilius Chriſto, quam Sacratiſſima Virgo & Mater Joanni tradita (hinc quamplurimæ ſingulares excellentię adducibiles ſunt pro Joanne, ſicuti & adductę fuerunt) ergo &c. Hæc enim ſupereminens eſt prærogativa Joanni; quare nonnulli Sancti Patres exiſtimarunt, quod puriſſimus omnium Joſeph, ægre ferret ſponſam ſuam alteri, ac Joanni delegatam.

Pro Petro.

68 PRimò, quia Joan. 21. Dixit Dominus Petro: Simon Joannis diligiſne plus his? Sed conſtat, quod non ſic quæreret Dominus, niſi ſciret, quod eum Petrus plus amaret: vnde & Gloſſa dicit, quod tacite hoc innuit Jeſus, dum interrogans hic, quod non alibi; ſed Deus magis diligit eos, qui magis diligunt ipſum; ergo magis Petrum, quam Joannem.

69 Secundò, quia prout in præcedentibus articulis manet expoſitum, Deus dicitur diligere quantum ad effectum & magis diligere quantum ad excellentiorem effectum; igitur dum charitas ſit excellentiſſimus effectus divinæ bonitatis, & maiorem Petro dederat charitatem, videtur quod magis eum dilexerit.

70 Tertiò, quia Chriſtus ſpecialiſſime dilexit Eccleſiam, eamque commiſſit Petro gubernandam; igitur videtur quod non ſolum quantum ad effectum, ſed etiam quantum ad ſignum magis dilexerit Petrum.

71 Quartò, quia ſi intima & maiora revelare ſit ſignum maioris amoris, cum Petro primo revelata foret divinitas, iuxta illud, Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, videtur quod Petrus fuerit in amore primus, & omnium præſtantiſſimus, necnon in vita mortali ab ipſo omnium Pontifice maximo canonizatus.

72 Quintò, quia Chriſtus Dominus omnia fecit iuxta divinam proportionem in miſtico Eccleſiæ corpore, & Apoſtolatus erectione; igitur ſicuti quod magis amatur caput eſt, necnon in capite perfectiores vigent ſenſus, ſic, dum Petrum ſui miſtici corporis, & Apoſtolatus erexit in caput, videtur quod in eo perfectiora, & amabiliora collocaret.

73 Sextò, quia Angelus ex Domini præcepto, ſic myſteria Reſurrectionis Apoſtolis manifeſtanda diſpoſuit, vt ſignaret Petrum ſolum vt omnes Apoſtolos in divina æſtimatione præponderandum, iuxta illud, Dicite diſcipulis, & Petro; igitur quia privilegio honoris præcipui meruit cæteris ſublimius à Chriſto condecorari.

74 Septimò quia id magis diligi videtur, quod magis vnum apparere intenditur, ad vnitatem de per ſe tendit amor; ſed cum nullo Apoſtolorum magis idem apparere quam cum Petro intenderat Chriſtus, vt expoſuit in ſolutione tributi ad Cæſarem; ergo.

75 Octavò, quia eum magis quis diligit, quem magis bonum eſſe cupit, & vt à malo recedat maiorem curam adhibet, ac pro cæleſtibus proventibus intenſius ad Deum preces fudit; ſed in his omnibus ſingulariſſimus fuit Petrus, iuxta illud, Ego pro te rogavi Petre &c. vbi monet etiam cæteros Apoſtolos corroborandos ab ipſo; ergo.

Seraphici concordans expoſitio.

76 REſolvit, Chriſtum dilexiſſe Joannem dulcius, & familiarius, Petrum vero ferventius, & fortius.

77 Ad huius quæſtionis intelligentiam, notat Seraph, quod hinc eſt triplex modus dicendi. Primus eſt ſecundum Auguſtinum: Secundus ſecundum Bernardum, & huic plus conſonare videtur Seraphica reſolutio, tametſi nil determinatè pro hac vita relinquat: Et tertius ſecundum communem modum dicendi.

78 Auguſtinus ergo ad iſtam quæſtionem ſuper Joannem dicit, quod eſt dilectio in ſigno exteriori, & dilectio in affectu interiori. Si loquamur de dilectione in ſigno exteriori, magis diligebat Chriſtus Joannem, quam Petrum, quia maiorem familiaritatem ei exhibebat, ſicut patet, quis ſupra pectus

ctius in cœna recubuit. Si vero loquamur de dilectione quantum ad affectum interiorem, qui eſt effectus gratiæ, ſic magis diligebat Petrum, quia maius munus gratiæ ſibi dederat.

79 Si obijcias, quod Deus debebit illi maiora ſigna dilectionis oſtendere, quem magis diligebat ſecundum veritatem: Reſpondet Auguſtinus apud Seraphicum ibi, quod per Joannem & Petrum ſignificatur duplex vita: per Petrum activa, quæ tranſit: per Joannem contemplativa, quæ manet. Unde Petro dictum eſt: Sequere me: De Joanne vero, Sic eum volo manere. Et quoniam activa laborioſior eſt, & fructuoſior; contemplativa vero purior, & iucundior, ideo ad ſignificandam differentiam huius duplicis vitæ, familiarius ſe exhibebat Dominus Joanni, quam Petro. In cuius rei ſignum commiſſit Dominus Matrem Joanni cuſtodiendam, Petro vero curam paſtoralem. Et ex hoc dicit Auguſtinus, quod Petrus erat melior, ſed Joannes felicior. Et ſecundum iſtum modum dicendi ſatis patet reſponſio ad obiecta, quia procedunt ſecundum diverſas vias.

80 Bernardus vero tenet, quod Petrus dilexit ferventius, & diligebatur fortius: at Joannes dilexit dulcius, & diligebatur familiarius; & ſic ſecundum diverſas vias de veroque poteſt concedi, quod magis diligebat, & quod magis diligebatur, ſecundum quod rationes à Seraphico propoſitæ pro vna & altera parte capiendæ manent.

81 Communis autem modus dicendi tenet, quod Petrus magis dilexerit Deum in proximo; at Joannes magis dilexerit Deum in ſe. Unde Petrus accepit curam regiminis, ſed Joannes gratiam contemplationis. Quapropter Petrus efficaciorem habuit gratiam ad laborem actionis; Joannes vero ad quietem contemplationis. Omnes autem hi modi dicendi ſunt ſatis congrui (inquit Seraph) & vnus magis explicat alterum. Ideo enim Joannes dilexit dulcius, & Petrus ferventius, quia Joannes accepit ſpecialiter gratiam ad amandum Deum in ſe per contemplationis ſaporem; Petrus vero præcipuè ad diligendum Deum in proximo per actionis laborem. Et hinc eſt quod Petrus diligebatur à Chriſto fortius quantum ad effectum gratiæ interioris; Joannes vero familiarius quantum ad ſigna exterioris converſationis. Hæc autem ſigna Dominus exhibebat Joanni non ſolum ob ſignificationem, ſed etiam ob qualitatem perſonæ. Diligebat enim Dominus Joannem, ſicut ait Chryſoſtomus, magis familiariter propter ingenitam manſuetudinem, & propter virginalem puritatem, & etiam propter iuventutem, quæ etiam cæteris paribus facit hominem diligi magis tenere.

82 His viſis patet reſponſio ad quæſtionem (inquit Seraph, noſque cum eo idem) quoniam iſti duo in dilectione Dei ſecundum diverſas conſiderationes ſe mutuo excedebant: & hinc eſt, quod ſecundum quod aliqui diverſimodè afficiuntur, præponunt Joannem Petro, quidam vero ſentiunt è converſo. Sed quis eorum apud Deum finaliter fuerit charior, hoc melius ſciemus in gloria, inquit Seraph, & melius eſt expectare, quam hic temere diffinire. Hoc tantum dixiſſe ſufficiat, qui ille altior eſt in Cœlis, qui finaliter maiorem charitatem habuit in terris.

***

Tibi, ò Puriſſimum Mariæ inſtans. Amen.

DIST. XI.

De Virtutibus in communi, & in particulari: in communi, iuxta Seraphicum Doctorem: in particulari, iuxta V. Mariam de Agreda.

1 POſtquam egimus de Virtutibus Theologicis, iuxta Magiſtri obſervatam methodum agere debebamus de virtutibus moralibus, quarum plurima diſputanda, & reſolvenda quæſita offeruntur. Verum enim verò, cum impreſentiarum, vt revera oportet, virtutum conditiones multum ſubſint bonorum praxi, & parum ſcholaſticorum ſpeculationi, non quia in viris ſtudioſis virtutes nimis non exerceantur (*Prædicat, atque ſtudet Scriptor, largitur, & orat: Affligitur, ſal dat, fontem, lucemquè futuris: Eccleſiam ditat, armat, cuſtodit, honorat.* Ioan. Gerſ. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1.) ſed quia minus ſcholaſtice diſputantur, quæ à pluribus etiam parvulis ſcita, vel practicata ſupponuntur, inde nos virtutum generalem dumtaxat proponere notitiam, per ſequentem quæſtionem conſulto decrevimus. Non enim in publicis, aut domeſticis concertationibus, arduiſſima, veluti aliarum difficultatum quæſita, expendere graves Auctores circa virtutum cardinalium, & ſubalternatarum ſcopum vidi, ſed eis ſat fuiſſe compendioſam, vti deſcribentium præſtare lucem. Et rationem innuere videtur Seraph Doctor *hinc Diſt.* 33. *Dub.* 5. quod ſcilicet, virtutes Theologicæ dicuntur ſic, quia ordinant hominem ad divina, *& quaſi faciunt hominem divinum*; at iſtæ aliæ conſtituunt hominem benè ordinatum ad vivendum inter homines, ſicque etiam virtus huiuſmodi dicitur Politica, vtpote à *Polis*, quod eſt Civitas. Seraph ibidem.

QUÆST. I.

Sat virtutum in communi lumen diſtribuens.

2 CUm, prout in Prologo innui vtiliores ſint virtutes morales obſervanti praxi, quam ſcholaſticę ſpeculationi, breviter per ſequentia dubia, virtutum moralium ſufficientem, dum generalem, & aliquando ſingularem lucem diffundere conabimur. Et qui recta, clara, dum ſublimi methodo exactam praxi cupiat habere notitiam, videat Seraphicum Doctorem *hinc diſt.* 23. *vſque ad finem* 3. *Sent. & V. Mariam de Agreda, in Part.* 1. *lib.* 2. *à cap.* 9. *&c.* Circa quæ partim Seraphici Doctoris, partim Sororis noſtræ Mariæ expendere doctrinam intendemus.

ART. I.

De virtutibus Cardinalibus quoad numerum.

3 INnumerabiles ſunt virtutes, cum innumerabiles ſint humanæ fragilitatis defectus, & non minus debeat reparare, & favere gratia, quam diruere, & nocere culpa, quinimó abundantius præſtitit remedia, qui iuxta incomprehenſibiles fines permiſſerat peccata. Verumtamen Doctores Sacri virtutum moralium numerum ad quaternarium reduxerunt, ita vt virtutes morales ad quaternarium reductæ, nominare ſoleant *Cardinales*, vel quia inter vniverſas morales virtutes, principales ac primariæ ex ipſarum munere, & importantiori conditione reputantur, vel quia tota ratio conditionis humanæ ſuper eas volvitur, & eis, veluti vniverſi machina cardinalibus ſuis, ſubnixa intuetur.

4 Cur autem quaternario numero virtutes collectæ ſint, varios dicendi modos recitat Seraph Doctor *hinc Art.* 1. *quæſt.* 4. quibus non videtur penitus aſſentire dicens: *Omnes tamen hi modi dicendi aliquam videntur habere calumniam.* Tum Seraph expendit quo pacto numero præfato claudantur, videlicet, cum virtus cardinalis dicatur (inquit vbi ſupra) quia ordinat hominem circa ea, quæ ſunt ad finem, ſivè circa quid creatum, cum homo habeat comparari ad ſe ipſum, & ad alterum, virtus cardinalis aut eſt regulativa actuum hominis reſpectu ſui, aut reſpectu proximi. Si reſpectu ſui, hoc poteſt eſſe tripliciter ſecundum actum principalem triplicis virtutis, ſcilicet rationalis circa quam eſt Prudentia, concupiſcibilis circa quam eſt Temperantia, & iraſcibilis circa quam eſt Fortitudo. Si vero ordinet ad alterum, ſic eſt vna virtus, quæ quidem dicitur Iuſtitia, quia vna eſt ratio ſecundum quam

ad

ad alterum ordinat, videlicet ratio debiti. Et quia hæc ratio poteſt attendi ſecundum actum cuiuslibet potentiæ, hinc eſt quod iuſtitia cardinalis circuire dicitur omnes vires, & tamen vna eſt propter vnam rationem ordinandi ad alterum. Et ſic, inquit Seraph, patet numerus, & ſufficientia prædictarum quatuor virtutum.

5 Nec obſtat in contrarium, virtutes theologicas fore tres ſecundum trinitatem potentiarum; ergo & cardinales. Non obſtat, cum iuxta Seraphicum non ſit ſimile, quia virtutum theologicarum eſt proprium ordinare hominem ad Deum, qui ſolus eſt finis omnium bonorum: Cardinalium vero eſt ordinare hominem ad ſe, & ad proximum; & ideo neceſſe eſt plures virtutes reperiri ex parte iſta, quam ex parte illa propter vnam comparationis differentiam ſuperadditam, ratione cuius attenditur Juſtitia.

6 Nec obſtat, quod ſuper illud Matth. 15. *Erant qui manducaverant quaſi quatuor millia hominum,* dicat Gloſſa: Per quaternarium quatuor virtutes cardinales intelliguntur. Prima eſt Prudentia cognitio rerum appetẽdarum,& vitandarum. Secunda eſt refrænatio cupiditatis ab his, quæ temporaliter delectant. Tertia eſt firmitas contra moleſtias ſæculi. Quarta vero, quæ per omnes diffunditur, eſt dilectio Dei, & proximi; igitur vel dilectio male ponitur à Gloſſa inter cardinales, vel cardinales plures quam quatuor erunt. Non obſtat iuxta Seraphicum, eoquod dilectio proximi ibi non ponatur, quia ſit virtus cardinalis, ſed quia ipſa eſt quæ maximè adiuvat Iuſtitiam virtutem vt affectum noſtrum poſſit reſpectu proximi regulare. Niſi enim quis proximum ſuum diligat, non eſt facile vt ius debitum ei reddat. Itaque dici valet cardinalis diſpoſitivè, & conditionaliter, ſecus autem formaliter, & abſolutè.

7 Nec obſtat, humilitatem, patientiam, & obedientiam magnas virtutes fore; igitur videtur quod cardinalis virtus non dividatur per ea quatuor membra ſufficienter. Non obſtat iuxta Seraphicum, quia omnes illæ virtutes magna ex parte habent reduci ad iſtas, ſicut ad radicalia principia, in quibus reſidens eſt ratio movendi, & dirigendi primaria. Unde patientia ad fortitudinem reducitur, & aliæ plures, quæ ſunt ipſius ſpecies materiales. Humilitas vero, & obedientia reduci habent ad ipſam iuſtitiam. Etſi hiuc obijcias, quod humilitas non ſemper ordinat hominem ad alterum, & ſimiliter obedientia; reſponderi poteſt (inquit Seraph) quod idem homo ſortitur rationem duplicis perſonæ. Homo enim cum accuſat ſe ipſum, idem eſt accuſator, & reus. Et cum iudicat ſe ipſum, idem eſt iudex, & condemnatus. Sic intelligendum eſt de humilitate, & obedientia, & alijs etiam ſpecialibus virtutibus, quæ reduci habent ad ipſam iuſtitiam ſecundum quod eſt virtus cardinalis, & ſpecialis. Dicitur tamen omnes vires circuire, quia aliqui habitus, qui ad ipſam reducuntur, ſpectant ad potentiam rationalem ſicut veritas: Aliqui ad concupiſcibilem, ſicut largitas: Aliqui ad iraſcibilem, ſicut ira per zelum, & pœnitentia, prout dicitur à Seraphico *in* 4. *Diſt.* 14.

ART. II.

De Virtutibus Cardinalibus quoad nomen.

8 Virtutes, quas extra theologicarum ſphæram hinc dilucidare cõnamur, dicuntur Conſuetudinales, Politicæ, & Cardinales. Conſuetudinales dicuntur (inquit Seraph ſupra textũ Magiſtri ad *Dub.*5.) ratione ſui principij originalis, ſecundũ quod acquiruntur ex frequenti benè agere, vnde etiam morales communius nominantur. Politicæ dicuntur ratione operationis, & exercitij ſibi debiti; quia ſicut theologicæ dicuntur quia ordinant hominem ad divina, & hominem quaſi divinum faciunt, ſic iſtæ virtutes dicuntur Politicæ, quia, vt ſupra diximus, reddunt hominem benè ordinatum ad vivendum inter homines, indeque Politica virtus dicitur à *Polis*, quod eſt Civitas.

9 Cardinales vero dicuntur ratione finis vltimi, quia per iſtas eſt ingreſſus ad cæleſtia regna. Duplex eſt enim porta ingrediẽdi in Cœlum, videlicet per obſervantiã mandatorum, ſecundum illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*: & per tolerantiam tribulationum, ſecundum illud *Act.* 14: *Per multas tribulationes oportet nos &c.* Ad quæ duo principaliter ordinant iſtæ quatuor virtutes, ideoque principales, & cardinales nominantur.

10 Ideo autem (inquit Seraph) iſtæ virtutes principaliter ordinant, quia ſumuntur à nominibus præcipuis, prout ſecundum eas homo debet verſari in agendis, & patiendis. In omnibus enim agendis, & patiendis debet homo principaliter attendere *arduitatem*, ſecundum quam conditionem attẽditur Fortitudo: Et *æquitatem*, ſecundum quam attenditur Juſtitia: Et *honeſtatem*, ſecundum quam atten-

attenditur Temperantia: Et *vtilitatem*, ſecundum quam attenditur Prudentia. Itaque, quia iſtæ quatuor virtutes cardinales, ad quas omnes virtutes reducuntur, inducunt ad rectè agendum, & patiendum, ideo quatuor iſtæ virtutes nominantur Principales, ſicque pater ex quo quoad nomen notiſſimis ſignis præ omnibus alijs virtutibus gaudeant, & præfulgeant.

11 Nec obſtat, quod virtutes theologicæ potius oporteant ad ingreſum, necnon ſupra cæteras ſint; ac proinde Cardinale nomen potiori iure Theologicis præſtandum. Non obſtat, quia vt innuit Seraph, hinc principalitas Cardinis non ſumitur abſolutè, ſed reſpectivè, & in comparatione ad alias virtutes ſolius ſphæræ moralis; & hoc pacto iuxta præſcriptas conditiones, inter pure morales, iſtæ quatuor benè cardinales & principales dicuntur. Virtutes namque theologicæ, eo ipſo quod theologicæ nominentur, pre omnibus nobilius deſignantur.

12 Nec obſtat Prudentiam, nedum habere eſſe virtutem, ſed etiam aurigam virtutum; & aliarum directivam; ac proinde videtur, quod inter morales poſſit dici cardinalis, & inter cardinales dici poſſit cardinalior. Non obſtat, quia; vt ait Seraph, ſi præfatorum munerum conditiones bene perpendantur, æquè neceſſariæ invenientur intra virtutum ſphæram. Tum, quia præfati oppoſiti reſolutio penilet ex illa gravi controverſia circa ea quæ ſunt intellectus & voluntatis; vbi Subtiles non ſolent excellentiam præſtare præcedenti, ſicque eam volibili lineæ adſcribunt. Seraph at Doctor ſicuti hinc æqualis inter quatuor virtutes, & ibi æqualis inter vtriuſque potentiæ Beatitudinem.

ART. III.

De Virtutibus Cardinalibus quoad diſtinctionis formalitatem.

13 Inquirit Seraph in quæſtione 2. vbi ſupra, an quatuor virtutes cardinales vna virtus ſint: & dum pro vna & altera parte elegantia ex Sanctis Patribus adaptat argumenta, veluti medium eligens iter, reſolvit ſic: *Virtutes cardinales quantum ad formam, qua ordinantur ad ſpeciales actus, ſunt formaliter differentes; non tamen vt gratuitæ, & meritoriæ.*

14 Si loquamur (inquit expoſitivè Seraph) de forma per quam ſunt gratuitæ, ſic ex ea potius vnitæ, quam diſtinctæ debent cenſeri, nam illa forma eſt gratia gratum faciens, quæ licet ſit vna, tamen gratam reddit Deo animam cum vniverſis potētijs eius, & habitibus virtuoſis, ſicut oſtenſum fuit (ab ipſo Seraphico Mag.) *in 2. diſt. 27.* Similiter ſi loquamur de ipſis virtutibus cardinalibus quantum ad formam per quam ſunt meritoriæ, & habent rationem merendi perfectè, vtpote condigne, ſic etiam magis vniuntur, & connectuntur, quam diſtinguantur, nam præfata forma eſt charitas, per quam virtutes cęteræ tanquam pondere vnico ad vnum finem vltimum inclinantur.

15 Secus autem, ſi loquamur de virtutibus ſecundum formam, per quam ſunt ad ſpeciales actuum differentias ordinatæ, nam ſic virtutes cardinales eſſentialiter, & formaliter diſtinguuntur. Colligitur earum diverſitas à Seraphico ex quinque comparationibus, videlicet ex diverſitate potentiarum, quas informant, ac perficiunt: Ex diverſitate actuum, quos eliciunt: Ex diverſitate obiectorum ad quæ ordinantur: Ex diverſitate mediorum circa quæ conſiſtunt: Ex diverſitate vitiorum, quæ excludunt; ac proinde argumenta, quæ à Seraphico recitata ad diſtinctionis partem ex his comparationibus induncunt, concedenda ſunt, quia verum concludunt, vt inquit ibi Seraph.

16 Nec ſic iam obſtat Auguſt. *De moribus Eccleſ. c. 15. tom. 1.* aiens: *Illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu quantum intelligo dicitur*: ſed hoc non dicit varietatem ſecundum eſſentiam, ſed ſolum ſecundum relationem; ergo virtutes cardinales ſolum ſecundum comparationem habebunt diſtingui, ſecus autem ſecundum abſolutam ſubſtantiam. Non obſtat, quia vt inquit Seraph, cum Auguſtinus inquit, quod virtus non eſt aliud, quam variatio affectus amoris, tunc capiendus eſt, prout virtus omnis habet radicari, & moveri à charitate, quo pacto cum motor vnus ſit, vtpote charus amor, ſic & omnis virtus à charitate regulata, vna erit. Inde tamen ſemper comparitur, quod virtutes ſecundum ſe, & proprijs formis diſtinguantur.

17 Nec obſtat Auguſtinum *De quantitate animæ cap. 16. to. 1.* tenentem, *Quod virtus eſt æqualitas vitæ vndique rationi conſentiens*; ſed non foret vndique, ſi virtutes per actus, aut obiecta differrent, ſeu diſtarent; ergo. Non obſtat, quia vt ait Seraph, vt ſalvetur dictum Auguſtini, ſat eſt virtutes connexionem requirere, ita vt connexivè vna dici poſſint, cum ad vitam honeſtam integrandam

vna ſine alia non ſufficiat. Sic omnes potentiæ animæ, quamvis diverſæ ſint, dant tamen animæ vnum integrum poſſe, ita quod vna ſine altera non poſſit animam facere potentem; vnde vnitatem connexionis vndique competit.

18 Nec obſtat Anſelmum *in Dial. de verit. c.* 13. dicentem, iuſtitiam fore rectitudinem voluntatis, ac proinde quod omnis virtus cardinalis erit iuſtitia, cum omnis ſit rectitudo. Non obſtat, quia vt ait Seraph, datur iuſtitia generalis, & ſpecialis. Generalis iuſtitia, quæ ſiſtit in recta integritate, & debita cuiuſvis rei honeſtæ perfectione, omni virtuti, etiam theologicæ convenit, vtpote tranſcendens, cum omnis habitus perfectus rectificet potentiam vt ſic; at iuſtitia ſpecialis non eſt ſimpliciter rectitudo voluntatis, ſed rectitudo voluntatis ordinans ad alterum; hæcque non competit omni Cardinali virtuti.

19 Nec obſtat Seraphicum P. S. Franciſcum *cap. de Virtut.* aientem: *Qui vnam habet, & alias non offendit, omnes habet; & qui vnam offendit, nullam habet, & omnes offendit;* ac proinde omnes reputantur vti vna. Non obſtat, quia Seraph Pater dumtaxat manifeſtat vnitatem quoad connexionem, ſecus autem quoad formas; ipſe enim ſatis ſuadet, dum iam vnam, iam alias diſcernit. Vel capiendus quoad condignitatem meriti, cum malum ex cuiuſvis virtutis offenſa detur, quo pacto omnes offendit, cum quovis contrariatti vitio, nil ceteræ proſint, vt illac de amittente charitate dicebat Paulus, tametſi omnes alias virtutes haberet.

20 Nec obſtabit ſi arguas, quod cuilibet virtuti eſſentiale ſit inſpicere medium; cuilibet etiam ſit eſſentiale, medium ſervare; cuilibet etiam ſit aggredi difficile; & cuilibet etiam ſit ordire; ac proinde ſi medium inſpicere ſit ipſius Prudentiæ; medium ſervare, Temperantiæ; aggredi difficile, Fortitudinis; ordinare, ipſius Iuſtitiæ, videtur quod quævis harum virtutum intra alterius eſſentiam ingrediatur. Non obſtat iuxta Seraphicum Doctorem. Reſpondet enim verum eſſe quod dicitur de illis quatuor conditionibus in qualibet virtute; inde tamen non ſequi non eſſe diſtinctas; quia quod quælibet harum conditionum attribuatur alicui virtuti ſpeciali, hoc non eſt per proprietatem, ſed magis per appropriationem, cuiuslibet enim virtutis eſt medium tenere, ſed hoc appropriatur Temperantię, quia maximè opportunum eſt circa delectationes medium cuſtodire: & ſic intelligendum ſentit de alijs conditionibus.

21 Reſponderi poteſt etiam, quod etiam ſi in conditionibus videantur communicari, tamen ſpecialiter quamlibet tendere lineam compatibile, ſi cuiuſvis formalitas benè attendatur. Exponitur exemplari cuiuſvis perfectionis ſimpliciter ſimplicis, cum omnes ſingulares conditiones perfectionis ſimpliciter ſimplicis, quæ deſignari poſſunt, æquè vnicuique convenient, & tamen compatitur, quod formaliter, aut virtualiter, ſic vel ſic diſtinguantur, vt patet in Immaterialitate, Sapientia, Iuſtitia, Miſericordia, Vitalitate, Veritate, Bonitate, &c. Sic etiam invenietur in potentijs, & appetitibus, quorum diſtinctioni non obſtat, quod quævis potentia æquè habeat elicere actum, obiectum formale attingere, comprincipio adiuvari, perfectionem appetere, medium apponere, &c, ſic. Et ratio eſt, quia cum quæ concomitanter ad idem centrum tendunt, difficile ſit vnum ſine alio ire, & abſque conſortio exercere, difficile etiam videtur deinceps ſimultaneos greſſus diſtinguere, & dum inſimul ſpecioſos, & in pluribus affines, & communicantes, ibi ſecernere. Secernuntur tamen, licet non ex omni, ex aliqua formalitate.

ART. IV.

De Virtutibus Cardinalibus quoad ſubiecti receptionem.

22 Cum in præſenti Articulo inquiritur, an Cardinales virtutes ſint in parte rationali, vel in parte ſenſitiva, venit breviter recitandum, quod Auctores, vt defenderent, diſtinxerunt. Secundum Philoſophum enim 3. *Eth. c.* 8. *&* 12. notarunt, Rationale dicitur dupliciter, videlicet quod revera rationem participat, & aliter quod rationi obedit, ſeu obtemperat. Si rationale large accipiatur, vtpote quod rationi obedit, ſic non eſt dubium, quin omnes virtutes in parte rationali ſint, ſivè theologicæ, ſivè cardinales, ſivè intellectuales, ſivè conſuetudinales. Si vero rationale dicatur proprie, vtpote quod participat rationem, ſic voluerunt aliqui dicere, quod quędam virtutes cardinales ſint in parte rationali, vtpote Prudentia, & Iuſtitia: quædam vero non, ſed in potentia inferiori, quæ eſt rationalis largo modo dicta, S, quia obtemperat rationi, vt Fortitudo, & Temperantia, quæ reſident in iraſcibili, & concupiſcibili.

23 Præfatus dicendi modus, licet probabilis cenſeatur à Seraphico ſecundum mora- les

les Philoſophos; ſecùs autèm ſecundũ Theologos, cum omnes virtutes cardinales ęquales ſint quantum ad meriti dignitatem, omnes enim ſunt æquè merendi principium: Quapropter cùm meritum radicaliter ſiſtat circa liberum arbitrium, meritum invenietur in eis virtutibus, ſivè cardinalibus, ſivè theologicis, quæ cum libertate arbitrij inveniantur. Vnde cum libertas arbitrij nõ ſit niſi in parte animæ rationali, *reſolvendum venit virtutes cardinales in tali parte reponi.* Suadet Seraph, tum, quia illam ſubiecti ſublimitatem exigit earum principalium virtutum dignitas: Tum quia ſunt animæ rationalis vt altius informatę, perfectiones, ac proinde nobiliores quam ipſa ſcientia, quæ potitur vt in ſubiecto in parte rationali animæ: Tum ob quinque rationes, quas ibi recitat Seraph, quarum prima nititur Auguſtini Auctoritate in *Soliloq. lib. 1. c. 6. ad finem to. 1.* vbi ait: *Virtus eſt ratio recta perducens in finem*; ſed conſtat quod hęc eſt prædicatio cauſalis, ſivè materialis; ergo videtur quod ſubiectum virtutis ſit ipſa ratio, ſeu potentia rationalis.

24 Deinde, ſic circa cardinalium ſubiectum ſtabilita reſolutione à Seraphico, vt oppoſitis quicunque ſatisfaciat, notat alium modum diſtinguendi *rationale* ſecundum Theologum. Rationale igitur diſtingui valet contra partem ſenſitivam, & contra partem affectivam. Si ſumatur, vt tale eſt contra partem ſenſitivam, ſic omnes virtutes erunt in parte rationali, vt nuper eſt dictum. Si vero ſumatur, vt tale eſt contra partem affectivam, ſic in parte rationali ſolum erunt virtutes quæ dirigunt, & diſcernunt, vt fides in theologicis, & prudentia in cardinalibus; quia voluntas, in qua reſidet arbitrij facultas, licet rationi annexa, formaliter tamen & ſtrictè loquendo pars affectiva dicitur, quo pacto ſic intellectus dicitur pars rationalis, id eſt cognoſcitiva, & ratiocinativa. Hoc enim diſtinguendi modo, cæteræ aliæ virtutes, quæ non poſitæ in parte rationali, reponuntur in parte affectiva, quæ dicitur concupiſcibilis, & iraſcibilis, prout diverſimodè habet affici, & moveri; ac proinde in his duabus viribus valent eſſe virtutes theologicæ, & cardinales. Theologicæ in quantum immediatè elevantur in Deum, ipſum diligendo, ipſique inhærendo; cardinales vero in quantum verſantur circa bonum creatum, vt manet expoſitum ſupra.

25 Nec obſtat, fortitudinem, & temperantiam fore in iraſcibili, & concupiſcibili, dum aliàs iſtæ ſolum ſunt rationales, quia rationi obtemperant, ſecus autem, quia verè participant; ac proinde falſo reſolutum extat, cardinales omnes reponi ſimpliciter in parte rationali. Non obſtat ad duo, quæ Seraph adducit, quorum ſecundum eligam, videlicet, falſam fore illam aſſumptionem, vtpote quod concupiſcibilis, & iraſcibilis ſolum ſint rationales, quia obtemperant rationi. Falſa eſt enim, quia in nobis eſt duplex Iraſcibilis, & concupiſcibilis, videlicet rationalis, & ſenſibilis. Rationalis, ſecundum quam immediatè nati ſumus in Deum ferri, in qua communicamus cum Angelis, & in qua *ſecundum diverſas comparationes* habet reponi virtus theologica, & cardinalis. Alia vero eſt concupiſcibilis, & iraſcibilis ſenſualis, quæ ſolum dicitur rationalis, quia rationi obtemperat. In his enim nec eſt liberum arbitrium, nec in his veluti in ſubiecto ponitur virtus cardinalis (nota hæc) licet per frequentem aſſuefactionem aliquomodo illæ potentiæ & ſenſitivæ facultates non incongrue dicantur habilitari; at illa habilitas non eſt de virtutis eſſentia, ſed potius ſibi annexa, cum ſuperioris imperio ſit ſubiecta, ſicque exerceatur, prout latius de conſonantia humanorum actuum alibi diximus.

26 Nec obſtabit ſi inſtes, quod ſupra in Art. 2. diximus iuxta Seraphicum, virtutes cardinales etiam conſuetudinales dici; ſed ſic eſt, quod conſuetudinales ponuntur in ea parte, quæ late dicitur rationalis, quia ſcilicet obtemperat rationi; ergo. Non obſtat, quia vt exactè prævenit Seraph in Quæſt. 3. ad ſolutionem quarti, conſuetudinalis virtus, licèt aliquomodo ſit in parte ſenſitiva, quaſi in exequente, & ſubiacente, at in rationali eſt ſemper principaliter, tanquam in imperante actum virtutis, & potentiæ ſenſuali præſidente.

27 Nec obſtat, præfatas virtutes debere magis eſſe in ea parte, quæ magis eget rectificari; ac proinde cum rectificari non egeat intellectus, ſin autem nimis ſenſitivæ facultates, in iſtis proportionatius erunt. Non obſtat, quia vt ait Seraph, rectificatio, & obliquatio quæ homini imputatur, ortum habet à parte rationis; inferiorum enim obliquatio, ſemper imputanda ſuperiori. Et cum obijcitur quod intellectus ſemper eſt rectus, reſpondet Seraph, ita eſſe, cum Intellectus reſpicit leges æternas, & annos æternos in mente habens, ab ipſis recipit ſpeciem, & in eis ſpeculatur; non autem in quantum qualitercunque ex ſe movetur, cum frequenter inveniatur obliquus, & erroneus. Vel poteſt dici, intellectum ſemper fore rectum, prout fœcundatur principijs maximis & notiſſimis ſcien-

tiarum, circa quæ non poteſt ei contingere error; ſecus autem, prout habet applicari ad opera ſpecialia, ad quorum directionem virtutum illuſtratio equidem neceſſariſſima.

ART. V.

De Virtutibus Cardinalibus quoad ſalutis vtilitatem.

28 OMnes virtutes præſtitit hominibus Pientiſſimus Dominus, vt poſſimus expeditius ad eum pervenire; talibus ſubſidijs namque adiuti, facilius & hilarius in domum Magni Domini ibimus, vtpote dum de virtute in virtutem eamus. Dum enim ex hoc piiſſimo motivo dedit virtutes, & dona hominibus, cum iam dederit cariſmata meliora æmulanda, vtpote virtutes theologicas, quæ nimia præ cæteris eminent, venit nunc inquirendum, an fuerit opportunum præter eas, cardinales virtutes ſtabilire.

29 Reſolvendum cum Seraphico *in quæſt.* 1. *Articuli primi* (cætera quæſita cardinalium huic prætulimus, vt pluribus cardinalium proventibus iam dilucidatis, earum vtilitas liquidius impræſentiarum videatur) ad vigorandum potentias animæ contra difficultatem, & rectificandum contra obliquitatem, neceſſe eſt præter theologicas, etiam virtutes cardinales ſtabilire. Ita Seraph ad literam, per proficuam expoſitionem ſuadens concluſionem ſtabilitam. Et in primis, quia generalis neceſſitas virtutum eſt (loquitur de omnibus abſtracte) ad rectificandum potentias animæ contra obliquitatem, & ad vigorandum contra difficultatem. Deinde cum nedum conveniat hominem ex præceptis ordinari ad Deum, quin etiam ordinari ad proximum, & ſeipſum; & in his eiſdem poſſit obliquari, & impediri, ſivè retardari; hinc eſt quod non ſolum egeat habitibus ipſum vigorantibus, & rectificantibus, prout directè tēdit in Deum, cuiuſmodi ſunt habitus virtutum theologicarum, ſed etiam indiget habitibus ipſum regulantibus prout ordinatur ad ſe ipſum, & ad proximum, cuiuſmodi ſunt habitus virtutum cardinalium. Unde ſicut præcepta primæ tabulæ, quæ directè ordinant in Deum, opportunum fuit ponere præcepta ſecundæ tabulæ, quæ ordinant ad proximum, ſic pariter & ad proportionem in habitibus intelligendum. Quapropter Seraph reſolvit, quod præter theologicarum habitus, cardinalium ſtabilire habitus, neceſſarium ſit ad ſalutem.

30 Tum, quia vt dicitur in laudem Sapientiæ, *Sapient.* 8. *Sobrietatem, & Prudentiam docet, & Iuſtitiam, & Virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus*; ſed per iſta quatuor intelliguntur virtutes cardinales; ergo. Tum, quia nullus poteſt pertingere ad Regnum Cœlorum, niſi per impletionem mandatorum Dei; ſed quędam ſunt mandata, ad quæ virtutes cardinales habilitant, vt ſunt mandata ſecundæ tabulæ; igitur dum ſit neceſſaria eorum impletio, & erit neceſſaria virtutum poſitio. Tum ſuadetur, quia ſicut quis perdit vitam per peccatum in Deum, ita etiam poteſt perdere per peccatum in proximum; igitur ſicut neceſſarium eſt habere virtutes ordinatas ad Deum, ita neceſſarium erit habere virtutes ordinatas ad proximum, & ad ſe ipſum; ſed virtutes ordinatæ ad Deum ſunt theologicæ, & ad proximum ſunt cardinales; igitur etiam iſtæ erunt vtiles & neceſſariæ.

31 Nec obſtat in contrarium, quod qui legem implet, habet omne illud quod ſibi neceſſarium eſt ad ſalutem; ſed qui diligit proximum legem implet; igitur cum habens charitatem, diligat eum, virtutes cardinales ſuperfluent. Non obſtat, quia vt ait Seraph, dum diligendo proximum, legem impleri dicitur, non dicitur, quia implere legem ſit tantum ipſius dilectionis, ſed quia diligens habet alios habitus annexos, qui ad ipſius dilectionis, & charitatis imperium, quodam modo moti dirigunt, & habilitant ad obſervanda opera mandatorum. Sic eſt mandatum de non fornicando, quod quis obſervat per caſtitatem elicitivè, dum per charitatem imperativè. Et licèt id attribuat Apoſtolus dilectioni, & charitati, non obſtat, quoniam ipſa eſt mater, forma, & finis omnium virtutum. Quod enim ſit pater cum filijs, non obſtat, vt filij etiam notam faciant veritatem.

32 Nec obſtat, quod virtutes ſint ad reformandum potentias animę; & animæ potentiæ reformantur per gratias, & tres virtutes theologicas, in quibus attenditur imago reformationis; ergo theologicis habitis nulla erit neceſſitas, aut cardinalium vtilitas. Non obſtat, quia licet verum ſit reformationis aſſumptum, at vt provide diſtinguit Seraph, imago, ſeu facies potentiarum animæ duplex eſt ſecundum duplicem portionem, & duplicem eius converſionem, videlicet ad inferius, & ad ſuperius; ad bonum creatum, & ad bonum increatum; ad finem, & ad ea, quæ ſunt ad finem. Unde cum dicitur, animam per theologicas ſufficienter reformari, capiendum eſt in comparatione ad ſuperius, ſecus

autem

autem ad inferius, vt eſt facies ad proximum verſa, vt vndequaque ad Deum converſa ſit.

33 Nec obſtat, quod vittutes ſunt ad dirigendum in actionibus, & paſſionibus; ſed per fidem ſufficienter dirigitur intellectus, ſicut & per charitarem affectus; igitur theologicis habitis cardinales ſuperfluent. Non obſtat, quia vt exactius diſtinguit Seraph, vires animæ qnoſdam actus habent ordinatos ad vitam contemplativam, & quoſdam ad activam: Et vtroſque actus ordinare neceſſarium eſt, quia vterque modus vivendi neceſſarius eſt ad hoc vt poſſit quis Beatitudinem aſſequi. In magna enim domo, nedum ſunt vaſa aurea, ſed etiam argentea, vt illac Paulus. Cum ergo dicitur, quod fides, ſpes, & charitas dirigunt actus potentiarum animæ, dicendum, quod dum hoc verum ſit in actibus qui ſpectant ad vitam contemplativam; non autem ſic verum eſt in agendis, ſeu actibus, qui ad vitam activam ſpectant.

A R T. VI.

De Virtutibus Cardinalibus quoad originem.

34 Hic Articulus eſt ex principalioribus, qui de virtutibus diſputantur, cum vigeat controverſia inter vires gratiæ, & naturæ. Inquiritur enim, an virtutes cardinales ſint originatæ à Dei dono, an ve ab aſſuetudine, & ipſius naturæ aptitudine, & habilitate? Circa quæ, propugnarunt aliqui ab aſſuetudine derivatas, non leves adducentes rationes, prout Seraph favere innuit, tametſi in concordiam verſus, reſolvere videatur.

35 Rationes igitur in naturæ, & aſſuetudinis favorem ſic à Seraphico Doctore adaptantur. Primò, qnia eadem eſt virtus cardinalis, & conſuetudinalis ſecundum rem, & eſſentiam; ſed conſuetudinales completum eſſe habent ab aſſuefactione, prout inquit Philoſophus in principio veteris Ethicæ, S, *Innatis nobis à natura, perfectis vero ab aſſuefactione*; ergo &c. Secundò ex eodem Philoſopho 2. *de Anim. contex.* 45. Et 2. *de Gener. & Corrup. Contex.* 50. vbi ait: *Vnaquaque res generatur, per quæ in eſſe ſalvatur, & promovetur*; ſed per bonorum operum multiplicationem cardinales virtutes habent in nobis conſervari, & ad melius promoveri; ergo per bona opera habent in nobis generari.

36 Tertiò, dum intentum iſtud experimento videmus, dum malus homo cum in bono exerceetur, ſicque aſſueſcit, ſemper plus & plus ad bonum habear diſponi, habilitari, & facilior reddi; ſed id foret imperceptibile, niſi per aſſuefactionem in bono acquireretur habitus, qui ad bonum habilitaret; igitur videtur huiuſmodi virtutes ex frequenti benè agere trahere originem.

37 Quartò, & re vera vrget, cum multi habeant, ſicuti & habuerunt huiuſmodi virtutes, qui nunquam crediderunt in Chriſtum, nec fuerunt eius membra; igitur ſi vera gratia per Chriſtum habeat derivari in eius membra, infertur clarè, quod cardinales virtutes per humanam induſtriam acquiri valeant.

38 Quintò ab æquali vi ſphærarum cognitionis, & affectus; nam ſicut intellectus perficitur, & rectificatur per habitum ſcientiæ, ſic & affectus per habitum virtutis; ſed licet noſter intellectus propria virtute non poſſit venire ad æternorum agnitionem, tamen per ea quæ naturaliter habet, venire poteſt ad cognitionem iſtorum inferiorum; igitur pariter, licet affectus non poſſit habere virtutes, quæ ipſum elevent ad ſuperna, ſin autem dirigentes & rectificantes ipſum circa iſta naturalia. Si ſemper inſtetur, quod perfectio affectus, multo perfectior eſt quam perfectio intellectus, ac proinde in præfato diſcurſu non eſſe ſimile: Contra obſtat Seraph (videtur obſtare tertiariè) quod talis perfectio non videatur excellentior, quam cognitionis; videmus ſiquidem irrationales creaturas huiuſmodi virtutum affectus, quaſi naturaliter poſſidere. Quoddam enim animal eſt (inquit Seraph *in quæſt.* 5.) quod viget in liberalitare: quoddam quod viget in prudentia: quoddam in manſuetudine viget: quoddam in virtutis ſtrenuitate: quoddam in caſtitate, ſicut patet per exempla; igitur dum dignior ſit natura hominis, quam beſtiarum, videtur, quod homo has cardinales virtutes, aut ſimpliciter ſibi innatas, aut per illud quod eſt innatum, cum rationis induſtria poſſit acquirere.

39 In contrarium deinde quinque alias non minus rationi conſonantes rationes proponit Seraph. Prima, quia vt habetur Jacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt*; ſed dona virtutum ſunt dona optima; prout etiam innuit ipſa Gloſſa; ergo potius quam ex noſtra aſſuefactione, ex divino munere videtur quod ſint iſtæ virtutes.

40 Secunda ex *Sap.* 8. vbi dicitur in fine: *Et vt ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe*

 conti-

continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat Sapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum; igitur dum continentia non poſſit obtineri niſi per divinum munus, nec vlla alia cardinalis virtus.

41 Tertia, quia agens nobilius eſt patiente, & principium effectu; ſed virtus interior animi nobilior eſt, quam operatio exterior; igitur dum ſphæræ nobilioris ſit talium virtutum operatio, ex frequenti operatione non videtur quod contingat cardinalium acquiſitio.

42 Quarta, quia dum virtus acquiratur per operationem, aut per vnicam, aut per plures? Per vnicam, non; quia ibi imperceptа foret vis aſſuefactionis. Deinde nec per plures, quia quando vna illarum operationum inciperet eſſe, altera deſineret, ſicque quod plurale, nunquam vim de præſenti haberet, cum in præteritum laberetur; ergo ſic operando non poſſent virtutes firmiter ſtabiliri. Præſens ratio, nimis probat, & ad quam plurima evertenda transvolat.

43 Quinta, quæ etiam ſubtilis ſpeculationis eſt, ſic formatur: Dum virtus cardinalis generetur ex operibus, aut ex operibus virtuoſis, aut non virtuoſis? Non ex operibus virtuoſis; quia opera virtuoſa, à virtute debent habere originem, ac proinde potius quam opera ipſa virtutis principium, virtus ipſa operum principium ſupponeretur. Si ex operibus non virtuoſis: Contra, quia quales ſunt actus tales habitus eſſe debent; ac per conſequens ſi opera illa non virtuoſa ſint, quid virtuoſum in habitibus generare non poterunt.

Concordans Seraphici Reſolutio.

44 Reſolvendum cum Seraphico, quod virtutes cardinales, prout politicæ conſiderationis ſunt, valent reputari habitus aſſuefactione acquiſiti: ſi vero conſiderentur vt gratuitæ, ſunt, vti habitus infuſi, reputandæ. Huiuſmodi reſolutionis concordia ſervat ſcopum reſolutionis Articuli tertij. Exponit & vlterius Seraph, quia aliud eſt loqui de virtutibus, vt præciſè habilitant ad opera moralia, & aliud prout transferuntur ad condigna, & ſuperna. Ut ad primum habilitent, ſat eſt natura cum aſſuefactione, cum à natura ſint radicaliter, plantatam ſiquidem habemus in noſtra natura rectitudinem, ſicuti & ſignatum lumen ſuper nos; ſicque apti ſumus à natura, licet imperfecte ad opera virtutis, & honeſtatis; & talis naturæ aptitudo ad præciſè morale, & honeſtum, aſſuefactione, in linea politica, & pure morali veluti completur, & perficitur, licet in comparatione ad gratuitam, & ſimpliciter perfectam, imperfectum ſemper ſit, quouſque veniat divinæ gratiæ adiuvamen; ac proinde ſic, aliud eſt loqui de virtutibus, vt etiam elevant ad opera gratioſa, & meritoria, ſicque ad ſalutem, finemque ſupernum proficua.

45 Unde rurſus Seraph diſcernens iſta, inquit, quod virtus politica ex vtraque cauſa valet ſuſcipere complementum, ſuppoſita radicatione illa natura, videlicet, quando concurrit divinæ gratiæ adiutorium, & bonæ conſuetudinis exercitium, ita vt per hæc duo virtus cardinalis radicata in natura ducatur ad complementum perfectum; perfectum in eſſe naturæ per aſſuefactionem, & in eſſe condigniori per gratiam. Itaque cardinalis, in quantum eſt politica ortum habens à natura, ducitur ad quoddam complementum ex aſſuefactione ſubſequente; ad maius complementum ducitur ex gratia ſuperveniente; & ad vndequaque perfectum complementum ex vtraque concurrente, ſcilicet ex aſſuefactione, & ex gratia.

46 Adaptat Seraph exemplo equi. Videmus enim quod aliquis equus ex ſua naturali compoſitione aptitudinem habet ad benè portandum; ſed illa aptitudo poteſt ad complementum reduci per ipſius equi aſſuefactionem, vel per ipſius ſeſſoris induſtriam, vel per vtramque. Sic in propoſito applicandum, cum ſecundum Auguſtinum liberum arbitrium aſſimilatur æquo, & gratia aſſimilatur ſeſſori, & bona operatio rectæ ambulationi. Sic itaque loquendo de virtute cardinali, ſecundum quod eſt politica, & ſecundum quod eſt intentionis philoſophicæ, vt ſupra, concedi poteſt quod à natura, & aſſuefactione trahit originem, ſicque quinque illæ rationes ſunt accipiendæ. Si autem loquamur de eis, ſecundum quod ſunt condignæ, & gratioſæ, & prout de eis intendit Theologus, ſic ſunt vt à divino munere, prout probant quinque aliæ rationes, & clarè indicit ille textus Jacobi, cum ibi dicat, Omne datum *optimum*, & donum *perfectum*, & ſolus Deus eſt, *à quo eſt bonum, quod eſt optimum*, vt frequenter in Eccleſiæ 4. oratione dicitur.

***

ART.

ART. VII.

De virtutibus Cardinalibus quoad durationem.

47 INquiritur in præſenti Articulo, an virtutes cardinales in Patria evacuentur, an vt cum gloriæ ſublimitate compatibiles ſint? Ante reſolutionem advertendum eſt iuxta Seraphici doctrinam in ſolutione argumentorum imbibitam, quod ſcilicet, virtutes cardinales poſſint conſiderari ſecundum ſe, & generalem, abſtractumque conceptum; & poſſunt conſiderari determinatè, & iuxta differentias ſtatuum in quibus conceptus ille generalis valet contractus eſſe. Secundum ſe enim, & ex generali ſuo conceptu, habiles ſunt vt contrahantur per imperfecta huius, vel perfecta alterius ſtatus; at dum ſemel contractæ ſint cum imperfectionibus huius ſtatus, incompatibiles erunt cum beatifico, non ex virtutis ſecundum ſe conceptu, & quidditate, ſed ex adiuncta ſibi huius ſtatus modificatione, qua ablata poterit ſecundum ſe virtus compati cum alterius ſtatu perfecta conditione. Abundant exemplaria tam animaſtica, quam corporea. Animaſtica, dum ipſius intellectus valeat compati cum ſtatu illo ſecundum ſe, ſecus autem, prout nunc modificatus phantaſmatè, diſcurſus illatione, combinatione terminorum, actionis immaterializatione, &c. Corporea, dum caro ſecundum ſe compatibilis eſt cum impoſſibilitate ſtatus, ſecus autem abſque præſentium conditionum purificatione, & reformatione, &c. A ſimili ergo de virtutibus cardinalibus percipe. His ita ſuppoſitis

48 Reſolvit Seraph in quæſtione ſexta, quod virtutes cardinales perfectiori modo remanebunt in Patria, quam modo ſunt in via. Omnes enim actus noſtri glorioſi erunt fortes, & iuſti, prudentes, & caſti, ita quod Juſtitia excludat omnem obliquitatem, Prudentia omnem errorem, Fortitudo omnem moleſtiam, & Temperantia omnem libidinum repugnantiam.

49 Suadetur 1. apud Seraphicum, quia vt habetur Sap. 1. *Iuſtitia perpetua eſt, & immortalis*; igitur dum iuſtitia, quæ ordinat ad alterum, maneat, fortius cæteræ virtutes, quæ ordinant ad ſe ipſum, manebunt. Tum hæ virtutes cardinales pleniſſimè fuerunt in Chriſto; igitur cum ſtatu comprehenſoris compatibiles. Tum, ſecundum Macrobium ſuper *ſom. ſcip. f. 1. ante medium*, cardinales virtutes reſpiciunt quadrifariam diſtinctionem, quia quædam ſunt exemplares, quædam politicæ, quædam purgatoriæ, quædam animi iam purgati; igitur cum virtutes exemplares ſint in Deo, & mens ad perfectionem purgationis non habeat perduci in ſtatu miſeriæ præſentis, infertur, quod iſtæ virtutes cardinales potiſſimè habeant reperiri in Beatis, tum quia ipſi Beati per gloriam fuerunt Dei formes effecti, tum cum ipſi animi penitus purgati ibi ſupponantur.

50 Nec obſtat ſi arguatur, quod iuxta Auguſt. *Lib. 14. de Trin. c. 9.* Prudentia eſt in præcavendis inſidijs; Juſtitia in ſubveniendo miſeris, Fortitudo in perferendis moleſtijs, & Temperantia in cohibendis pravis delectationibus; igitur cum nullum horum in Patria inveniatur, nec virtutum cardinalium habitus invenientur. Non obſtat, quia prout conformiter ad præfatam doctrinam, inquit Seraph, nuper nominati actus, non ſunt generales earum actus, ſed ſolum ſecundum ſtatum viæ. Alios enim habent in Patria multo excellentiores, quos in via habent aliquo modo, & ſemiplenè, ac proinde virtutes iſtæ non habebunt ſecundum ſe evacuari, ſed perfici & compleri.

51 Nec obſtat ſi arguatur, quod virtutes cardinales minus nobiles ſint, quam theologicæ; ac proinde ſi theologicæ, vtpote fides, & ſpes habeant evacuari, multo magis cardinales evacuabuntur. Non obſtat, quia vt ait Seraph, duæ illæ virtutes theologicæ perfectiores ſunt cardinalibus, quantum eſt ex parte obiecti, verumtamen quantum ad modum movendi, & habilitandi non ſunt perfectiores, quia fides, & ſpes iam de ſua primaria ratione important imperfectionem, cum in conceptu abſtractiori, & generali importent obſcuritatem, & abſentiam, ac proinde imperfectionem; ſecus autem eſt in cardinalibus ſecundum ſe, prout ante reſolutionem notavimus. Quod autem poſſit compati aliquis actus ex modo ſuo habilior, ſecus autem ex obiecto, ſuadetur in actu ſcientiæ alicuius, & in intuitione primorum principiorum, reſpectu actus fidei in Deum, ſeu ſpei, maximè ſi naturalis ſit. Tum etiam dum maior perfectio ſit ex adjunctis moraliter, vt eſt fidei noſtræ in obſcuritate ſupernaturalizatæ, & ad meritum ex divino pacto ordinatæ, non eſt compatibilitatis argumentum, vt patet in actibus noſtrarum inferiorum facultatum, viſionis, auditionis, &c. ſic, qui licet minus perfecti ſint, quam obſcuri-

tatis

tatis nunc ſupernaturalizatæ, tamen in Patria compatibiles erunt actus facultatum inferiorum, dum obſcuritatis ſuperioris penitus incompatibiles.

52 Nec obſtat ſi arguatur, Apoſtolum 1. *ad Corint.* 13. dicere, quod ſcientia deſtruetur; ſed maioris perfectionis eſt ſcientia, quam prudentia; igitur non durante in Patria ſcientia, nec prudentia durabit;ac proinde cum prudentia ſit prima inter cardinales, non durante prudentia, nec durabit cardinalis vlla. Non obſtat, quia prout ſupra ſtabilitum à Seraphico manet, reſpondendum eſt ſicut præcedentibus reſponſum fuit, videlicet, quod ſcientia ceſſabit quantum ad modum, qui attenditur per anxiam collationem terminorum, & laborioſum, minuſque velocem diſcurſum. Præterea inquit Seraph, quod ſcientia illa de qua loquitur Apoſtolus, non eſt nobilior, quam ſit habitus cardinalium virtutum, cum iſti magis foveant & faveant ad ſalutem, habiliuſque cum theologicis conſortientur, dum non ſic facile, nec vtiliter illa ſcientia cum fide theologica, & quæ oportet.

QUÆST. II.

De virtutibus Cardinalibus in particulari.

1 EGimus in præcedenti quæſtione de virtutibus in communi, cum iuxta Philoſophi proloquium ab vniverſalioribus ſit incipiendum, quapropter nunc iuxta bonam methodum agere debemus de eiſdem in particulari, vt ſic vndequaque linea virtuoſa evacuetur. Egimus in communi iuxta cæleſtem ſcopum, mentemque ignimovam Seraphici Doctoris ſupra Tertium Sententiarum Librum, quem non iudicavit ſcire inter nos, niſi per Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum, veluti inſtructus de virtute in virtutem ab ſtigmatum Publico, & Moderatore Primario Franciſco, cum dum ſicut alibi Antonius prædicans de Titulo, Confixus ille cerneretur. Agemus ergo nunc in particulari iuxta candidam deſcriptionem Sororis Noſtræ de Agreda, quæ vt altera Maria (vt piè dicam) cognovit, dilexit, nuntiavit dum ſicut oculis ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ſpiritu oris eius, omnem virtutem cotum, quæ audivit, circundatata varietate ſcripſit.

ART. I.

De Prudentia.

2 PRudentia habetur prima inter cardinales virtutes, ſaltim ordine generationis, quia vt erudite ait Soror Maria de Agreda *in* 1. *part. lib.* 2. *cap.* 9. ſicuti intellectus in operando præcedit voluntatem, ſic etiam virtutes quæ ad intellectum ſpectant, priuſquam quæ ad voluntatem debent exerceri. Venit igitur primitus de prudentia agendum, cuius principaliora quæſita per ſequentes dubitationes, prout breviùs, dum clarius poſſimus, Noſtra Maria comite, expendere intendemus.

3 Dub. 1. an habitus intellectualis, ſicque prudentia, revera valeat dici virtus? Reſpondendum affirmativè cum dilecta Sorore Noſtra. Dat rationem, dum dubitandi ſolvit, quia licet ſpeciale noſtri intellectus munus videatur ſiſtere in puro agnoſcere, & percipere veritatem, & virtus nedum in cognoſcere, ſed in operando, & inclinando ad bonum ſiſtere videatur, quia prout *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 4. ait cum Auguſtino Scotus, *Neque vir bonus meritò dicitur, qui ſcit quod bonum eſt, ſed qui diligit*, nihilominus reſolvit V. Maria, certum eſſe, dari virtutes intellectuales, cuius operationes habent eſſe laudabiles,& bonitates dici participes.Stat ratio in eo, quod intellectus nedum poſſit conſiderari, vt puræ veritatum ſpeculativus, quin etiam vt practicus & moralis, vtpote dum inſtruit, & dirigit voluntatem, eamque regulat, vt moveatur benè; tunc enim inclinat ad bonum, & eſt particeps boni operati. Unde eruditiſſimè inquit V. Maria de Agreda, quod dum ſic exerceretur intellectus, actus ipſius eſt virtuoſus, & laudabilis intra ſphæram theologicam per fidem, ſic reſpectivè eſt laudabilis, & bonus intra moralem per prudentiam, quæ intelligens dirigit, & appetituum operationes gubernat. Hac igitur de cauſa V. Ancilla Virginis, reſolvit etiam, quod prudentia virtuoſa ſit inter cardinales prima, & veluti radix omnium virtutum moralium conſideranda, prudentia ſiquidem non præeunte, vitioſæ, ac vituperabiles cæteræ reddantur, prout evenit in operibus illarum quinque virginum, quibus, quia imprudentibus clauſa fuit ianua bonorum omnium, etiam *maiori ſuperato certamine*, vt illac Chryſoſtomus exponebat.

4 Dub. 2. de triplici genere prudentiæ, quæ

quæ eſt in generali prima eius diviſio, videlicet quid ſit prudentia politica, purgatoria, & animi purgati? Reſpondendum (harum prudentiarum ſupra in Articulo 7. aliquam in communi mētionem fecimus ex Macrobio à Seraphico Doctore ibi citato) cum V. Maria, quod prudentia politica in generali eſt quæ cogitat, pulſat, & menſurat quidquid agendum eſt, ac proinde ſic, quod quæque exequenda, rationi attendens, eaque combinans, nil quod non ſit bonum, & rectum agere decernat, aut conſulat. Prudentia purgatoria, vel purgativa dicitur, quæ quidquid viſibile poſtponit, ab eoque abſtrahit, vt cor noſtrum ad cæleſtium contemplationem dirigat, transferat, ſicque deinceps per animi purgati prudentiam adhæreat. Prudentia animi purgati dicitur, quæ à viſibilibus abſtractionem ſupponens, ad ſummum bonum intuetur, affectum pęnitens dirigens, vt ibi intime adhæreat, & requiem habeat.

5 Dub. 3. quænam ſint partes prudentiam integrantes, & componentes? Ante reſolutionem notandum, intellectum prudentia informatum poſſe conſiderari, prout prudenter agens, agenda commenſurat, & diſtribuit iuxta conditionem præteriti, præſentis, & futuri: necnon aliter valet conſiderari, in quantum quæcunque prudenter operanda, applicat inſpiciens ad media aliarum virtutum, ſicque per aliarum virtutum exercitia inſtruit & dirigit voluntatis virtualizatæ operationes. Si prudentiæ ſtructura ſub prima conſideratione capiatur, tres ſunt partes eam componentes iuxta Doctores, & Sororem Noſtram, videlicet *Memoria, Intelligentia, & Providentia. Memoria*, dum oportear, quod res præteritæ, præſentes fiant, cum experimentorum memores nimis fulciamur, ſicque expertiores habiti habilius circa præſentia & futura regulari poſſimus. Tum (V. Maria) cum prudentia tot in particulari habeat operationes inſtruere, nonque pro omnibus ſit facilis in praxi regula generalis, inde nimis proficit factorum memoria, vt pro vnoquoque faciendo, ſint regulæ ſingula quæque facta.

6 Secunda prudentiæ pars eſt *Intelligentia*, quæ circa præſens principaliter verſatur, & in eo ſiſtit, quod verè, & penetraliter mens prudens capiat principia eſſentialia, & irrefragabilia operum virtuoſorum, vt veluti agnovit, exequatur; ac proinde ex hac intelligentia quamque rectam executionem deducens, nedum in his, quæ circa virtutis in generali intellectus honeſte noſcit, quin etiam in his, quæ circa ſingula probè debet operari, prout ſic V. Maria num. 537. ſuppoſita huiuſce principij intelligentia, ſic proprio idiomatè exemplificabat: *A nadie deves hazer el daño, que tu no quieres recibir de otro*; luego à eſte tu hermano, no deves hazerle eſte agravio particular, que à ti te pareciera mal, ſi contigo lo hiziera el miſmo, ò qualquiera otro.

7 Tertia præconſideratæ prudentiæ pars, Providentia dicitur; quæ iuxta V. Mariæ deciſionem, inter prudentiæ partes principaliſſimum tenet locum, quia, vt ipſa ait, in humanorum actuum directione, nil plus importare videtur, quam in quibuslibet attendere ad futurum, tum quia futurum ſæpè finem ambit, & vniverſum finis coronat opus; tum quia circa futura providere, ſicuti & prævidere altioris numinis eſt, cum ventura nuntiare equidem divinum ſit.

8 Si vero prudentiæ ſtructura capiatur ſub ſecunda conſideratione, ei etiam Doctores Philoſophi quinque integrantes partes præſtant, quæ ſunt, *Docilitas, Ratio, Solertia, Circunſpectio, & Cautela. Docilitas* eſt optima animi diſpoſitio, vt edocta creatura reddatur, ſic ſapientibus & rationi ſubijcibilis, quod in propriæ mentis conceptu ſic non fidat, vt indeflexa remaneat. *Ratio*, quæ etiam ratiocinatio dicitur, ſiſtit in eo, quod quis fructuoſé diſcurrat, dum veluti ex maximis & generalibus principijs, quid in particulari virtuoſé operandum infert. *Solertia* dicitur attentio vivax, & applicatio ſolicita, vt ſic quæque eveniunt vir probus animadvertens, rectè cenſeat, regulaſque ad expeditè operandum habeat. *Circunſpectio* eſt veluti comprehenſiva conſideratio, quæ bonum præhabens finem, etiam vniverſa quibus opus faciendum circunſtatur, meditatur. Cautela dicitur diſſerta, & maturè pulſata cognitio, vt quis ſic præventus pericula imminentia notet, & impedimenta vitet, ne in ipſo virtutis tramite, ſuſpenſi deinceps, & decepti inveniamur. Sic ferè ad verbum V. Soror Maria de Agreda.

9 Dub. 4. quænam ſint Prudentiæ ſpecies? Agnitis partibus Prudentiam integrantibus, & componentibus, venit agnoſcenda diviſio in ſpecies, quæ dignoſcitur (inquit Soror Maria cum philoſophans) ſecundum obiecta quæ concernuntur, & fines ſpeciales quibus prudentis opera deſervire videntur. Et cum Prudentiæ gubernacula, poſſint in quolibet vel circa ſe, vel circa alteros contingere, vna ſpecies eſt, dum quis ſibi regulas apponit, & cæteræ dum eas pro cæteris moderatur.

10 Specialis enim vniuſcuiuſque moderatrix

ratrix Prudentia dicitur *Enarchica*, vtpote, quæ vnicuique deſervit ad proprias,& ſingulares actiones adaptandas, & componendas.

11 Quæ autem deſervit ; vt multorum actiones dirigat, & gubernet dicitur *Poliarchica*, indeque dicta à *Polis*, quod eſt *Civitas*; prout ſupra in fine Prologi cum Seraphico expoſuimus. Hæc igitur quæ Poliarchica, ſubdividitur in *Regnativam, Politicam, Economicam, & Militarem*. *Regnativa* dicitur, quæ docet Regnorum directionem, per leges probas,& decreta iuſta inſtruens, & ſingulis providens, ſalubria, pacemque conſervans. Hæc ergo Principibus, Regibus, & ſic alijs adeſt proprijſſima, iuxta illud, *Deus iudicium tuum Regi da*, & alibi: *Erudimini qui iudicatis terram*: Per eam etenim Reges regnant, Principes imperant, & Potentes decernunt iuſtitiam. *Politica* dicitur, quæ directionem contrahit ad Civitatem,& Rempublicam, prout ſupra ex *Polis* è Seraphico dicebatur. *Economica* dicitur, quæ vlterius dirigenda contrahit ad ſpeciales domos, & privatam familiam. *Militaris* autem dicitur, quæ Ducibus & exercituum Præfectis attem,& diſciplinam præſtat.

12 Dub. 5. an vltra dicta ſint alia, quibus adminiculetur Prudentia? Reſpondetur affirmativè cum V. Sorore Maria, iuxta quam nonnulla Prudentiæ adminicula, partes potentiales Prudentię nominantur, v. g. *Syneſis*, quæ ſiſtit in quodam robore, & eximia virtute, vt quis rectum debeat formare iudicium: Tum *Ebulia*, quæ dirigit, & bonum formalizat conſilium: Tum *Gnome* dicitur, dum in aliquibus caſibus peregrinis,& particularibus, à regulis communibus recedere docet; cuius virtutis adminiculũ neceſſarium eſt ad Epyquiam, quę in aliquibus eventibus per regulas communes leges ſuperantes diſcernit.

ART. II.

De Iuſtitia.

13 Magna Juſtitiæ virtus (inquit amabilis Soror noſtra) eſt, quæ ad obſervandam Dei, & Proximi charitatem potiſſimè ſubminiſtrat; ac proinde quæ ad divinum, humanumque commertium maximè proficit, cum ſit quidam habitus voluntatem noſtram inclinans, vt vnicuique quod debetur exhibeatur, indeque tametſi aliquãdo voluntas, iuſtitia autem nunquam poteſt eſſe iniuſta.

14 Dubitabis inde, quænam ſit materia, & ſcopus principalis circa quem verſetur iuſtitia? Reſpondetur cum communi,& etiam cum ſingulari mente Sororis noſtræ, ſcopum circa quem vniverſaliter iuſtitia tendit, fore æqualitatem, & è iure proportionem, tam Deo, quam Proximo obſervandam. Unde cum quamplurima ſint, in quorum æqualitate obſervanda valeat homo iura adimplere, vel violare, inde iuſtitiæ materia extẽſa,& diffuſa inſpicitur, varijſque modis denominatur. Dum igitur ad publicum, & commune bonum ordinatur, denominatur Juſtitia Legalis: Et dum ad præfatum finem cęteras virtutes dirigit, denominatur Virtus Generalis, etiam ſi cæterarum virtutum ſpecialia non participet. Tum ſi iuſtitiæ materia, quid proprium & determinatum ſit, ſolumque ad individuas attinens perſonas, vt ſingulis ſervetur ius, tunc denominatur iuſtitia ſpecialis.

15 Dub. 2. de principaliſſimis iuſtitiæ ſpeciebus, quid ſcilicet, & quæ ſint? Reſpondendum fore iuſtitiam diſtributivam, & commutativam. Diſtributiva maximè dirigit, atque gubernat operationes, quibus perſonis particularibus ſunt diſtribuendæ res communes. Sic fit, dum fit quod fieri debet, cum in quibuslibet Congregationibus, officia, Dignitates, cæteraque oneris, ac honoris miniſteria expenduntur. Commutativa, in his quæ dantur, & recipiuntur, reciprocam docet obſervare æqualitatem; v.g. reddere duo, ſi duo recepta fuere, vel reddere vnicum quod æquivaleat; quę maximè inter venditores,& emptores exercetur. Alias etiam actiones hęc virtus inſtruit, cum etiam inter proximos exercentur, v.g. dum alij alios iudicant, vel publico & civili iudicio, vel particulari & privato, cuius depravatum exercitium Dominus pręveniens dixerat per Matth. 7: *Nolite iudicare, vt non iudicemini.*

16 Dub. 3. an ſint aliæ virtutes, quæ ad iuſtitiam reduci, & in ea radicari habeant? Reſpondendum affirmativè cum V. Maria de Agreda, quæ ad iuſtitiam diſtributivam, & commutativam nonnullas alias reducit virtutes ex iuſtitiæ conceptu, cum circa alios exerceri debeant, quarum primas, & principales, tres deſignat, quales ſunt *Religio, Pietas, & Obſervantia*.

17 Primum locum Religioni præſtat, quæ ſiſtit in cultu reverenti, quem cum debeamus, Deo noſtro exhibemus. Hæc virtus nobiliſſima inter morales, cum cultus Deo debitus ſit eius obiectivus ſcopus. Eiuſdem virtutis ſphæra ſic diffuſa, ſicuti inter materiarum varietatem extant modi, quibus

Deus

Deus laudari valet & revereri. Intra Religionis virtutem (ſemper Maria de Agreda loquor) comprehenduntur opera orationis, contemplationis , & devotionis , cum quibuslibet earum partibus , conditionibus, cauſis , effectibus , atque fine. Inter externa virtutis exercitia valet etiam hinc comprehendi *Latria*, quæ vti omnium adorationum ſuprema , ſoli omnium ſupremo debita ; eaque cum vniverſis partibus ; & ſpeciebus , quibus vndequaque conſtruitur , v.g. ſacrificia , oblationes , dezimæ , vota , iuramenta , & quæcunque vocales , èxternæque laudes ; omnibus namque his à creaturis honoratur & reveretur Magnus Dominus , & laudabilis nimis.

18 Secundum præſtat pietati , quæ ſiſtit in quovis opere , quo Patres noſtros veneramur, cum infra Deum , iam eſſe, quam benè inſtrui debesimus. Sic etiam reſpectivè per huius virtutis ambitum eos venerari debemus, quos nobis affines noſcimus,vt cognatos,Patriamque nos alentem , protegentem , atque conſervantem. Hæc enim pietatis tam ſublimis virtus, apud Mariam Noſtram cenſetur; quod dum eius inſtat obligatio , ad virtutis Religionis ſupererogationis actus anteponi debeat, prout edocuit Divinus Magiſter,dum Matth. 15. Phariſæos increpavit, cum ſub colore divini cultus,Parentum pietatem obumbrare tentarunt.

19 Tertium locum hæc Virgo ſapiens *Obſervantia* præſtet , cuius ſtructura invenitur,dum reverentem honorem,aliqua ſublimi dignitate pollentibus, tribuimus, etiam ſi alterius conditionis,ac naturalis Paternæ ſit.Intra huiuſce virtutis ſphæram, *Duliam*, *& Obedientiam* collocant Auctores, veluti ſolent intra genus ſpecies. *Dulia* dicitur, quæ reveretur eos qui participant excellentiam,& dominium Supremi Domini, qui Deus.eſt,cuique dūraxat Latriæ cultus competebat. Inde ducri Duliæ adoratione , & reverentia Sanctos omnes veneramur ; necnon in ſuperiori dignitate conſtitutos, quorum nos ſic ſervi profitemur.Obedientia autem dicitur es,in cuius virtute , ad ſuperiorum voluntatem , noſtram penitus ſubijcimus , eorum potius quam noſtram intendentes pro viribus adimplere.

20 Dub. 4. an vltra tres de principali expoſitas , nonnullæ aliæ sd iuſtitiæ virtutem ſubreducantur? Reſpondendum affirmativè cum V. Maris,quæ ad iuſtitiam reducit *Gratitudinem* , *Veritatem* , *ſeu Veracitatem*, *Vindicationem* , *Liberalitatem* , *Amicitiam*, *aut Affabilitatem*. *Gratitudo* ſplendet , dum nonnulla æquitate concernimus eos,à quibus beneficium recepimus,eis gratum obſequium præſtantes , tam iuxta beneficij menſuram, quam Benefactoris conditionem.

21 *Veracitas* eſt virtus inclinans ad verè,& abſque dolo colloquendum,& cum omnibus communicandum, ſicut decet, & oportet intra neceſſarium,ac indiſpenſabile humanorum actuum commertium. Veracitas itaque , quæ aliter vti divinum attributum ſoli ſupremo Numini tribuenda cenſetur, repellit mendacium ; fallacem ſimulationem , intentionem palliatam , hypocriſim , iactantiam, atque illicitam ironiam.

22 *Vindicatio* eſt virtus quæ inſtruit ad compenſandum proprium , aut proximi damnum. Huiuſce virtutis exercitium , inquit V. Maria , inter mortales difficilimum, cum iuxta lutei noſtri cordis congenitos vapores , regulariter immoderati, ira , odio , & mala voluntate præocupemur , ſicque vindictam ſumentes deficiamus. Inde Seraphicus Pater S. Franciſcus de culparum vindicatione cum Prælatis alloquens in *cap. 7.* Regulæ , ſic notanter præcavet : *Et cavere debent , ne iraſcantur , & conturbentur propter peccatum alicuius ; quia ira , & conturbatio in ſe , & in alijs impediunt charitatem.*

23 *Liberalitas* deſervit , vt quæcunque pretio æſtimabilia , prout indicit ratio, diſtribuantur ; ac proinde inſtruit, ne in prodigalitatem , aut avaritiam declinemus, quod evenit dum ſpargitur quando retinendum, & retinetur quando præſtandum, & ſpargentur , cum omnia tempus habeant , & etiam ad lapides pretioſos ſit tempus ſpargendi , & congregandi.

24 *Amicitia* , quæ latius hinc pro *Affabilitate* ſumitur , ſiſtit in convenienti , & decenter placido converſandi ſcopo , quin adulatio , nec litis horror inſonet, vtpote vitia ei directius contrariantia.

A R T. III.

De Fortitudine.

25 FOrtitudinis virtus (inquit.V. Soror Maria à Jeſu) quæ tertium inter cardinales obtinet locum , deſervit ad moderandum operationes, quibus vnuſquiſque exercetur , ſecum ac maximè cum iraſcibilis affectu. Et licèt verum ſit, quod concupiſcibilis paſſio,cuius eſt Temperantia gubernatrix , prima quam iraſcibilis videatur, cum ex eo quod concupiſcibilis appetat,otia-

tur quod appetitum impediens iraſcibilis repellat, verumtamen prius agitur de iraſcibili, eiuſque virtute, qualis fortitudo eſt, quia dum exequitur quod appetebatur, regulariter intervenit iraſcibilis, vtpote quæ evincens quidquid conſecutioni obſtans.

26 Tum paſſionis iraſcibilis directio in virtute fortitudinis, ad duplicem partem, aut operationum ſpeciem reducitur, videlicet, Ira vti conformiter ad rationem, & circunſtantiarum debitum, vt ſic laudabilis, & honeſta reddatur: necnon, dum aliter oportet, iram non admittere, eam comprimens & expellens; quorum vtrumque iuxta caſuum importantiam, valet laudabile, vel vituperabile intueri, ſi quis faciat, aut deficit iuxta finis neceſſitatem, & alia quæ eum circuſtant. Sic dicitur in Pſalmo ex vna parte: *Iraſcimini, & nolite peccare*, & ex contraria dicitur alibi: *Conturbatus eſt in ira oculus meus*; quo pacto evinci debet ira, vt etiam clarè Exod. 32. dicitur: *Quieſcat ira tua*: Et Job.36: *Non te ergo ſuperet ira.* Tum advertendum circa duas præfatas fortitudinis partes, quod prima antonomaſticè fortitudinis nomine prævaluit denominata, quam etiam ſub bellicoſitatis teſſera nonnulli Doctores deſignarunt. Secundam autem vocitarũt Patientiam, quę ſuperior & nobilior fortitudo reputatur, prout etiam Gentilis Seneca obtinuerat dicens: *Nobile vincendi genus eſt patientia*; illudque vulgare Philoſophi axioma, ad patientiæ ſupremum ſenſum, moraliter vertebam ego, S, *Intelligere eſt quoddam pati.* Hanc, qui excellentius adepti, fuerunt ſanctiores Servi Dei, ſicuti mundani qui penitus ignorarunt, dum ſcopum ac nomina, mentis perverſitate adulterantes, & inverso ordine imponentes, quod patiens reputant puſillanime, ſicuti quod arrogans, & impatienter temerarium, cenſent fortiſſimum, & irrefragabile.

27 Dub. an nonnullæ aliæ virtutes ad fortitudinem reducantur, eique affines concordent? Reſpondendum affirmativè cum Sorore Maria à Jeſu, quæ eleganti vt ſolet ſtyllo, *Magnanimitatem*, & *Magnificentiam* intra fortitudinis ambitum recondit.

28 *Magnanimitatem*, Soror veneranda, ſtabilit in operum magnalium exercitio, cuius magnitudinem ſplendeſcentes ſequuntur elati virtutis honores. Inde ex virtutis Magnanimitatis robore, plurimæ etiam dimanant proprietates ſublimes, quas cum poſſideant, nimis magnanimi illuſtrantur, vti adulationem repellere, hypocriſim aufugere, avaritiam relegare; non magis commodum, ſed magis honeſtum diligere; oris proprij laude viloſcere; parva opera deſpicere; animum ad maiora elevare; potius dare quam recipere, vt beatius exercere; hæcque cuncta ſic pro viribus explere, cum eis altius habeat intra virtutis honorem refulgere.

29 Neque in huiuſcemodi magnalibus immorans contrarius humilitati cenſendus; quia magnanimitate comite, humilitas non infringit, ſed animum corroborat, & exaltat; tum quia ambitionem fugat; tum quia vti ſimpliciter perfectio, nunquam virtus virtuti contrariatur; tum, quia humilitas ducit ne animo efferveſcente periclitetur, cum quidquid arduum, & ſublime, non ſibi arroget, ſed in gloriam referat Auctoris.

30 Magnanimitas, inquit veneranda Noſtra Soror, etiam magna operari deſignat, ſicque iuxta *Magni* latitudinem, valet virtus communis reputari. Verumenimverò ex contracta iotra magnos ſumptus materia, ſub nomine *Magnificentia*, virtus ſpecialis deſignatur. Magnificentia itaque inclinat animum, vt dum oportet, quam plurima bonorum ſuorum expendat, prout Aſſuerus, & Salomon Magnifici celebrantur; Salomon at virtuoſius, cum in dedicatione Templi tot animalium millia Altiſſimo conſecraret. Ubi notat Mater Maria, quod tametſi magnificentia eadem cum liberalitate videatur, at Philoſophi diſtinxerunt eas, quia formaliſſime magnificus magnalia reſpicit; liberalis autem moderamine concernit conſumere bona; quapropter compatitur abſque magnificentia aliquem fore liberalem, vtpote dum diſtribuat quod bonum, retineat tamen quod maximum.

ART. IV.

De Temperantia.

31 EGimus in præcedenti Articulo de virtute, quæ iraſcibilem, vti principalem volitivæ motum componit; reſtat nunc agere de virtute, cuius proprium eſt concupiſcibilem motum prævenire, & honeſtè adaptare, quæ Temperantia dicitur. Hæc licèt magna virtus, minor tamen (inquit Mater Maria de Agreda) inter cardinales reputatur, & in vltimo loco repoſitur, nonque aliunde, niſi quia bonum ad cuius

cuius adeptionem attendit, non ſic vniverſalem habet ſphæram, ac cæteræ virtutes, Temperantia ſiquidem quieſcit, & parat intra limites ſubiecti in quo reſidet, dum virtutes aliæ, etiam ad cæterorum bona tranſvolant, & moventur.

32 Generalis at intra proprij ſubiecti limites, vtpote ex parte actus, iuxta Doctores, & Venerabilem Doctotiſſam valet etiam Temperantia conſiderari, videlicet, in quantum indicit quoddam omnium naturalium appetituum moderamen: hocque in ſenſu, Virtus generalis eſt, atque communis, virtutes omnes, conformiter ad rationem appetitum moventes, comprehendens atque imbibens. Verùm ſic latè, & communiter, non loquimur impræſentiarum de Temperantia (inquit Noſtra Mariæ Maria) ſed in quantum concupiſcibilis comes, & gubernatrix, tactum dirigit, & temperat, vtpote cum in eo vehementius ſenſibilis delectatio moveat; ac per conſequens etiam hinc de Temperantia tractatur, prout alias materias delectabiles, tactus imitatrices, informat, & moderatur.

33 Iuxta præfatorum comparationem (inquit Soror Noſtra) inter quatuor virtutes vltimum locum adipiſcitur Temperantia, eo namque quòd ipſius obiectum minus nobile ac cæterarum ſit. Verumtamen aliquando in nonnullis excellens intuetur, prout ſcilicet à turpibus, fœdiſque obiectis devians, intemperantiam repellit, & in delectabilibus, hominibus & iumentis pariter communibus, appetitum abſtrahit, & compeſcit. Inde ad rem Pſalmiſta dixit (ſic verſum 13. Pſalmi 48, amabilis Soror Noſtra commentatur) quod homo, extitit veluti iumentum factus, vtpote cum ſenſibilium delectationi extitit veluti iumentum, ſubiectus.

34 Ab his dedecoris cenſuris, & impudicitiæ catenis, hominem naturæ fragilis ſtupore Temperantia redimit, eum docens & ducens, vt delectationis viam deſerat, & ſolius rationis ſequatur. Inde meruit Temperantiæ virtus, vt impenetrabilis pulchritudinis, & honeſti decoris aureolis inſignita maneret; & meritò cum in rationis arce propugnans, hominem pro viribus defendat, ab indomito omnium, qua domeſtico hoſte indefeſſa triumphans. His ita præiactis

35 Dub. an aliquas virtutes Temperantia contineat? Reſpondetur affirmativè cum V. Maria de Agreda, quæ in primis *abſtinentiam*, *& ſobrietatem* deſignat, vtpote in contrariantia gulæ, & ebrietatis vitia. Abſtinentiam itaque & ſobrietatem, veluti primas Temperantię ſpecies V. Maria numerat, cum cuiuſvis viventis naturę prius ſit vivere, quam delectari, & abſque cibo & potu, quin miraculum interſit, nemo vivat.

36 Poſt prænominatas virtutes nominat eas, quæ vſum naturalis generationis ad ſpeciei conſervationem moderantur, vt ſunt *Caſtitas*, *& Pudicitia*, quæ pro ſublimis gratiæ viribus in tot luxuriæ fortiſſimos hoſtes pugnant, dum ſolus præſtans victoriam, qui Potentiſſimus præſtitit & gratiam.

37 Poſt eas aliæ veluti è fonte rivuli derivantur, quarum eſt ſpeciale munus cęteros externos ſenſus comprimere, vt dum viſum, auditum, & odoratum enervant, & retardant. Horum enim directivę virtutes, valent iuxta ſenſus ſpeciale monus, ſpeciali nomine deſignari, & quoad obiecti ſtructuram valent ad tactus obiectum reduci.

38 His aliç ſimiles ſuccedunt, S, *Clementia*, *& Modeſtia*. Clementia, ſeu Manſuetudo dicitur Temperātię ſubalterna, cum temperet iram, ne quis in puniendo excedat, ſicque potius ferinus, quam humanus videatur. *Modeſtia*, non exponitur aliter, quam ex declaratione quatuor virtutum, quibus integrata reſultat, & tūc Modeſtia dicitur. Continet ergo *Humilitatem*, *Studioſitatem*, *Auſteritatem*, *& motus corporei Moderationem*, quę ſpecialiter dicitur *Modeſtia*. Humilitas reprimit hominem, ne propriam excellentiam inordinatè appetat. Studioſitas reprimit, ne plus ſapere quam oportet, intendat, ſicque contra curioſitatis vitium defenſaculum teneat. Auſteritas reprimit, ne ſuperflua horum, quæ ad veſtem, & externum apparatum ſpectant, vtatur. Quarta autem, & quæ ſpecialius Modeſtia dicitur reprimit in his quæ ſunt ioci, & placidæ recreationis immoderatos pedum motus, & manuum plauſus, ne eveniat aliter, quod Herodianæ ſaltatrici. Et hæc de virtutibus ſufficiant, ex quo per Ancillam tuam, notam feciſti in Populis virtutem tuam. Tu ſolus Sanctus, Tu ſolus Dominus, Tu ſolus Altiſſimus: Manda Deus virtuti tuæ, & confirma hoc Deus, vt etiam in operibus noſtris ſis laudabilis vſque in ſæculum. Amen.

DIST. XII.

De Donis Spiritus Sancti.

1 NUllum eſt Dei beneficium, quod non queat vocari Donum, & ſuæ divinæ manus datum munus, etiam ſi naturale ſit; verumtamen, vt notavit hinc Soror

Maria de Agreda, non loquimur ſic generaliter de Donis, etiam dum aliquãdo virtutes, & quid infuſé datum fuerint, cum non quæcunque virtutem aliquam habentia, in tali materia, Donorum habere gratiam dicitur, vel ſaltim virtutem non participant in eo gradu, in quo ſimpliciter & perfectè Dona vocantur, quo pacto iuxta Iſaiam 11, Sacri Doctores percipiunt ad illa verba: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Conſilij, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis. Et replevit eum Spiritus timoris Domini.* Sunt igitur Spiritus Sancti Dona, vltra communem in linea virtutis operandi modum, quædam ſupereminentes gratiæ, quibus perfectius, & expeditius etiam ſubiecta habentia virtutes ſingularius exercentur. Quæ enim, & alia quæ ad Donorum ſpectant notitiam per ſequentes quæſtiones dilucidabuntur.

QUÆST. I.

De Donis in Communi.

2 Circa ea, quæ Donorum ſunt, eam obſervare vellem methodum, ac quam ſupra, circa ea, quæ Virtutum erant. Quæ igitur ad Dona in communi ſpectent, prout brevius, & clarius poſſim, iuxta Seraphici Doctoris mentem expendam: Et quæ ſpectent ad Dona in particulari, iuxta ſcriptum per Sororem Mariam de Agreda proponam. Ubi notanter adverto, quòd dum adduco, & ſequor Sororis Mariæ de Agreda ſcopum, id non facio, quia ad eius verba attendam, veluti ad ea, quæ ſunt revelata; non enim meum eſt noſſe tempora, & momenta quæ Mater Eccleſia poſuit in ſua Poteſtate; ſed illius recito, & ſequor doctrinam more ſcholaſtico, & quo pacto cuiuſvis poſſum probi, & eruditi viri.

ART. I.

De Donis quoad differentium comparationem.

3 Quoad comparationem in differendo poſſunt dona combinari inter ſe, & cum virtutibus, quarum in præcedenti Diſtinc. per Articulos egimus. Verùm cum, dum dona in ſpeciali ſecernamus, eorũ inter ſe diſtinctio apparere debeat, hinc de diſtinctione donorũ cum virtutibus dumtaxat reſolvere decernimus, videlicet, an donum ſecũdum ſe, quid diſtinctum à virtute ſit? Circa quod, vt differentiam deſignarent Doctores, per varias vias duxerunt expoſitiones, vt videri poſſunt apud Seraphicum Doctorem hinc, in *Diſt.* 34. *Art.* 1. *quæſt.* 1. quarum aliqua approbare, & non ſic alia, videtur.

4 Reſolvendum, dona & virtutes adinvicem differre. Ita Seraph, quem ſequitur V. Maria de Agreda 1. *p. Lib.* 2. *cap.* 13. vbi ait: *Septem Spiritus Sancti Dona (in quantum adipiſcor) videtur mihi, quidquam addere ſupra virtutes ad quas reducuntur; ac proinde ex addito, licèt idem obiectum tentant, differunt ab eis.* Signat infra rationem, quia Spiritus Sancti dona, talia ſunt ex fine peculiari, quod inclinent, & adiuvent potentias ad actiones, & opera heroica, & in virtutum materia excellentia; igitur vltra communem, & connaturalem operandi modum virtutum, quo pacto excellentius ex natura rei eſt opus, & excellentius ex natura rei debet eſſe principium, ac proinde virtus doni diſtinctior, ſicuti ſpecialior (diſtinguuntur etiam dona, ſicuti, & rationes donorum) vnde ex efficaci, & expedito operandi modo, dum in voluntate noſtra effecta, videtur Spiritui Sancto appropriãda, ſicque donum, quia ab eo donata (quod enim ſpeciale, Deo de per ſe tribuendum, communis vſque adhuc Theologorum doctrina). His conſonare videntur, quæ melius & magis exponebat ibi Soror Noſtra Maria.

5 Conformat, & confirmat Seraphicus Doctor, dum ait in ipſius reſolutionis theſi: *Dona, & virtutes differunt adinvicem, quia illa expediunt, iſta vero rectificant potentias, & ideo etiam differunt in modo nominandi.* Tum dum ſic aperit, & theſim exponit, aiens: Quartus autem modus aſſignandi differentiam (hæc magis diffuſé recito, vltra quod textualiter ſoleo, vt pius & prudens lector attendat, quam Seraphico Magiſtro conſonans ſit Mariana Diſcipula) per comparationem ad actus, eſt verus, & proprius, & abundat ab omnibus prædictis, quia eſt per propria, & per priora ſecundum rationem cognoſcendi, & per ea, quæ omni ſtatui ſunt communia. In omni enim ſtatu competit homini, vt operetur rectè, & expeditè, & perfectè. Ex his patet non ſolum modo differentia prædictorum ſecundum rem, ſed etiam ſecundum nominandi rationem. Nam habitus rectificantes rectè dicuntur virtutes, pro eo quod virtus de ratione ſui nominis dicit, quod ad agendum erigit, & vigorat. Habitus vero expedientes rectè dicuntur dona, pro eo quod dicunt quamdam vlteriorem abundantiam boni-

bonitatis ad agendum : ac per hoc magis atteſtantur divinæ liberalitati ; & propter hoc rectè cenſentur nomine doni. Patet ergo ex prædictis, quod inter virtutes & dona eſt differentia. Hæc Seraphicus Doctor,quæ ſi cum Sororis Mariæ doctrina conferas, non invenies diſſonantia, prout ex aliquorum oppoſitorum ſolutionibus infra confirmabis.

6 Tum reſolutionem ſtabilitam ſuadet Seraph rationibus,& Auctoritate Magni Gregorij, qui in *Moralibus l.* 1. *c.* 13. ſuper illud Job: *Nati ſunt ei ſeptem Filij, & tres Filiæ,* inquit,quod per Filios intelliguntur Dona,& per Filias intelliguntur Virtutes; ergo(infert Seraph) habent ab eis diverſificari. Tum inter alias, hac vtitur ratione : Sicut ſe habet *intellectus* ad fidem, ſic ſe habent alia dona ad alias virtutes ; ſed donum intellectus differt à virtute fidei, quia credere eſt aſſentire ſine ratione, ſecus autem intelligere ; igitur & cætera dona different ab alijs virtutibus.

7 Nec obſtat in contrarium,quod quorum definitiones ſunt eædem,& ipſa ſunt eadem ; ſed definitio doni, & virtutis ſunt eædem; ergo. Prob.min. ex identitate ad definita,quia ſecundum Philoſophum, Donum *eſt datio irredibilis* ; & ſecundum Auguſt. *l.* 2. *de lib. arb. c.* 18. *&* 19: *Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nemo male vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur;* ſed vtraque iſtarum definitionum convenit cuilibet dono, & cuilibet virtuti; ergo. Non obſtat, quia vt ait Seraph, cum res diſtinctæ poſſint in ſubalternis ſpeciebus convenire, ſi definitiones large, & ex communibus conſtruantur,vt hinc, compati poterit quod vtraque definitio vtrique rei competat adinvicem, & quod ex infimis differentijs vtraque res adinvicem diſtinguatur.

8 Nec obſtat, quod eodem vitio male operamur, & expedite operamur; ergo à ſimili de virtute, ac proinde ex rectè operari per virtutem, & ex expedite per donum non debet colligi diſtinctio. Non obſtat, quia, vt ait Seraph, ex quo cunctæ potentiæ depravatæ extitere, non eſt ſimile, quia facilius eſt male facere, & declinare à bono,quam benè facere,& in bono expediri. Sic facilius eſt aliquem vulnerare, quam vulneratum ſanare,ac proinde plures habitus requiruntur ad perfectè ſanandum, & reparandum, quam ad deordinandum.

9 Nec obſtat, quod per habitus virtutum ſufficienter anima perficitur, & ordinatur ad omne bonum: Ordinatur enim homo per virtutes ad Deum, ad Proximum,& ſeipſum ; & hoc ſecundum omnem vim animæ, ſicut in præcedenti Diſt. oſtenſum fuit; igitur aut dona erunt virtutes, aut habitis virtutibus ſuperfluent Dona. Non obſtat, quia vt ad principale ait Seraph, licèt virtutes ſufficienter ordinent quantum ad ea, quæ ſunt rectitudinis, & neceſſitatis, vtpote quantum ad illos actus primos, & quaſi fundamentales, in quibus primaria rectitudo ſiſtit; tamen vltra hoc liberalitas benignitatis Divinæ providit homini, & contulit habitus, per quos expeditur non ſolum ad opera neceſſaria rectitudinis, ſed etiam perfectionis, & ſupererogationis,

ART. II.

De Donis quoad excellentiam.

10 MAnet expoſitum, & propugnatum dona & virtutes diſtingui; vnde venit nunc conſequenter diſputandum de Donorum excellentia in comparatione ad virtutes. Circa quod

11 Reſolvit Seraph Doctor *in quæſt.* 3. quod dona, quoad ſtatus conſequentes ſunt virtutibus excellentiora, licèt in comparatione ad gratiam informantem æqualia virtutibus habeantur. Præſens reſolutio ſolum indiget commentario. Poſſunt enim dona conſiderari in ordine ad gratiam, quæ cuncta ſubiecti opera æquè informat, & qua gratioſa, ſeu vt gratiam concernentia,pari iure ſunt meritoria, & glorificatione digna, cum gratia ſit vna, & pro omnibus indiviſa forma. Poſſunt etiam tam dona, quã cæteri habitus conſiderari ſecundum ſpecialem vniuſcuiuſque ſtructuram, & proprium operandi modum, vt concernit quilibet actus ſui ſpecifici, & formalis principij excellentiam. Tum huic conſiderationi ſubalternatur alia, iuxta quam poteſt quilibet habitus conſiderari, vtpote, quoad ſtatum deſumptum ex ipſa diſtinctione habituum, ac proinde ſic, quod ex eo, quod ſecundum ſtructuram entitativam quidam habitus inæquales ſint alijs, etiam conſtituant ſtatus inæquales, quia ſcilicet ex ordine entitativo actuum, exigant exercitia talium habituum,ſubſequi ad exercitia aliorum, ſicque quidam habitus habere ſtatum antecedentem, & alij ſtatum conſequentem. His ita expoſitis, reſolvebat Seraph, quod in comparatione ad gratiam, dona, & virtutes æqualitatem ſuſtinent, ſecus autem in comparatione ad actuum ſtructuram, & ſtatum iuxta eam requiſitum. Suadet, quia vſus virtutum habetur in ſtatu imperfectionis, ideſt

commu-

communis,& remiſſæ perfectionis; vſus vero donorum promovet, & elevat hominem ad ſtatum perfectionis, prout ſupra de diſtinctivo loquentes expoſuimus & propugnavimus; igitur ſic dona erunt excellētiora virtutibus, ſicut ſtatus proficientium perfectior eſt incipientium ſtatu; idque à poſteriori, quia ſtatus donorum præſupponit virtutum ſtatum. Unde inquit Seraph, quod ſicut benè eſſe melius eſt quam eſſe, quia benè eſſe dicit eſſe,& aliquid amplius; ſic habitus reddentes potentias expeditas ad actus medios, excellentiores ſunt habitibus reddentibus eas expeditas primo ad actus primos; non ratione eius quod addunt ſolum, ſed ratione eius, quod addunt, & præſupponunt. Et ſemper eſt ratio, quia iuxta præfixa huius providentię, etiam in ordine gratiæ, & perfectionis, non eſt primum, quod operatur perfectius; quę enim adduntur ad alia, ſuper ea ſunt, vt patet in gradibus inſcēſionis perfectionis; privilegium enim fuit ſpeciale pro Chriſto, & Alma Matre in primo actu habere plenitudinem, & ſummam perfectionem. Nos autem ibimus de virtute in virtutem, & de habitu in habitum.

12 Dixerat Seraph, Dona perfectiora eo modo fore, *non ratione eius quod addunt ſolum, ſed ratione eius quod addunt, & præſupponunt*, quia prout ſupra innui, virtutum ſtatus erat quaſi fundamentum, quod ſi non præſupponatur, connotetur, & ſemper ipſum ſiſtere concernatur, nil vltra perfectum efficietur. nec quidquam optimum elevabitur, ac proinde licèt ditiores,& perfectiores manſiones in domo ſint, ac ipſius fundamenta, illæ tamen vt additæ & elevatius perficians, concernere & prçſupponere fundamentum requirunt, prout communius ſic theologizatur de maiori perfectione charitatis in comparatione ad fidem, quæ eſt actus primus, & illius magnifici ædificij fundamentum, necnon ſtatum antecedentem inde conſtituens. A ſimili in hoc, & alijs Seraphicam reſolutionem conſidera,& theologiza.

13 Tùm Mellifluo *lib. de amore Dei cap.* 5, ſuadet Seraphicus, dum aiebat ille: *Amor proficit in charitatem, charitas in ſapientiam;* ſed non eſt profectus niſi per progreſſum ad aliquid excellentius; ergo ſicut perfectius in donis, vtpote ſapientię, eſt excellentius perfectiori in virtutibus, vtpote charitatis, dona ſecundum ſe erunt virtutibus excellentiora. Ex hac ratione clarè intuli, quod in huius Articuli quęſito, nedum intenderit Seraph circa excellentiam comparare dona Spiritus Sancti cum ſolis cardinalibus virtutibus, quin etiam cum vniverſis.

14 Nec obſtat, quod per Apoſtolum 1. *ad Corinth.* 12. dicitur in fine: *Et adhuc excellentiorem vi.m vobis demonſtro.* Ubi ait Gloſſa: *Demonſtro vobis viam eundi ad Deum, id eſt charitatem, quia maius omnibus donum eſt.* Igitur dum proprius charitas virtus ſit, videtur quod virtutes excellentiores ſint quā dona. Non obſtat, quia, vt ait Seraph hinc, Apoſtolus comparat charitatem ad illa, quæ poſſunt ſine charitate haberi, ſicut fides, & ſpes, & illæ aliæ virtutes, quę poſſunt inveniri abſque charitate. Dona autem Spiritus Sancti charitatem præſupponunt, & vltra habitum charitatis aliquid addunt, ſicutī habitus ſapientię addit aptitudinem, & promptitudinem ad faciliter deguſtandum, quam ſuavis ſit Dominus; ac proinde hinc ea comparatio non habet locum, cum alterum in altero claudatur, & veluti indiſpēſabile fundamentum requirat, prout diximus. Ubi breviter etiam dicimus quod ſi charitas non evacuetur in Patria, ſicque nunquam excidat, id etiam habet donum, vt in vltimo Articulo dicemus; hincque dicimus quod licèt charitas & donum habeant non excidere, at ſemper ſic, quod charitas habeat non excidere vt fundamentum, & donum vt quod perficit amplius, & exornat, prout dicitur de domo quæ tota ſiſtit, & nec excidit ex fundamento, nec ex aureolis, ſeu fulgentioribus manſionibus. Dixi charitatem fundamentum, vtpote reſpectu donorum, nam reſpectu virtutum eſt forma, & maior perfectio, ac proinde ſic quod charitas quæ eſt complementum, & terminus perfectior ad virtutes, ſit initium & fundamentum ad dona.

15. Tandem hinc obſervandum eſt cum Seraphico Doctore in *Art.* 1. *quæſt.* 3. quod virtutes quoad vſum præcedunt dona, licèt quantum ad originem, & infuſionem cum gratia, omnia inſimul ſint. Ab exēplari enim virtutum percipe, & theologiza, vtpote cum tres virtutes theologicę ſimul habeantur quoad originem, & infuſionem, ſecus autem quoad vſum, cum quæ fundamentum eſt prius exerceatur. A ſimili habe.

ART. III.

De Donis quoad coordinationem.

16 NUmeravit Iſaias *c.* 11. Spiritus Sancti dona ſic: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Conſilij, & Fortitudinis, Spiri-*

Spiritus Scientiæ, & Pietatis: Et replevit eum Spiritus Timoris Domini. Ubi, cum videatur Iſaiam voluiſſe donis præſtare ordinem, ſicque ad dignitatis proportionem coordinare, inquiratur an ordinate fecerit, atque ea collocaverit, an vero ſolo caſu, & fortuna? Rurſus ſi dona rationabiliter, & non à caſu fuerint ordinata ab Iſaia, videbitur irrationabiliter ordinata à Matthæo c. 5. cum Evangeliſta enumeret incipiens à timore Domini, ac proinde ex adverſo ac enumeravit Propheta. Circa hoc igitur

17 Reſolvendum, dona Spiritus Sancti rectè ordinata tam à Propheta, quam ab Evangeliſta extitiſſe. Ita Seraph *Art. 2. quæſt.* 2. cuius ibi poſita doctrina egemus, vt vtriuſque ordinationem ſalvare poſſimus. Donum enim iuxta diverſas conſiderationes poteſt attendi. Poteſt enim attendi ſecundum gradum dignitatis, & excellentiæ, quo pacto donum ſapientiæ eminentiorem locum occupat, ita vt qui ad ſummum aſcendat, à timore incipiat, & in ſapientia quieſcat, ibique paret. Poteſt etiam attendi doni collocatio ordine generationis, prout nonnulla ſic ſumuntur à Philoſopho 5. *Metaph. Contex. 16. Ex Poſtpræd. c. de Priori &c.* quo pacto aliquid eſt prius generatione & tempore, quod eſt poſterius complemento & dignitate, & è converſo. His ita breviter expoſitis, & ſuppoſitis, dicimus iuxta literam Seraphici Magiſtri, quod Propheta incipiens à ſupremo vtpote à ſapientia, incipit iuxta prius in dignitate & perfectione: Et Evangeliſta incipiens ab infimo, vtpote à timore Domini, incipit iuxta prius in vſu, & generatione, quia, vt ait ibi Seraph, *Ad vſum doni ſapientiæ à nemine pervenitur, niſi prius in vſu timoris exercitium præmittatur.*

18 Rurſus iuxta præfatum dignitatis, & excellentiæ modum, ait Seraph, quod benè compatitur tam ordinatio Iſaiæ à ſupremo, quam ordinatio Matthæi ab infimo, eo quod valeat ſumi ordo vel aſcendendo, vel deſcendendo. Si aſcendendo ſumatur, benè ordinatus fuit donorum aſcenſus per Matthæum, cum incepit ab infimo, vtpote à timore, nam nemo aſcendit niſi ab infimo incipiat. Si deſcendendo ſumatur, benè ordinatus fuit deſcenſus ab Iſaia, cum incepit à ſummo, vtpote à ſapientiæ dono, cum nemo, quin à ſupremo recedat, deſcendere valeat. Hoc enim pacto, quocunque præfatorum modo, facile Propheta, & Evangeliſta concordantur.

19 Ulterius vtriuſque in numerando ſcopum aliter concordat Seraph, S, propter diverſitatem principij efficientis, & ſuſcipientis. Principium namque efficiens eſt ipſe Spiritus Sanctus, in quo eſt ſumma perfectio; ſubiectum autem, ſeu principium ſuſcipiens eſt liberum arbitrium, in quo eſt imperfectio. Hoc enim pacto, poteſt in ordine præponi donum, quoad efficiens principium, quod magis approximat perfectioni Spiritus Sancti, ac proinde ſic præmitti donum ſapientiæ, quod eſt perfectiſſimum. Poteſt etiam præmitti donum, quod ex ſuſceptivo penitus approximat liberi arbitrij imperfectioni, ſicque præmitti donum timoris, quod minus perfectum eſt. Manent igitur ſic Spiritus Sancti dona benè conſtituta, & vndequaque coordinata.

20 Nec obſtat (etiam dum à præfatis doctrinis abſtraheremus) quod habitus ſpectans ad cognitionem præcedit habitum, qui ſpectat ad affectionem; igitur cum ſapientia hinc à *ſapere* dicta ſpectet ad potentiam affectivam, intellectus vero ſpectet ad potentiam cognitivam, videtur, quod donum intellectus ſit dono ſapientiæ præponendum. Non obſtat, quia, vt ait Seraph illud eſt verum de habitibus purè affectivis, qui indigent alio regulante, ſicut patet in pietate, & fortitudine: At hoc non habet locum in habitu ſapientiæ, nam ipſa habet iuxta ſe cognitionem experientiæ, quæ adeo dirigit, & allicit, quod circa vſum illius doni vix, aut nunquam habeat error accedere. Et propter hoc inquit quædam Gloſſa (inquit ibidem Seraph) quod donum ſapientiæ donum intellectus habet dirigere, ideoque, quia cognitio experimentalis de divina ſuavitate amplificat cognitionem ſpeculativam de divina veritate; ſecreta enim Dei amicis, & familiaribus conſueverunt revelari.

21 Nonnulla alia argumenta proponit ibi Seraph, quæ omitto, eam ex tot ipſius præclariſſimis expoſitionibus, facile quiſque occurrere valeat. Vide necne, quæ ibi reſolvit, & exponit circa ſeptem donorum ſacram combinationem.

ART. IV.

De Donis quoad durationem.

22 Inquirendum venit in fine, de donorum fine, videlicet, an in Patria evacuentur, an vero infinita permaneant. Circa quod

23 Reſolvendum, dona in Patria non evacuari, ſed perfectius remanere. Ita Seraph in vltima quæſtione *Diſt. 34. Partis 1.* vbi in conclu-

concluſionis expoſitione, ait: *Verumtamen manebunt, ſecundum nobiliores, & excellentiores vſus, & actus, quam ſint in via, ſicut prius dictum fuit de cardinalibus virtutibus.* Et ratio eſt iuxta ipſius mentem, quia non repugnant habitus qui vtrique ſtatui communes ſint, vt patet de charo, qui hinc conditionatur, à fide, & ibi à lumine gloriæ; vnde cauſaliter & ex nobilioribus conditionantibus, & antecedentibus oritur, quod licet habitus charus vno & altero conditionanti compatiatur, at iuxta nobilioris conſortium, nobilius & excellentius exerceatur; à ſimili ergo percipe de donis ex fidei, & ſolius gratiæ conſortio hinc, dum ex glorioſo conſortio alibi.

24 Tum ſuadet Auctoritate Ambroſij *lib. de Spiritu Sancto, cap.* 20. vbi ait: Ciuitas Dei illa Hieruſalem Cæleſtis, non meatu alicuius fluuij terreſtris abluitur, ſed ex fonte vitæ procedens Spiritus Sanctus in illis cæleſtibus ſpiritibus redundantius videtur influere pleno ſeptem virtutum ſpiritualium feruens meatu. Hæc Ambroſius, quæ Seraph ibi ad literam de Spiritus Sancti donis intelligit.

25 Tum Chriſtus Dominus fuit perfectiſſimus comprehenſor; ſed in ipſo fuerunt omnia ſeptem dona, ſecundum quod manet dictum per Iſaiam; ergo videtur quod compati poſſint cum ſtatu Beatifico.

26 Tum timor Domini eſt donum infimum inter omnia; ſed donum timoris in Patria manebit iuxta illud Pſalmi 110. *Timor Domini Sanctus permanens in ſæculum ſæculi;* igitur per locum à minori videtur, quod altera dona maneant. Tandem hinc, quia dona, vt diximus, perfectiora ſunt cardinalibus virtutibus; ſed probauimus iſtas manere; ergo &c.

27 Nec obſtant, quæ in oppoſitum obijciuntur, & in primo in communi ſic: Habitus donorum ordinantur ad ſanandum ſymptomata ex infirmanti natura derelicta; ſed in Patria nulla erit infirmitas; ergo nulla erit donorum neceſſitas. Tum 2. dona ſunt ad actus medios; ſed in Patria omnes actus erunt perfecti, & vltimati; ergo ſuperfluent. Non obſtat primum, quia vt ait Seraph, perfectæ medicinæ vſus non tantum ſtat in reſtituendo ſanitatem, ſed etiam in præſeruando, & continuando. Vnde dona in ſtatu innocentię fuiſſent ad ſanitatem præſeruandam; in ſtatu naturæ lapſæ ſunt ad ſanitatem reparandam; in ſtatu vero gloriæ erunt ad ſanitatem perpetue continuandam. Licet enim in illo ſtatu non ſit amplius ęgritudinis curatio, erit tamen in illo ſempiternæ ſalutis continuatio.

Nec obſtat ſecundum, quia ſicut in ſtatu viæ, quoddam genus operis dignitate, & actu alterum antecellit, ſic erit reſpectiuè in ſtatu gloriæ, prout etiam videre poſſumus in membris eiuſdem corporis: Vnde ſicut eiuſdem corporis membra, omnia perfecta erunt, & tamen vnum membrum quodam modo excellentius alio iudicabitur, ſicut oculus excellentior pede; ſic etiam intelligendum eſt in Patria, quod actus virtutum, donorum, & Beatitudinum ibidem omnes perficiantur, & tamen licet ſic vltimati, eum diſtinctione proficient, vt etiam apud Subtiles, dum ſemper amor excellet cognitionem, & è contrario apud Angelicos, licet vterque actus perfectus & vltimus.

28 Nec magis obſtant, quæ circa dona in particulari opponunt, vt in donum intellectus ſic: Per donum intellectus cognoſcitur Deus in creaturis, & per creaturas; igitur cum in Patria cognoſcatur per ſuam Eſſentiam, videtur quod donum intellectus in ſumma illa Beatitudine non maneat. Non obſtat, quia, vt ait Seraph, quamuis in ſtatu viæ donum intellectus fiat per diſcurſum, & quamdam inquiſitionem; in Patria tamen erit per ſimplicem aſpectum, vbi Deus in omnibus creaturis videbitur manifeſte. Unde ſicut dicit Philoſophus *lib.* 1. *Poſt. c.* 24. Si eſſemus ſupra Lunam, non quæreremus propter quod eclypſaretur, quia ſimplici aſpectu videremus interpoſitionem terræ: ſic, immo multo excellentius in propoſito venit intelligendum.

29 Nec obſtat in donum Conſilij, quod donum conſilij eſt dubitantis, & conferentis; ſed in Patria non erit defectus dubitationis, nec diſcurſus collationis; ergo. Non obſtat, quia, vt ait Seraph, in dono conſilij duo penſanda ſunt, S, quædam patrium ponderata diſcuſſio; & etiam excellens, & ſtabilis, melioris, & dignioris partis electio. Primum eſt imperfectionis, & tolletur; ſecundum vero perfectionis, & manebit, prout dum Magdalena ſic optimam partem elegit, quod non auferetur in æternum. Primum enim non eſt de eſſentia conſilij *doni*, ſed ſecundum.

30. Nec obſtat, quod opponitur in donum fortitudinis, quę expedit nos ad pericula ſuſtinenda; ſed in illa Beatitudine nullum erit periculum; ergo. Non obſtat, quia, vt iam expoſuit Seraph, vbi de virtutibus *Diſt.* 23. *Art.* 1. *quaſt.* 6. *ad* 1. *ſolutionem*, donum fortitudinis non manebit ex ea parte quæ imperfecta in via, ſed in Patria diſponet ad hoc, quod homo fortiter Deo adhæreat, & inſeparabiliter

rabiliter inſit; & id non tantum ſecundum ſufficientiam, ſed etiam ſecundum excellentiam, ac proinde non ſuperfluet.

31 Nec obſtat, quod opponitur in donum ſcientiæ, quod ſcientia doceat converſari in medio nationis pravæ, & perverſæ; ergo. Non obſtat, quia converſari in medio nationis pravæ, eſt ſcientiæ, prout in ſtatu viæ; in Patria vero eius vſus erit (inquit Seraph) ad ſciendum, & diſcernendum, quomodo & qualiter vnuſquiſque debeat ad alterum ſe habere, cum etiam inter bonos detur diſtinctio.

32 Nec obſtat, quod opponitur in donum pietatis, quod ſcilicet ſit ad compatiendum; ſed in Patria ob ſummam impaſſibilitatem, nulla erit compaſſio; ergo. Non obſtat, quia vt ait Seraph, ad donum pietatis non ſolum ſpectat compati patienti, ſed etiam affectum quemdam benignitatis, & dulcedinis habere ad omnem hominem, in quo conſpicit imaginem Dei; in ordine ad quem actum pietas in Patria manebit, licèt non in ordine ad alium actum.

33 Nec obſtat, quod opponitur in donum timoris, quod ſcilicet donum timoris ſit ad retrahendum hominem à malo; ſed in Patria nulla erit ad malum obliquatio; ergo nec timor. Non obſtat, quia, vt ait Seraph, vſus timoris non erit ibi quantum ad mali cautelam, ſed potius quantum ad ſummi ardui reverentiam, ita quod in illa ſumma Maieſtate faciat reſilire in propriam parvitatem.

QUÆST. II.

De Septem Spiritus S. Donis in particulari.

1 EXpoſuimus ſupra cum Seraphico Magiſtro quæ principalius ad dona in communi ſpectabant; nunc autem quæ principalius ad vnumquodque in particulari ſpectant, diſcernere, & dilucidare cum Franciſcana Diſcipula decernimus; cuius doctrinæ cum Seraphica concordiam, prout notare valuimus, quicunque legat, conſone notare valebit. Vide ergo Mariæ Ancillam, nobiſque placidam Sororem Mariam de Agreda *in* 1. *p. lib.*2. *cap.*13. *tam num.*599. vbi brevius dum à poſteriori deſcribit ſeptem dona, quam *num.* 601. vbi latius, dum à priori, nedum eviſcerat, quin etiam cum virtutum lineis combinans (prout ſupra Seraph Doctor) præclarè penetrat præcedentis Articuli coordinationem, vtens ea Seraphici doctrina, qua ordinem dignitatis, & generationis quoad prius & poſterius collocari per Iſaiam, & Matthæum, compatibilem reliquimus.

2 Quandò Spiritus Sancti dona (inquit Soror Maria de Agreda, cuius iterum noto, me non vt revelatam, ſed vti more ſcholaſticæ ſpeculationis, hinc adducere doctrinam) virtutum exercitio, ac diſciplinæ acquiruntur medio, ſicque ſpiritus contrariantium vitiorum triumphans, primum locum obtinet *Timor*; ſecus autem in Chriſto Domino, cuius in donis Encomiaſtes Propheta, à ſupremo ſapientiæ dono ſumpſit exordium, eo quod non vt diſcentis more infimum, ſed vt docentis mire ſupremum reciperet, ſicque qui Prior à priori inchoaret.

3 Sapientiæ igitur donum (Noſtra Maria comite ſemper alloquar) quoddam illuminatum ſapere continet, quo intellectus noſter rerum veritatem per earum intima & ſuprema adipiſcitur; tuncque voluntas ſummi boni veritatem deguſtans, ipſum ab apparenti & falſo diſcernit, & ſeparat; cum ille ſapiens revera ſit, qui verum bonum abſque fallacia intuetur vt guſtet, & non guſtat quin intueatur. Hiceine ſapiētiæ guſtus, ſiſtit in eo, vt per intimam amoris vnitionem ſummo bono perfruatur; ad quam, boni honeſti, per virtutes amori infimas per exercitium adepti, guſtus ſequitur, atque *Sapor*. Inde non dicitur huiuſcemodi ſapiens, qui veritatem duntaxat agnoſcit, & ſpeculatur, tameſi in illius cognitione delectetur (concordat Subtilis qui *in* 4. *d.* 49. *q.* 4. ait ex Auguſtino: *Neque vir bonus meritò dicitur, qui ſcit quod bonum eſt, ſed qui diligit*) Nec ſapiens dicitur, qui ſola cognitione ductus, virtutis actus operatur, & maximè ſi per aliam cauſam operetur. Sin autem verè ſapiens dicetur, qui ob ſummi, vereque boni guſtum exerceatur, ac ipſum habeat noſcere infallibiliter, in quo, & propter quod, quæcunque etiam infima virtutum intimo vnitivi amoris tramite exercet, atque miniſtrat. Hic eſt vir, qui verè ſapiens erit.

4 Præfatam veri boni cognitionem, donum intellectus ſapientiæ dono ſubminiſtrarat (dum V. Soror Maria dicit donum intellectus fore vti ſapientiæ miniſtrum, loquitur ordine generationis, & per aſcenſum, licèt dum primo loquens à ſapientia incipiat, loquatur ordine dignitatis, & per deſcenſum, prout ſupra concordabat Seraph Doctor) veluti quod eam immediatè antecedit, & comitatur; in eoque ſiſtit intellectus donum, quod divinas veritates intimè penetret, eas

 necne,

neceſſe, quæ iuxta hunc ordinem valent reduci, & applicari: *Spiritus enim* (ait cum Paulo 1. ad Corint. 2. *Omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.*

5 Fortitudinis donum eſt quædam virtutis Divinæ participatio, eiuſque influxus, quem Spiritus Sanctus creatæ voluntati communicat, vt feliciter animo roborata, ſupra quodcunque naturæ debile, & infirmum, & quod è tentationibus, anxietatibus, alijsque adverſitatibus formidari ſolet, penitus erigatur, ſicque cuncta hæc ſuperexcedens, & evincens, quidquid arduum, ac ſublime virtutum acquirat, & conſervet, tumque virtutes omnes, gratias, ſolatia interna, revelata, & ſenſibiliter dilecta, tametſi nobilitate, & excellentia perfuſa, tranſvolet atque tranſcendat: ante Deum etenim, vniverſa à tergo relinquat, quouſque divino efferveſcente conatu, ſummi boni adeptionem, quam pro viribus fragrans concupierat, diffuſa obtineat, & indefeſſa ſic ibi ſuaviter & fortiter maneat, vt omnia vincens in eo qui conſortarat eam, quod *è forti egrediatur dulcedo*, firmiter dicere queat.

6 Scientiæ donum quædam eſt notio indicativa cum infallibili rectitudine cuiuſvis rei quæ credi habet, ſicuti cuiuſvis quod per virtutum exercitia operari debet. Differt in eo à conſilio (hinc donum conſilij deſcribit) quod ſcilicet iſtud eligit, & ſcientia indicat; ac proinde huic, iudicij rectitudo, alteri at electionis diſcretio applicatur. Differt & ab intellectus dono, cum hic fidei veras & virtutum interna veluti ſimplici primorum intuitu penetret; donum autem ſcientiæ quidquid virtutum, & veritatum deducens, nonnulla eis exteriorum combinans, veluti magiſtrante diſcurſu percipit & moderatur.

7 Pietatis donum eſt virtus, ſeu divinus influxus, quo Spiritus Sanctus voluntatem creatam emollit, & quaſi defluere liquefaciendo facit; eamque ſic movens ad quæcunque importantia in Altiſſimi obſequium, & proximi beneficium. Tum ea mollitie, & ſuavi dulcedine, adeſt in promptu noſtra voluntas, atque memoria vigilans, vt cum gratiarum actione, benedicat Dominum in omni tempore, & ſummi boni ſit ſemper laus in ore eius, necnon egenorum pie occurrens laboribus, creatorũ tenerè compatiatur. Hoc itaque pietatis donum invidia non enervatum, neſcit odium, tepidum repellit, anguſtum in corde ſpatium non ſuſtinet; quodam namque modo illud fortiter, & ſuaviter inclinat, vt in omnia quæ Dei, & proximi ſunt hilariter prorumpat; Beatus vir qui eo ſic abijt, cum eum benevolum, gratum, & ſolicitum relinquat. Dixerat inde Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 4: *Pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ*; nonque aliunde, niſi cum pietas ſit nobile charitatis inſtrumentum.

8 Timor Domini in fine adeſt, omni laude toties apud Sacram Scripturam celeberrimus, ſicuti & à Sanctis Doctoribus meritò commendatus, vti chriſtianæ perfectionis fundamentum, & veræ ſapientiæ initium; eo namque, quod timor Domini, arroganti noſtræ inſipientiæ reſiſtat, eoque iſta radicitus corruat, & evaneſcat. Hoc donum ſic nimis proficuum, ſiſtit in quadam amoris fuga, & nobiliſſimo rubore, quo reſtricta anima, propriæ conditionis infimum, ſeque ipſam retrahit, dum ſic ſe comparat & intuetur ante faciem Magni Domini, cuius magnitudinis non eſt finis; vnde Apoſtoli *ad Rom.* 11. ſequitur doctrinam, S, *Noli altum ſapere, ſed time.*

9 Tum Sanctus timor etiam petit habere gradus, cum *Initialis* primo, & Filialis nominetur deinceps: incipit namque primo fugiens, & à culpa recedens, vtpote ſumo bono, quem amat, & reveretur contrarianti, & vlterius ſe deſpiciens, & peſſundans proſequitur, quia quod eſt, cum Maieſtate comparat; quod ignorat, cum ſapientia; & quod non habet, cum habenti opulenter omnia. Idque omne, cum Divinæ voluntati penitus ſubiecta, & vniverſis creaturis propter Deum humiliter inveniatur, tuncque eis intimo movetur amore, & ad culmen filiorum ipſius Dei, & ſupremam ſpiritus vnitatem pervenit, cum Patre, Filio, Sanctoque Spiritu, per quem omnia, ex quo omnia, & in quo omnia, ipſi cum Alma Matre, Sponſo caſtiſſimo, & Petro obſervantiſſimo meo Patrono, gloria in ſæcula.

Amen.

***

DIST-

DIST. XIII.

DE STATUTIS SERAPHICIS

DUM LAUDAT POST MORTEM,

OPVSCVLI SACRARAT AUCTOR

(VTINAM AD MEMORIAM INSTAR JUSTI ÆTERNAM) Reverendiſſimo Patri, & Venerabili Fratri Marco Zarzoſa, Præclariſſimo Lectori Jubilato, Immaculatæ Conceptionis Aulæ Regali, & Auſtriaco Theologo, Specioſorum Evangelizantium pedum Duci Apoſtolico, Seraphicę Religionis Miniſtro Generaliſſimo, & Beatiſſimi Patris Franciſci Succeſſori penitus Legitimo.

1 SUSPIRIUM meum, quod diffuſé vellem, Seraphice Encomiaſtes, ſaltim breviter audi, Marci quondam noſtri, nunc Dei, dum ante alterius Petri diſcipuli, ex quo evangelizans bona in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, pede rectus, & vita innocens, extitit à SS. Innocentio Undecimo ſummè dilectus. Utriuſque inde mors, & vita duello conflixere, & equidem mirando, cum coram tondente agnus ſemper agnum, nunc autem & Paſtor bonum Paſtorem ſequatur. Ululent Pini, quia cecidit Cedrus, & vos omnes qui ſuper Cedros Libani Paſtores, vlulate. Receſſit ergo Paſtor noſter, at poſtquã conſummatus in brevi explevit agnellis tempora multa. Receſſit; placita enim erat Deo anima illius, qui eam poſuit pro ovibus ſuis; propter hoc properavit educere illum de medio earum. Receſſit, at vti iuſtum morte præocupatum, in refrigerio, potius ſibi Magno, quam Minoribus deſtinavit. Receſſit, at poſtquam acceſſit vt imbet rigans montes de ſuperioribus ſuis. Receſſit; ſed quidquid in hac Sancta plebe poteſt eſſe virtutis, & gratiæ (vt pie credam) de hoc quaſi quodam fonte lucidiſſimo, omnium rivulorum puritas emanavit. Etenim quia caſtitatis pollebat vigore, quia abſtinentiæ gloriabatur anguſtijs, quia ſervis bonis blandimentis erat præditus lenitatis, quia paupertatis pretioſa fulgebat margarita, omnium fratrum in Deum provocavit affectum. Receſſit tandem, quia Zelus domus Seraphicæ comedit eum, & ſuper gregem ſuum etiam fatigatus cuſtodiebat vigilias noctis; indeque evenit, vt in pace in id ipſum dormiat, & requieſcat.

2 Tanto igitur in multis Fratribus Primogenito, ex quo lex Dei eius in corde ipſius, legum ac ſtatutorum opuſculum ſacrare conſului, vt Deo dante, melius vivere ſciat ille, cui ſtatutum eſt ſemel mori.

Proœmians Argumentum.

3 VT iuxta Magiſtri methodum, Tertium Sententiarum clauderemus Librum, de præceptis Decalogi quam plurima dilucidanda dubia reſtabant & decidenda. Verum enim vero, cum circa Decalogi præcepta, tot iam abundent Doctores erudientes, quot eorum Chriſtiani obſervantes, tempus mentemque noſtram ad præcepta Seraphica vertere, illis vtpote, etiam ex Auctore cælitus conſonantia, conſultò pro coronide decrevimus. Cum Divinis enim Franciſcana, ex Auctoris norma, myſterioſius conſonare pręcepta, facile quiſque videbit, ſi Chriſtiferum eum Chriſto conferat, prout Sanctiſſimus Pater Nicolaus Tertius, *in Sext. Decret. lib. 5. cap. 3. de verb. ſignif. tit. 12.* Sic contulit ex Auctore Regulam noſtram: *Hæc eſt cui, atteſtante Paulo Apoſtolo, nemo de cætero debet eſſe moleſtus, quam Chriſtus ſtigmatibus ſuæ paſſionis confirmavit, volens Inſtitutorem, ipſius paſſionis ſuæ ſignis inſigniri.* Tum ex materia, & verbis penitus quiſque inveniet ex Nicolao ſic ibidem: *Hæc eſt apud Deum, & Patrem munda, & Immaculata Religio* (exiſtimatam inde nos Dei Matrem prò viribus propugnare Immaculatam) *quæ deſcendens à Pa-*

tre luminum, per eius Filium exemplariter, & verbaliter Apoſtolis tradita, & deinde per Spiritum Sanctum Beato Franciſco & eum ſequentibus inſpirata, totius in ſe quaſi continet teſtimonium Trinitatis. Intentum conſonare pulchrè, & irrefragabiliter confirmat Leo Decimus in *Ite & vos in vineam*, vbi ſic: *Attamen inter cateras plantationes, quas per ipſum Pater Caleſtis, in ſolo plantavit Militantis Eccleſia vineam quamdam, tam ardenti preſecutus eſt amore, vt ſuam velut propriam vbivis illam appellet, ſic aſſiduis ſelertibus, ac fidelibus excoluit agricolis, vt alios primo mane, alios hora tertia, ſexta, nona, decima vero, & vndecima, quaſi inceſſanter cultores tranſmiſſerit. Hac eſt Sacra illa Minorum Fratrum Religio, qua virentibus ceremoniarum folijs, per viros Apoſtolices, tamquam per palmites extenſos à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum, imò aqua ſapientia, & ſcientia irrigavit mentes, & implevit terram. Hac eſt Religio Sancta, & Immaculata, in qua per ſpeculum ſine macula* (hæc ſemel & iterum Mariana videtur) *Redemptoris contemplatur praſentia, vita Chriſti, & Apoſtolorum inſpicitur forma, priorum Eccleſia Fundatorum, ante oculos Chriſtiana plebis, reducitur norma.* Manifeſtarat ſic Seraph Pater, cum hæc in Teſtamento ſuo reliquit: *Et poſtquam dedit mihi Dominus curam de Fratribus, nemo oſtendebat mihi quid deberem facere; ſed ipſe Altiſſimus revelavit mihi*, & rurſus: *Sed ſicut Dominus dedit mihi purè, & ſimpliciter dicere, & ſcribere Regulam, & iſta verba.* Igitur mentem noſtram ad leges Seraphicas vertere, non erit Legibus Divinis vtpote Evangelicis, ex norma, & Auctore diſſonare.

4 Inde circa puriorem Regulæ noſtræ captum, nedum eiuſdem Profeſsores Doctiſſimi, atque Sanctitate celeberrimi per omnea horas veluti Domini vineam calamis excoluerunt, vt Doctor Irrefragabilis, Doctor Seraphicus, Sanctus Bernardinus, Beatus Capiſtranus, Piſſanus, Aureolus, innumerabileſque alij, quin etiam plures horas conſumpſerunt Summi Eccleſiæ Antiſtites, Chriſti Vicarij, veluti eius vineæ Procuratores, prout Gregorius Nonus, Decimus, Innocentius Quartus, Nicolaus Tertius, Clemens Quintus, Sixtus Quartus, Benedictus Duodecimus, Joannes Vigeſimus Secundus, Julius Secundus, Tertius, & vti iam retuli, Leo Decimus, vt & noviſſimè Innocentius Undecimus.

5 Nec pro condecorato Franciſciadum Inſtituto ommitendæ Declarationes tres, quæ in ipſius iuris Canonici tramite, inſertę extitere; necnõ tot Concilia, vt Viennenſe, Conſtantienſe (huius ad idem intentum Leo Decimus, vbi ſupra, meminerat) & Baſileenſe, quæ dum de rebus fidei, & morum, etiam agere de Regula Sancti Franciſci decreverunt, ne foret diverſa Auctoritas, vbi in rebus attendebatur paritas. *Illius Evangelici Procuratoris more* (Bullabat Leo Decimus) *tanto provecamur ardentius, quanto frequentius, intenta mente, recolimus fructus vberes, quos ex eorum exemplari vita, & ſalubri doctrina, vniverſali Eccleſia, continuo cernimus provenire.*

6 Non feciſſe ſic, omni nationi Regulari, vniverſalia Concilia, teſtatur P. Sanctorus de Melfi hinc in Prologo ad Cõment. in Statut: quia licèt de Regula Sancti Benedicti in aliquibus Concilijs tractatum legatur, at illa non Generalia, ſed Provincialia fuerunt, & potius aliqua Monachis ordinare, quam formaliter Inſtitutum declarare, & commentari exercuerunt.

7 Cum igitur tot Summi Procuratores Chriſti, & Concilia, totque Sancti ſupra nominati Doctores *inceſſanter Cultores* (inquit Leo Decimus) ad Sancti Franciſci Regulam forent iam tranſmiſſi, necnon, licèt inferioris notæ, quamplurimi deinceps eruditiſſimi Interpretes, prout nunc etiam adſunt per illuſtres Recentiores, nõque ſic circa Statutorum Commentaria, & Generales Conſtitutiones, vtpote *qua virentibus ceremoniarum folijs* (Leo Decimus) deſcribi videbantur, Doctores abundent, cum ad id paucos, Sanctoro teſte, viderimus vocatos, ideo in Sanctiſſimorum, & Sanctorum ſplendoribus congenitum Regulæ, veluti vineæ fructum maturius relinquentes, ad nonnulla Statutorum folia, quibus etiam fructus vberior protegitur, defenditur, & conſervatur, ne tempus defluat inane, in noſtri calami ſulcis, principalius attendere penſamus.

QUÆST. I.

De Statutis Seraphicis in communi.

1 ANtequam ad nonnulla in particulari dilucidanda ſtatutorum quæſita deſcendamus, cum non ſemel de ſtatutorum in communi difficultates movere, & minus eorum multiplicitatem Fratres aliquos ſuſtinere audierim, quæ in genere principalius obtent, examinare, & reſolvere oportebit.

ART.

ART. I.

An Franciſcana Statutorum multiplicitas proficua, atque laudabilis videatur.

2 EXtiti vſque adhuc è numero Statutorum multitudinem ægrè ferentium, cum extra rigidum quæſiti examen, & exactam contrariantium rationum pugnam, non maneat ſecura, quæ nec mentis prævaluit radicitus propugnata victoria. Ut enim Danielis 7. dicitur, *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt*; optima namque deciſio non habebit firmiter ſedere, ſi ſurgens non habeat Libros aperire. Qua propter eum deinceps maturius quæ ſcripta in multitudine contrarium viderim, nonque ſatisfactus manerem, Franciſcanæ Statutorum multiplicitati favere reſolvi.

3 Reſolvendum firmiter Franciſciadum Legum multitudinem, nō nocivam, nec odioſam, quin potius proficuam fore, atque laudabilem. Eſt contra nonnullos Auctores veteres, & ex Recentioribus noſtris contra Sanctorum de Melfi *cap.* 12. *Stat.* 12. Suadetur 1. ex Regulæ noſtræ tenore, cum prout habetur in cap. 1. *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt, S. Domini Noſtri Ieſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare*; ſed ad penitus obſervandum Sanctum Evangelium, quam plurimæ ſunt inſtructiones, ſicuti conſilia ſub vmbra legum; ergo & debent eſſe ad Regulam, ſic Evangelicam, perfectius obſervandam. Nec dicas decem dumtaxat fore præcepta, non enim ſic evades rationem: Ratio eſt, quia dum loquimur de Conſtitutionibus noſtris, non loquimur de earum multiplicitate dumtaxat quoad præceptum ſub mortali, ſed ſic vt comprehendamus quæque ordinantur, ſicque dirigunt, atque ad maioris perfectionis obſervantiam inſtruunt, prout etiam de Evangelicis percipiendum.

4 Suadetur 2. & confirmatur primum, quia decem dumtaxat Decalogi præcepta, tot dubia, & controverſias derivarunt, quod toties congregarentur Concilia Generalia, in quibus quam plurima ad morum obſervantiam fuerunt ſtabilita, & ordinata; necnon tot errandi vias nonnulli excitarunt Chriſtiani, vt quam plura noviſſimè ab Alexandro 7. & deinceps ab Innocentio conderentur decreta, vt vias Dei demonſtrarent, & ſemitas Evangelij perfectius edocerent; igitur circa Regulam S. Franciſci, in qua vltra Decem Decalogi, vigintiquinque inſunt ſub mortali præcepta, nil mirandum, quod tot Conſtitutiones abundent, cum via quæ arctior, obſtet periculoſior; vbique magis Roſæ fragrent, magis & ſpinæ circunſtent; qui enim dolorem, etiam addere debet ſcientiam; dum ergo creſcunt dona, & rationes. *Legem dabit delinquentibus in via*; igitur vbi plures ſint viæ delinquendi, etiam illuſtrandi.

5 Suadetur 3. quia, vt Seraph Pater mire præviderat, Religio noſtra vti Arbor magna conſideranda, *quæ virentibus ceremoniarum folijs*, vt expoſuerat Leo Decimus, per vberrimos fructus implevit terram *per palmites extenſos*; igitur cum, vbi quin decidat oportet ſtatuere curam de fructu, oportear etiam ſtatuere de folijs ſine quibus non conſervabitur, cum *legem condens videatur ſtatuere illa, ſine quibus eſſe nequit, l. pen. ff. de vſuf.* ſic oportuit ad tot præcepta Regulę protegenda ſtatuta, & ceremonias extendere, ſicuti ad fructifera conſervanda, viridem foliorum conſervationem obſervare.

6 Suadetur 4. ex Scientiarum, & Artium præceptis. Ut enim Scientificus certam & claram vnius ſubiecti adæquati conſequatur concluſionem, quot principia non intuetur? Quot media ad vnum finem non inquirit, & examinat? Quot ad vnum ſubſtantiæ lineam non adherent accidentia? Si Artem fabri mechanicam etiam conſideres, vnico exequendo opuſculo innumerabilia invenies retinere inſtrumenta. Et dum ſublimius conſonate cupias, intuere Rempublicam, vti Aragonicam, quæ ſic laude, ac cæterorum æmulatione reſonat, & tamen credo plura fore ſtatuta, quam totius Regni domicilia.

7 Suadetur 5. ex puriori ſacrorum paritate, cum pro vnico recitādo Divino Officio, tot ſint conſtitutæ Rubricarum leges, vt vix inveniri poſſit, qui penitus eas exequi ſciat, idque, quia variæ ſunt Sanctorum claſſes, temporum differentiæ, varijque occurſus, & Feſtorum concurſus; ſed ſicuti benè recitandi, & mentaliter orandi, etiam vt quam plurima alia benè fiant, caſus vrgent in Religione, in qua claſſes Officiorum, & manſiones meritorum variæ ſunt, ſicuti varij occurſus, & Capitulorum concurſus, & quam plurima quæ paſſim evenire quiſque videt; ergo.

8 Suadetur 6. per clariſſimam rationem; Quia non nocent plures rationes decidendi, vbi obſtant plures rationes dubitandi; ſed plures dati rationes dubitandi; nemo qui regularium eventuum adſit obſervator dubitare poteſt; ergo. Intentum comprobatur, quia ſæpè iuxta eventuum experimenta condita fuerunt

ſtatu-

ſtatuta, idque quia cum tunc lex non foret ſtabilita, facta fuit contentio, indeque turbatio, rixæ, & implacabiles controverſiæ; igitur cum vbi lex loquitur, omnes tacere debeamus, legem ſiquidem ſtatuit Ordo in via quam elegimus, dum ea omnia auferre valde proficuum & laudabile ſit, nonque poſſint auferri, quin auferantur rationes dubitandi, vbi hæ obſtent, nunquam nocebunt plures rationes decidendi. Quo enim pacto ſemel caſus evenit, iterum atque iterum evenire valet. Facilius enim eveniet, quod ſemel iam, quam quod nunquam evenit.

9 Suadetur 7. cum pluribus legibus conſtringere ſit iuxta noſtræ humanæ naturæ deordinationem, quod enim multipliciter depravatum eſt, multipliciter mederi, & reformari debet, prout illac cum Seraphico Magiſtro de Imagine recreationis expoſuimus, vt vitam ſalutarem habeat, & abundantius habeat. Improvide enim ingemiſceret ſublimanda perfectio, ſi cæleſtis Medicus quot infirmitatibus contrariantia non adhiberet medicamenta.

10 Octavo, quia licet iuxta Ariſtot. 8. Phyſ. c. 3. *Eſt infirmitas intellectus legem quærere, vbi eſt ratio naturalis*, quia naturalis ratio vim legis habet, L. *cum ratio ff. de bon. damn. l. Scire oportet.* §. *ſufficit ff. de excuſat. tut. Barboſ. axiom.* 139. *num.* 13. ſicquè rationis dictamine comite pluribus caſibus Prelati occurrere queant, neſcio tamen quænam divina vis ſub lege lateat, quod cum lege vigoroſius qui Superior, arguat, & increpet, quin perniciosa, & indocilis ſubditi ſpeculatio, valeat ſpeculantis Prælati rationi impingere, quod legi imperanti debet. Oportet enim potius cum lege ratio, iuxta illud: *Erubeſcimus, cum ſine lege & ratione loquimur. l. illam, C. de Collat.* Megal. 2. 2. *lib.* 2. *c.* 10. *num.* 17. *& c.* 15. *num.* 78.

11 Tandem in corroborationem principalis intenti, nollem omittere verba Prologi Statutorum Segovienſium ad an. 1621. vbi dicitur de ſtatutis: *Quæ nimirum*, & ſi multa videantur numero, conſideratis nihilominus, tam multis, varijs, ac diverſis noſtri Ordinis, per vniverſum Mundum mirum in modum dilatati munijs, officijs, miniſterijs, & functionibus (quæ legibus indigent) omnia, non ſolum vtilia, ſed omnino neceſſaria debent iudicari, præſertim cum Philoſophus doceat 1. *Rhet. c.* 3. maximè expedire, benè inſtitutas leges omnia quæcunque poſſunt, complecti, ac definire, minimamquè partem iudicium arbitrio relinquere.

Solvuntur, quæ principaliter obſtare videntur.

12 Oppones cum Sanctoro, legum multiplicitatem non fore per ſe laudabilem: Tum propter ordinem, vt docuit Ariſtot. 7. *de Repub. c.* 4. vbi ait: *L. Legum deſcriptio, ordoque ſit, neceſſe eſt; numerus autem immenſus, nec deſcriptione, nec ordine contineri poteſt.* Tum 2. propter occaſionem, quia leges feruntur ob correptionem morum, qui multis legibus indigentes ſatis infirmi eſſe, ſe ſe oſtendunt. Quapropter ea medicamentis aſſimilavit Livius *decad.* 4. *lib.* 4. aiens: *Sicut morbos prius cognitos eſſe, quam remedia eorum, ſic cupiditates prius natæ ſunt quam leges.* Tum 3. propter obſervantiam, & confuſionem, quę fuit ratio Juſtiniano compilandi tot legũm volumina in codicem, & pandectas; Gregorio Nono, reſecandi, & colligendi Decretales in corpus iuris Canonici; & Bonifacio Octavo, componendi textum Decretalium. Tum 4. cum ex præfato motivo Statuta Segovienſia *cap.* 7. *de Conſtit.* graviter dicunt: Caveant Prælati in capitulis à multiplici legum conſtitutione, & nimia pręceptorum, & cenſurarum impoſitione, vt contemptus, & oblivionis vitium evitetur. Et Capitulum Toletanum an. 1606. ſic decernit: *Vniformem vivendi formam tradere volentes, omnem varietatem, & multiplicitatem ordinationum, conſtitutionum, & ſtatutorum ordinaris Ordinis Auctoritate adita, penitus, & omnino abrogamus, & ſola decreta, ſeu ſtatuta Valliſoletana an.* 1393. *ſervanda proponimus.* Quod ſecutum eſt Capitulum Generale Rom. an. 1600. aiens: *Cum Statutorum, & Decretorum multiplicatio, damnum potius, quam vtilitatem pariat, iubemus ea ſervari, quæ Salmanticenſi Capitulo ordinata fuere.* Tum 5. ad idem, iuxta antiquiora Julij Secudi *c.* 12. *par.* 4. ſcilicet. *Vt propter hoc tranſgreſſionis, & oblivionis periculum evitetur. Et ſiquis per ſuum Capitulum aliquid his repugnans ſtatuerit, irritum ſit, & inane, niſi in Capitulo Generali &c*; quod & Alexander Sextus ordinaverat in fine ſuorum ſtatutorum.

13 Tum 6. vitanda legum multiplicitas, ne plus noceant medicamenta, quam vulnera; impoſſibile ſiquidem videtur moraliter cuncta iuxta fragilitatẽ humanam obſervari; præterquam quod hucvſque ſancitis Conſtitutionibus ſat regularis diſciplina valeat conſervari. Hincque, inquit Sanctotus, non poſſum nõ laudare Illuſtriſſimæ Religionis Prædicatorum

dicatorum Inſtitutum, quo,& lege,& obſervantia cautum eſt: *Vt multitudo Conſtitutionum vitetur, prohibemus, ne de cætero, aliquid ſtatuatur, niſi per duo Capitula Generalia continua, fuerit approbatum; & hoc in tertio Capitulo immediatè ſequenti poterit confirmari, vel deleri. Et non habeat vim Conſtitutionis, niſi per tria Capitula Generalia continua, in modum aliarum conſtitutionum, ſcilicet per viam inchoationis, & confirmationis continuatè fuerint approbata.*

14 Reſpondendum ſentio,& ad primum ſatis ex verbis Ariſtotelis indicitur reſponſio, videlicet ad leges, deſcriptionem, ordinemque requiri; ac proinde eam legum multiplicitatem fore nocivam,quæ illis extet conditionibus privata; igitur cum Franciſcanarum Legum multiplicitas non ſic immenſa ſit, quod ordinem & deſcriptionem habere non poſſit, equidem laudabilis,& proficua. Quod ordinem, & deſcriptionem habere poſſit, patet, cum inter Minores ſint plures,qui virtute,& ſcientia maiores,vniverſis hucvſque exhibitis, divina favente gratia, ordinem præſtare valerent: Tum,cum non ſemel variarum legum multiplicitas recto ordine extiterit compilata, vt in Statutis noſtris ſcit,quicunque verſatus,prout conſtat, dum in Capitulo Generali celebratū Caturci ad annum 1337. facta fuit iuſſu SS. Patris Benedicti 12. nova ſtatutorum compilatio, ritè, & accuratè diſpoſita,ac per 30.Capita diſtributa.Conſimiliter factum fuit in Capitulo Generali Aſsiſij ad annum 1430. Auctoritate Martini Quinti. Tum in Capitulo Generali Interamnæ celebratum,aſſiſtente Delphino Americo,vt Alexandri Sexti Commiſſario Apoſtolico, & ſic pluries deinceps de quo infra in Art. 6. Cur autem in tot Capitulis leges variarentur, dicam in Articulo ſequenti, & contradictioni ſatisfacere intendam. Quo igitur pacto leges tunc multiplices recto ordine colligi, & abſque confuſione compilari potuerunt, poterunt & nunc, quia licet nunc plures debeant eſſe, quæ tunc non erant, etiam plures quæ tunc, nunc eſſe non oportet, vt infra dicam, ac proinde multiplicitas compenſabitur. Ulterius ad Philoſophum veniens, confirmo, quia nunquam Seraphica Religio tot habebit leges,vt conſtruat Religioſum,ac Philoſophica niens vt conſtituat Philoſophum,& tamen Philoſophica invenit ordinem, & præclaras conſtituit claſſes, vt conſtat ex Libro Cathegoriarum; igitur plus vltra, vbi doctrinæ gratia, ac Seraphicà, vti Apoſtolica experientia expeditur.

15 Reſpondendum ad 2. concedendo leges fore ad morum correptionem, quin obſtet inde inferri ſatis infirmos eſſe, qui legibus indigent, quia cunctis patet depravatam fuiſſe vniverſam hominis naturam, & varijs malis oppreſam, eiſque ab origine mundi pronam, qua propter inquit Seraph Doctor in 3. *Diſt.* 37. §. Sed contra: *Decet Conditorem cunctis operibus ſuis legem ponere, & limitem præfigere.* Nec obſtat ea Medicinæ puritas, imò intentum roborat, quia quod medicamen probet infirmitatem, non eſt cauſa, vt non ſit laudabilis, & honorabilis Medicina, vt merito à Sapiente commendatur. Tum quia non omnes leges ſunt vt ſanent quod infirmum, ſed vt quod bonum roborent, perficiant, & conſervent, vt etiam plura expendunt medicamina.

16 Reſpondendum ad 3. quod multiplicitas confuſionem affert, quia vbi multitudo ibi confuſio, at id evenit vbi nullus eſt ordo, & deficit regulans, & multitudinem dirigens, vt patet in multitudine militari dum benè ordinata, & per turmas diſtributa. Sic apud Salomonem innumerabilis fuit ſervorum, & quotidie exequendorum officiorum multitudo, at cuncta abſque confuſione exequebantur, quia ſignat lumen qui deſignat præcepta, & ac proinde ſic intellectum dat parvulis, & declaratione ſermonum ſuorum illuminat. Nec his obſtant, quæ Juſtinianus circa Civile, & Gregorius, & Bonifacius circa Canonicum fecerunt; quia legum ſubſtantiam non alterarunt, ſed ad vnum, quo melius animarentur, redigentes corpus adduxerunt, volentes ſic optima methodo vnita, quæ alibi diſperſa. Nec obſtaret etiam ſi nonnulla fuiſſent reſecata, ſemper enim plurima deinceps addita, vt etiam evenit in Concilijs, & addere eveniet ſi in futurum congregentur. Idem fatear eveniſſe in Seraphicis Conſtitutionibus, necnon reſecari, ſicuti colligi oportere, at præterquam quod id multiplicitatem non derogat, non poteſt quotidie, quod ſolet eſſe vnius ſæculi negotium, expediri.

17 Reſpondendum ad quartum, nedum Statuta Segovienſia, ſed quamplurima alia circa legum multiplicitatem nimis monere Prælatos, & maximè circa cenſurarum impoſitionem, vt infra in ſpeciali Articulo dicemus; at id capiendum, *ſine neceſſitate*, Gloſ. 2. Neceſſitate *Cap. Reg.* 2. *diſt.* 19. vnde *cap. erit. diſt.* 4. idem dicitur. Dum enim à præfatis Conſtitutionibus reſolvitur,vt etiam pluries in veteribus inveni reſolutum, quod deinceps nil addatur, inde oritur, quod iuxta illius ſæculi præſentiā, & accuratum examen tunc

tunc ſtabilita eis Patribus videntur exacta; *Et multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuncio* (Eccli. cap. 8.) Revolvuntur hyemes, & æſtates, vt infra melius Tertulliano dicam, & quæ antea florida, & in viridi obſervantia, arida manere oportet, & è converſo, tunc ſcindere deinceps addere, ſicuti tempus diſpergendi, & congregandi; de quo infra. *Leges ex tempore, loco, perſonis, & cauſis intelliguntur. Diſt.* 19. *per totam.* Sicuti enim virtute, & ſapientia præditi fuerũt Patres qui ea ſtatuta fecerunt, ſic ſunt Patres, qui hæc ſtatuta faciunt; igitur qua ratione, & neceſſitate licuerunt illa, cur & iſta non licebunt? Qui itaque in Patres noviſſimos inſurgat, poterit & inſurgere in omnes. Nec obſtat oblivio, cum ſtatutorum lectio ſatis repetatur per annum, ita vt poſſit ſatis habere memoriam, qui divinæ legis habere cupiat voluntatem. *Dilectio, cuſtodia legum illius eſt.* Sap.8. Chariſſimi Patres, plenitudo legis eſt dilectio, & ſi quis diligit Deum, mandata eius ſervabit. Non enim Religio, quæ Seraphica plus præcipit, quam natura quæ humana patiatur; non enim præcipit impoſſibilia, ſed perfecta. *Lex mitius agit quam homo L. Celſus ff. de arbitr.* Cardin. *in Clem. Religioſi, de privileg.* Barboſ. *Axiom.* 136.

18 Reſpondendum ad 6. & ad præfatorum corroborationem maximè notandum, quod leges poſſunt eſſe multiplices ſecundum ſe, & diviſivè, non autem copulativè multiplices quoad ſingulos. Non enim omnia ſtatuta omnibus Religioſis obligant, ita vt non ſint omnia collectivè ſingulis, v. g. quæ Generalibus Prælatis ſtabilita, Difinitoribus, ſivè Generalibus, ſivè Provincialibus, quæ pro Lectoribus, Prædicatoribus, Magiſtris Noviciorum, Magiſtris Chori, Vicarijs Monialiũ, Juvenibus, &c, ita vt ſi benè ad ſubiecta quis ſtatuta comparet, non ſic inveniat multiplicia, quod non poſſit iuxta ſui ſtatus talentum ea comprehendere, & obſervare. Si enim Laici Religioſi, vtpote magis idiotæ parum capaces ſint, etiam quæ ipſi ſcire, & obſervare tenentur, pauca ſunt. Prælati namque ſunt qui plus habent ſcire, & habent obſervare, & ſic plura ſcire qui plus vltra ſuperior; at etiam hi virtute & ſapientia expeditiores debent eſſe, ita vt probi Auctores reſolvant communiter, quod teneantur ſub mortali habere ſcientiam, ſicuti dominationem, & ſublimitatis officium, iuxta illud Pſalmi *Erudimini qui iudicatis terram.* Si ſal enim fuerit infatuatum, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras.

19 Inde facile dignoſces, quod non plus noceant remedia, quam vulnera, cum non omnes Medici obligationem habeant. Qui enim ſic vel ſic Medici Regulares ſint, plus ſcire debent, quam qui extra obligationem applicandi medicamina ſunt, aliter ſi non ſciant, dicetur eis, Medice cura te ipſum. Tum nec obſtat quod plura ex remedijs erũt vulnera iuxta fragilitatem noſtram: Non obſtat, quia plurima ſtatuta ſunt levia, & inſtar tot foliorum virtutũ, & moralium perfectionum, quæ ſi ſciantur, & obſerventur proſunt, & illum non, vti venialia parum lædunt. Non enim dum Pijſſimus Dominus agnovit fragilitatem humanã etiam in die cadere poſſe paſſim, & vſque ad ſeptuageties ſepties, ideo ne caderet diſpenſare voluit totidem virtutum, & perfectionum vias leves. Graves enim limitavit, & multiplices noluit, prout eum imitantes faciunt Seraphici Legiſlatores, in ſtatutis ſiquidem Barchinonenſibus impræſentiarum propoſita, dumtaxat duo in virtute Sanctæ Obedientiæ parant.

20 Concedimus etiam diſciplinæ regulari & Franciſcanæ ſat fore ſtatuta præſentia, vt bono regimine perfruatur, & ſimiliter concedemus quæque ſtatuta ad præterita tempora reſpectivè ſuffeciſſe; negamus tamen, quod non poſſint iuxta futuros eventus prodeſſe nova ſtatuta, ſicuti caſus, valent ſuccedere leges; varia enim eſt temporum conditio, vt etiam in rebus naturalibus experimur. Quapropter ſicuti præteritæ præteritis, præſentes præſentibus, cur & futuræ leges vtiles non erunt, ſi inſtaret caſus futurus, ſicuti inſtarunt præteriti? Solus enim Deus, apud quem omnia ſunt præſentia, & ſivè præterita, ſivè futura, & tamen quoad nos aliquando de infinito ſuarum rerum theſauro profert nova & vetera. Omnia tempus habent.

21 Concedimus etiam, & pro animæ viribus, Sacram, Angelicam, & Cherubicam Fratrum Noſtrorum Prędicatorum Familiam optimè doctrinis inſtructam, ſicuti ſapientibus legibus edoctam ſemper, atque regulatam ſplenduiſſe; inde tamen Seraphicam aſperrimis præceptis congenitam, in ſplendoribus Sanctorum ſupra Luciferum non fore ſublimaram, non probatur. Præclarè ſuadetur, dum Seraph Pater Franciſcus expoſuit, aſpera quæ Liæ in hac lachrymarum valle, nõ oportere dulciſonæ, & pulcherrimæ Rachel. Unde Seraphica Lia nedum tot aſperrimis induitur cum nudata veſtibus, quin pluribus ſicuti ornata filijs onerata præceptis, viginti ſiquidem quinque ſub mortali aſperitate circundata

cundata ſubijcitur. Igitur à ſimili ſubſtantiæ præceptorum, ſolve, & expone circa ſtatutorum accidentia. Non vnica linea, maximè immenſum adipiſcitur centrum. Mirabilis Deus in Sanctis ſicuti incomprehenſibilis in vijs ſuis.

22 Ulterius,quia plurimæ ſunt Fratrum Noſtrorũ Dominicanorum vtiles, atque laudabiles conſtitutiones, ſicuti & conſtantes conſuetudines, quæ licèt ſub mortali non obligent, ea tamen cura obſervantur, vt non minus memoriæ, quam efferveſcenti debeant ſubiacere voluntati; ac proinde ſic quod plurima quæ conſueverunt,veluti ſeveram legem venerentur vſque adhuc.

23 Tandem pro huius graviſſimæ quæſtionis complemento in nomine Patris Noſtri Sancti Franciſci qui omnibus indignior, Fratres ſuos monere vellet, non ſic legum,ac tæpidorum cordium multiplicitatem timendam; *Latum mandatum tuum nimis*, inſipientibus & frigidis dumtaxat perditionis occaſio, ſapiens enim non odit mandata, & lex Domini immaculata cõvertens animas. Proh dolor! ſtulti dumtaxat quam bonorum infinitatem neſcimus, numero maculantes imitamur.

ART. II.

An varia Statutorum contrarietas reprehenſibilis videatur?

24 INter Seraphicæ Regulæ obſervatores variam fuiſſe ſtatutorum conditionem non poterit dubitari quicunque innumeras noſtras conſtitutiones legerit. In eis enim nedum invani mutata,quæ antiquitus alibi ſtabilita, quin etiam non ſemel evulſa in ſequenti Capitulo, quæ in immediatè præcedenti erecta. Controverſias enim movere, & Adæ filios in opiniones dividi, naturæ mutabili conſentaneum. Uſque ad Capitulum quintum Generale Romæ habitum anno 1227. SS. Gregorio Nono aſſiſtente, cum Seraphici Patris vehementius fragraret mors, virtutibus irradians totus Franciſcanus Orbis in pace compoſitus, erat Terra vnius labij, in idipſum in pace dormiens, cum magis in virtute vigilans. Nec alicuius ſtatuti fit mentio in præfato quinto Capitulo (iam nonnulla in præcedentibus ſtatuta præfuerunt) quin ſolum de Sancto Patre Franciſco canonizãdo. In ſexto autem Capitulo Generali Aſsiſij celebrato, quatuor adaptatis ſtatutis, aliqua fuit excitata diſputatio circa ea,quæ in Regula continebantur. In ſeptimo vero Portiunculæ celebrato, eximia iam fuit exorta turbatio ex Regulæ controverſia inter Fratres, quidam Eliam,& quidam Cæſarium Spirenſem, vtpote verum Franciſci Sectatorem ſectantes, & primam reformationem exordientes. Inde poſt, ſicuti controverſiæ, ſtatuta parabantur,in nõnullis Capitulis præcedentia Capitulares confirmantes, ſicuti in alijs quamplurima infirmantes, itaut poſt 22. Capitulum, ſi ſtatutorum notabilis fieret compoſitio,bix invenietur, quin alicuius mutatio expendatur. His ita circa variationis originem ſuppoſitis, inquirimus an ſtatutorum varietas reprehenſibilis offeratur.

25 Reſolvendum, tot ſtatutorum varietatem mutatis mutandis factam, non fore reprehenſibilem,nec mirandam. Sanctorus partim cõſentire videtur, dum diſſentire partim, cum quæ præſtitit, deinceps auferre videatur. Suadetur 1. quia non eſt reprehenſibile quod nova ratio occurrat; ſed nova occurrente ratione, ſapientis eſt mutare conſilium; ergo &c. Tum 2. *quia lex naturam imitatur*, nec poſſunt homines leges condere divinas, ac proinde immutabiles, cum quamtumvis maximè provideant, nunquam benè quæ futura ſint poſſint perpendere; ac proinde, quod non noceat in futuro ſæculo,quod in præſenti videtur proficuum; igitur non erit magis reprehenſibile leges humanas condere, ac homines conditos eſſe. Unde Juſtinianus Imperator de Confirmatione digeſtorum ad Senatum, & omnes Populos §. 18. ait: *Divina quidem res perfectiſſima ſunt, humani vero iuris conditio ſemper infinitum decurrit, & nihil eſt in ea, quod ſtare perpetuo poſſit.* Quibus veluti ſi attenderẽt Patres Segovienſis Congregationis ad an. 1621. hæc aiunt in Prologo: *Non igitur* mirum,cum homo nunquam in eodem ſtatu perſiſtat, ſi pro eius mutabilitate,& pro temporum varietate, etiam ſtatuta regularia, quæ ſpiritualem hominis renovationem intendunt, interdum renoventur. Ipſe etenim Dominus ea, quæ in veteri Teſtamento inſtituerat, laudabiliter innovavit in Novo. Nam quæ vſu vileſcunt, antiqua pariter, & renovata delectant: neque reprehenſibile ſecundum Canonicas Sanctiones, ſi ob temporum viciſſitudinem ſtatuta varientur humana. Quæ verba ſumpſerunt Segovienſes ex Conſtitutionibus Martinianis an. 1430, vbi in Prologo ſic: *Non eſt novum, ſi pro rerum, ac temporum exigentia, leges innoventur humanæ; quomodo ſi nil ſub Cælo novum &c.*

26 Tum 3. quia Sanctiſſimi Viri,& Sacri Doctores, pluries contrariantur, idque

quin reprehenſibiles ſint in ſtabilitarum reſolutionum contrarietate, non aliunde niſi quia ad diverſimodè reſolvendum vnicuique adſunt optimæ rationis fundamenta. Sic, cum pro Populo Dei decernere vellent ſtatutum circa exitum, aut permanentiam inter Gentiles, dum Angelici, & Dei Miniſtri Generales erant, tamen quod ſtatuebat vnus, derogabat alter, quin foret inter Beatiſſimos illos ſpiritus reprehenſibilis contradictio, vt fuit illa *Principis Perſarum*, & per maius ſpatium quam vnius noſtri Capituli Generalis; igitur nec erit reprehenſibilis contrarietas inter Doctores & Miniſtros Seraphicos, vtpote dum iuxta temporum differentias, & experimenta rationum diverſarum, quidam derogent, quod alij ſtabilierunt. Comprobatur, quia Capituli Diffinitor, etiam ſi probus & ſapiens reputetur, non accuratius ſtatuet, quam Sancti Doctores reſolvant; igitur dum non ſit reprehenſibile, Sanctos Doctores in contrarium reſolvere, nec reprehenſibile erit, etiam probos Patres Diffinitores contrariari.

27 Tum 4. quia nedum ſtatuta contrariantur ſtatutis, ſed etiam ſtatuta confirmata per Pontificem vnum, inveniuntur contrariari ſtatutis confirmatis per Pontificem alium; ſed confirmata per confirmata derogari reprehenſibile fore, non poteſt niſi temere dici; ergo licèt minus temere, nec dici poterit, reprehenſibile fore, ſtatuta per ſtatuta derogari.

28 Tum 5. quia non ſunt infimioris notæ, & levioris curæ, quæ per Sacram Rituum Congregationem providentur circa cultum Divini Officij, quam quæ providentur circa obſervantiam Seraphici Inſtituti; ſed non poteſt à Catholico devoto reprehendi varietas circa Divinum Officium, & cultum Sanctorum, dum iam hac rubrica vtitur, iam contraria; iam recitatur claſicum, iam deinceps ſemiduplex; iam hoc die, iam alio laudi deſignato, quia qui temporum dat tempora ſic mire diſpenſare permittit de Theſauro ſuo tum proferens vetera, tum nova; igitur nec ſtatutorum varietas videbitur reprehenſibilis.

29 Tum 6. quia Romani Senatus, & Cæſarei iuris ſtatuta, equidem venerata, & ſapientibus formata; ſed his, & alijs præclariſſimis motivis non obſtantibus, vti iam ſupra Juſtinianus, eruditiſſimus Tertullianus eorum leges cenſerat repurgandas, vt ſuadet in *Lib. Adverſus Gentes c.* 4. cum ait: *Quot adhuc vobis repurganda leges latent &c.*

30 Tum 7. arguitivè colligitur ex regulis iuris, non mirandam mutationém. Primo ex illo axiomate, S, *Lex ceſſat, eius ratione ceſſante.* Cap. *Etſi Chriſtus* 26. *circa finem, de iure iur. L. in omni, ff. &c.* conciditque cum alio, *Cauſa ceſſante ceſſat effectus.* Nunc ſic: Non minus contrariatur quod erat poſitivè cum ipſius privatione, vt eſt ceſſatio, quam non poſitio, ſeu privatio cum nova ipſius poſitione; ſed poteſt lege poſita, dari motivum, & occurri ratio vt finiat, & ceſſet; igitur & poteſt dari motivum, & occurri ratio, vt privativa ablata poſitivè contrarium ſtabilitum incipiat. Contrariarum eadem eſt ratio. Dum enim poſita lege, inconvenientia ceſſaſſe & abeſſe notarunt, lex manet ſepulta, vt præfatum axioma circa caſus particulares expoſuerat cum alijs P. Bordonus de *Statut. reſolut.* 149. igitur dum ex poſitione cuiuſvis legis, inconvenientia experiri notaretur, poſſet derogari, ſeu ex alijs inconvenientibus aliter poni. Tum 2. *Lex aliquando ampliatur per ſupervenientem cauſam.* Gloſſ. *mag. ſua.* §. *Et quamquam, cap. Exijt, de verb. ſignif.* igitur pari iure non mirandum, dum per ſupervenientem cauſam reſtringitur. Tum 3. *Lex nova tollit veterem contrariam. Cap.* 1. *de conſtit. in* 6. Gloſſ. *verſ. Priorem. Moditius, ff. Lex eſt, dub.* 45. *num.* 3. igitur ſupponitur non mirandum quod fiat in contrarium ſtatutum. Imò laudabile quod in contrarium tunc fit (ſemper trademus, quód nova ratio occurrat, quia ſine ea, malignantis naturæ extitit ſemper mutatio) vt vtilis ſiquidem ſupponitur, cum veterem legem contrariam tollere decernatur.

31 Tum 8. in quo veluti ex principali fundamento præcedentes rationes radicantur, videlicet in eo, quod mens noſtra limitata, & imperfecta ſit, & *Lex de per ſe tantum reſpiciat futura cap.* 2. *& fin. de Conſtitut.* vbi dicitur, Leges & Conſtitutiones futuris dare formam negotijs, non ad præterita facta trahi (proſunt præterita, vt melius provideantur futura) niſi nominatim in eis de preteritis caveatur, vt etiam notat vbi ſupra P. Bordon. vnde in dubio ad ea non extenditur. Ita omnes Doctores, quos citat Barboſ. *axiom.* 136. *num.* 22. quapropter cum circa ea quæ futura, ex natura rei (extra primorum Parentum culpam, & reprehenſibilem conditionem) inculpabiliter ſit indiſpenſabilis imperfectio & incomprehenſio, ſeu ignorantia noſtra, inde nec reprehendendum, nec mirandum, quod nunquam poſſit ſtabiliri, quod non valeat, aut debeat in contrarium retardari. Ubi nollem obliviſci Conſtitutionum Alexandrinarum, cum prope finem Cap. 12. dicitur: *Cum*

omnis

omnis conſtitutio (vt in Decretis habetur) debeat eſſe honeſta tempori , & loco conveniens, poſſit , vt in Cap. Catholica , pro perſonarum qualitate mutari, dummodo, iuxta regulas iuris, neceſſitate ceſſante, ceſſet pariter, quod vrgebat. Unde declaramus , omnem talem, ſi qua eſt, *modificationem duraturam eſſe dumtaxat ad tempus.* Inde Altiſſimus , apud quem non eſt mutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, cum vellet vti noſtris apparere , dixit, poſtquam hominem factum approbavit , & in capite libri ſtabilivit, Pęnitet me feciſſe eum, decernens delere quod ſcripſit.

Oppoſita principalius, ſolvuntur.

32 OPponit Sanctorus *Cap.12.ad Statut.* 12. Tucidit. *Lib.* 3. vbi ſic: *Pernitioſiſſimum eſt , ſi decreta non ſint ſtabilia &c.* Et Livius *Decad.4.lib.4.* ait: *Quid attinebit univerſas leges rogare , quas mox abrogare, in quos latæ ſunt, poſſint?* Tum 3. Demoſtenes *or.* 2. contra Ariſtogito. *Si leges abrogantur, & cuius licentia faciendi quidquid voluerit data ſit, Reſpublica peſſum ibit.* Tum Tacitus *lib.* 4. *Annal.* monuit: *Super omnibus negotijs melius,* atque rectius proviſum; & quæ converterentur , in deterius mutari. Nam vt plurimum , ex eodem *Lib.* 13. *Annal: Intempeſtivis remedijs delicta accedunter, potius quã corrigantur.* Tum 5. ex natura ipſius legis dixit Auguſtinus ibi à Sanctoro relatus: *Vt quæ rationabiliter ordinata fuerint , nulla in poſterum debeant refragatione turbari.* Tum 6. vt ſcripſit Stephanus Papa *Cap. loci noſtri eod. Reum quippè ante conſpectum divini iudicij , ſe noverit eſſe. qui nititur, vtiliter definita reſcindere. Eccleſiaſtici quippè vigoris ordo confunditur , ſi temere illicita præſumantur.* Tum 7. S. Leo ad Anatholium. *Cap. quæ ad* 25. *q.* 1. *quæ ad perpetuam generaliter ſunt vtilitatem, nulla commutatione variantur.* Tum 8. Nicolaus Papa. *Cap. Ridiculum.d.* 12. *Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus. vt traditiones, quas antiquitus à Patribus ſuſcipimus, infringi patiamur.* Et ratio ipſa, quæ mutationem iuſtificat, illam damnat; quia dum mores à priſcis regulis Patrum diſcordant, à primæva perfectione deflexiſſe noſcuntur : quod defectus oſtendit, & remedium quærit. Pro quo Sanctorus citat D. Thomam , Sotum , Medinam, Silveſtrum, & Mirandam.

33 Reſpondendum , & ad primum concedendo firmiter , decreta non ſtabilia fore, fore pernitioſiſsimum ſecundum ſe , quia ſi abſtractè immutabilitas ſimpliciter ſimplex perfectio ſit , abſtractè & ſecundum ſe mutatio , & contrarietas imperficere debent. Secundum ſe enim non invenietur qui deleat, quin relinquat de quo doleat. Stabilitas itaque decretorum protegenda, & conſervanda, quouſque in contrarium fundamẽta non vrgeant , & gravia inconvenientia experiantur, ita vt aliter pernitioſum , ſicuti inſipientis ſit mutare decretum, maximè ſi ob metum temporalium perſecutionum , vel in mundanæ voluptatis obſequium , vel ob culpabilem imbecillitatem , & torporem relaxantium, &c, ſic, tunc enim pernitioſum, & lamentabile prorſus, cum *Lex quæ ſemper loquitur. L. Arianis C. de heret.* ſolo planctu loquatur, & viva ſine cauſa ſepulta , veluti mala & ſine ratione damnetur.

34 Similiter illud Livij venit capiendum , vt arguitivè deducitur ex illo axiomate *Lex abrogata inutiliter citatur.* Gloſ. V. quicunque *Cap. Novit.* 13. *de iudic.* igitur quia vtiliter potius quæ derogans præſumitur. Si namque in omni eventu legem abrogare perniciosum foret, nunquam, quin dolorem, & ibidem cenſuram innueret, proloquiaretur Gloſſa, inutilem fore abrogatam citare legem. Tum Livius capiendus, vt ſatis verba ea indicant , videlicet , parum attinere leges rogare, ſi abrogentur, in quos latæ ſunt, hoc eſt , ſi non exequantur in tranſgreſſores , ſed latæ deſpiciantur , aut enerventur , prout in ſæcularibus Tribunalibus paſſim experimur.

35 Tum ad Demoſtenem dicimus, quamlibet Rempublicam peſſum ire , dum circa erectionem , & legum mutationem , potius vtatur ampla dominantium licentia , quam ratione , prout Demoſtenis verba ſatis exprimunt, vt patet in ly, *& cuius licentia faciendi, quidquid voluerit , data ſit.* Non ſic in nova conſtitutione legum noſtrarum, cum nulli Prælato talis detur licentia , ſed diſcretioribus Ordinis Patribus concurrentibus , quæ confirmare , vel derogare per plures ſeſſiones conferuntur, vt maturius, quæ oporteant reſolvantur.

36 Tum ſic capiendus eſt Tacitus, cum nemo poſſit negare, quod *in omni negotio tempus & opportunitas,* vt aiebat ſapiens , requiratur , ita vt quidquid melius , & rectius reſolvere intendant qui viri recti , & meliores inveniantur. Nec, aliter ſi facerent, in præſenti mea reſolutione, eorum imprudentem defenſare poſſem. Similiter fatear de intempeſtivis remedijs, cum aliud ſit decernere ſaluti reſtaurandæ remedia , & aliud extra tempus applicare. Sic infirmorum Præfecti, ſi quid de novo infirmanti accidiſſe notent , vſque ad tempus vtile decretam medicinam differunt.

Principes enim, & Superiores congruè poſſunt in decretis delegare potentiæ virtutem, ſecus autem prudentiam. Quapropter his Legislatores noſtri attendentes, paſſim remediorum ſtatutorum praxim, exequentium prudentiæ commendant. Tempote accepto exaudivi te,& in die ſalutis adiuvi te.

37 Tum ſic ad Auguſtinum, pro quo, Stephano, Leone, & ſic alijs Sanctiſſimis, venit advertendum, dari quædam ſtatuta inſtar perfectionis ſimpliciter ſimplicis,& tranſcendentis,& quædam dati inſtar perfectionis reſpectivæ, vtpote ad locum, tempus,& ſic alia quæ contingenter circunſtant. Utrumque enim ſtatutorum genus valet rationabiliter effici, & applicari, at cum hac differentia, quod ſtatuta primi generis, cum ſemel rationabiliter facta, non poſſit apparere vltra, qua ratione poſſint refragari, vt aiebat Auguſtinus; nec ſine metu divini iudicij reſcindi, vt aiebat Stephanus; nec qua vtilitate variari, vt aiebat Leo; nec ſine irriſione infringi, vt aiebat Nicolaus. Et ratio eſt conſpicua, quia ſicuti perfectio ſimpliciter ſimplex, nedum in hoc, aut illo, ſed in quovis eſt melior ipſa, quam non ipſa; ſic ſtatuta inſtar talium perfectionum, in quovis loco, & tempore, quin poſſint recta ratione variari. Et quia ad exemplar cuncta aptius inſpiciuntur, proponam, v.g. ſtatutum de Miſſa in Sabbato pro Deipara, iam formatum Aſsiſij An. 1219. Tum corroboratum Romæ in Capitulo Gen. An. 1256. & iterum celebratum Aſsiſij An. 1269. & deinceps huevſque. Tum ſtatutum factum in Cap. Gen. Veronæ, quod ſcilicet genuflectant ad *Verbum caro*, & ad *Ecce Ancilla Domini*: Et in 62. Capitulo Generali Vallisſoleti An. 1593, vbi præcipitur genuflexio ad ea verba: *Verbum caro factum eſt: Et homo factus eſt: Te ergo quæſumus: O ſalutaris Hoſtia: O crux ave ſpes vnica: Nos quoque qui Sancto tuo: Redemiſti nos Domine Deus in ſanguine tuo: Et denique, vbi de pretioſo ſanguine Chriſti D. memoria agitur*: Et in Miſſis, dum canitur introitus, *Salve Sancta Parens.* Tum circa Ordinis primas dignitates, quod eis præſtentur, qui vitam communem cæterorum participent, prout ſexies præceptum eſt, ex quo in primis ſtatutum fuit in Cap. Gen. Neapolis ad An. 1316. & ſic alia, vt quod Scoto in lectione diſſonans repellatur &c, huiuſmodi.

38 Aliud vero Statutorum genus, quæ ſic tranſcendenter & abſolutè non poſſunt prodeſſe, & obſervari, ſed circunſtantur tempore, loco &c. potuerunt in vno tempore rationabiliter fieri, & in alio tempore rationabiliter derogari, ſicque eadem debere obſervari in vno loco, ſecus autem irrationabiliter in alio, cum nedum more humano, quin etiam Apoſtolico neceſſitas vrgeat, aliaque incommoda, quæ nunquam ſine experimentis benè poſſunt perpendi, offerantur, prout etiam pro futuris eventibus in ipſis formalibus Regulæ præceptis Seraph Pater nitis, & ſapiẽs præviderat iuxta loca,& tempora, ſicuti neceſſitati viderint expedire. Unde, dũ magis diſſonare videatur, Miniſtrum Generalem, & Supremũ Noſtrum Caput, ac Statutorum Executorem derogare, tamen Seraph Pater, illum derogare non intellexit irrationabile, vt patet ex Cap. 8. Regulæ, vbi ait: *Etſi aliquo tempore appareret univerſitati, Miniſtrorum Provincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſervitium, & communem vtilitatem Fratrum, teneantur &c.*

39 Tum à Seraphico exemplari, præcavetur aliud principaliter imminens, videlicet, ideo irrationabile videri ſtatuta derogare, quia Legislatores male præviderunt quæ in futurum reſultarunt, ſi enim benè intelligerent,& noviſſima prævideren,& providerent; igitur reprehenſibilis mutatio. Præcavetur, quia etiam dum Patres electores, quod in poſterum reſultandum præintelligerent, electum in Generalem Miniſtrum non derogarent; igitur quia irrationabiliter tunc elegerunt? Difficile fateor, quia qui deinceps apparuit malus, valuit vſque ad electionis tempus apparere bonus. A ſimili ergo ſtatue.

40 Tum præfatorum ſemper firma ratio eſt noſtræ rationis infirmitas, cum non vt Angelici, nec vt revelationibus ſupernaturalizati, ſed vt homines tunc ſapientes, nunc inſipientes definiamus, & rerum penetrare eſſentias nunquam à priori, maximè in morali eventuum caterva poſſimus. Licet enim in commitijs, ac Statutis Generalibus Deum aſſistere pie obſervemus, at non ſemper vult iuxta ſpecialem providentiam, gratiæ ſupernis effectibus reſervatam, ſed quam plurimos diſpenſare vult iuxta generalem, & ordinariam, nos ſtatuere & gubernare deſinens more humano, tametſi ſemper religioſo. Sic enim etiam plura humana voluit combinari cum Angelicis, vt notum fuit ex controverſia illa Principis Perſarum in Capitulo Danielis: necnon plura terreſtria cum cæleſtibus, cum etiam Sol tunc naſcatur,& tunc occidat, pluresque ſint fixæ, dum Stellæ plures errantes. Quæ omnia cum meditaretur Tertullianus *Lib. de Reſurrect. C. fol.* 33. profunde ſic penetravit, cum clarè applicuit: *Revolvuntur Hyemes, & Æſtates; quippè etiam*

Terra

Terræ de Cœlo diſciplina eſt, arbores veſtire poſt ſpolia, flores denuo colorare, herbas rurſus imponere &c. Solum Dei verba non tranſibunt, ſin autem Cœlum,& Terra; dumtaxat enim Veritas Dei manet in æternum, quia dum mendaces filij hominum in ſtateris ſuis, *Labium veritatis firmum eſt in perpetuum.* Proverb. *C.* 12.

41 Oppones, ex Statutorum mutatione oriri, neſcire Fratres quæ ſtatuta debeant obſervare, cum ſint ex tot Generalibus Seſſionibus diſperſa, aliter hinc, & aliter ibi, quod nimis inconvenire videtur. Reſpondendum, inde non inferri inconveniens ex varietate,& mutatione, ſed ſolum ex mutatione;quapropter fatear vtile, & valde neceſſarium fore, vel à ſæculo in ſæculum, vel à dimidiato ſæculo, ſtatuta compilare, certa ab incertis ſecernendo, & dumtaxat remanentia colligendo, ſicque obſervanda adaptando, maximè ſi agnoſceretur in eo tempore plura derogata, & innovata exiſtere.

A R T. III.

An dum Statuta eriguntur, potius ſpirituales pœnæ ſint imponendæ.

42 QUod Prælati Superiores poſſint condere ſtatuta ad mortale obligantia,nedum non dubitat Portellus V. *Statutum, Num.*1. quin etiam circa hoc dubitantem,vt ſuſpectum in fide reputat habendum. Sic etiam Bordonus reſolvit *de Conſtitut.Reſolut.* 149. Suppoſita igitur Superiorum poteſtate, quod impręſentiarum venit reſolvendum,eſt,an eum poſſint pœnæ temporales imponi, potius ſpiritualium impoſitio oporteat. Ubi pro Subditis ante reſolutionem advertēdum, ipſorum non eſſe, legis durum ſermonem diſputare, quin vt ait Seraphicus Pater in Regula, Recordentur quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. *Lex enim licèt dura, eſt tamen ſervanda. L. Proſpexit ff. qui, & à quibus.* Navarr. *conſil.* 24. Alij apud Barboſam citatum à Bordon.vbi ſupra *nu.*30.

43 Reſolvendum pro viribus, quod regulariter & in ſtatutis communiter loquendo, pœnas ſpirituales imponere Subditis,non oporteat. Ita Sanctus Pater Noſter Franciſcus, prout ex varijs locis ſatis clarè colligetur.In primis enim Seraph Pater in *Collat.*27. ait cum Superioribus: *Vellem eos moderatos eſſe in præceptis.* Quæ verba ſingularius expoſuerat Seraph *tom.*1. *Epiſt.*9. ad eoſdem Superiores aiens: *Non præcipiatis facile per Sanctam obedientiam, quia hoc eſt ſtatim gladium evaginare, quod non debet fieri niſi matura conſideratione, & magna occaſione.* Igitur non minus debet conſiderari, & ſic raro per Sanctam obedientiam ſtatutum præcipere, quam gladium ad Subditi colum apponere, ſicque facile decolare. Tum confirmatur ex eodem Seraphico Patre, dum ſic argumentor: Finis de per ſe intentus in quibuslibet ſtabilitis eſt adimpletio, vt ſic magis ad perfectionē Subditi erigantur; ſed iuxta Seraphicum,medium magis vtile non eſt verbum præcipiens, ſed Prælatorum exemplar; ergo non vtendum præceptis, cū efficacioribus vti medijs oporteat. En pro minori diſcurſus Minorum Patrem in Epiſt.9: *Ex operibus verba,& præcepta eruite, ſi vultis quod Subditi ex verbis veſtris facienda depromant.* O verba 1 equidem ſolius tam Seraphici Patris digna.

44 Tum, quia Jugum Chriſtiferum ſuave eſt, ſicuti & onus leve; ſed ſi poſt viginti quinque Regulæ pręcepta ſub mortali obligantia, adderentur ex ſtatutis alia, iugum redderetur aſperrimum, ſicuti & onus graviſſimum, quo pacto ſi oneri adderetur onus, hincque obſtare videretur, *plus præcipi,quam humana natura patiatur*, prout experitur in onerato, qui dum onus proportionatum benè portat, parum ſi ſuperaddatur ingemiſcit, & facile ad terram deiectus, expaveſcit, & manet pro viribus vt ſurgat, deſperationi vicinus; ergo &c.

45 Tum,cum Evangelij, & Apoſtolatus Conſtitutiones quam plurimæ ſint, at vltra Decalogi præcepta, noluit Cæleſtis Legiſlator,ſub mortali obligare,ſed vt conſilia venerari, ſicque vltra Decalogi firmam Regulā, dumtaxat vt mites conſtitutiones haberi; ergo à ſimili Seraphicus Chriſti imitator interpretandus,ita vt vltra formā Regulæ à Chriſto acceptæ, nollet ſub tanto gravamine in poſterum additæ cōſtitutiones admitti. Confirmabis ſi videas Seraphicum Doctorem *in* 2.*Sent.diſt.vlt. quæſt.vlt.*vbi inquirit, *An Religioſi in omnibus teneantur obedire Prælatis?* Et Seraph videtur ad negativam partem inclinari, tum quia intendit ſatisfacere ad argumenta partis affirmativæ, etiam ex Hieronymo,& Regula Divi Benedicti formata; tum, quia intra formalis reſolutionis ſcopum exponit,& diſtinguit, quod licèt per viam perfectionis, obedientia non habeat finem, ſeu limitem; *Sin autem loquamur* (inquit Seraph) *de obedientia ſecundum neceſſariam obligationem, ſic habet terminum, & menſuram iuxta*

magni-

magnitudinem voti emiſſi. Et ideo concedendum eſt, quod Religioſi non tenentur Prælatis ſuis obedire in omnibus; licèt ſanum ſit conſilium, quod in omnibus obediant, quæ non ſunt contra Deum. Tum tandem, dum iam Cherubicus Seraph, ſic terminat quæſtionem: *Neſcio ſi ad aliquod iſtorum votorum quiſquam ſciat plus addere: in hoc ergo perfectionis culmine congruum eſt prædicta quæſtionis terminare ſermonem.*

46 Tum nimis ſuadet antiquarum conſtitutionum mitiſſima praxis, cum licèt in eis deaurata Regula ſæculis, tamen ſolicitam habuerunt curam, ne ſub mortali quidquam in ſtatutis proponerent, videantur Statuta Capituli Generalis Neapolitani ad An. 1316. vbi ordinatum fuit, quod ſtatuta examinarentur, & gravioribus reſciſſis, mitiora remanerent: Tum videãtur Conſtitutiones Martini Quinti ad inſtantiam præclariorum tum Regulam obſervantium erectæ Aſsiſij ad An. 1430. vbi in Cap. 12. dicitur: *Et vbicumque in alijs Statutis eiuſdem Ordinis, Papalibus, & Generalibus, pœna excomunionis imponitur, quod in aliam temporalem valeat commutari; arbitrio Præſidentis reſervamus, remittimus, & relaxamus: in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque:* Tum videãtur Conſtitutiones Beati Joannis de Capiſtrano in monte Alverniæ formatæ ad An. 1443. vbi poſtquam ſupra duodecim Capita Regulæ quam plurimas adaptavit conſtitutiones, poſt ait: *Declaro, quod in ſupradictis &c, non intelligo Fratres obligari ad peccatum niſi in illis quæ concernerent ſubſtantialia Regulæ &c. Et niſi in illis quatuor, quæ ego habui ore proprio à Sanctiſſimo Domino Noſtro.* (horum quatuor, duo intra Regulæ ſubſtantialia continentur) *In nullis autem alijs Fratres intelligantur obligari ad peccatum; etiam, ſi in dictis Conſtitutionibus meis verba præceptoria, vel inhibitoria, vel quomodocunque poſita viderentur:* Tum videantur Conſtitutiones Cap. General. Carpij ad An. 1521. vbi caſſant, & irritant omnes privationes, & cenſuras à præcedentibus impoſitas, vt conſcientiæ ſerenæ ſiſtant; cum iam in Congregatione Burdegalenſi ad An. 1520. ſic actum fuerit: *Declarat ſua Paternitas, quod quæcunque ſtatuta ab ipſo edita, etiam ſi in ſe obedientiæ mandatum contineant, non intendit aliquem ad mortale obligare, niſi aliàs ex divino iure, aut ex Regula:* Tum videantur Conſtitutiones Ciſalpinæ de mandato Julij Tertij, ad An. 1553. vbi in fine Capitis 7. hæc habentur: *Advertant tamen Prælati, ne pro levi cauſa, excomunicationis gladium in ſubditos animadvertant, cum ſecundum doctrinam Scoti, debeat tantum pro mortali & enormi infligi.* Et ſic deinceps notare diſſertus valebit.

47 Tum ſuadetur, dum ipſa ratione eviſceratur. Quia quid per pœnas impoſitas intendunt Patres Diſcretorij, ſeu Diffinitorij Generalis? equidem non aliud quam ſic reddere Subditos ſolicitos, & vigiles, vt Statuta inviolabiliter obſerventur. Primum namque Statutum non ex alio motivo adipiſcor, quod fuerit primo homini impoſitum; non enim Deus ſtabiliret pœnam, vt præciſè Adamus haberet pœnam, ſed vt obſervaret præceptum. Igitur dum Patres Diffinitorij experiantur, ad ſtatutorum obſervantiam magis, vel ſaltim æquè prodeſſe pœnam temporalem, quam animæ mortiferam, impium, & inutile videbitur temporalem dumtaxat non infligere tranſgreſſuris. Videtur, ni fallor, conſpicuum, quia eſtò per temporalem æquè ſtatutorum obſervantia à Subditis intendatur, ex pœnę æternę impoſitione, nõ videtur aliud conſequi, quam abſque vllo provectu, & finis vtilitate, viam Cœli limitare, & infernorum vias ampliare, ſicque plures ex Fratribus damnati, quorum plures non damnarentur; igitur dum obſervantiæ non prodeſſent magis pœnę mortiferæ, ſi damnare Subditos non intendatur, deſignetur finis, quia Patribus Diffinitorij intendendus remaneat. Hinc magnus ille Generalis Gundiſalvus de Vallebona in Capitulo Generali Aſsiſij ad An. 1304. cum æquè pius ac ſapiens extiterit, ne damnandi ampliaretur occaſio ex abſolutionum reſtrictione, hæc ſtatuit: *Item, quod non præcludant viam ſalutis, per ſubſtractionem confeſſionis neceſſariæ; ſed præter Prælatos, ordinent alios Confeſſores bonos, & providos, qui poſſint Fratres delinquentes, abſque præiudicio diſciplinæ, abſolvere, etiam in caſibus reſervatis.* Sat, ò dilectiſſimi Patres, obſtant ſalvationi impedimenta miſeris, ſit veſtrum, vt eſt Dei, latum mandatum nimis. Nec in his intendo, quod nunquam Obedientiæ gladium evaginare debeatis, quin ſolum advertere, gladium eſſe, eoque vti dumtaxat oportere, ſicuti ſupra Seraphicus Pater Franciſcus præmonebat.

48 Neque hinc ad intenti corroborationem omittere vellem (ſivè ſic, ſivè ſic: *Lex vallata pœnis, inviolabiliter ſperatur obſervanda, Extrav. com. 6. de præbend.*) quantum pœnæ temporales obſervantiæ proficiant, prout palpabiliter præclara noſtri temporis experimenta edocuerunt, cum Reverendiſſimus Samaniego, equidem verus Sancti Patris Noſtri Franciſci Succeſſor pœnas temporales in vitæ communis tranſgreſſores appoſuit, &

officio-

officiorum privatione conſtanter, & abſque vlla perſonarum acceptatione applicuit. Dum enim ſic ſeveriſſimus dedit vocem ſuam, Cedros confregit, Vitulos comminuit, Ægyptios ſpoliavit, & afferens Domino filios Franciſci, dedit gloriam, & honorem ei, qui inhabitare facit vnius moris in domo. Ex quo enim homines eſſe ſicuti Dij intendimus, nedum ſuperflua, quin & neceſſaria relinquemus, ne prætenſam dignitatem amittamus. Propter hanc enim relinquet homo quæcunque commoda, & aſperrimis ſuccumbet. Quapropter nimis oportet, circa pœnarum indiſpenſabilẽ executionem Supremos Prælatos vigilare, quia non plus Superior præcipiens veneratur, quam quod exequenda pœna timetur. *Parum enim eſt leges condere, niſi ſit qui eadem tueatur. Cap.* 3. *de elect.* §. *praeterea in 6.* vide Macrob. apud Joannem Andr. ex Gloſſ. V.

49 Oppones Seraphicum Patrem Franciſcum in Regula vigintiquinque præcepta ſub mortali obligantia reliquiſſe; igitur & rationabilius erit ſic Succeſſores cum Patribus Diffinitorij Generalis condere, & ad ſtatuta obligare. Reſpondendum ſentio, & in primis dicendo imparem fore rationem, quia ad Regulam Beati Franciſci nemo tenetur eo quod ſit homo, cum ſponte ſua quilibet obligetur, ac proinde quilibet circa eius amplexum fuit Superior ad eam, ſicque abſque ratione conquereretur, cum non alter ipſum, quin ipſemet ſupra ſe imponeret onus; at eſtò ſit Frater Minor, tametſi dura ſint ſtatutorum præcepta, non eſt in manu ſua eis non onerari, & dum iam oneratus ſupponitur, minus rationale foret oneri magno addere onus.

50 Dices ſtatim, quod iam ipſe ſciebat, etiam ſtatutorum onus poſſe cadere ſupra ipſum, eo ipſo quod ex Regula profiteretur obedientiam; ergo deficit ſolutio. Reſpondendum, id ſcire, de per ſe probare manere obligatum, ſecus autem non poſſe conqueri, vtpote de minus rationabili & pio præcepto. Jam enim ſupra dixi in initio, quod lex licèt dura obligat, at eo compatitur quod quis de duro præcepto poſſit conqueri, necnon minus pium, & rationabile fore quod ſic præcipitur; igitur contrarium foret rationabile, & quod potius exequendum; in quo ſiſtit formalitas reſolutionis noſtræ. Jam enim quiſque ſcit poſſe habere Prælatos inſcios, & diſcolos, dum profitetur, & ipſis etiam fore obediendum propter Deum, vt illac docet Petrus, meus obſervantiſſimus Patronus, at inde non colligitur, minus rationabile & pium fore dari tales Prælatos, qui præcipiant, & rem fore duriſſimam; ergo à ſimili, minus rationabile, & humanum fore ſtatutum ſub mortali condere, etiam ſi ſciatur ſivè dulce, ſivè amarum obſervandum fore.

51 Deinde reſpondetur, Beatum Franciſcum inveniſſe nos è mundo venientes parum oneratos, at Prælati deinceps, vtpote cum vigintiquinque præceptis magis oneratos inveniunt humeros noſtros. Tum, quia non parum facit, & iuvat ad ſuavius portandum onus, onerantis conditio, ac proinde Regulam Beati Franciſci fuiſſe à Chriſto divinitus revelatam, ex quo invariata ſubſiſtit; id autem neſcimus de ſtatutis, etiam dum ſtatuentes, vt maximos Patres veneremur, & Dei cauſam intendere agnoſcamus.

A R T. IV.

An in Statutis formandis oporteat cauſam & rationem inſimul exhibere.

52 CUm viderimus in Seraphicis Conſtitutionibus, in nonnullis inſimul manifeſtare præcipiendi, & ſtatuendi cauſas, congruenter deſignando, & adaptando rationes, ſecus autem in alijs, venit dubitandum, an eas innuere, dum ſtatuta proponuntur, oporteat.

53 Reſolvendum oportere, ſemper & quando decens non vrgeat motivum, vt ſtatuti finalis ratio partim, & quoad individuum taceatur. Suadetur prima, & principalis reſolutionis pars ex divina praxi Chriſti Domini, qui ſic fecit in principalioribus præceptis, vt conſtat ex illo maximo *Matth.* 5. vbi poſtquam propoſuit præceptum diligendi inimicos, efficacibus rationibus intendit relinquere dociles obedientiæ Diſcipulorum animos, ſic à ratione comprobans, quod propoſuerat & decreverat ab Auctoritate, ſcilicet, *Ego autem dico vobis &c.* Comprobarat enim ſic: *Vt ſitis filij Patris veſtri qui in Cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Et ibidem divina formalitate arguens: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne, & publicani hoc faciunt?* ergo. Conſimiliter Divinus Legislator practicavit in nocte Cænæ, dum maximè Prælatis, ad lotionem pedum, Mandatum novum propoſuit dicens, & mire arguens: *Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus, & Magiſter, & vos*

vos debetis alter alterius lavare pedes. Pariter etiam, dum Evangelicam paupertatem ſtatuens, voluit ſæcularium rerum curam repellere, dum poſtquam dixit, Matth. 6: *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini*: Sic ratione convincit: *Nonne anima plus eſt quam eſca:& corpus pluſquam veſtimentum?* Et à paritate exterorum tic: *Reſpicite volatilia Cœli &c*, quæ efficaci forma ibi recitat Evangeliſta. Quæ, & conſimilia, ſic paſſim invenientur in Conſtitutionibus Divinis, tam ſecundum Matthæum, quam cæteros Evangeliſtas.

54 Nec omittere vellem, quæ Satana decrevit, cum vti voluit efficacioribus, & formalioris congruentiæ medijs, dum intendit ad præcepta ſua docilem, & obedientem, veluti Subditum habere Chriſtum Dominum in illo Capitulo celeberrimo Deſerti, & Pinnaculi Civitatis Sanctæ, ab Spiritu S. ritè, & rectè diſpoſito; vbi, licèt vnicus obſervandarum rerum Promotor, at quot dæmones, tot extitere ni Vocales, Scrutatores: Tunc enim accedēs legum perverſarum Tentator, in primo, & ſecundo ſcrutinio, non abſolutè, ſeu nudè propoſuit, ſed iam rationem, iam textum innuit, vt obediret: vbi Chriſtus Dominus etiam ratione inſerta textu, diabolica decreta reprobavit. In tertio ſcrutinio propoſuit nec textu, nec ratione, præmium; quia Diabolus etiam ſi benè incipere videatur, conſtat ſemper male finire, ac proinde vltimum quod ſtatuit, textu, & ratione deſtituit. Secus autem ibi Supremus Legiſlator, qui vſque ad vltimam ſeſſionem, ratione & textu reſolutionem format, & vt ibi, confirmat. Conſimile invenies in Capitulo illo Geneſis, inter Evam, & Serpentem celebrato, ſi vtriuſque conferas colloquium.

55 Tum ſuadetur ex praxi, quam in Regula paſſim habuit Seraphicus Pater, qui ad cuncta Regulæ præcepta deſignavit vti cauſam & fundamentalem rationem, illam fore *Sanctum Evangelium obſervare*, vt conſtat ex *Cap.* 1. Tum in *Cap.* 2. inquit circa habitum ſuſcepturos, quod Miniſtri non ſint ſoliciti de eorum rebus temporalibus, & dat in rationem, *vt liberè faciant de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpiraverit eis.* Tum ibi, quod nullo modo licebit eis de iſta Religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ; deſignatque rationem; *Quia ſecundum Sanctum Evangelium, nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei.* Tum in *Cap.*3. declarat Fratres poſſe equitare, & non ieiunare, in caſu neceſſitatis, implicitè deſignans, quia neceſſitate vrgente *Lex naturam imitatur.* Tum in *Cap.*5. ſic vult Seraph laborare Fratres, quod ſpiritus orationis non extinguatur, deſignans cauſam, quia illi *debent cætera temporalia deſervire.* Tum ibi, quod humiliter recipiant pretium laboris, dans rationem, quia ſic *decet ſervos Dei, & paupertatis Sanctiſſimæ ſectatores.* Tum in *Cap.*6. Evangelicam paupertatem ſtabiliens, multifariam corroborat, iam. *quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo*; iam ex *illa celſitudine altiſſimæ paupertatis &c.* iamque ex huius vitæ peregrinatione &c. Tum ibi pro infirmorum cura, innatæ rationis intulit principium, dum dixit: Debeant infirmanti ſervire, *ſicut vellent ſibi ſerviri.* Tum in *Cap.* 9. mire inſtruit Prædicatores, vt patet ibi iuxta æternorum regulas: Et brevitatem eos habere vult; *Quia verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram.* Tum in *Cap.*10. vt Subditi Superiorum gravamen, & correctionem ſuſtineant, convenientem deſignat cauſam, *quod*, ſcilicet, *propter Deum abnegaverunt proprias voluntates.* Tum ibi, quod Prælati benignè & charitativè ad eos confugientes ſubditos recipiant, præclarè ſuadens, dum ad Chriſti exemplar attendens, cum ait: *Nam ita debet eſſe; quod Miniſtri ſint ſervi omnium Fratrum.* Tum in *Cap.*11. cum mandat, quod non ſint Compatres virorum, vel mulierum, cauſam proponit; *Ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur.* Quæ, & alia ſublimibus rationibus comprobata in Opuſculis invenies, ſi cupias.

56 Tum ſuadetur ratione, quia debent Prælati ad ſtatutorum obſervantiam Subditos excitare per media magis idonea, & eorum naturis magis conformantia; ſed hæc ſunt media optimarum rationum, cum homo ſit particeps rationis; igitur quouſque eam non amittat, & in chamo & freno debeat conſtringi, non eſt cur inſimul rationibus ad ſtatutorum obſervantiā non alliciatur. Oportet eos qui contradicunt arguere; igitur ne contradicant, oportuit ſtatutis vallatis rationibus præſervare. Sic Cæleſtis Legiſlator, vt legis gratiæ definita, ſerena praxi à Diſcipulis recepta obſervarentur, eis & præbuit ſe ipſum vivum poſt Paſſionem ſuam *in multis argumentis*, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei. *Erubeſcimus, cum ſine lege, & ratione loquimur. L.illam, C.de collat.* Megal. 2.2. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 17. igitur cum lege & ratione loquimur, ſereniſſimo aſpectu intuebimur, & prudentia ſublevamur.

57 His ita de principali intento, circa ſecundam partem breviter expediemur, quod ſcilicet, ſemper & quando decens inſtet ratio

tio

tio poterit ſtatuti finis reticere. Cum enim ſub aliquo ſtatuto plures fines latere poſſint, & alicuius materia abominabilis, vel ſcandaloſa videatur, tunc decens erit eam non exprimere, ſed ſtatuẽdo ſic prohibere medium, ex quo eam materiam poſſe ſequi timetur, quod vel deſignetur in cauſalem rationem, aliquis ex cæteris finibus contentis; vel in genere deſignetur; v. g: *Ad evitanda gravia inconvenientia quæ poſſe evenire cognoſcimus, præcipimus, quod in Eccleſia nullus Frater, niſi audiendo confeſſiones loquatur, &c*, huiuſmodi, prout non ſemel tam in veteribus, quam in recentibus ſtatutis præventum eſt.

58 Dices, divinas leges fuiſſe hominibus ſimpliciter propoſitas, ita vt nudè intimarentur fidelibus obſervaturis; igitur cum nunquam melius operemur, quam cum ſecundum divinum exemplar operamur, videtur quod ſic, & non vt reſolvimus debeant ſtatuta proponi, & formari. Reſpondendum divinas leges ſic fore rationi naturali rudioris fidelis patentes, & ſic clara ratione inſertas, quod cauſas exprimere foret otioſum reſpectu cuiuſvis operantis propter cauſam & finem, vt patet ex decem Decalogi præceptis, quorum lumen ſignavit ſuper nos Deus, & ad quæ, vt paſſim Auguſtino Scotus, *Ipſa conſcientia clamat.* Secus autem ſic inſitum eſt lumen in eis, quæ homo dirigit, & ſtatuit, cum aliter ac Deus qui homo loquatur. Tum Altiſſimus non eget rationum ſubſidijs, cum ſit Supremus Dominus, Omnipotens, & vniverſorum Comprehenſor, ac proinde nemini reſtat dubitandi locus, an ſcilicet quod à Deo præcipitur ſit rationabile, iuſtum, & convenientius; ſecus autem in alijs Superioribus, in quibus licèt ſciamus delegaſſe ad plura poteſtatem, dubitare tamen poſſumus an voluiſſet ad omnia ſummam delegare prudentiam; ſicque & in quampluribus alijs iuxta humanam imbecillitatem dubijs ſcrupuloſis affligimur. Tum, quia Divina præcepta, ſicque ex divina inſpiratione æquivalentia, non invenerunt oneratum humanum & patibile ſubiectum, ac proinde non erat opus, vt rationum blanditijs dulciter alliceretur; at præceptis Divinis, & Seraphicis ſupra miſſelum homunculum impoſitis, ſic oneratus langueſcit, & gemens ambulat, quod fulcimentis rationum egeat, ne in via deficiat. Onus enim licèt leve, ſi ſuper oneratum addatur, graviſſimum redditur, vt paſſim experimur.

59 Dices, quod dum in ſtatutis deſignentur cauſæ, & rationibus miſceantur, ſequetur in Subditis nocivum diſputationis detrimentum, ac proinde in controverſias dilapſi, Lex ludibrio erit, & *Lex ludibrio eſſe non debet.* Cap. *Commiſſa elect. in 6.* igitur potius oportebit ad ſerenandum tumultum, nudè & ſimpliciter ſtatutum depromere, & ſic applicare. Hæc cum ſpiritu ſublimi Seraph. Pater prævideret, poſtquam Fratribus Regulæ præcepta appoſuit, præceptum formale in Teſtamento ſuo reliquit; *Vt non mittant gloſſas in Regula, ſed ſicut Dominus dedit ei purè, & ſimpliciter dicere, & ſcribere Regulam &c.* Reſpondendum, nonnullam diſputationem fore iuxta humanam curioſitatem, & genium diſcurſivum inevitabilem, ac id non nocere; tum, quia iam ſciunt nunquam ſic à ratione poſſe eſſe humana decreta, quod penitus, & vndequaque convincant; quapropter dum pars quæ ſtatuitur proba ratione fundetur, ſat erit vt ſupra eam accedente ſtatuto prævalere debeat, & rationabiliter ei obediatur: Tum, quia ſi ſtatutum ſeriò, & abſque rationum tramite formetur, ſemper inevitabilis diſputatio eſt, prout non ſemel audivi, tunc ſiquidem Fratres conqueruntur, & quærunt mordicus de ſtatuto motivum, & nullum apparere eis, quod ſat ſit, minus benignè reſolvunt, cum & minus dociles & docti alij ſeverius proſiliunt. Tum quod adducitur ex verbis Seraphicis, clarum habet diſcrimen, vt conſtat ex nuper, & ſupra dictis. Sicuti enim creſcit Auctoritas aſſertoria, vt quis loquatur, ſic & in audiente ſilentium, vt non diſſentiat.

60 Exiſtimo enim congruentius fore cum ratione ſtatutum condere, ſic ego cum lege concernens etiam diſputabilem rationẽ, ac cum Prælatorum licentia diſputabilem neceſſitatem. Tum mihi firma ratio eſt, quod Patres noſtri nullum niſi rationibus nixi efficiant ſtatutum; igitur quo pacto eis rationibus non formidarunt ſtatutum facere, nec formidare aut vereri debuerunt cum eis ſtatutum dicere. (Dices hinc, oportere non dicere, cum futilis poſſit eorum eſſe ratio: Dicam, quod ſic, etiam futile manebit eorum ſtatutum, ac proinde iſtud dicer, quidquid ipſi non ſunt auſi) vnde Tertullianus in *Apolog. Cap. 4. in fine*, hæc aurea reliquit: *Nulla lex ſibi ſoli conſcientiam iuſtitiæ ſuæ debet, ſed eis à quibus obſequium ſpectat. Cæterum ſuſpecta lex eſt, quæ probari ſe non vult, improba autem, ſi non probata dominetur.*

***

ART. V.

An Statuta, quæ noſcuntur fore inſtar motivi tranſcendentis, & perfectionis ſimpliciter ſimplicis, debeant vniverſis Religionis Provincijs, vt obſervanda proponi.

61 AD clariorem Articuli reſolvendi captum, oportet breviter advertere, nonnulla fore ſtatuta, quæ meritò intra vnius determinatę Familiæ limites verſantur, necnon aliquando intra limites vnius, aut alterius Provinciæ, eo quod viſa fuiſſent ſpecialia motiva ne ſtatuta illa tranſcenderent, quin ſolum huic, & non alteri Familiæ vni determinatæ proficua oporterent, cum ex aliquibus nationum caracteriſticis, & proprietativis poſſit prodeſſe vni, quod nocere ali; prout paſſim abundarunt vſque adhuc ſtatutorum exemplaria. Sunt at ſtatuta alia, in quibus nec magis pietate ſapiens inveniet quidquam peculiare ne vniverſas Provincias tranſcendant, & ſic generaliter congruere videantur, veluti perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ non in hoc, aut in illo, ſed in quolibet ſuppoſito melius ſit habere ipſas, quam non habere, prout fuit commune Theologorum axioma.

62 Reſolvendum huiuſcemodi ſtatuta vniverſis vtriuſque Familiæ Provincijs debere vt obſervanda proponi. Nec aliud ſenſibilis cenſuræ dignum, expreſius in ſtatutis huc-vſque notare valui, dum meritò dolui. Ratio ſtat in promptu ex ipſius reſolutionis nota. Quia quod eſt melius habere, quam non habere, melius erit quod ab omnibus æqualis iuris, moris, & inſtituti capacibus, dum nemo impediat, habeatur; ſed præfata ſtatuta, quæ ſunt inſtar ſimpliciter ſimplicium perfectionum, eſt melius habere, quam non habere; ergo &c.

63 Tum, quia non minus Fratrum, ac quæ amicorum debent eſſe communia, etiam ſi in aliquibus, ſervatis ſervandis; ſed in huiuſmodi bonis conſtitutis à Patribus, ſupponimus non dari motivum, vt aliquid reſervetur; ergo. Quod enim veluti amicorum, quæque debeant inter Fratres fore communia, comprobatur; tum, quia quod commune vti vniverſale ab omnibus inferioribus debet participari, & non abſque fundamento quæcunque congregationes, quin etiam & Fratrum Monaſteria Communitates vocātur: Tum, quia præfatę conditionis ſtatuta, maximè ſi favorabilia ſint, debent extendi, & ampliari: Tum, quia ſi Exteri intra Religionis ſpeciem, dum conveniunt intra Religionis genus, quam plurima bona gratiarum, & privilegiorum noſtrorum participant, non facile apparebit ratio, ne bonarum conſtitutionum, vtpote inſtar perfectionum ſimpliciter ſimplicium participemus, & communicemus, qui vnius Patris ſumus Filij, & eiuſdem Teſtamenti Seraphiei hæredes per Deum. Uſque adhuc enim, paria principia pares ſortiuntur effectus.

64 Comprobantur ab ſtatutorum exemplari. In vltimis enim Statutis Toletanis, ſtabilitum fuit pro altera Familia, quod in Lectorum nominatione ſuffragium non haberent Patres Diffinitorij, qui nec actuales, nec Jubilati aderant Lectores; idque merito ſtabilitum, quia *Navita de ventis, de tauris narret arator, &c,* ſic; non enim eius quod non habetur ſcientia, poteſt fieri iudicium, iuxta illud Pſalmi: *Erudimini, qui iudicatis Terram.* Tum ſublimi, & nunquam ſatis laudanda ratione, vt non ſemel vidi in Conſtitutionibus antiquis, ſtabilitum fuit, quod qui Magiſterium Novitiorum per hos, aut illos annos probe, & proficue miniſtrarunt, Definitionis habitualis præmio honorentur. Nunc ſic; qui eſt ſecundum ſe illiteratus, & lectionum ignarus, vt circa eligendos Lectores formet iudicium, non plus ſapiet in vna Familia, quam in alia; ſicuti enim qui ſapiens, in terram alienigenarum gentium pertranſiet & bona, & mala in hominibus tentabit; qui ſtultus, non plus tranſiet inter proprios, quam inter alienigenas, vnde idiomate noſtro vulgariter dicitur: *Quien aſno va à Roma, aſno ſe torna.* Igitur, dum tale, ſtabilitum fuit pro altera Familia, & idem ſtabiliri debet pro noſtra. Conſimiliter circa Novitiorum Magiſterium; quia ex eo, illo præmio Magiſtri Novitiorum honorantur, quia bona iuvenum & maximè prima inſtructio, nimis tam in poſterum ipſis, quam toti prodeſt Religioni; quæ enim ſeminaverit Novitiorum Magiſter, hæc & metet deinceps Religio; necnon vt habetur ex *Prov.22. Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* (Proh lamentabilis Religionum dolor! Tria ſunt difficilia nobis, & quartum penitus ignoramus; *Viam, S, viri in adoleſcentia ſua.*) Sed bona, & vtilis Magiſtrorum inſtructio non minus vni, ac alteri Familiæ prodeſt, dum etiam perſonalis vbique incomparabilis eſt labor;

labor; igitur non datur ratio, vt pro vtraque Familia, ſicuti meritum, non tranſcendat & præmium.

65 Præfata duo exemplaria propoſui, vt inſtar eorum Patres Diffinitores Generales quamplurima alia ſic ſtatuta comparent, & ad vnitatem fraternam redigant. Nil enim potius attendi debet ab vniverſis Fratribus, vtpote habentibus *vnum Generalem Miniſtrum*, vnam Regulam, & viveodi normam, quam in qoantum poſſibile ſit, & neceſſaria exceptio non cogat, vnitatem in ſtatutis acceſſorijs habere; diviſio etenim extitit malignantis conditionis; facile namque deſolantur, quę abſque vrgenti, & honeſta ratione dividuntur. Quapropter nimis oporteret, vt in ſtatutis compilandis, ea omnia deſinerent Patres compilantes communia, quę vrgenti nationis, & notionis cauſa non intuebantur ſingularizanda. Proprium eoim, etiam in his, Franciſcano improprium, & nocivum.

66 Dices, plurima ſtatuta nobis poſſe videri communia, dum de facto pro determinata Familia facta, quæ in ſe ſpecialia ſint; at ratio peculiaris non apparet nobis, vt apparuit eis, qui ſic ea pro determinata Familia ſtabilierunt; ergo abſque ratione reddeſeotur communia vtrique Familiæ ſtatuta, quæ abſque ea, non fuerunt pro determinata effecta. Reſpondetur facilime iuxta formalem noſtræ reſolutionis ſcopum; dum enim probetur, dari rationabile fundamentum, vt ſtatutum debeat ſpecifice iuxta vnam Familiam differre, fatebimur quod non debeat vtrique tunc convenire. In reſolutiooe enim diximus, ſtatuta ea debere eſſe communia, quæ vti perfectiones ſimpliciter ſimplices reputentur; ſi eoim ſic non inveniantur, ceſſabit omninò litigium. Dicimus necne, quam plurima ſtatuta ſic ex ipſorũ notiſſima ſtructura apparere communia, quod à viris prudentibus motivum ſpecialis contradictionia nullatenus inveniatur, & cum aliàs proficuum inveniatur in eis tranſcendentię motivum, videbitur prudentioribus, iuxta vnitatis, & pacis Seraphicæ ſubſidium, meritò ampliandum.

ART. VI.

De Statutis Compilandis.

PROÆMIANS ARGVMENTVM.

67 Arduum profecto, cum vltra quod nonnullis viſum, ſit ſublimius, & delicatius, ſtatuta compilandi negotium. Equidem arduum, cum diverſa Veterum, & Recentiorum Patrum debeat filiorum multitudini compilator veritate, & varietate, ſapientibus & inſipientibus præparare dogmata. Arduum equidem, quia licèt vnius capitis, & in eodem corpora ſimus membra, at non omnia membra eumdem actum habent; vnde, ſi poſſibilitas præſtaret, vt alter Evangelizans Joannes *Epiſt.1.c.2.* Compilantem Auctorem dicere poſſe, oporteret: *Scribo vobis Filioli &c. Scribo vobis Patres &c. Scribo vobis adoleſcentes &c. Scribo vobis infantes &c. Scribo vobis iuvenes &c.* Nec ſolum è tot perſonarum varietate arduum, quin etiam ob temporum combinandas differentias ſublime, & iuxta intelligentiam meam, ſalva meliori, inſuperabile, cum oporteat temporum dare tempora, & aliquando negare, & *Omni negotio* (notabat Eccleſ.c.8.) *Tempus eſt & opportunitas, & multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt Nuncio.* Delicatius necne, cum ſcribantur hæc in generatione altera quoad ea quæ ſunt oaturæ; & quoad ea quæ ſunt perennis obſervantiæ, intendant nonnulli vrgere veluti ſi ſtyllo ferreo, vel plumbi lamina, dum debeant fieri ſtatuta pro homine eo, qui nuoquam in eodem ſtatu permanet, ſed fugit velut vmbra, & dilabitur vt aqua. Delicatius revera totius Ordinis negotium, cum pateat via Domino, & rectę fiant ſemitæ eius; tum aſpera per vias planas, tum è converſo; tumque ſic, vt Patres compilantes debeant bona & mala tentare; pœnam & gloriam perpendere; dulce, & amarum diſtinguere; lucem, & tenebras dividere; forte, & debile animadvertere; ſæculorum, & terrarum differentias obſervare; & tandem ex ſtatutis legibus in æternum mori, vel vivere pendere. Non, vt confundam vos hæc ſcribo, quin Patres colligentes, quæ Apoſtolica ſuperfuerunt fragmenta, vt Fratres meos chariſſimos mooeo. In hiſce ergo, Utinam ſuſtineretis modicũ quid inſipientiæ meæ; ſed & ſupportate me; ſtultus enim, vt ego, aliquando ſapiet.

SVBART. I.

Veterum Patrum compilationis ſtudium, à ſæculo vſque in ſæculum recitatur.

68 Studium colligendi, & compilandi Statuta Seraphica, à veteribus Patri-

Patribus pluries commendatum extitiſſe, & ſæpè ab eis compilationem vti vtiliſſimam, iuxta temporum indiſpenſabilem conditionem præmonitam, & pro viribus intentam, dubitabit haud nemo, qui legat, & aures audiendi habeat. Sic (vt ſtatim, quod propoſui ſuadeam) in Capitulo Generali Neapoli celebrato ad An. 1316. ſtatutum fuit, vt Aſsiſij cum aſſiſtentia RR. P. Michaelis de Secena Generalis, convocatis Patribus Capitularibus, recognoſcerent conſtitutiones Ordinis; gravioribus reſciſſis, minores redderentur, & ſuperfluis ablatis, neceſſariæ ederentur.

69 Tum in Capitulo Generali Perpiniani celebrato ad An. 1331. RR. Geraldus Odonis, ex antiqua forma Statutorum Generalium Seraphici Doctoris, ciuſque Succeſſorum, & ex dictis Sanctorum Patrum, & Privilegijs Ordinis, ac Statutis diverſorum Capitulorum Generalium, edidit cum eodem Capitulo novam ſtatutorum compilationem, in quibus novas ceremonias, & ritus inſuetos Fratribus impoſuit.

70 Tum Anno Domini 1334. fuit Aſsiſij Capitulum Generale celebratum, in quo novitates in compilatione Perpiniani additæ, nonnullis allegatis rationibus, fuerunt revocatæ.

71 Tum An. 1337. fuit Catutci Capitulum Generale celebratum, in quo facta fuit nova ſtatutorum compilatio per Sanctiſſimum Patrem Benedictum Duodecimum, qui maximos favores Fratribus ſtudentibus conceſſit.

72 Tum in Capitulo Generali An. 1343. Marſiliæ celebrato, ordinatum fuit: *De cætero ſerventur Conſtitutiones Sancti Bonaventura (aliquibus additis) tanquam Ordinis fundamenta, alijs ſtatutorum compilationibus tam Papalibus, quam Generalibus, revocatis.*

73 Tum in Capitulo Generali Aſsiſij celebrato, An. Dom. 1354. iterum ordinatum fuit, vt Seraphici Doctoris Conſtitutiones ſervarentur (præfatæ conſtitutiones, quæ à Seraphico Doctore ordinatæ, dictæ fuerunt Farinerij, quia eas propoſuit, & per Provincias diſtribuit, cum foret Miniſter Generalis) vbi plenum Capitulum Generale ſtatuit, alia ſtatuta ei volumina non inſerta, vt iuribus evacuata, reputanda.

74 Tum in Capitulo Generali Aſsiſij celebrato An. Dom. 1430. cum ex amplo gubernio RR. Antonij de Maſſa, concuſſæ manerent Seraphicæ Conſtitutiones, æquivalens extitit præcedentium compilatio Martino Quinto roborata, & à B. Capiſtrano impetrata, vbi in Prologo hæc habentur: *Cæteris, vltra ea, quæ ibidem ponuntur, & allegantur, diſpenſatis.*

75 Tum An. 1461. in Congregatione celebrata in loco Familiæ apud Auximum, Provinciæ Marchiæ, hęc habetur: *Quia* Moderni gaudent brevitate, & illud facilius memorię mandatur, quod brevius promulgatur; Viſum eſt vniverſę Generali Congregationi, apud Auximum in loco Annuntiarę celebratæ, Anno D. 1461. &c. vt pro communi omnium informatione, conſtitutiones Martini Quinti, & cæteræ ordinationes Familiæ in quoddam compendium reducerentur, quantum ad ea, quæ pertinent ad Familiam; non intendens per hoc, conſtitutionibus addere, *vel minuere.*

76 Tum, nullus Miniſter Generalis plus inſtauravit, roboravit, antiqua renovavit, ſancita ſtabilivit, ordinata ampliavit, ac ampliata, & antiquata compilans in vnum congeſſit, ac RR. Franciſcus Samſon electus in Capitulo Generali Urbini celebrato, An. Dom. 1475. eodem anno ſtatuta inſtaurans; Aſsiſij An. 1485. vetera roborans; An. 1488. renovans; An. 1492. Aſsiſij ſancita ſtabiliens; An. 1495. iam ordinata amplificans; & An. 1498. Mediolani, in vnum cuncta congerens.

77 Tum in Capitulo Generali Lugduni ſub RR. Franciſco Licheto ad An. 1518. hæc inveniuntur: *Vt autem vniformitas, quantum fieri poterit, in toto Ordine habeatur, ordinavit Capitulum Generale decem Patres, qui, antequam ab hoc loco diſcedant, habent colligere ſtatuta, & ordinationes per diverſas Nationes, iuxta Bullam vnionis hoc mandantem, & ordinantem: quæ poſtquam in vnum corpus redacta fuerint, ad ſingulas Provincias tranſmittentur, & practicabuntur vſque ad Generale Capitulum, vbi poterunt ab omnibus acceptari: & ſimiliter fiet de Kalendario, & Ordinario, quantum poſſibile fuerit ad vniformitatem reducendo.*

78 Tum in Capitulo Generali, An. 1593. RR. Pater Bonaventura Calatayeronenſis vniverſorum faciens compilationem, hæc in Prologo præmiſſit: *Regularium Conſtitutionum multitudo, quoniam ſæpè magnam confuſionem afferre ſolet, & quandoque etiam ignorantiam; compendioſiora vero, quò clarius intellecta conſpiciuntur, eò facilius in vſum, & conſuetudinem inducuntur; propterea Fratribus in frequenti Generali Capitulo Valliſoletano legitimè congregatis viſum eſt, ſatis opportunum fore, atque conformandi moribus, & reſtituenda, ac retinenda etiam regularis vita diſciplina plurimum profuturum, ſi omnia Statuta, Ordinationes, Conſtitutiones, & Decreta annis*

ſuperio-

ſuperioribus 1553. *Salmantica*, 1559. *Aquilæ*, 1565. *Valliſoleti*, 1571. *Roma*, 1575. *ibidem*, 1579. *Pariſiis*, 1587. *Roma*, 1590. *Neapolis*, *ac noviſſimè* 1593. *in Capitulo Generali Valliſoletano confecta, & edita, ad compendium, & certam methodum, ſuperfluis amputatis, & quæ contraria eſſe videntur, reconciliatis; additis addendis, ac moderatis moderandis, redigerentur, ac ordine redacta, noſtraque primum Auctoritate probata, darentur in lucem.*

79 Tum An. Dom. 1621. cum Statuta Generalia Barchinonenſia vniverſis Ciſmontanæ Familiæ Patribus valde vtilia ad regularis obſervantiæ normam viderentur,& aliàs vt præclarius, & adæquatius inſiſterent, aliquo egerent examine, decreverunt Patres Congregationis Segovienſis, anno ſupra numerato, quod proponerentur vt in poſterum inviolabiliter obſervanda, Ordinem tunc gubernante Reverendiſſimo Patre Benigno à Genua, equidem Seraphici Patris Succeſſore vero, & nunquam ſatis laudando viro. Ibi necne in ſtatutorum compilatorum Prologo (ſic eruditè, & iuxta intentum præhabitarum Reſolutionum mearum, Prologus incipit: *Et ſi nihil ſub Sole novum, verumtamen renovandam, vt Aquila iuventutem noſtram Regius Pſaltes cecinit, & faciem terræ renovari precatur, & ſpiritu mentis noſtra renovati, novumque induere hominem, Apoſtolica voce præcipimur. Non igitur mirum, cum homo nunquã in eodem ſtatu perſiſtat &c.*)quam plures compilationes pro viribus deſideratæ, & intentæ in nonnullis Capitulis,& Congregationibus præcedentibus, iuxta correſpondentium annorum ſeriem numerantur, & deſcribuntur, vt facile videri poſſunt; inde enim, ne moleſtus forem, recitare omiſſi.

80 Ulterius, cum vſque adhuc, tempus circa fore varium, invariatum ſit,& homo circa non eſſe in eodem ſtatu, idem ſemper ſit, inde cum nonnulla in præſenti ſæculo adderentur, nonnulla revocarentur, plurimæquè necne Sanctiones Pontificiæ ad pias noſtrorum Patrum preces verſus ſtatuta, & noviter ſtatuenda confluerent, iam aliquibus ab hinc annis, ſtatutorum compilationem in pluribus deinceps Capitulis Generalibus vnanimi Provinciarum clamore ferè omnes Fratres obſervandorum cupidi petierunt, & hucvſque longius ire negotium ſuſpirarunt.

81 Cum igitur ad inſtantiam confuſionum vocem, horum in vltimis Commitijs Generalibus Toleti celebratis,licèt ſub conditionibus de futuro Capitulo, ageretur, & proponendorum norma offerretur expertorum Patrum,& Fratrum peritorum cenſuræ, quam plurimis increpationibus ſtatuta vti enervata extiterunt, quovſque impræſentiarum vocem dederunt, nubes at ſemper, tametſi fœcundæ imbribus iam videantur, ex quo Spiritui Reverendiſſimi Miniſtri committitur quod ſuper aquas feratur, & ad eius imperium, ſervatis ſervandis, & conſultis conſulendis, congregentur in locum vnum; ſieque terra noſtra, quæ toties dedit fructum ſuum, renovata germinet herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum. *Et factum eſt ita*; vtinam audiamus & Nos ſemel factum,quod ſemper fieri.

SVBART. II.

Principalius compilandi ſtudium circunſtans.

82 IN primis, cum quæque Religionis bona, vel bonorum omnium antemurale, in ſtatutorum fulcimento, & in legum cuſtodia ſiſtat, & aliàs omne bonum non ab hominibus aſcendat, ſed deſurſum ſit, deſcendens à Patre luminum,apud quem nec in vlla legum, ac ſtatutorum mutatione, eſt transmutatio, cenſeo nimis oportere, Reverendiſſimum Patrem Miniſtrum Generalem, antequam compilatores eligantur,& de ſtatutis adaptandis, & colligendis quidquam ab eis tractetur, mittere per vniverſas Familiæ Provincias publicam, & legalem chartam, vt ſaltim per aliquos præcedentes dies, expẽdantur vti in electionibus ſuffragia (nec minus pro bonis legibus, quam pro Legislatoribus & Prælatis fieri videtur) & preces ad Deum fundantur, vt in Sinai Seraphico mereamur legem ab eo recipere, qui legem ponit, & viam iuſtificationum ſuarum aperit. Sic in ſtatutis compilandis, & colligendis, *Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur; auferes ſpiritum eorum, & deficient.*

83 Tum oportebit, Patres compilatores fore, animo dociles, fama præclaros, virtute notos, zelo diſcretos, ſapientia ornatos, converſatione benevolos, ſtylo ſynceros, intentione ſanos, egentibus benignos, depravantibus ſeveros; locorum, & Provinciarum ſuarum nec inſciè amatores, nec notabiliter proprietarios;& tandem nedum in vna materia, ſed in quavis Franciſciadum peritos, & ad quamvis reſpectivè propenſos. *De cætero Fratres* (Doctor Gentiũ ad Philippenſes 4.) *quacun-*

quæcunque ſunt vera , quæcunque pudica , quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia , quæcunque bona fama , ſi qua virtus , ſi qua laus diſciplina, hæc cogitate. Quæ & didiciſtis,& accepiſtis,& audiſtis, & vidiſtis in me (inquit Seraphica Religio) *hæc agite,& Deus pacis erit vobiſcum. De cætero* , in quam hæc cum Franciſco, quia Regulæ præcepta, ſunt ſcientiæ noſtræ prima principia,& demonſtrationis Seraphicæ potiſſima media , vt erat Pauli ſequacibus , Chriſti Evangelium : ſtatuta autem noſtra, de cætero ſunt, vt quæ addita , & poſteriora. *Hæc cogitate.* Oportebit ergo compillantem Doctorem intus præfatas,& Pauli conditiones habere, vt extra obſervanda valeat exactè cogitare. Hincque circa compilandi & adaptandi negotium, in Capitulo Gener. Valliſoletano ad An. 1593. inquit in Paternali,& Proæmiali Epiſtola RR. Booav. Calatayeronenſis: *Ad negotium hoc, vt arduum quidem , & perdifficile , ſic opportunum , ac ſalutare , viros prudentes , probos , ac pios, rerumque agendarum vſu peritos, & ad id, vel maximè idoneos, nobiſcum adhibuimus.*

84 Ratio autem, vt eas omnes conditiones Compilatores habere debeant,ſiſtit in eo, quod ſcilicet diverſa diverſis præparent ſtatuta, oporteatque in nonnullis addere, & ſavere, in alijs autem reſtringere , & limitare, iuxta quam plurimas perpendendas & eviſcerandas rerum, locorum, temporum,& perſonarum circunſtantias ; itaque ſi Doctor, & Compilator ſit dumtaxat excellens in litteratura , ad eam pro viribus attendet ; ſi excellens, & ſingularis in mentali Oratione, diſponet pernoctari in Oratione Dei; ſi ſingularis & excellens in cantu Divini Officij,vt externas vocis protendat laudes,de internæ orationis tempore non ſic curam habebit; ſi ſingularis & excellens bonorum temporalium conventium ſit, animæ monaſticæ , quæ plus eſt quam eſca, non ſic ſolicitus apparebit; & ſic,de vniverſis lineis,Religionis centro æquè importantibus. Hæc notanter dixi , quia in Provinciarum Prælatis tam inferioribus, quã ſuperioribus, necnon in earum Viſitatoribus pluries inſtructiones regulares defeciſſe vidi. *Navita de ventis de tauris narrat arator.Enumerat Miles vulnera, Paſtor oves.*Propert. *lib. 2. eleg. 1. Tu vero vigila , in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ , miniſterium tuum imple.*

85 Tum oportebit, Patres Compilatores præ oculis habere quæcunque hucvſque cõdita ſtatuta, tam ad idem conſonantia, quam ad idem diſſonantia , vt poſſint , priuſquam reſolutionem ſtatuant, ea perpendere , comparare, & iuxta temporum obſervandas conditiones diſtinguere. Oportebit enim quæcunque ſtatuta ad idem conformia præ oculis habere, nedum ex noſtris , ſed ex antiquioribus formata ſæculis , vt cum aliquid reſolvi decernatur , ſaltim in margine notetur , illud ipſum fuiſſe per ſapientiam Antiquorum exquiſitum, & deliberatum, ac proinde ſic manebit maiori auctoritate firmatum, & cunctis videbitur maturius examinatum , & prævifum ; & ſæpè , quæ profundius venerantur, ſcimus, quod vbique ſublimius & accuratius obſervantur. *Ideo omnis Scriba doctus , ſimilis eſt homini Patrifamilias , qui profert de theſauro ſuo nova , & vetera.* Inde in Prologo conſtitutionum Martinianarum hæc habentur : *Et centies repetita placebunt ; ac diverſa in vnum collecta facilius ſervantur: & quæ vſu viluerunt , antiqua pariter , & renovata delectant.*

86 Tum cognoſcere omnia noviſſima, & antiqua , & dies antiquos in mente habere, nedum oportebit ad auctoritatem , & decoroſam aptitudinem , ſed & ad poſitivam reſtaurationem , iſtamque per modum legis, & ſtatuti formalis, vtpote dum talia ſtatuta antiqua non fore impræſentiarum,non ſumatur ex modernorum contrarietate , & ſalubriori revocatione , ſed ex incuria temporum , ſicque aliorum iuxta ſeneſcentis mundi conditionem. Ubi notandum nimis pro compilationis ſtudio, quod dum nonnulla quæ penitus oblita maneant, non videantur ſtatuto formali,& inſtar præcepti apta, oportebit tamen ea per modum doctrinæ iuxta materiarum claſſem proponere , cum revera nonnullas in antiquis celebres eruditiones , & morales doctrinas à celeberrimis illis Capitulis videtim expoſitas, dum nunc oporteret,quod non manerent infeliciter conſopitæ. Sic fac , & *Exaltabo te* (Iſaias *c.* 25.) *& confitebor nomini tuo, quoniam feciſti mirabilia , cogitationes antiquas fideles amen.* Adde *Gloſ. in cap. novit ille.de iudicijs. V. quicunque,* vbi ait *: Licèt lex ſit ſublata , notitia tamen illius eſt neceſſaria.* Vide Sanctor. *Stat.*12. & Bordon. *de Conſtitut. Reſol.* 144.

87 Oportebit,& præ oculis habere quæcunque ad diem diſſonantia , eaque ſpatioſe, & ſpecioſe conferre, & meditari ; & dum ex natura rerum ipſarum nõ poſſit anceps Compilator, quod magis proficuũ decideret ſciat, vertere mentem ad conſimilium eventuum experimenta, tuncque animadvertere,ſi ex talibus ſtatutis , vel contrarijs , reſultarint ſalubriores vel improbiores effectus, ſicque ad magis vtilem partem declinare , & vel antiquum

quum ſtatutum renovare, vel noviſſimum in compilatione firmiter conſtituere ; & confirmare. Iterum tamen noto, quod, vt hæc benè colligantur, & excutiantur collectá, & excuſa pallea proſint Paupertatis Seraphicæ horreo, oportebit Compilatores Patres nimis vigiles, & à Solaris Religionis ortu, vſque ad veſperam inſudare, vt celebris illa Moabitis, dum obedientia comite, fecit dicens : *Si iubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium, vbicumque Clementis in me Patrisfamilias invenero gratiam. Collegit ergo in agro, vſque ad veſperam, & quæ collegerat virga cædens, & excutiens, invenit hordei. quaſi ephi menſuram.*

88 Præſtabilitorum nunc, pluribus conſonare videtur, P. Sanctorus *Cap.* 12. *Stat.* 12. dum ſic ait : *Deficientibus* novis Conſtitutionibus Generalibus, recurri debet ad alias Conſtitutiones Ordinis; & doctè idem Auctor advertit (hic Auctor eſt Corduba) quod licèt non valeant ad obligandum, valent tamen ad notitiam aliquorum dubiorum : Addo (inquit Sanctorus) & ad coniectandam mentem Ordinis, antiquitatis normam, Religionis progreſſum: & inſuper valere affirmo, vbi in modernis vel deciſio non reperiatur, vel reperiatur oppoſitum, vt manifeſtè appareat fuiſſe revocata ; quia cum in his ſtatutis omnes caſus, qui contingere poſſunt, non reperiantur, & ſolum ſuperflua reſecare intenderint, infertur, nos vti poſſe antiquis, in quibus caſus reperiretur in fonte, quia tunc non eſt ſuperfluus, niſi conditio temporis revocata eſſe dictaret, quia ceſſante ratione legis, eius obſervantia ceſſare etiam debet, quia tunc bonum commune non reſpicit. Hæc Sanctorus, citatque ibi pro eis Doctorem Angelicum, Suarium, alioſque Doctores graviſſimos.

89 Confirmari videtur prædictarum regularum pro compilandis ſcopus ex eo, quem ſatis innuebant Statuta Segovienſia An. 1621. vbi ſic in Prologo: *Quedam*, tum ex vetuſtioribus noſtris, tum ex Ultramontanis delumpta, addenda cenſuimus, cum certis antiquis, laudabilius tamen (quæ oblivioni tradebantur) conſuetudinibus, vel ad maiorem rerum iam præſcriptarum explicationem, aut moderationem, vel quia in his frequentius peccari compertum eſt, vel quia nondum ſuper inde ſatis opportune proſpectum eſſe *videretur*. Hæc ibi.

90 Et circa idem intentum, nedum oportebit præ oculis habere quæque veterum Patrum ſtatuta, quin etiam veteres Pontificum confirmationes, aliaque decreta iuxta temporum, & perſonarum qualitates expedita, eaque conferre pari norma conſonantiæ, aut diſſonantiæ; ſicque ſi conſonent, & ad idem intentum & ſtatutum confluant, ibi indicere, & ad maiorem ſtatuti ſplendorem, & auctoritatem notare. Sin autem diſſonare inveniantur, tunc iuxta iuris regulas deſignare vltimo ſtabilitum, ſi iam contrarium impræſentiarum magis oportere non intueatur; in tali enim caſu, deberet ad inſtantiam Patrum Compilatorũ Miniſter Generalis repræſentare Sanctiſſimo contrarium importare, vt pijs precibus Reverendiſſimi inchoatus aliter decerneret, & vel tunc, vel vna cum vniverſis ſtatutis compilatis confirmaret.

91 Sic ſervandam normam innuebant in prǫcitato Prologo Patres Segovienſes, vbi ſic proœmiantes : *Nonnulla etiam quæ in præſentibus comitijs ſunt noviter inſtituta, & inſuper decreta omnia Pontificia à Regularibus obſervanda recognovimus, & in proprijs locis præſcripſimus, eaque omnia ad compendium, & certam methodum redigi, ac ordinari diligenter curavimus.*

92 Quorum omnium ratio potiſſima apud me eſt (inquit Sanctorus ad *Stat.* 12. §. *Hinc etiam fit*) quia ſtatuta, quibus tota Seraphica gubernatur Religio, & ſi in aliquibus mutata, aucta, & particulari inſtituto accomodata ſint, omnia tamen ſubſtantialiter continent ordinationes factas à Sancto Bonaventura in Capitulo Narbonenſi, auctas poſtea per ſtatuta Farineria, derivatas in Barcinonenſia, collectas & extenſas per Martinum 5. & Benedictum 12. Julios 2. & 3. in Statutis Alexandrinis, Benedictinis, Martinianis, Papalibus, Salmanticenſibus, Segovienſibus &c. Cum igitur Minorici Inſtituti leges contineant tot præclara, non eſt, cur eas, vbi vtiles fuerint, vbi regularem diſciplinam promoveant, vbi modernioribus contrariǫ immeritò non exiſtant, non memoremur, ſed abijciamus, eo vel maximè, cum Alexandrinæ, Papales, Salmanticenſes, Martinianǫ, & aliæ fuerint à Summis Pontificibus confirmatæ reſpectu totius Religionis : & factum etiam legimus in Capitulis Generalibus Romanis An. 1600. à Clemente Octavo; & eiuſdem Congreg. General. An 1603. ab eodem; & An. 1625. ab Urbano 8. & An. 1633. Toletano, ac An. 1639. Romano ab eodem. Hæc Sanctorus, vno aut altero correcto verbo, quorum, quod prǫſtabilitis correſpondeat, diſſertus Compilator applicet, ſicque corroboret.

93 Nec circa immediatè præſtabilitam compilandi regulam, proficuum, ni fallor, conſt-

conſilium omittere vellem, quod ſcilicet, cum ſtatuta cotrariantia videantur, & ſivè moderno, ſivè veteri ſtandum reſolvatur in vltimo compilandis, & proponendis, tunc ſtatuti exploſi, & expulſi nulla mentio fiat, ne qui leves, garruli, aut inquieti & conſpirantis genij, inutiles & nocivas cõtroverſias moveãt, iterumque vt in pace dormientia ſuſcitent, & promoveant, alios commovere intendant. Ne igitur in poſterum Compilatores doleant, oportebit quod invalida deleant; *Sicuti deleri ſolent Tabula*. 4. *Reg. c.* 21. Præterquam quod, *Lex ludibrio eſſe non debet Cap. Commiſſa* 35. *elect. in 6.*

94 Tum circa vocum tramitem oportebit eum ſervare purum, clarum, & ſyncerum, ac generaliter ſic conciſum, quod nec ſumma brevitas confundat, obſcuret, & noceat, nec facunda vocum fœcunditas ſuperfluat, moleſtet, & retardet. Sic enim generaliter oportebit; attamen in aliquibus caſibus laudabile, & valde proficuum erit, ſacram Rhetoricæ obſervare methodum, styloque ornato vti iuxta celebrium materiarum differentiam, tuncque enim Compilator ipſe tamquam imbres mittet eloquia, tum lamentabilibus expaveſcens, tum dulciſonis exhilarans, vt iuxta ſtabiliẽdorum ſublimem conditionem obſervantes auditores, iam vigiles, & ſoliciti; iam graciles, & devoti reddantur. Sic ſtatuendo in laudem, & vtilitatem ſtudentium v. g. adeſt in Conſtitutionibus Martinianis compoſitis, & impetratis à Beato Capiſtrano, An. 1430. cum in *Cap.* 10. dicitur: *Statuimus inſuper, quod Miniſtri diligenter, & ſolicite inſtent, & invigilent informationi Studiorum; ita & taliter, quod quibuſlibet ſtudentibus pro poſſe provideant de ſuis neceſſarijs, tam pro libris, quam pro reliquis opportunis rebus, de communibus eleemoſynis &c. Exhortantes ſtrictiſſimè in viſceribus Ieſu Chriſti cæteros Fatres aliorum locorum, cum viderint idoneos Fratres ad ſtudia promovendos, totis viſceribus impendant eis auxilium, conſilium, & favorem, &c. eiſdem ſerviendo in nexibus charitatis, cum ſcientia Donũ Dei ſit, armatura ad defendendum fidem Catholicam, corona Ordinis, lumen veritatis, & vita in tenebris ambulantium.* Tum ab eodem Capiſtrano An. 1443. ſic *Cap.* 10. adeſt vituperando exemplar: *Non patiantur quoque fieri à Fratribus repraſentationes aliquas fæſtivitatũ quarumcunque, vel in die lamentationis Dominica Paſſionis, cum diſſimulatis veſtibus ſecularium, vel cum armis &c. Neque Fratres ad ſpectacula aliqua vadant, vel ad ludibria, & diſſolutas repraſentationes, in quibus loco lachrymarum, reſolvuntur adſtantes in laſcivijs, voluptatibus, & chachinnis.* Sic etenim *Declaratio ſermonum illuminat, & intellectum dat parvulis.*

95 Tum ad idem intentum, cum ſtatuenda materia ſit ex principalioribus, & excelſa nimis, vt eſt illa celſitudo altiſſimæ Paupertatis (nota in confirmationem nuper poſitæ doctrinę, Seraphici Patris normam, cum in *Cap.* 6. Regulæ, poſtquam Paupertatem ſtatuit, vt Filios ſuos hilares, & attentos redderet, vltra ſyncerum, & generalem ſtylum, calamum vſque ad Cœlorum ſpheram tranſmiſſit) oportebit eam in ſplendoribus Sanctorum Patrum funditus regenerare, ſeu Sacro Scripturarum facto vel dicto exordiri, prout expenderat Beatus Capiſtranus in ſuis Conſtitutionibus ad *Cap.* 6, dum etiam in leves Proprietarios ſtatutum ſic ſcribens firmavit: *Cum Bernardus dicat: Monachus, qui habet acum, non valet acum &c.* Similiter circa ſupremum Obedientię præceptum, oporteret vti eo Benedicti ex ipſius Regula à Seraphico Doctore *in* 2. *Diſt.* 44. *Art.* 3. *q.* 2. relato, v.g: *Vt* Beatus Benedictus in Regula ſua inquit: *Si pracipit Pralatus impoſſibile, tentandum eſt facere*, ſic &c.

96 Tum circa varias eventuum conditiones, vt ſereno animo cuncta expediantur, & ne litis horror inſonet, vtpote quia non clarè, & diſtinctè quæque proventura extitere præventa, provideque ſoluta, oportebit nimis, Patres Compilatores, maximè in præcedentiarum ſtatutis, ſummam adhibere curam, ſingula penetrando, & penitus diſtinguendo, & dilucidando, ac proinde ſic in hiſce ſtudeant, vt omnem æquivocationem depellant, ne deinceps ex vno ſic locato, vel omiſſo verbo, præſtetur humanæ ambitioni ſic, vel ſic interpretandi locus, & vniverſi Fratres in controverſias defluant. Ex ſe enim (aiebat Juſtinianus Imperator de confirmatione Digeſtorum §. 18.) *Humani iuris conditio ſemper in infinitum decurrit.* Nunquam enim ſunt brevia, quæ venturis parant diffuſa certamina. Solus eſt Deus, qui vnico verbo dixit omnia; & benè, dum *ſemel locutus*. Quæ cum Patres Congregationis Segovienſis eximie oportere notarent, ſæpè horum in Prologo monent, eaque comprobant prope finem, ex Ariſtot. *lib.* 1. *Rhet. c.* 3. ſola naturæ luce adipiſcentem, cum ex eo aiunt: *Praſertim cum Philoſophus doceat, maximè expedire, benè inſtitutas leges omnia quacunque poſſunt, complecti, ac definire, minimamque partem iudicum arbitrio relinquere.*

97 Tum, cum pœnalia, & criminalia ſtatuta

tuta ferè dimidiam conſtitutionum, & regularis diſciplinæ complexum comprehendant, & alias criminale ſtudium ſolicitam mentem, & expeditam quam plurimarum doctrinarum praxim requirat, oporteret, pro criminum, & pœnarum compilatione inveſtigare & deſignare Patrem, aut Patres, quos Reverendiſſimus iuriſperitos, vigiles, & expertos agnoſceret, & dum probos, & obſervantiæ cupidos, potius conditione mites,quam genio ſeveros, prout toties ſic in Opuſculis Seraphica Patris Noſtri Franciſci clementia monet, & exortatur, vt etiam his dulciſſimis verbis in *Cap.7.* Regulæ: *Ipſi vero Miniſtri,ſi Presbyteri ſunt, cum miſericordia iniungant illis pœnitentiam.* Conſimilem criminoſis habiturum ſcopum Miniſtrum Generalem voluit in *Collat.26*, vbi ſic eum inſtruens: *Conſoletur pie afflictos, cum ſit vltimum remedium tribulatis: Ne ſi apud eum defuerint remedia ſanitatis, deſperationis morbus prævaleat infirmis. Vt protervos flectat ad manſuetudinem, ſeipſum proſternat, & aliquid ſui iuris relaxet, vt animas Chriſto lucrifaciat.* Miſericordia enim ſemper exaltatur iudicium. Sic vniverſæ iuris regulæ, & Doctorum commentaria circa ea quæ pœnæ, mitius incedunt, nil ampliando, ſed quidquid poſſibile reſtringendo. Hæc pro viſceribus oro, cum (aiebat Ambroſius *Ser. 21.*) *Pietas virtutum omnium fundamentum ſit.*

98 Tunc oportebit, ad maiorem firmitatem, & vniverſorum ſtatutorum auctoritatē, executione complere, quæ in Capitulo Romæ noviſſimè celebrato ſic ordinantur *nu.* 2: *Præterea committitur ſuæ Reverendiſſimæ Paternitati, vt ſtatim ac dicta compilatio modo prædicto abſoluta, & vltimata fuerit, illius confirmationem in forma ſpeciali à Sancta Sede obtinere curet.* Et merito, quia ſi, vt conſtat ex Pſalm. 67. etiam quæ Deus ipſe operatus eſt in nobis, oportet quod mandet virtuti ſuæ, & confirmet, quanto magis, quæ homines fuerint in hominibus operati, oportebit virtutem ſuam, vtpote vice Deum,vt confirmet, nos rogare. Cum autem nonnulla ſcitu digna circa confirmationis normam reſtent, ea per ſequentem Articulum expendere conabimur.

99 Tandem, ſuppoſitis ad perfectæ compilationis formam præcedentium Articulorum iam expoſitis, & propugnatis reſolutionibus, oportebit ſtatuta ſic penitus compilatione digeſta, limpido, puroque mandare prælo; ſicque abunde ex eo exemplaria elicere, vt nedum vnicum vnicuique Provinciæ impartiatur exemplar, quin etiam vnicuique Conventui, & ſingulis Novitiorum Magiſtris, vt vna cum Regula, ſaltim ea ſtatuta, quæ magis proficua, & in perfectione tranſcendentia à Religionis incunabulis quaſi modo genitis infantibus proponant, & eo lacte nutritos, Spiritu robuſtos dum profeſſos mittant. Et vt non ſit quiſquam oblivioni datus, tamquam mortuus à corde, & factus ſit tamquam vas perditum, oportebit vniverſis Prælatis pręcipere, quod iam ab antiquis temporibus pluries præceptum eſt, videlicet, vt ter, aut plus in Communitatibus inſtar quotidianæ lectionis legantur, non velociter, & confuſè, ſed clara, & benè articulata voce, vt cunctis ſit clarè notum, quod eſt præclarè præceptum.Utinam ſic fiat,Piiſſimè Domine, vt confiteamur Tibi in toto noſtro corde, in Conſilio iuſtorum, & Congregatione.

ART. VII.

Circa Confirmationem in forma ſpeciali, & communi, nonnulla dilucidans, & reſolvens.

100 Antequam principalem aliquam reſolutionem inferamus, & propugnemus, oportet ſcire prius, quid ſit confirmatio in forma communi, & in forma ſpecifica.Confirmatio in forma communi dicitur illa per quam confirmatur aliquid cum ſola cognitione confuſa cauſæ, ſine alio examine & ſine diſtrictiori notitia eius. Ita communiter Bordon. *Tom.* 4. *reſol.* 149. *Pellizar. Tom.* 2. *cap.* 1. *Sec.* 2. apud quem confirmatio ſpecifica, & ex certa ſcientia dicitur ea quæ fit cum perfecta cognitione cauſæ, tenoris illius, necnon omnium circumſtantiarum ipſius:Quod præſtat Princeps, ſi antequam confirmat ponat tenorem rei, aut privilegij confirmandi, aut in confirmatione dicat ſe confirmare, *ex certa ſcientia, ex plenitudine poteſtatis non obſtante lege in contrarium.*

101 Apud Bordon. autem confirmatio in forma ſpecifica vberius, & diſtinctius adducitur. Ait enim vbi ſupra, quod confirmatio in forma ſpecifica eſt illa, per quam approbatur aliquid cum examinatione, & cognitione cauſæ, quod contingit multis modis. Primo, quando tenor rei confirmandę de verbo ad verbum inſeritur in Bulla confirmationis; & in hoc omnes convenire

Bordonus teſtatur. Secundo, quando ſubſtantia rei ſub compendio exprimitur in Bulla, Gloſ. V. Ex certa ſcientia *cap. Paſtoralis* 28. *de offic. de leg.* Abbas *in cap. Ad hæc. de reſcript. & in cap. Cum inter, de except.* & alij. Tertio, quando res ab alio examinata fuit de mandato Confirmatoris, ex *cap. Quoniam* 14. *de offic. de leg.* Omnia enim noſtra facimus, quibus Auctoritatem noſtram impartimur, *l.* 1. *C. de iure veteri enuc.* Quarto, quando aliquid ſpeciale confirmatur, quia tunc Superior non poteſt non habere cognitionem illius, cum ſibi narratur, prout eſt ex parte rei, *cap.* 1. *de tranſact. cap. Quoties de pactis, cap. Veniens i l. primo de teſtibus. Cap. Ex frequentibus, de inſtitut.* Quinto, clauſula *Ex certa ſcientia*, indicat confirmationem ſpecificam, quia ea inſinuat Papam habere cognitionem eius, quod confirmat, aliter diceretur mendax, & non haberet certam cognitionem eius, cuius aſſerit habere certam ſcientiam, ita quod ea clauſula non caſu, ſed conſulto apponitur. Ita Abbas in *cap. Examinata, de confirm.* Decius *in cap. Porrecta eod. num.* 10. Tauri Gloſſ. 3. *num.* 3. alios refert contra ſe P. Paſqualigus *q.* 107. Sexto, confirmatio cenſetur in forma ſpecifica, quando ea tribuit tres effectus, quorum primus eſt, quando confirmatum fit maioris auctoritatis *cap. Quis neſciat diſt.* 11. Secundus, ſi dum erat infirmum, & nullum recipit vires, & valorem per confirmationem ex *c.* 1. *de tranſact.* Tertius, ſi de re Confirmata nullus poteſt iudicare, niſi confirmator, *cap.* 1. *& 2. de confirmat.* Gloſ. V. Auctoritate *cap. Frater.* 10. 17. *q.* 4. Gloſ. V. forma communi *cap. Quia diverſitatem, de conceſſ. prabend.* Rodrig. *tom.* 1. *q.* 8. *art.* 3. & alij.

102 His ita tam circa confirmationem in communi, quam in ſpeciali ſuppoſitis, nonnullæ occurrunt dilucidandæ, & reſolvendæ difficultates, vt ea, quæ ſtatutorum & compilationis diximus in genere, & in communi regulavimus, exactius & perfectius viro Regulari, & obſervandorum cupido, magis pateant, dum melius circunſtent.

(***)

SVBART. I.

An Statuta à Pontifice Romano confirmata, poſſint in Capitulo ſequenti per Capituli facultatem caſſari, & annullari, Pontificia confirmatione non obſtante?

103 Quod poſſit Capitulum Generale revocare Statuta à Summo Pontifice in forma communi confirmata, videtur communiter teneri ab Auctoribus. Sic reputat Sanctor. *de Pœnis Cap.* 28. §. *Adſecundum*, vbi ait: Dico cum communi apud Portellum *V. Statutum nu.*11. Mirandam *tom.* 1. *q.*29. *Art.* 8. Suarez *lib.*6. *de legibus cap.*29. *num.*14. Rodrig. *tom.*1. *q.*68. *Art.*5. *& 6*: confirmationē Apoſtolicam, ſi eſt in forma communi, eſſe quid acceſſorium, & favorabile, non coactivum, & poſſe revocari in Capitulis ſtatuta, etiam ſi confirmata per Sedem Apoſtolicam, ſecus retorqueretur in odium quod ex gratia impetratum exiſtit, contra Regulam Canonicam *in 6. de repul. viris.* Sic etiam ſentiebat Peirinus ad *Conſtitut.*8. Julij 11. *num.* 4. vbi rationes, quibus alij vtuntur, vt ſtatuta in forma ſpecifica poſſint revocari, inquit, tenere locum dum Papa confirmat in forma communi, ſecus in ſpecifica. Sic Aſcanius Tamburinus *Tom.* 3. *dp.* 3. *q.* 7. *nu.* 6. Bordonus *de Conſtitut. Reſolut.* 149. *num.* 157. vbi & de ſpecifica poſſe revocari affirmat: Pellizarius *Tract.* 8. *cap.* 1. *Sect.* 2. *num.* 26. & alij quos ipſi citant. Difficultas igitur ſiſtit principaliſſimè de ſtatutis in forma ſpecifica à Sanctiſſimo confirmatis; circa quod referam quæ melioris notæ dixerunt Auctores, vt dum ego exactè reſolutionem formare in graviſſimo puncto non valeam, poſſit quicumque diſſertus lector ſolidiorem ſibi eligere.

104 Rodrig. apud Aſcan. Tamb. *num.*8. tenet, quod præcepta Religioſorum Auctoritate Pontificia condita, & confirmata, revocari poſſunt ab alio Capitulo, etiam ſi ſpecialis licentia Pontificis non interveniat; & ſiſtit in eo, quod hoc facere non ſit diſpenſare in lege Papę, quia ibi Papæ confirmatio (percipit in forma ſpecifica iuxta Bordonum ſupra) circa ſtatuta fuit quid acceſſorium, & non principale. Et pro hoc citat *cap. Cum acceſſiſſent de conſt.* vbi Capitulum Cathedralis

lis Eccleſiæ receſſit per ſe ab ſtatuto per Pontificem confirmato. Adde hinc Mirandam *tom.* 2. *Manual. Prælat. q.* 29. *art.* 8. qui docet conſimiliter, quia ſcilicet, confirmatio illa habet vim favoris, non vero legis Papalis.

105 Aſcan. Tambur. vbi ſupra, *num.* 3. tenet, quod ſi in talibus ſtatutis Papæ Auctoritas interceſſerit, ſubſequens Capitulum nullatenus abſque Papæ licencia expreſſa, & ſpeciali valet revocare. Siſtit in eo, quod ſtatuta Papæ Auctoritate condita, non tam Religiouis, quam eiuſdem Papæ ſtatuta cenſentur. Inferior autem Superioris decreta derogare non poteſt, vt per Feliu. *in cap. Cum acceſſiſſent, num.* 9. *de conſtitut.* At hoc intelligendum, quando Papa, per modum decreti, ſivè mandati, ſivè conſtitutionis Auctoritatem ſuam in talibus ſtatutis interpoſuit, & non tantum in vim privilegij; quia huiuſmodi ſtatuta ſemper reſpiciunt bonum commune, & tunc non poteſt Capitulum Generale derogare; nam nemini licet, alterius ius remittere *iuxta l.* 1. §. *Sed & totum titulum de reb. alien. L. Ius publicum ff. de pactis &c. Si diligenti de for. compet.* Tenent etiam communiter Doctores *in cap. Cum acceſſiſſent. de conſtit. & cap. Dilecto eod. tit.* & ſtat in eo ratio, quia dum Princeps circa bonum communitatis condit aliquod ſtatutum, eo ipſo conſtituit ſe eiuſdem communitatis Rectorem, quoad effectum conſervandi bonum illud prætenſum per illud ſtatutum; ac proinde intendit ſibi reſervare poteſtatem diſpenſandi in tali ſtatuto, aut ipſum immutandi, ſecus autem inferiores.

106 Rurſus Aſcanius *num.*6. cupiens expreſſius in hiſce principaliſſimis procedere, confirmationem Pontificiam diſtinguit in ſubſtantialem, & accidentalem. Subſtantialis, & eſſentialis, vt quando Summus Pontifex confirmando intendit ſtatutis robur addere, ac ea propria facere, vt ſi ita leges, & ſtatuta confirmet, quod velit, ea ſuo nomine ſubſiſtere: aut, ſi in confirmatione dicat, Quidquid in contrarium factum fuerit, irritum ſit, & inane: Tunc enim Capitulum Generale, nequit ſtatuta hoc modo confirmata abrogare, nec in eis diſpenſare, quia huiuſmodi ſtatuta cenſentur ab ipſo Summo Pontifice lata, & conſequenter nequeunt ab inferiore auferri; quia eadem poteſtas eſt neceſſaria ad abrogandam, quam ad ferendam legem, *aut è contra. C. de repud.* Res enim per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvi poteſt.

107 Accidentalis vero confirmatio aliter habetur, vt declarando ea eſſe laudabilia, atque à Subditis obſervanda; non tamen faciendo ea propria, nec eis novam vim tribuendo: Tunc enim Capitulum Generale, vtique poterit ea, abſque Papæ confirmantis conſenſu, abrogare, ac ſi ab eo confirmata nō fuiſſent; quia huiuſmodi ſtatuta non cenſentur lata à Summo Pontifice, ſed ab ipſo Capitulo: Confirmatio enim accidentalis non conſtituit leges, ſed eas ſupponit: ſicque confirmatio ſolum apponitur ad maiorem illius legis auctoritatem. Ita etiam Salas *de legibus dp.*20. *ſec.* 3. *num.*29. Bonacina *eod. tract. dp.*1. *q.*2. *p.*1. *num.*16.

108 Tum iuxta ſubſtantiales confirmationes notandum, nullam aliquando videri ſubſtantialiorem, ac quando Summus Pontifex præciperet alicui Capitulo Generali, vt hoc, vel illud ſtatutum conderet, prout plures Pontifices fecerunt præcipientes Generalibus, & Capitulis, vt pro bono Religionum regimine aliquas leges conderent, inter quos Sixtus V. cum præcepit Fratribus noſtri Ordinis, vt electiones fierent per ſchedulas ſecretas, ſicuti & quod triennales eſſent Abbatiſſæ. Convenire videntur in irrevocabilitate præformatæ confirmationis nuper expoſitæ, vniverſi Doctores cum infra adducendis.

109 Sanctorus, vbi ſuprà citatus, tenet quæ ab initio retulimus circa poſſe Capitulum ſubſequens revocare ſtatuta in forma communi confirmata; ſecus autem, inquit, ſi fuerint condita de mandato Pontificis, quia tunc non vt ſtatuta Ordinis, ſed vt præcepta Apoſtolica ſervanda ſunt; & in hunc ſenſum ſentit accipiendum, quod dictum ab Auctoribus ſuprà ab eo citatis, præcipuè à Hierony. Rodrig. *reſolut.* 90. *num.*35. ac proinde ſic, quod confirmata ex certa ſcientia non poſſint mutari à Capitulis, ſed tantum declarari, quia ſi ex ſerie locutionis appareat, Papam voluiſſe talia ſtatuta, tamquam ſua auctoritate edita obſerventur, certum eſt, immutari non poſſe inconſulta Sede Apoſtolica: Si vero, inquit Sanctorus, confirmatio ex certa ſcientia manaverit ad inſtantiam Religionis (prout ferè ſemper prodire ſolet) tunc eodem modo diſcurrendum eſt, de hac, ſicuti de illa, S. communi, quia vtraque eſt acceſſoria, & non principalis; nam ſtatuta prius conduntur à Religione, & poſtea confirmantur (niſi caveatur revocari non poſſe inconſulta Sede Apoſtolica, quia in eo caſu ligantur manus Capitularium) & cum Religio habeat ius renunciandi privilegijs quibuſcunque ſibi conceſſis, prout videre eſt apud dictum Hierony. Rodrig. *reſolut.* 126. *nu.*26.

apud quem *Leo X. & Gregor. XIII. ac alij*, & nulli dubium eſt confirmationem io forma ſpecifica eſſe privilegium (ſecus eſſet odium, & præceptum) ſequitur Capitula poſſe huic confirmationi renuntiare.

110 Bordonus ſupra citatus *num.* 157. tenet Capitulum Generale poſſe annullare præcedentes conſtitutiones,non obſtāte confirmatione in forma ſpecifica, quia res per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſolvitur, prima *de reg. iur.* Suadet.1. quia ex *Cap. cum acceſſiſſent* 8, *de conſtitut.* Capitulum revocavit quoddam ſtatutum à ſe factum, non obſtante Papali confirmatione, quæ non auferr ius, quod ante confirmationem habebant ſtatuentes. Tum 2. quia acceſſoria eſt confirmatio, ac proinde ſequitur illius naturam, quæ eſt vt ſtatutum ſit ex ſe revocabile. Tum 3. quia Papa per ſuam confirmationem non dicitur facere ſtatutum in ratione ſtatuti, ſed tantum in ratione firmitatis, quatenus ſi eſt invalidum facit illud eſſe validum per ſuam confirmationem in forma ſpecifica, quare cum in ratione legis, & conſtitutionis dicatur eſſe eorum, à quibus primum eſſe recepit, ideo eius deſtructio,& annullatio, adhuc dicitur remanere ſub eorum poteſtate. Citatque ibidem pro ſe Rodrig. Miraudam, & Portellum.

111 Peirinus vero *ad conſtitut.*8. *Iulij* 11. *num.* 4. tenet apud Bordon. ibi, prædicta fundamenta habere locum,quando Papa confirmavit ſtatuta in forma communi, non vero io forma ſpecifica, quia confirmatio ex certa ſcientia eſt magis datio, ſeu nova conceſſio, quam confirmatio.

112 Reſpondet Bordonus Peirini expoſitionem non obſtare, quia Papa confirmando ſtatuta facta in Capitulo, & per Capitulum nil de ſuo dare dicitur, niſi firmitatem, & valorem his decretis, quæ aliàs eſſent invalida, non vero per hoc dicitur eſſe Auctor, & conditor illorum, immo dum det firmitatem, dicitur aliquid de ſuo transferre in alium, ac proinde donare, nam confirmare eſt donare, quando fuit facta in forma ſpecifica; ergo ſtatutum, ſic confirmatum non dicitur Papæ, ſed Capituli, cui fuit donatum, ac proinde cum quilibet de ſua re poſſit facere, quod ſibi libet, poterit etiam annullare. Hæc ſunt, quæ circa præſentem difficultatem aſſerunt principaliſſime Auctores. Ea ſic referre conſulto decrevi, vt in re gravi, exactius poſſis formare iudicium.

(*,*)

SVBART. II.

Expenditur Auctoris Reſolutio.

113 CUm hæc ſedens cogitarem, nihilque penitus firmum, & abſque ambiguitate aliqua certum in tot graviſſimorum Auctorum deciſionibus invenerim, vt notare poterit,quicunque ſingulorum dicta perpendere velit; nec non circa conſtitutiones noſtras Pontificum auctoritatibus corroboratas plura in ſtylo diverſa viderim, vt videri poteſt, dum à Benedictinis incipiatur,fateor præſentis difficultatis reſolutionem excedere vires meas, & facultatem meam. Et ſtar, meo videri, ratio in eo, quod ſic circa idem, ſtatutum videlicet, miſceantur, & confluant Religionis Capitulatis poteſtas, & Sedis Apoſtolicæ ſuprema auctoritas, quod difficilimum ſit diſtinguere in eodem ſic numiſmate cenſus regularis, cuius,& quo iure ſit imago, eaque ſuperſcriptio, vt vnicuique reddatur quæ ſunt hominis,& Dei. Tum,ni fallor, nō parum augetur difficultas ex varietate Papalium corroborationum, quarum plures cum attente in vniverſis noſtris conſtitutionibus exquiſierim, & examinatim, in vno, aut altero diſtinctas inveni, idque nil mirandum, cum Apoſtolici varijs linguis loqui valeant, prout Spiritus Sanctus dat eloqui; ſic io Scripturis Sacris per plures ſenſus divina veritas manifeſtari ſolet,in quo ſpecialius, & notius Deificata verba probantur. His tamen, & alijs non obſtantibus, dicam, quæ, Deo dante, valeam.

114 Reſolvendum,& à filijs Sancti Franciſci firmiter, ſtatuta in forma ſpecifica à Sanctiſſimo Patre confirmata, non poſſe ex ſola Capituli Generalis auctoritate revocari. Præſens ſic abſolutè poſita reſolutio eſt contra Sanctorum, & magis apertè contra Bordonum, alioſque ab eis citatos ſupra. Eſt iuxta Peirin. vt ſupra, & maiori ex parte iuxta Aſean. Tamburio. &c. Suadetur 1. quia vt ex terminis, etiam cunctis rationalibus Philoſophis notum eſt, ſpecificum valde diſtinguitur à generico, ſicuti ſingulare, & poſitivè determinatum ab indifferenti, & communi; igitur & ſic confirmatio communis ab ſpecifica: Sed hæc nota diſtinctio nulla foret, ſi à quibus poſſet contrahi, vel abſtrahi genericum, poſſet pariter & ſpecificum, ſicuti ſi æquè ac genericum manet commune Capitulo & Papæ, vtrique etiam penes addere vel auferre maneret commune quod

non

non commune, vtpote ſpecificum & ſingulare; ergo.

115 Tum ſuadetur, quia ſi forma ſpecifica non præberet ſtatutis non poſſe revocari, eiſque perpetuitatem non adderet, ad quid tanta ſolicitudo apud Generales Miniſtros, vt potius in ſpecifica, quam in communi confirmentur? Dices ſtatim cum Bordono, & alijs, ſolicitari ad maiorem Auctoritatem. Contra, quia perpetuæ firmitatis ſtabilitate ablata, apparatus Auctoritatis æquè ad atrium ſplendet, vt patebit notanti confirmationem in communi, in cuius capite adeſt caracter Pontificius, eaque quæ ad ſolemnitatis ſplendorem Apoſtolici ſigni ſunt, vt patet in Bulla Urbani Octavi, cuius Inſcriptio ſic: *Urbanus Papa Octavus ad perpetuam rei memoriam*: ibique ſic incipiens: *Iniuncti Nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat &c.* quæ quoad decoris aſpectum ſumma Auctoritate pollent. Et ſic quampluriмæ aliæ confirmationes apparent, licet in forma communi ſint.

116 Dices aliter cum Bordono, & alijs, quod ſupra, ſcilicet, confirmationem in forma ſpecifica ſupplicari, vt ſic ſtatuta ſuſcipiant firmitatem, id eſt (exponebat præfatus Auctor ſupra) quatenus ſi eſt invalidum, fiat validum quidquid à Capitulo ſtatutum. Contra, quia in Sexageſimo Septimo Capitulo Generali, vt videri poteſt in Chronologia Michaelis Angeli à Neapoli Pag. 677. invenietur fore ſic intitulatam Urbani 8. confirmationem: *Confirmatio Apoſtolica in communi forma*: vbi tamen ſequentem pro ſtatutis clauſulam invenies: *Illiſque inviolabilis Apoſtolica firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus*; ergo nulla eſt præfata reſponſio.

117 Tum ſuadetur reſolutio, quia dum petitur in forma ſpecifica confirmatio videtur intentum Capituli, & ſpecialiter Miniſtri Generalis petentis (hæc ratio roboratur ex Felino, Jaſone, & Decio apud Rodriguez *Tom.1. q.10. Art. 8.* quia communiter privilegia recipiunt interpretationem à ſupplicatis) fore in futurum durabiles relinquere conſtitutiones, vt rationi offertur, cum nunquam magis cupiatur rerum propriarum duratio, quam dum fiunt, & de novo eriguntur, nonque ſit credibile, quod leges, quę vt novæ placent, tunc parantes, non velint vſque in ſæculum non permanere. Et ne hoc libere dictum appareat, apponam præfationem Reverendiſſimi Samaniego ad ſtatuta Generalia in forma ſpecifica per SS. Innocentium XI. confirmata, quæ ſic habetur: *Cum enim in Comitijs ipſis Generalibus aliqua ad ordinis regimen congruentius firmandum, & Sanctæ Obſervantiæ candorem reſtituendum, præſenti rerum ſtatu apprimè neceſſaria, fuerint ordinata, quæ aut ad ſubſiſtendum Apoſtolica Auctoritate, aut ad perdurandum ſpeciali Romana Sedis confirmatione indigebant.* Hæc ſic ad intentum clarè RR. Samaniego, nunc merito Illuſtriſſimus. Tum roboratur ex ſtatutis Romę An. 1688. *num.* 12. vbi dicitur: *Nonnulla alia obſervantiæ regularis excitamenta, irrevocabilitate, & firmitate convenienti inter Patres ſtrictioris Obſervantia ex eo vigent, quia Auctoritate Apoſtolica ſunt ſtabilita.*

118 Dices, rationabiliter non poſſe, ſic perdurabiliter ſiſtere, intendi à petentibus in forma ſpecifica confirmationem. Ratio eſt conſpicua, quia dum Capitulares Patres condunt ſtatuta, licèt tunc eis non occurrat ratio, vt iuxta eam immineat revocatio, at occurrit, poſſe in futurum aliud experiri iuxta inopinatos tunc eventus, ſicque oportere revocationem, ac proinde parum rationabile foret ianuam ſibi claudere. Contra, quia non erit in poſterum ſumma Patribus difficultas in petendo, nec Patri Sanctiſſimo, & liberaliſſimo in dando, vt toties expertum fuit, cum ad pias præces vrgentibus caſibus toties revocarent ſtatuta, quę ſpeciali ſua auctoritate Prædeceſſores confirmarunt. Igitur dum ſecundum ſe leges mutare perniciosum, & vituperabile ſit, potius oporteret, quod iuxta rationabilius intentum, per ſpecificam confirmationem ſic ſtabilita manerent, vt revocandi caſus à Sede Apoſtolica, vt accuratiori ſolidius videretur, & expediretur maturius, & quod nos ſemper ſimus ſubditi, & videamur ſubiecti, quibus imminet ſola neceſſitas parendi, vt ad conſimile ait pulchre Bald. *Conſil. 131. ante med. verſ. Nec poſſunt. lib. 4.*

119 Tum ſuadetur ex formarum ſpecificarum ſtylo, maximè cum ſtatuta inſerta ſunt, & concatenata cum verbis Papalibus: Tunc enim ſic eo vnionis tramite quæque illa, Pontificia fiunt, vt nil poſſit in ſtatuta, qui nil poſſit in confirmatorem, quia eo modo confirmatio facit confirmantis ſuum, quod non erat ſuum *l. 1. de veter. iure enuc l. cap. Si Apoſtolica de præbend. in 6.* Et meritò, cum ſic duo incorporata maneant, quod ſint duo in norma vna, prout præclarum eſt exemplar in vite, & quavis propagine quæ in ramo licet diverſo inſerta manet. Inde Clemens Octavus pro rebus literarijs, ad 63. Capitulum Generale, in forma ſpecifica

fica nonnulla confirmans ſtatuta per Bullam, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, vt inuiolabilem eorum perpetuitatem manifeſtaret, ait: *Nos, vt huiuſmodi decreta perpetua, vt decet, firmitate ſubſiſtant, opportune prouidere volentes, eadem decreta ſuper inſerta Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo confirmamus.* Conſimiliter fuiſſe Urbanum Octavum, inuenietur ad 67. Capit. Generale per Bullam, quæ incipit: *In Supremo Apoſtolatus ſolio &c.* Ubi ſtatuta inſerit, vt in futurum inuiolabilia infint, ac inane & irritum quidquid vltra fiat à quocunque cuiuſvis Auctoritatis ſit. Ex eodem etiam fine, vt in Præfatione declarat RR. Samaniego, pari inſertionis ſtylo vtitur Innocentius, in Bulla quæ incipit: *Militantis Eccleſiæ regimini &c.* Nec alio fuit vſus ſtylo Honorius Papa cum in forma ſpecifica voluit confirmare Regulam S. P. Franciſci, eam inſerens ad ea verba: *Quæ talis eſt.* Quibus æquivalenter vtitur Innocentius, ſtatuta inſerens ad ea verba: *Videlicet*: Et ad idem *Videlicet*, Urbanus 8.

120 Tum ſuadetur ex alijs rationibus, quas breviter iam innuam. Prima, quia dum circa principale negotium ſpecialis cura ab aliquo adhibetur, illud vti proprium ſubſiſtere velle, ſatis ſupponitur. Secunda, quia dum Papa eſt vniverſalis Prælatus, tunc ex ſpeciali loquela vult inter cunctos Religionis, vt ſpecialior dignoſci, ac per conſequens venerari. Tertia, quia ex forma ſpecifica, ſupponit præ alijs vidiſſe; igitur & voluiſſe. Quarta, quia ſi ob ignorantiam vrgeret in alterum duorum incidere, ſemper deceret, maximè Franciſcanos, à veneratione Sedi Apoſtolicæ debita, malle excedere, quam deficere. Quinta ex doctrina ipſius Bordoni, qui aiebat ſupra, quod inter tres effectus quos producit confirmatio in forma ſpecifica, vnus eſt, *de re confirmata neminem poſſe iudicare niſi Confirmatorem.* Sexta, quia aliter, nil in Seraphica Religione verè laudabile veneraretur. Quapropter in Capitulo Generali in Conventu S. Mariæ Novæ Neapoli celebrato, cap. 48. ſtatutorum, vbi de Decretorum dubijs, approbationibus, & emendationibus agitur, hæc habentur: *Denique omnia, & ſingula, quæ in hac Congregatione Generali, regularis diſciplina retinenda, & augenda etiam ſtudio, acta, decreta, & conſtituta ſunt; ea, qua debemus, Obedientia, humilitate, & reverentia, Sanctiſſimi noſtri iudicio, cenſuræ, & Auctoritati emendanda, & corrigenda ſubijcimus, & ſubiecta eſſe volumus, & decernimus.* Et meritò, quia ipſe ſapientiæ Dux eſt, & ſapientium emendator.

SVBART. III.

Principaliora contrariorum fundamenta ſolvuntur.

121 Oppones cum Sanctoro, confirmationem in forma ſpecifica fore privilegium; igitur cum Capitulum Generale poſſit privilegio renunciare, poterit prout velit etiam confirmatione, ac proinde ſic poterit ſtatuta quę confirmata revocare. Quod ſpecifica confirmatio ſit privilegium ſuadet, quia aliàs retorqueretur in odium, quod ex gratia impetratum fuit.

122 Reſpondendum, verum eſſe, quod id quod ſimpliciter privilegium eſt, poſſit renunciari à quolibet, cum quilque poſſit iuri ſuo renunciare, *ad l. Siquis in conſcribendo. C. de pact.* At exiſtimo confirmationem in forma ſpecifica à Sanctiſſimo factam, non fore purè, & ſimpliciter privilegium, quia licet vt adeſt in narrativa partim ſit gratiæ, & favoris; at vt conſtat etiam ex tenore, & ſerie locutionis Pontificiæ, partim reputanda vt præceptum Apoſtolicum, cum ſatis exprimatur ex ſpeciali forma loquendi, Papam voluiſſe, vt ſtatuta obſerventur, tamquam ſua Auctoritate edita. Intuli ſolutionem ex doctrina Aſcanij Tamb. *Deciſ.* 82. *in Tomo* 3. ad conſimile (videlicet, an Fratres Minores poſſimus renunciare gubernio Clariſſarum, quia privilegium, & ex ſpeciali gratia? Reſponderque negativè) quia ſcilicet, debet conſiderari an privilegium ſit ſimpliciter cōceſſum favore Fratrum, an vero ſic, quod etiam deceat Sedem Apoſtolicam eorum ſpecialem circa obſervantiam adhibere curam, ſibique appropriare providentiam, vt ſupra liquet ex Bulla confirmatoria Clementis 8. & paſſim ex alijs Summorum Pontificum piiſſime ad Seraphicam Religionem inclinatorum. Nec videtur à nemine poſſe negari, ſolicitam curam dandi nobis præcepta, ſpecialem fore favorem. Tum, vt ait eximie Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. & *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 21. *ante finem*, Summus Pontifex eſt Summus Prælatus cuiuſcunque Religionis (circa quod in Conſtitutionibus ad An. 1461. declaratur: *Quod Sedes Apoſtolica, vel perſona Romani Pontificis, qui Pater eſt omnium, Fratrum Minorum nihilominus ſpecialis*) igitur etiam dum favet, nil mirandum, quod quo pacto de Generali, etiam de ipſo, vt Prælatum & Præceptorem partim alloqui, intelligatur, maximè cum ſub forma ſpecia-

ſpecialiſſima ipſum alloqui auditur.

123 Nec obſtat aliud Sanctori fundamentum, quod ſcilicet retorqueretur in odiũ, quod ex favore impetratum. Non obſtat ex dictis alibi, quia, vt conſtat ex Præfatione Reverendiſſimi Samaniego, & ex pluribus alijs ſpecialibus confirmationibus, quas atteute vidi, nunquam eſt contra naturam talis favoris odibile, quod iuxta exigentiam petentis, & impetrantis intuetur deſiderabile. Quapropter, cum Patres Capitulares, licet ſpectent ex confirmationibus ſpecialibus favoribus à Sede gratioſiſſima proſequi, vt conſtat ex earum tenore, ac etiam pro viribus & votis ſuis cupiunt ſtatutis præſtare firmitatem, & inviolabilem durationem, vt invariata ſubſiſtant, maximè cum ſæpè Capitulares Generales ob legum vitteam conſiſtentiam conquerantur; & aliàs patet in tenore Confirmationis *perpetuitas* petita, & obtenta; igitur iuxta conditionem ſupplicantis, & iuxta ſublimem decentiam concedentis, nunquam minus odioſus favor, quam dum ſic ſtatutis faveat, quod perpetuo foveat.

124 Oppones 2. cum Sanctoro, quod confirmatio ex certa ſcientia, ferè ſemper prodire ſolet ad inſtantiam Religionis; ſed ſic, non aliter venit diſcurrendum de forma ſpecifica, quam de communi; igitur vtraque erit acceſſoria, & non principalis, ac proinde ſic capiendum, quod ſtatuta vt prius, & principaliter facta à Religione, poſſint ab ea revocari, confirmatio ſiquidem, ea vt principale ſupponit. Ad hæc confluebant maiora fundamenta Bordoni *num.* 157. videlicet, quod acceſſoria ſit confirmatio, ſicque ſequetur naturam ſtatuti ex ſe revocabilis.

125 Reſpondendum, & in primis dicendo ad principaliter poſitũ in diſcurſu Sanctori, parum obſtare confirmationem ſpecificam fuiſſe factam ad inſtantes Religionis preces, & aliorum, vt inde non habeat circa durationem & ſubſiſtentiam ſpecialem differentiam cum communi. Comprobatur præclariſſimis exemplaribus, vt nuper eſt illud Innocentij Undecimi circa ſtatuta Ximenez Samaniego, vbi ait Pontifex Maximus: *Militantis Eccleſiæ &c. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioſephus Ximenez &c.* Tum ab exemplari præadductæ Bullæ Urbani Octavi, vbi etiam: *In ſupremo Apoſtolatus ſolio &c.* ait: *Cum* itaque, ſicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis &c. *Nobis nuper exponi fecit &c.* Tum ab exemplari Bullæ vnionis, vbi ſic: *Leo Epiſcopus Servus ſervorum Dei &c.* ait: *Pijs provocamur ſupplicationibus, & precibus, quibus pro pacandis huiuſmodi diviſionibus, in Ordine Divi Franciſci exortis, non ceſſant vſque hodie, apud Nos poſtulare.* Tum, quia etiam circa ea, quæ irrevocabilius habere deſiderantur, ſoler talis piarum precum obſervari ſcopus, vt patet ab omnium ſublimiſſimo Regulæ noſtræ exemplari, cum in ſpeciali confirmatione eius, in exordio ad Capita inſerta inquit Papa Honorius: *Solet annuere Sedes Apoſtolica pijs votis, & honeſtis petentium deſiderijs favorem benevolum impartiri. Ea propter* (nota cauſale motivum, quin benevolus favor precibus, obſtet) *dilecti in Domino filij, veſtris pijs precibus inclinati, Ordinis veſtri Regulam &c. Auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: Quæ talis eſt.* Et ratio eſt, quia vt pluries evenit, & in ſcripturis ſacris patet, benè poteſt aliquid inchoari, & diſponi per precem, & compleri, ac perfici per mandatum. Paſſim enim experimur, rogare aliquos, vt ab ipſis mandemur. Non enim oblatio rogantis minuit auctoritatem præcipientis.

126 Confirmantur hæc, & alia ex intentione noviſſimi Capituli Generalis Romæ celebrato, vbi in ſtatutis ſub Reverendiſſimo Zarzoſa diſpoſitis, poſtquam in §. 1. eorum obſervantia *in perpetuum* radicanda deſideratur, dicitur in §. 2. *Præterea committitur ſuæ Reverendiſſimæ Paternitati, vt ſtatim, ac dicta compilatio modo prædicto abſoluta, & vltimata fuerit, illius confirmationem in forma ſpeciali à Sancta Sede obtinere curet.* Unde infertur, quod iuxta Capituli mentem, cura ſpecialis petendi, non deroget circa munimen conditionem perpetuandi.

127 Tum venit inferendum, confirmationem accedere ad ſtatuta, ac iſta à Religione facta ſupponere, non enervare vim perpetuam, & irrevocabilem confirmationis ſpecificæ. Itaque iuxta præadductam expoſitionem Peirini, acceſſorium Bordoni, & alia, quæ Bordonus adducit, percipienda ſunt de forma in communi, ſecus autem de ſpeciali Pontificis, quia tunc Pontifex qui accedit, ſic ſpecialiter accedit, quod faciat ſuum, quod non erat ſuum, eo pacto quo ſpecifica differentia, quia eſſentialis, dum accedit ad genus, quod ſupponit, facit illud ſuum, licet tale ſuum non fuiſſet antea.

128. Notare enim nimis oportet modus, & ſublimis conditio accedentis, eo pacto quo ſupra ad ſolutionem alterius oppoſiti notabimus diſtinctionem circa privilegia, quibus poteſt quis cædere, & quibus non. Itaque poteſt ſic ſubſtantialiter Papa confirmis acce-

accedere ad ſtatuta, quod accedens ſit de ſtatutorum principali ſubſtantia, vtpote eis robur dando, & propria faciendo, prout erudite diſtinxerat ſupra Aſcan. Tambur. *num. 6. & 7.* tuncque non poterit ad abrogandum, niſi poteſtas, quæ ad legem ferendũ, *auth. è contra. C. de repud.* Sic autem poteſt quid eſſe acceſſorium in confirmatione, quod accedat accidentaliter, ſicque locum tenebit, quod opponebat Bordonus, cum ſciat etiam logicam proprietatem accidentis obſervando, quod poſſit adeſſe, & abeſſe abſque ſubſtantiæ rei corruptione, ita vt in omnibus ſic pendeat, & conformetur ſubſtantiæ, quam ſupponit cum accedit, quod iuxta ſiſtentiam illius naturæ debeat contemplati. Secus autem eſt de alijs, quæ accedunt, prout proprietatem horum ſequendo proponã in eis formis quę ſubſtantialiter, & ſpecialiter complent, & naturam cui accedunt ſubſtantialiter faciunt ſubſiſtere, prout cum Metaphyſicus ſit, benè de *Subſiſtentia* ſciet Pater Bordonus cum cæteris Auctoribus Scotiſtis. Nec vllius ſcientiæ principia Metaphyſicis adverſantur, vt etiam benè ſciet. A ſimili applica circa ea quæ per ſpecificam confirmationem accedunt, ſtatuta complendo, eiſque perpetuam ſubſiſtentiam præſtando, &c. Plura horum in ſacris ſcripturis invenies, cum Altiſſimus acceſſit, & ſermones aliorum complevit, ſervorumque verba ſpeciali forma confirmavit.

129 Opponent tandem exemplar *ex cap. Cum acceſſiſſent*, vbi ſupra, dum Capitulum revocavit quoddam ſtatutum à ſe factum, non obſtante Papali confirmatione; ergo &c. Reſpondendo ſequor Peirinum ab ipſo Bordono citatum, apud quem ait, quod quæque illa, quæ ibi adducuntur habere locum in forma communi; ſicque dico, teſtare Bordono probare, quod tale ſtatutum revocatum, fuiſſet ſpecificè per Papam confirmatum. Tum, valet Sanctiſſimus aliquando Sancti Sanctorum obſervare ſtylum, apud quem, non eſt idem, aliquod factum generaliter permittere & vt ſpecialis Auctor approbare, prout Suarez *l. 4. c. 34. num. 17.* ait: *Non omnis tolerantia indicat conſenſum, multa enim per patientiam tolerantur, quæ non approbantur, iuxta Cap. Iam dudum.*

Opponent vehementer.

130 DIcent igitur ex adverſo, Sanctiſſimum Papam Sixtum IV. ſtatuiſſe ſpecialiſſimè, non obligandos Fratres Minores per vlla in poſterum ſtatuta ſub obedientiæ præcepto, vel aliqua cenſura, ſic vt mortali vinculo manerent ligati; ſed abſque ſpeciali licentia, & Apoſtolica Auctoritate, condita fuerunt deinceps ſtatuta, ſub mortali obligantia; ergo vel Fratres Minores non tenentur ſtatutis ſub mortali obedire, vel Pręlati & Capitula Generalia valent ſpeciales Conſtitutiones Apoſtolicas revocare.

131 Maior eſt Maioris, vtpote Pontificis Maximi, vt conſtat ex Bulla 26. quæ incipit: *Circumſpecta Apoſtolica Sedis benignitas,* expedita An. 1480. in qua hęc habentur: *Sanè pro parte dictorum filiorum Miniſtri Generalis, & univerſorum Fratrum Ordinis Fratrum Minorum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet multis Fratribus eiuſdem Ordinis ſatis durum & difficile ſit, Regulam B. Franciſci, ac ad ſuarum ſalutem animarum ſufficere videatur Regulam ipſam laudabiliter obſervare: nihilominus quia nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri & alij, ac etiam Generalis & Fratres ipſius Ordinis fervore devotionis accenſi vltra dictam Regulam nonnulla ſtatuta & ordinationes ſua conſtitutionis fecerint, per quæ aliqua eiſdem Fratribus prohibetur, vtpote, comedere carnes in Nativitatis Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini Noſtrò Ieſu-Chriſti & Pentecoſtes, ac Beatorum Petrà & Pauli Apoſtolorum, cæteriſque alijs feſtivitatibus, & diebus, quædam verò alià ipſis præcipiuntur fieri ſub excommunicationis pœna vel alijs cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu alijs pœnis, quas contra facientes ipſo facto incurrunt, multi propterea dicti Ordinis Fratres contra faciendo cenſuris & pœnis taliter latis ſæpè numero involvuntur, & illaqueantur: vnde ſtatuta, & ordinationes prædicta potius ad animarum ſuarum diſpendium, quam ſalutem ædificare videntur. Verum ſi cenſura & pœna prædicta in contra facientes, vt præfertur ipſo facto lata incomminatorias & infligendas, & temporales pœnas mutarentur, profectò ſaluti plurimorum opportunè conſuleretur. Quare pro parte Miniſtri, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ipſis in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui fidelium animarum diſpendijs libenter obviamus, eorumque ſalutem ſinceris deſiderijs exoptamus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, atque decernimus, quod Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani, & Fratres dicti Ordinis præſentes, & qui pro tempore fuerint ex ſtatutis, ſeu conſuetudinibus vel declarationibus dicti Ordinis præter Regulam, quomodolibet & à quibuſcumque editis, etiam confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate*

alia

alia roboratis, illis contrafaciendo nulla Eccleſiaſtica cenſura, nulloq; peccati mortalis vinculo ligari valeant, nec cenſuras, nec pœnas, ſeu mortale peccatum huiuſmodi incurrant: niſi tales eſſent caſus, vel exceſſus, qui divina lege, ſeu precepto Romanæ Eccleſiæ meritò inducerent ad mortale cenſura & pœnas taliter latas harum ſeriè revocantes, & anuullantes, illaſque ad vim comminationis pœnarum comminatoriarum & ferendarum ſeu corporales, & temporales, pœnas prædictas per Generalem Miniſtrum, Cuſtodes, Guardianos, & alios Prælatos ipſius Ordinis ferendas & infligendas reducentes: Quodque Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani, & alij ipſius Ordinis Prælati prædicti, temporales, ſeu alias pœnas pro non obſervatione dictorum ſtatutorum, ſecundum qualitatem perſonarum, locorum, & temporum, & aliàs prout videbitur ſaluti animarum Fratrum eorundem in Domino expedire, ferre & promulgare, ac delinquentes ab illis abſolvere valeant. Non obſtantibus ſtatutis, ordinationibus & declarationibus præmiſſis: quibus quoad hoc expresè derogamus, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis: necnon alijs ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat &c.

132 Minor præformati diſcurſus etiam certa eſt, cum ex Statutis Barchinonenſibus, in generali obſervandorum praxi hucvſque ſiſtentibus, conſtet ſub mortali præcipi, ne ſilentij ſigno facto in aliorum cellas ingrediantur, aut ingreſſi Fratres detineantur; ergo.

133 Circa hoc, revera vniverſorum Fratrum graviſſimum negotium, plura expoſita, & reſoluta apud ipſius Seraphicæ Religionis Auctores vidi; quorum opiniones, vtpote eorum, qui magis ſcire debent, quæ in propria domo ſunt, dumtaxat referre decrevi, vt deinceps quiſque pius, & prudens Lector, etiam præciſus ab inſinuatione mea, forſan infra facienda, quæ aptioris ſint conſilij, & ſolidioris rationis, ac firmitatis eligere, & reſolvere queat. Tum; cum huiuſce controverſiæ pondus præmat ex ſtatutis ſub mortali promulgatis, horumque vnicum ſit, quod frequenter obſtet, vtpote præfatum *Silentij*, illud ſumetur in cæterorum ſcopum, cum ad inſtar eius, aliorum pariter loqui videatur.

* * *

SECT. I.

In qua Opiniones principaliorum Auctorum Religionis diſſerto Lectori parantur.

134 QUam plurima cum Collectore Privilegiorum Mendicantium circa ſubiectā Sixtinæ Bullæ materiam Auctores Seraphici expendunt, ſicque in nonnullis contrariè inter ſe opinantur, quod ni vrgeret aliquorum Fratrum vtilitas, & graviſſimæ controverſiæ neceſſitas, in perpetuum ſilere reſolviſſem. Videantur à me attente viſi Auctores, eorumque conferantur doctrinæ, vt dum ego prout iacent parare neſciam, diſſertior alter melius parare valeat.

135 Collector igitur Privilegiorum *tit. Statut. Ord.* §. 1. circa Bullam Sixti IV. exponit & reſolvit, quod illud quod ait de Declarationibus intelligitur de factis per Fratres, & per Papam approbatis, non autem de Declarationibus Regulæ à Summis Pontificibus factis: præſertim Nicolao 3. & Clemente 5. licèt aliqui, & male aliter ſenſerint. Et ratio præcipua eius ſtat in eo, quia dicitur in Bulla, *Vel declarationibus dicti Ordinis*, id eſt in dicto Ordine factis à quibuſcunque intra ipſum Ordinem exiſtentibus, ſecus autem de præfatis declarationibus Regulæ ab illis Pontificibus factis, quæ exiſtunt in corpore iuris, ad quarum revocationem oportebat fieri mentionem ſpecialem earum, aut poni clauſulas ſufficienter derogatorias, quæ non ponuntur in dicto Privilegio. Quam opinionem Collectoris, dum etiam ſic recitat Corduba, inquit in *quæſt. 6. introduct.: Sed prudens Lector eligat.*

136 P. Antonius Corduba ſupra in *quæſt. 6.* circa Declarationes Regulæ, poſtquam in quæſtionis initio reſolvit, præfatas declarationes ſemper ſiſtere, quia ab vniverſis Capitulis approbatis; infra in eadem quæſtione vtramque opinionem proponens, videlicet affirmantem revocationem, & Collectoris negantem, inquit: *Et videtur, quod pro nunc, illa prima opinio ſit probabilior &c. vt ſic tollantur tot peccata.* Et huius opinionis ratio ſiſtit in ipſo tenore Bullæ Sixtinæ, S, *Non obſtantibus ſtatutis, & ordinationibus, & declarationibus præmiſſis quibuſcunque, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, &c.* Tum ſiſtit in eo, quia communiter privilegia recipiunt interpretationem à ſupplicatis,

& ſupplicata manifeſtant primæ opinionis intentum, vt patet ex relatione Privilegij, S, *Quod quia nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, &c.* Tum Rodriguez citandus infra, referens opinionem Collectoris, inquit: *Sed contrariam opinionem tenet doctiſſimus Corduba*, dicens *in additio. ad Compend. hanc tenuiſſe Patrem ſatis doctum.*

137 P. Emanuel Rodriguez *Tom.*1.*quæſt.* 10. *art.* 8. præcipuas Sixtinæ Bullæ clauſulas recitans, opinionemque Collectoris ibidem, tenet primo, quod verba Sixtina intelliguntur de ſtatutis, ordinationibus, & declarationibus editis etiam à Papa, vel Eccleſia ſpecialiter pro nobis Fratribus Minoribus, in quantum nos obligant ad culpam, ſeu ad pœnas; non autem revocantur ſtatuta, & alia edita pro omnibus Religioſis, & chriſtianis, vt ſunt multæ cenſuræ, & prohibitiones inflictæ à iure, ſeu per extravagãtes generaliter, & quoad omnes: Nam hoc foret abſurdum, & ſatis innuitur in Sixtina, dum dicitur, *Niſi tales eſſent caſus, & exceſſus, qui divina lege, aut præcepto Romanæ Eccleſiæ merito inducerent ad mortale.* Et addit Emanuel, non revocari quoad nos, quæ quoad omnes generaliter edita, quamvis ibi de nobis Minoribus fiat ſpecialiter mentio, aut ibi quoad nos tantum aliquid ſpecialiter ſtatuatur, eo quod tale ſtatutum non fuerit pro nobis, ſed pro omnibus Religioſis, & chriſtianis generaliter editum. Tenet ſecundo nihilominus cum Collectore, quod non obſtante præfata Sixtina, tenentur Fratres Minores ad ſtatuta, quæ poſtea Auctoritate Apoſtolica facta reperiantur, ac de cætero fient, quia Pontifices præcedentes nequeunt ligare manus ſuccedentium; præſertim vero tenentur ad ſtatuta generalia virtute mandati Leonis Decimi.

138 Pater Ludovicus Miranda *Tom.* 2. *Directorij Prælat. quæſt.* 29. *art.*10. duplicem exhibet concluſionem, quarum primam ſic: *Omnia noſtra Religionis ſtatuta, obligantia ad culpam ante tempora Sixti 4. per eumdem ſunt ſublata, & revocata, & redacta vt ſolum obligent ad pœnam.* Probatque concluſionem ex ipſo tenore Bullæ. Tum recitat Collectoris prædictam notam, ſcilicet, Fratres nihilominus manere obligatos ad ſtatuta, quæ poſtea Auctoritate Apoſtolica inveniantur, quia Pontifices præcedentes nequeunt Succeſſorum manus ligare. Tum recitat illud aliud dictum Collectoris circa Declarationes, vtpote intelligi de factis per Fratres, & à Papa approbatis, ſecus autem de Clementinis, &c, vt ſupra; aitque Miranda: *Sed doctiſſimus P. Corduba contrarium omninò tenet, probatque ex multis.* Tum de cætero, inquit, P. Emanuelem videndum. Deinde format ſic concluſionem 2: *Religionis noſtræ ſtatuta, nunc ſolum modo obligant ad pœnas, in eiſdem contentas.* Hæc concluſio, inquit, conſtat ex ſupra dictis, & habetur expreſſa in noſtris Conſtitutionibus Toletanis *Cap.*8.§ *de Conſtitut.* Et idem omninò tenent (inquit) Fratres Prædicatores in ſuis conſtitutionibus. Tum circa poſſe eſſe pœnas ſine culpis, dum ex natura rei videantur correlata, mittit ſe ad *quæſt.*25.*art.*18. & ad Sotum *de Iuſtitia, & Iure Lib.*1. *q.*6. *art.*5. *in fine*, vbi ait, nõ tam proprie eſſe pœnas, quam conventiones quaſdam, & pacta, vt ſi hæc, vel illa fecerint, talia & talia patiantur.

139 Pater Laurentius de Portel in *Dubijs Regular.* verbo *Statutum*, Sixti 4. Bullam ſupponens, inquit: *Circa hanc conceſſionem, quam timeo male hodie exponi, &c.* vbi notat, & recitat, quæ ſupra nos ex Collectore, Rodrig. & Miranda. Quibus recitatis, inquit, Tota dubitatio eſt de cenſuris latis à Prælatis Minorum poſt Sixtum, & de ſtatutis factis in Capitulo Generali, vel Provinciali. Hiſque ſuppoſitis, inquit: Sit prima concluſio: In Ordine Minorum (idem ſentit de alijs Ordinibus, qui vellent Sixtina communicare) quandocunque ſtatutum aliquod, Generale, vel Provinciale, prohibet, vel iubet aliquid per obedientiam, obligat ad mortale, abſque dubio, poſt Sixtum 4. Quod probatur clarè (inquit Portel) quia Sixtus 4, non loquitur citata Bulla de ſtatutis in poſterum faciendis, ſed de iam factis, vt patet ex illo verbo, *editis*; & declaratur, quia tale ſtatutum continet obligationem voti obedientiæ. Et Sixtus 4. ibi non diſpenſavit in voto obedientiæ: neque decuit, vt diſpenſaret in illo, aliàs corruerct totum regimen Religionis: imò credo, neque potuiſſe Papam in hoc voto diſpenſare, etiam ſi vellet; implicat enim contradictionem, aliquem eſſe Religioſum, & non teneri ad obedientiam. Unde colligo, puniendum eſſe, vt ſcandaloſum, & temerarium, Religioſum dicentem, non obligare ad mortale ſtatutum Ordinis præcipiens aliquid ſub obedientia. Hæc Portel, quibus ſtabilitis, adhibet ſequentem concluſionem.

140 Concluſio 2. Statuta, vel præcepta lata à Provincialibus Minorum ſub cenſura obligant ad mortale, & cenſura ligat poſt Sixtum. Probat, quia ſunt verè Prælati, & habent iuriſdictionem externam, vt poſſint ſubditos verè excommunicare. Tum conſtat ex praxi communi Eccleſiæ, & Religionum: vnde ſtatuta Toletana, *titul. de pœna excom. dicunt*, puniendum eſſe veluti erroneum, & perturbatorem

batorem Ordinis, qui, etiam de Guardianis, contrarium dixerit. Neque vero Sixtus debuit hanc iuriſdictionem excomunicandi ab homine, vel per ſtatuta, adimere Prẹlatis Minorum; vergeret enim in damnum boni regiminis, quod aliquando conſtare nequit abſque cenſuris: Et quando id Sixtus intenderet, iam eius privilegium, ſeu lex præceptiva quoad hoc ceſſaret per contrarium vſum per tam longos annos poſt Sixtum; per quos annos Prælati in Ordine condunt ſtatuta cum cenſuris, & abſolvunt contrafacientes. Conſtat vero ex ſupradictis, quod privilegium poteſt abrogari per contrarium vſum: & quod Prælati Religionum poſſunt explicare privilegium Papæ, & illius vſum reſtringere, vel interdicere. Conſtat item, quod lex Papæ (quando illa Sixti conceſsio eſt lex, & non privilegium) apud Iuriſtas communiter, per contrarium vſum poteſt abrogari intra 40. annos, imò intra 10, de quo late Suarez, *tom. de leg. lib.* 4. *cap.* 16. *à num.* 11. citans multos, & dicens eſſe communem. His ita, ſtabilit ſequentem concluſionem.

141 Tertia concluſio. In Ordine Minorum ſtatuta Generalia non obligant ad mortale, niſi aliàs interveniat ibi alia obligatio legis naturalis, vel divinæ poſitivæ, vel Eccleſiaſticæ, vel ſi ſtatuta ſint poſita ſub cenſura, vel obedientia. Ubi inter alia notat, quod, dum aliquod ſtatutum Generale, vel Provinciale, prohibet aliquid Prælatis ſub pœna ſuſpenſionis ab officio duorum menſium, talis tranſgreſſio eſt peccatum mortale: eſt enim ſtatutum cum cenſura ſuſpenſionis. Unde Guardianus ſcindens arborem abſque licentia ob quam eſt ſuſpenſus, peccat mortaliter.

142 Poſtea gaviſus ſum (inquit Portel in *Additione*) invenire declarationem Pij Quinti, circa eamdem materiam dicentis, declarantis, vel decernentis idem quod dixi. Habetur declaratio in Bullario Rodriguez *fol.* 982. *column.* 1. *num.* 28. vbi refertur circa Minoritas ſic decreviſſe: *Item conceſſit, quod per quæcumque ſtatuta etiam Apoſtolica, non obligarentur Fratres ad aliquas cenſuras, ſeu pœnas Eccleſiaſticas, vel ad peccatum mortale, ſed tantum ad pœnas, ſeu pœnitentias per Prælatos iniungendas: non obſtantibus quibuſcumque Apoſtolicis, ſeu Regulæ declarationibus: dummodo non ſit contemptus, vel mandatum non ſit impoſitum ſub pœna excomunicationis, vel in virtute ſanctæ obedientiæ.*

143 Pater Martinus à Sancto Joſeph, dum nimis effervèſcere videtur Religionis accenſus zelo, pluràque magni momenti dicère, at non ſublimioris laboris, & diſcurſus, ac adducens vulgari noſtro idiomate, quæ Pater Portel latino docuerat, & accuratius penetrarat. Nec vituperandum ſentio, quod ſicut apud Evangelicos pauper pauperem, apud ſcholaſticos Auctor bonum ſequatur Auctorem, quia etiam quæ opere, licèt & diſcurſibus imitari. Minus ſuaviter dumtaxat ſentire potui, quæ ſic exorditur *ad Cap.* 21. *num.* 22. circa Sixtinam dicens: Los que no ſe acuerdan del eſpiritu, y fin, con que vinieron à la Religion, andan armando (como dicen) zancadillas, y lazos à la obediencia; y por mejor decir aſsi miſmos, buſcando trazas para no obedecer, para lo qual buſcan torcidamente ayuda en la Bula de Sixto Quarto. Et poſtquam nonnulla ex Bulla præmiſſit, vt ſolvere incipiat, inquit, De manera, que dize, *Ex ſtatutis editis*, de los hechos haſta ſu tiempo: no dice *faciendis*; ni tal le paſsò por el penſamiento. Et rurſus cuncta, quæ Portel Hiſpano adducit ſermone. Circa hæc enim, quæ magis religioſæ, & meritò laudabilis devotionis, quam ſcholaſticæ diſciplinæ, & controverſiarum rigoris apparent, cum infra, quę Deo dante oporteant, dicenda ſint, nunc ſuperſedere decerno.

144 Pater Petrus Marchant *in cap.* 10. *tit.* 4. *quæſt. vn.* ſic reſolvit: *Nullum* Ordinis ſtatutum obligat ad culpam mortalem, vel venialem ex vi ordinationis ſuæ, niſi per verba explicita, vel æquipollentia exprimatur. Probat, quia nemo obligatur ad legem, niſi eo modo, quo ei propoſita eſt; ſed ſupponit non proponi ſub peccato; ergo. Dixit, *niſi per verba explicita, vel æquipollentia exprimatur*, quia tunc exprimitur, dum vel explicitis terminis culpa mortalis determinatur, vel per ſanctam obedientiam, aut ſub excomunicationis pœna latæ ſententiæ. Adverte autem (inquit Marchant) omnia ſtatuta, quæ obligabant ad culpam ante Sixtum 4. abrogata eſſe per Bullam *Circumſpecta Sedis &c.* Si aliqua tamen ſimilia poſtea emanaverint, & ſub poſterioribus aliquibus revocationibus non contineantur, ſine dubio obligant, cum Pontifex poſterioribus ſtatutorum conditoribus manus Paſtoralis poteſtatis ligare non potuerit. Hæc Marchant.

145 Pater Sanctorus de Melfi *ad cap.* 12. *ſupra* 12. *Statut.* Quærens 1. an teneamur ſub mortali obſervare ſtatuta? Reſpondet: *Ubi ius* naturæ, vel divinum, vt vota, ſeu præcepta Regulæ reperiuntur, vel vbi adſit contemptus, tranſgreſſio eſt peccatum mortale; aliàs, minimè. Et aliquando nulla eſt culpa, ſed ſolum obligatio ad pœnam. Citat pro hoc D. Thom. cum Caietano, Vazquez, Sanchez,

 Valen-

Valentia, Caſtro, necnon celebriores ex Noſtris adducit. Tum ſe mittit ad declarationem Sixti 4, eximentis à mortali ſtatutorum tranſgreſores.

146 Tum circa Sixtinam citans Laurentium Portel Sanctorus, inquit Portelli doctrinam non placere, vtpote tenentis ſtatuta Ordinis præcipientia per obedientiam, vel excomunicationem obligare ad peccatū mortale, & contrarium dicentem, eſſe puniendum vt ſcandaloſum, ſubverſorem, ac temerarium. Si enim (inquit Sanctorus) ſentit Portel de ijs, quæ præcipiuntur ſecundum divinam legem, Regulam, ius naturale, vel ad hæc tendentia, & materiam gravem continentia, vtique verum dicit, quia Capitula habent vim obligandi in vtroque foro, & ad culpam, & ad pœnam, iuxta illud ad Rom. 13: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta ſit*: & ad Heb. 13: *Obedite Præpoſitis veſtris &c.* Et vana eſſet Religio, ſi vim in conſcientia obligandi ſubditos non haberet. Attamen ſi velit, quod his præciſis, adhuc ſtatuta obligent ad mortale, contra mentem Ordinis ſenſit, nam Sixtus 4, declaravit, *Fratres præſentes, & futuros ex ſtatutis, conſuetudinibus, vel declarationibus præter Regulam quomodolibet factis, etiam Auctoritate Apoſtolica roboratis, nulla Eccleſiaſtica cenſura, nulloque peccati mortalis vinculo ligari valeant, niſi ex divina lege, & præcepto Eccleſiæ ducerent ad mortale.* Et licèt Rodrig. (inquit Sanctorus) *tom.* 1. *q.*10. *art.*8. putet diſponi de factis ſtatutis, non de faciendis Auctoritate Apoſtolica, contrarium tamen eſt verius, quia Pontifex ait, *Fratres dicti Ordinis præſentes, & qui pro tempore fuerint*: ergo ad poſteros tranſmittit declarationem. Tum comprobatur, cum conſtet ex ipſomet Pontifice in hac eadem conſtitutione, Fratres habere facultatem condendi ſtatuta, & imponendi præcepta. Necnon ratio ipſa Bullæ, excipientis Regulam, divinam legem, & præcepta Eccleſiæ, eo ipſo in omnem poſteritatem extenditur, & omnes conſtitutiones amplectitur, quia nil aliud continere debent obligans ad mortale, quam dicta. Tumque dirigit Sixtus Bullam *Ad perpetuam rei memoriam.* Nec facit, quod Sixtus 4, non potuit ligare manus Succeſſorum; quia (inquit Sanctorus) vbi Succeſſores aliud diſpoſuerint, ſtandum eſt vltimæ diſpoſitioni; ſin autem, dicendum eſt ſuccedentia ſtatuta, etiam à Sede Apoſtolica confirmata, vbi hæc Sixtina non fuerit revocata, declaranda eſſe ſecundum illam.

147 Rurſus Sanctorus iterum volens opinionem Portelli enervare, citat ad hoc intentum Patrem Cordubam *in cap.* 7. *Regul. q.*4. *circa finem*, & ex eodem Corduba verba Capituli Generalis Carpenſis, S, *Pro ſerenitate conſcientiæ Fratrum Generalis, vna cum Generali Capitulo ſuſpendit, quaſſat, & irritat omnes, & ſingulas privationes, & cenſuras à ſuis prædeceſſoribus, forte per ſtatuta, vel Capitula Generalia latas, quæ præiudicium poſſent Fratrum, aut Sororum animabus inferre.* Tum adducit verba Capituli Generalis Burgenſis An. 1520: *Ordinatur pro conſcientiarum Fratrum quiete, quod multa pœna, quæ ipſo facto infliguntur in ſtatutis generalibus, de cætero intelligantur comminatoria.* Circa quod omitto alia ſtatuta, quæ ibidem recitantur ab eo. Solum non vellem omittere ſtatuta Reformatorum ſic apud Sanctorum: *Vogliamo, è coſi dichiariamo, che queſti ſtatuti, doue è impoſta pena temporale ò doue non s' impone altra pena, non obligaranno à peccato, ſe non quanto obliga la legge di Dio, Santa Chieſa, la Regola, è le dichiarationi di Nicolò III. è Clemente V. è quando interveniſſe il diſprezzo.* Et vt totam Seraphicam Religionem amplectamur (inquit Sanctorus) Conventuales in Conſtitut. Urbanis *Cap.* 1. *Titul.* 6. *num.*4. ſic: *Conſtitutiones & Decreta, tam Generalia, quam Provincialia in ijs, quæ verò præcepta ſunt, & quæ immediatè ad votorum, & præceptorum Regulæ obſervationem conducunt, ad mortale obſtringunt, in reliquis vero ad veniale.* Ac tandem Cappucini *Cap.* 12. ſic: *E benche non intendiamo, per queſte conſtitutioni obligare i Frati à peccato alcuno, ſe non in quanto ci obliga Dio, la Chieſa, è la Regola, non dimeno vogliamo, che li transgreſſori ſiano puniti.*

148 Ecce quomodo (terminans inquit Sanctorus) in toto Ordine Seraphico vnus, idemque ſpiritus, ad perfectionem quidem tendens, peccatorum tamen laqueos, quantum poteſt effugiens. Et clarum eſt, in omnibus citatis conſtitutionibus eſſe præcepta per Sanctam obedientiam, & per cenſuras: quod licèt verum ſit etiam, hæc continere gravem materiam, per ſe obligantem, quia nunquam ſuper indifferentibus imponuntur; verumtamen dicere, quod hæc præcepta ſtatutaria ex vi ſolius præcepti, mortalem culpam contineant, eſt à toto ſenſu Religionis diſcedere. Nec aliter, quam in hunc modum venit declarandum citatum ſtatutum Segovienſe (Segovienſe ſic *Cap.* 8: *Per hæc ſtatuta, & alia quæcunque, Fratres non adſtringi ad culpam, niſi aliàs per ius divinum, vel humanum fuerint obligati; & niſi in his dumtaxat ſtatutis, cenſura, aut obedientia ponantur*) nimirum materialiter, non formaliter, quia cenſuræ & obe-

dientiæ

dientiæ in ſtatutis non ponuntur, niſi res graves fuerint, præterquam quod non ſtatim infertur, ſtatuta obligant ad culpam;ergo mortalem, nam poterunt obligare ad venialem, vt optime tenuit Caſtro *lib. de Poteſtate cap.* 8. apud Rodrig. *ſupra q.* 10. *art.* 6. dicens: *In Ordine Fratrum Minorum habetur ſtatutum generale, quod admonentur ſubditi, vt intelligant, nullum ſui Ordinis ſtatutum obligare ad culpam aliquam mortalem, vel venialem; quo non obſtante, re ipſa intelligimus, aliquam eſſe in aliquibus ſtatutis pœnalibus obligationem ad culpam, ſaltim venialem.*

149 Nec valet declaratio Pij Quinti (reſolvit ſemper Sanctorus) quam ſe legiſſe in Rodriguez, gaviſus eſt Portel in *Addit. V. Statutum*; quia præterquam quod eſt vivæ vocis oraculum iam ſpiratum, nil aliud continet præter ſtatutum Segovienſe; nam ait non obligare, *dummodo non ſit contemptus, vel mandatum non ſit impoſitum ſub pœna excommunicationis, vel in virtute Sancta obedientiæ.* Et intelligenda eſt iuxta nuper traditam doctrinam, S, *in ſenſu reali, & materiali, non formali.* Hæc eſt Rev. admod. P. Sanctoti expoſitio.

150 Prææddducta ſunt celebriorum Scotiſtarum documenta, quæ tametſi diffuſa, & nimis inter ſe contrariantia, patienter tamen ea retuli, vt dum tu etiam patienter audias, & eviſcerando legas, eorum doctrinas conferas, & conferendo quæ veriores videantur eligere ſcias, etiam dum ab inſinuationibus meis infra proponendis abſtractus maneas. Fateor enim magni momenti præſens extare negotium, cum militet quævis reſolutio inter duo valde contemplanda extrema, ex vna ſiquidem parte adeſt Prælatorum ſemper veneranda Auctoritas, & ex alia ſubditorū conſcientiarum nunquam illaqueanda chriſtiana libertas, quin pie ſemper protegenda religioſa immunitas. Opus enim eſt, quod *lex mitius quam homo agat.*

SECT. II.

Circa relatorum Auctorum reſolutiones, expenditur Auctoris cenſura.

151 IMpræſentiarum, prout nuper innui, vrget alter decreti efficacis, & libertatis religioſæ ſcopus, cum non minus facile ſit concordare ſupremam Prælatorum poteſtatem, & efficax imperium cum fragili, & delicata conſcientiarum ſubiectarum conditione, ac divini decreti fortitudinem cum liberi noſtri arbitrij contemplabili blanditie, & vitrea formalitate. Verum enim verò, prout motis habui, cum non liceat in arduis, terga vertere veritatum profeſſoribus, non renuam proponere, quæ, ſalvo meliori, meo iudicio, veriora videantur. Nec ignoro, nonnulla me recitaſſe, quę pronunc non vrgebant; feci tamen conſulto ſic, quia præfatorum relatio caſus futuros proſpicit, maximè cum iuxta variorum eventuum inevitabilem conditionem, nunquam ſtatutorum ſtatus in eodem ſtatu permaneat.

152 *Cenſeo igitur* 1. veriſſimam fore opinionem Auctorum tenentium, per Sixtinam Bullam non fuiſſe Nicolai, & Clementis Decretales enervatas. Suadetur, quia ſic celebres, & plauſibiles fuerunt Decretales illæ, quod eorum quæ Franciſciadum erant, nil magis potuit eſſe ante Pontificis oculos, maximè Franciſcani; igitur dum revocando non fuerunt ante labium, ſatis ſuadetur eas revocare, non intendiſſe. Tum corroboratur, cum Sixtus non ignoraret earum Decretaliū plauſibile nomen, & vniverſaliorem Auctoritatem, vtpote in corpore iuris incorporatarū, & in Concilijs Generalibus canonizatarum, vt inquit Sanctorus; igitur oportuit pro eis vltra eam cæterorum revocationem, ſpecialiorem facere expreſſionem. Tum, quia, vt inquiunt Felinus, Iaſon, & Decius cum Rodriguez ſupra, ex ſupplicatis ſumunt interpretationem privilegia; ſed apud Sixtinam nec Decretalium (vt in ea claret) invenitur revocationis ſupplicatio, nec ex vniverſæ Religionis placido Decretalium amplexu, quod tale à Fratribus ſupplicaretur, potuit imaginari; ergo. Tum nimis facit, Sixtum dicere: *vel declarationibus dicti Ordinis præter Regulam*, & præter Regulam Decretales illas declarationes non fore, poſſet dici, ſicuti, quod ly *præter Regulam*, ſic iuxta Sixtum valeat hinc capi.

153 *Cenſeo* 2. falſam fore opinionem tenentium non potuiſſe Sixtum ligare manus futurorum Conditorum legum noſtrarum, dum per Conditores intelligant Prælatos quoſcunque cum Capitulis Generalibus infra Papam. Hæc cenſura nunc non eget probatione, cum ſupra in Art. 7. & per ſequentes ſubarticulos probatum maneat, ſtatuta quæque in forma ſpecifica confirmata, non poſſe revocari ab vllis Prælatis, & Generalibus Capitulis infra Papam. Vide citatum Art. 7. vbi quamplurima præſentibus cenſuris nimis importantia, expoſuimus, & propugnavimus.

154 *Cenſeo* 3. quod etiam apud Auctores, vt in Articulo 7. tenentes, ſtatuta in forma ſpecifica confirmata poſſe à Capitulo Generali deinceps revocari, iuxta ipſorum doctrinas, non poſſe revocari quæ per Sixtinam decreta. Suadetur ex ipſius Porrelli doctrina *de Reſponſionibus caſuum part*. 2. *Caſ*. 18. vbi circa Bullarum clauſulam, ſcilicet: *Nulli ergò omninò hominum liceat*, ait, quod ex tenore verborum, quibus vtitur Legislator, colligendum eſt, an præcipiat ſub mortali, vt ſi vtatur verbis efficacibus, præceptivis, nimium prohibitivis, vt in prædictis (inquit Portel) vtitur Papa, cum ait: *Nulli ergo &c. & incurſurum eſſe indignationem Dei*, quod clarè ſupponit peccatum, nam indignatio Dei non incurritur niſi ob peccatum. Hæc Portel. Sed ſic Sixtina terminatur; ergo. Et meritò dicit, quod *nulli hominum liceat*, quia Chriſti Vicarij, non homines, ſed Dij appellantur, & quod Deus iniungit, non licet, quod homo ſeparet, & nullum faciat. Suadetur etiam cenſura illa ex doctrina Sanctori, & aliorum in Art. 7. tenentium ſtatuta in forma ſpecifica poſſe à Capitulis enervari; dicentium tamen, ſecus eſſe, ſi ex ſerie locutionis appareat Papam velle ea ſtatuta, vt per ſuam Auctoritatem edita, ac ea propria facere, prout cum Aſcanio Tamb. diximus, & vt nuper Portel: Sed in Sixtina ſic conſtat, vt patet ex illis verbis: *Tenore præſentium ſtatuimus, atque decernimus*; ergo etiam negantes formę ſpecificæ ſiſtentiam, debent affirmare Sixtinæ, vt affirmabat ſupra ipſe Sanctorus.

155 *Cenſeo* 4. expoſitionem Auctorum tenentium Sixtinam ſolum loqui de ſtatutis factis, ſecus autem de faciendis, fore probabiliorem iuxta formalem tenorem verborum. Suadetur, quia iuxta formalem ſenſum, nulli magis videtur ſtandum, quàm reſolutioni, & concluſioni; vt patet in quibuſcunque; ſed Sixtus dum decretum, & ſtatutum ibi reſolutum pronunciat, & format, non loquitur de ſtatutis edendis, ſed vſque tunc editis, vt patet, dum inquit: *Tenore præſentium ſtatuimus, atque decernimus &c. ex ſtatutis &c. quomodolibet, & à quibuſcunque editis &c.* Tum paulo poſt: *Et alij ipſius Ordinis Prælati prædicti, temporales, ſeu alias pœnas pro non obſervatione dictorum ſtatutorum &c.* Dictorum, inquit; ſed ſtatuta deinceps facienda, non ſunt dicta; ergo. Tum ſuadetur, ex præmiſſis ad decretum, cum ait: *Quia nonnulli Romani Pontifices & alij &c. nonnulla ſtatuta, & ordinationes, ſeu conſtitutiones fecerint &c.* Tum dum ante formationem decreti, apertè præmittit materiam circa quam cadere intendit decreti prohibiti formam, dicens: *Nonnulla ſtatuta, ſeu ordinationes fecerint per quæ aliqua eiſdem Fratribus prohibentur, vtpotè comedere carnes &c. quædam vero alia ipſis præcipiuntur fieri ſub excommunicationis pæna &c.* Ubi videtur ſic Papam manifeſtarè loqui de vna parte, ac de ibi correlata, & proinde ſic loqui de carnibus quæ prohibentur, ac de his, quæ ſub cenſuris præcipiuntur (*Lex corrigens in vno ex correlativis, corrigit & in altero*. Gabriel, Batt. Abbas, & alij apud Bordon. *De conſtitut. Reſolut*. 144.) ſed de primo ſolum decernit prohibere ſtatuta de eo facta, ſicuti & pro eo ſupplicata; ergo & de cætero. Tum ſi Pontifex intenderet de quibuslibet etiam in poſterum faciẽdis, otioſum & impertinens foret dicere *Per quæ aliqua*, prout ſimiliter dicitur in Decretalibus ſupra Regulam. Tum, cum ibidem Pontifex toties ex repetito verbo intentum probet, & interpretationem præcludat, aiens: *Unde ſtatuta, & ordinationes, prædicta*. Tandem ex ſupplicatis infertur, cum dicit: *Quare* pro parte Miniſtri, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ipſis *in præmiſſis*.

156 *Cenſeo tamen* 5. quod etiam ſi vt probabilior, nuper propoſita opinio ſit tenenda, Fratres ſat haberent, vt religioſa libertate perfruerentur circa ſtatuta. Stat in eo, quod ante Sixtum 4. tot ſic fuerint iam ſtatuta edita, quod ſufficiant ne Fratres graventur, dum circa tunc edita cenſuræ, & pœnæ ſpirituales non poſſint imponi. Quapropter venit notandum, quod iuxta formalem, & ſyncerum Bullæ tenorem, non ſolum revocantur cenſurę vſque ad Sixtum poſitæ, quin etiam prohibetur, ne imponantur ſupra ſtatuta iam edita, licèt ſupra ea non fuiſſent vſque tunc impoſitæ cenſuræ. Videtur clarum ex Sixtini ſtatuti forma: *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, atque decernimus, quod &c. ex ſtatutis, ſeu conſuetudinibus, vel declarationibus dicti Ordinis præter Regulam quomodolibet, & à quibuſcunque editis &c.* (notetur, ly præter Regulam: ly quomodolibet, & ly à quibuſcunque) *illis contrafaciendo nulla Eccleſiaſtica cenſura, nulloque mortalis peccati vinculo ligari valeant.* Ubi non ſolùm ſolvit quod ligatum fuit, quin etiam circa edita prohibet quod ligari poſſint.

157 *Cenſeo etiam* 6. Opinionem tenentium, Sixtinam capiendam fore, nedum de ſtatutis factis, ſed etiam de faciendis, fore valde probabilem, maximè ſi Pontificis intentio ex ſupplicatis, & conceſſis arguitivè comprobetur. Hæc cenſura ſpecialius concordat cum doctiſſimo Patre Sanctoro, cui videtur, nedum

dum fore valde probabilem, ſed etiam probabiliorem. Suadetur 1. ex Sanctoro, quia conſtat ex ipſa Sixtina, Fratres Minores habere facultatem condendi ſtatuta, & imponendi in poſterum præcepta, dum Pontifex ait: *Niſi tales eſſent caſus, & exceſus &c.* igitur vbi tales non eſſent caſus, qui divina lege &c, prohibeantur, enervat facultatem condendi per præceptũ in poſterum ſtatuta. Tum videtur mihi, quod dum præteritas omnes cenſuras revocabat, ſi etiam de futuris non intenderet, inutile & impertinens foret dicere, *niſi caſus & exceſus &c*, Pontifex ſiquidem, vt patet ex ſupplicantium narrativa, ante oculos habuit omnes de præterito, & vſque tunc caſus cenſuratos pro Fratribus. Tum, vt revera eleganter, & ſolidè Sanctorus, corroborat intentum ratio ipſa Bullę, vtpote excipientis Regulam, Divinam legem, & præcepta Eccleſiæ, hæc ſiquidem Bullæ ratio in omnem poſteritatem extenditur; igitur etiam parites iuxta mentem Bullantis extendetur, quod non excipitur, vt à Pralatis ſub cenſura pręcipiatur. Tum ſuadetur, cum intentum Pontificis, vt conſtat ex Bullæ proœmio, vt præcepta, cenſuraſque evelleret, foret, *Chriſti, & Religionis iugum relinquere ſuave, ſe motis ſcrupulis pacis tranquilitatem firmare, & conſcientiæ puritatem inſerere*, vtpote dum vltra Regulæ pręcepta, & caſus exceptos, nil Fratribus adderetur portandum; ſed nil horum videbatur conſequi, dum per vnam manum ligabat oneri quorumdam Pręlatorum manus, & per aliam aliorum manus oneri ſolutas, & expeditas ſinebat; iugum enim quod abſque additis cenſebat ſuave, non cenſeret efficaciter, ab eo ſiquidem, à quo aſperum reddebatur, non præſervabat; ergo. Tum, ex eo fuit motus Pontifex, quia *ſatis durum, & difficile fuerit aliquibus Regulam tenere, & quibuslibet Fratribus ſufficeret ipſam laudabiliter obſervare*; igitur cum Pontifex vellet ipſam laudabiliter obſervare, ſufficere Fratribus tam pro tempore exituris, quam præſentibus, dum ob laudabilem ſolius Regulæ obſervantiam intendit relaxare cenſuras pro præſentibus, pariter & pro futuris. Tum ex eo Pontifex decrevit auferre præcepta, & cenſuras, quia ſunt *nova laquea*, ſed non plus eis illaqueantur præſentes, ac qui pro tempore fuerint; ergo. Tum Piiſſimus Pontifex, vt ipſe Bullam exorditur, decernebat auferre cenſuras, *vt ſaluti plurimorum conſuleretur*; ſed dum iam pro tempore exituros Fratres habuit in mente, vt patet ex Bullæ tenore, non videtur credibile, quod eorum etiam ſaluti non attenderet conſultò; ergo. Tum, cum Pontifex non ignoraret ſeneſcentis mundi conditionem, ac proinde in poſterum debiliores fore vires, & virtutum fervorem, ac Regulæ radicalem calorem diſſipari; igitur dum aliundè adeſt in Bulla motivum, decidendum videtur, Papam volentem remittere onus præſentibus, quia debilibus, potiùs, aut æquè intendiſſe debilioribus. Tandem, quia hic ſenſus eſt communior iuxta Legum conditionem, quia *Lex reſpicit tantum futura. Cap.2. & fin. de conſtitut.* vbi dicitur, *Leges & conſtitutiones futuris dare formam negotijs.* Vide Bord. ſupra, *num.7.*

158 *Cenſeo* 7. quod ne dum iuxta ſpeculationis ingenioſam ſphæram, ſed etiam iuxta præclaram, ſolidam, & magis exercitam pro vniverſis temporibus Religionis Seraphicæ praxim, prævalendos Auctores, qui Sixtinæ conformes intendunt favere religioſæ, & honeſtæ Fratrum libertati, conſcientiarum quieti conſulentes, & æternitatis laquea ab animarum fragili conditione ſeparantes. Hæc cenſura, ſolida & rationabilis dumtaxat videbitur Fratribus in vniverſis noſtris conſtitutionibus verſatis, & inſtructis. Nec alio exactius comprobanda eſt, quam omnibus illis, quæ conſtitutionum noſtrarum adduximus ſupra in *Articulo tertio*, vbi etiam quoad maiorem importantiam pœnarum temporalium plura fundamenta reliquimus. Oportet enim, vt ea videas. Tum venit comprobanda illis omnibus, quæ hinc ſupra apud Sanctorum adduximus, maximè vbi ex Conventualibus, Reformatis, & Cappucinis ſuadebat, in toto Ordine Seraphico vnum, conformemque inveniri in hiſce ſpiritum, & licèt ad perfectionem tendentem, effugientem tamen, quantum poſſibile eſt, peccatorum laqueos. Vide ibi Sanctorum, & obſerva quę adducit. Ultra dicta igitur, ad quæ me mitto, duo hinc dumtaxat addam. Primum ſit Seraphici Doctoris, qui dum Generalis exiſteret Pariſſis An. 1257. vt plures relaxationes coercerer, circa corrigendorum proœmium, ſic ait in Epiſtola Paſtorali: *Nunc autem, quia temporum pericula vigent, & læſiones conſcientiarum, ac ſcandala mundanorum, quæ mihi de diverſorum conſilio viſa ſunt corrigenda; nec penitus tacens, nec omninò exprimens, nec nova ſtatuens, nec vincula ſuperinducens, nec onera gravia imponens &c.* Sic ſecundum ex conſtitutionibus Alexandrinis, vbi circa piam intentionem quam Capitulum habuit, vt pœnas modificaret, ait in *Cap.12. Ex quadam indulgentia, piaque intentione Nos feciſſe intelligant, vt de duobus malis inevitabilibus mains fugeremus &c. Maluimus enim paululum de re*

noſtra

noſtra præſumere, quam tantam Fratrum multitudinem (ſicut ſæpè diximus) damnationi exponere. Tandem hinc pato, ſicuti Seraphicus Doctor parare voluit in 2.*Sent. Diſt.*4. *Art.* 3. *quæſt.*2. vbi poſtquam quæſivit, *An in omnibus teneantur Religioſi obedire Prælatis?* Negativæ parti favens (puta extra præceptum, non extra ſanum conſilium, vt ipſe diſtinguit) ſic parat: *Neſcio, ſi ad aliquod iſtorum votorum quiſquam ſciat plus addere.*

159 *Cenſeo tandem*, quod ſi viris ſanæ intentionis, timoratę conſcientiæ, & limpidæ, ac diſſertæ doctrinæ videatur (in hiſce non ſufficit ſola diſcurſus ſubtilitas, nec nuda zelotypiæ aſperitas) me, in ſolutionibus infra ponendis, ſatisfacere Auctoribus, Sixtinæ Bullæ ſupra contrariantibus, vſque nunc eius contentus tenor, vt validus poterit benè probabiliter à Fratribus Minoribus reputari. Abſolutius defenditur à docto Patre Sanctoro.

SECT. III.

Suadetur vltima hæc cenſura ex contrariantium ſatisfactione.

160 OPpones 1. quod Statutum ſub præcepto continet voti obediētiæ obligationem; ſed ibi Sixtus 4. non diſpenſavit in voto obedientiæ; igitur nec in ſtatutis ſub ea faciendis. Suadetur minor, quia non eſt credendum diſpenſaſſe, vbi non decuit diſpenſare; ſed in eo non decuit diſpenſare, aliàs corrueret totum regimen Religionis; imò creditur, nec potuiſſe diſpenſare, cum contradicat ex terminis regularibus aliquem eſſe religioſum, & non teneri ad obediendum; ergo &c. Sic opponent iuxta Portellum, & Martinum à S. Joſeph, iuxta quos etiam addent, puniendum vt ſcandaloſum, temerarium, & relaxantem, dicentem contrarium, prout ad idem temeritatis intentum adducebat Portel Statutum Toletanum dicens, puniendum fore veluti erroneum, & perturbatorem Ordinis. Non enim abſque temeritate poteſt dubitari, quod ſint verè Prælati, ac per conſequens, quod etiam externam habeant iuriſdictionem.

161 Reſpondendum, & in primis ad maiorem primi diſcurſus dicendo, ſtatutum ſub ea forma pręceptum continere obedientiæ obligationem, dum materia ſtatuti non ſit ab alio magis ſupremo Prælato, vt eſt Summus Prælatus pręocupata, prout in præcedentibus reſolutionibus ſupponitur; nam vt ait Leander de Murcia cum D. Thoma, Caietano, Panormitano, Valentia, Rodriguez, Reginaldo, Sanchez, & pluribus alijs quos refert in *Cap.* 3. *ſupra* 10. *Regulæ, num.* 1: Non manet ſubditus obligatus ad obediendum vni Prælato, dum vterque ſuperior contrarium præcipit; id namque, vt benè probat Leander contra rationem naturalem pugnat. Tum dato, quod Summus Prælatus non pręocuparet, vt nuper in Sixtina, etiam ſi ſtatutum ſit ſub ſigno obedientiæ, inde non obligabit ſub mortali, ſi aliàs mortali conſonans non ſit materia, vt tenet etiam Leander ſupra in *cap.* 2. *num* 11. cum Ledeſma, Sanchez, & communi. Quod etiam ſupra diſtinxerat Sanctorus per ſenſum materialem, & formalem, ita vt ſola obedientiæ forma non ſufficiat pro mortali.

162 Tum ad illius diſcurſus minorem facile dicetur, Papam ſimpliciter, & illimitatè non diſpenſaſſe in voto obedientię, vt patet ex tenore decreti, ſcilicet, poſſe Pręlatos præcipere, dum *tales eſſent caſus, vel exceſſus, &c.* prout benè ſupra expoſuerat Rodriguez. Extra hos enim dumtaxat caſus ſtatuta per obedientiam Papa præocupavit; extra quos ſemper diffuſam præcipiendi ſphęram habebunt Pręlati, maximè in Religione noſtra. Conſequentia diſcurſus conſimiliter capienda.

163 Ad minoris probationem, reſpondendum concedendo maiorem, & abſolutè negando minorem; quia ſicut decuit quod Pontifex fecit, etiam decere debuit, quod ex eodem fine facere prohibuit. Obedientię ſcopus etiam vſque tunc eluxit; ſed decuit ex fine ſalutari (vt ipſe inquit circa animarum ſalutem) dum erant religioſi, non obedire quibus antea obediebant; ergo & deceret ex eodem fine ſic manere religioſi, & poſt non obedire, quibus ex alio fine deberent. Nec in Summo Pręlato adeſt ex clavibus Petri maior vis aperiendi, ac claudendi, ac proinde dum decuit quod ſtatutum factum ſolveret, & decere debuit, quod faciendum ligaret.

164 Nec inde corrueret regimen Religionis: Tum quia vt innui, dum daretur inducens ad mortale, ſemper in Pręlatis relicta fuit proportionata poteſtas (ſi enim ex caſu non imminebat mors ſubdito, Religio cum ex Religioſis fiat, potius corrueret ipſa, ſi illi mors imponeretur ex pręcepto) Tum, quia aliter, nunquam corruit Fraterna noſtra Dominici Religio, Reformatorum noſtrorum, & aliorum apud *S*anctorum: Tum dum toties fuit circa ſtatuta noſtra Capitulis Generali-

bus

bus præocupatum, & non corruit bonum regimen in eis deauratis ſæculis. Nec ſequeretur non manere religioſum, vt non ſequitur tales non manſiſſe, quos nuper diximus; præterquam quod ex Sixtina poterat ex obedientia, in tantis manere religioſus, in quantis periculis cõſtituturus poterat ex inductivo manere peccator. Nec ad illud de Prælatorum iuriſdictione plus addere opus eſt. Abſolutè non interdicitur eis, quod non præcipiant, ſed quod pro levi arbitrio non præcipiant; non auferrur ab eis prçcipere benè, ſed obnoxie, vtpote *potius ad animarum ſubditarum diſpendium*, vt aiebat Sanctiſſimus; Non enim Pralatis interdicitur poteſtas, à quo præcipiendi regulatur facultas. Etenim qui abſtulit imperare magis, non impedivit imperare melius.

165 Et ad illud, S, puniendum vt ſcandaloſum, & diſciplinam regularem relaxantem &c. reſpondendum formaliſſimè, quæ Pater Emanuel Rodrig. ad Collectoris expoſitionem ſupra, prope finem *Artic.* 8, vbi ait: *Et licet* mihi aliqui zelatores dicant, quod per ſuam viam evitantur multæ relaxationes, & peccata; ipſis tamen reſpondebo, quod hæc cauſa non eſt ſufficiens ad ponendum præceptum vbi revera nullum eſt. Unde melius multo eſt dicere clarè veritatem, affirmando nullum eſſe præceptum, licet ex tali dicto aliqua relaxatio oriatur, quam dicere eſſe præceptum, vbi revera nullum eſt: non enim vult Deus, quod ſua Eccleſia, quæ eſt columna, & fundamentum veritatis, mendacijs præſertim in ſpiritualibus regatur, prout traditur in iure *C. Qui ſcandalizaverit extra de regul. iur.* & tractant D. Thomas 2.2.*q*.43.*art*.7. *ad* 2. & Covarruv. *in regul. peccatum* 1. *p. num*.4. *verſ*.1. Hæc P. Emanuel.

166 Tum, quia Pater Sanctorus, & eiuſdem opinionis aſſeclæ, nil plus opinantur, quam quod opere voluit tenere vniverſa Religio; ſed vt conſtat ex Bullæ narrativa, huius petitio fuit exhibita à Miniſtro Generali cum vniverſitate Fratrum; igitur dum vniverſa Religio non fuit ſcandaloſa, nec errorum cupida, nec tales erunt cum Sanctoro cæteri. Tum inter tot Capitula non fuit temerarium, aut perturbans Carpenſe, quaſſans, & irritans omnes cenſuras, quia vt exprimit, finis extitit, *Pro ſerenitate conſcientia Fratrum*: & vt Alexandrinum: *Ne multos peccati laqueos involvamus*. Nec fuit ſuæ Religionis turbator Seraph Pater Franciſcus, dum in *Oracul.* 19. decrevit: *Raro per obedientiam præcipiendum eſt: Nec primo fulminandum eſt iaculum, quod debet eſſe extremum*; igitur iuxta ipſius mentem, non pro quibuslibet, ſed pro extremis periculis, & cauſis, prout conſimiliter Dominus Papa ſupra dicens, *Niſi tales eſſent exceſſus &c.* Non enim vt temerarius relegandus eſt Auctor, qui docet ne forte temerarius incidat Prçceptor: Non meam, audite vocem Patris veſtri, vbi ſupra: *Quid in temerario Præceptore Auctoritas imperandi, niſi gladius in manu furioſi?* igitur hinc non eſt temerarius calamus in manu ſcribentis, ſed gladius in manu imperantis.

167 Rurſus quod Auctores Sixtinæ conformes, & conformes ſint Seraphico Patri, convincitur vlterius; quia ex Sixtina non defenditur, quod nunquam valeant prçcipere, quin ſolum quod pro quibuſcũque; ac proinde poteſtas non aufertur, ſed moderatur, vt clarè conſtat ex narrativa; ſed hoc idem extitit de mente Seraphici, vt extra nuper dicta, conſtat ex *Collat.* 27. vbi alloquens cum Miniſtris Provincialibus, ſic docet, & inſtruit: *Vellem eos moderatos eſſe in præceptis &c.* ergo. Tum in *Epiſtol. 9.* ad eoſdem Miniſtros: *Non præcipiatis facile per Sanctam Obedientiam, quia hoc eſt ſtatim gladium evaginare* (igitur ſic debuit moderari poteſtas penes Subditi conſcientiam, ac detineri gladius circa Subditi collum) *quod non debet fieri niſi matura conſideratione, & magna occaſione*. Nota ly *matura*, ſicque quanta ad maturum præcedere oporteant. Nota etiam, ly *magna*, & combina cũ ly *Niſi tales eſſent exceſſus*, quod inducerent *ad mortale*. Id enim eſt malum, quod magnum. Nota ly *gladium evaginare*, & in Sixtina, ly *illaqueantur*; vita namque non minus laqueo, quam gladio periclitatur; ergo.

168 Dices, Seraphicum dicere, quod non prçcipiant, ſecus autem quod non poſſint, aliud enim eſt impedire quoad factum, & aliud quoad poteſtatem; ſecus autem ex Sixtina Sanctorus & alij. Reſpondendum, quod dum Seraph ſic facere reprobet, dum tunc Sixtina poſſe ſic facere prohibeat, ſemper conformat, quia cum videant Auctores Seraphicum Patrem reprobare ſic, & ſic facere, iuxta Sixtinam reprobant, quod idem ſic, & ſic poſſit fieri, ac proinde auferunt poteſtatem præcipiendi omne, quod iuxta Seraphicum male præceptum videbatur, ita vt defendant quod non debeat extendi Prælatorum poteſtas, vltra quod non extendebatur Seraphici voluntas. Conformaret enim Seraphico Patri quod impediretur eis poſſe facere, quod factum, malum & periculoſum foret.

169 Oppones 2. Præceptum Regulæ obediendi Prçlatis fore ſublimioris conditionis

nis apud Fratres Minores; ſed conſtat nullum Pontificem vſque adhuc intendiſſe Regulæ præcepta relaxare; igitur nec eſt credibile, quod in obedientiæ præcepto voluerit Sixtus. Maior eſt certa, nedum apud ſupra relatos Auctores, ſed etiam apud Leandrum *Cap. 2. ſupra* t. *Reg. num.* 53. vbi ait: Nueſtra Obediencia, quanto al voto ſolamente, no es de mas perfeccion, que la de las otras Religiones, mas por el *Cap.* 10. en que la Regla manda, que ſe obedezca à los Prelados en todas las coſas, que los Frayles han prometido al Señor, y no ſon contrarias à ſu anima, y à ſu Regla, viene ha ſer mucho mas eſtrecha, y ſublime. Y aſſi San Buenaventura repreende mucho à los que han querido decir, que en todas las Religiones, la obediencia es igual, porque la nueſtra es eſtrechiſſima, porque no tiene otro termino, ſino las coſas que ſon contra el alma, ò la Regla. Minor, vſque adhuc, etiam conſonat; ergo &c.

170 Circa præfatum diſcurſum, in quo contrarios nimis fidere notavi, etiam pro Sanctoro inveniam multiformiter reſpondendum. Dicendum in primis, verum eſſe maioris aſſumptum, quin tamen inde opinio favorabilis evertatur. Licèt enim ſublimioris conditionis ſit Franciſcana obedientia, hæcque in pluribus inde nobis valeat à Prælatis ex Regulæ præcepto imponi, reſtat tamen probare, an eo ipſo quodvis obedientiæ præceptum poſſit nos obligare ſub mortali, ſi aliàs ex materia deficeret, vtpote quæ induceret ad mortale, *& niſi tales eſſent caſus, & exceſſus &c* vt in Sixtina, à qua etiam præciſi, dicimus cum Leandro ex communi, ſupra ad *cap.* 10. *Regul. cap.* 2. *num.* 11: Aunque el Prelado mande por Santa obediencia, ò con otra qualquiera forma, alguna coſa, ſi la materia que manda es leve, no eſtà el ſubdito obligado à obedecerle con obligacion de culpa mortal. Ubi etiam Sanctorus ſupra inquit, non ſtatim inferri ex quibuslibet præceptis Prælatorum, *obligant ad culpam, ergo ad mortalem.* Ergo inde favorabilis opinio ſemper manet inconcuſa.

171 Nec obſtat, ſi ſtatim dicas, ſic obedientiam noſtram non differre à regulari aliorum. Non obſtat, tum quia in pluribus nos obligant ad culpam, ſaltim venialem, & neque ad hanc cæteri regulares obligantur, cum etiam dum obligentur, regulariter ſolum ad pœnam, ad quam abſque culpa poſſe obligari tenet Leander *cap. 9. ſupra* 10. *num.* 1. vide etiam, quæ ſupra de aliorum conſtitutionibus recitabat ſupra Sanctorus. Tum etiam in quam pluribus nos obligant ad pœnam, ad quam cæteri regulares minus ſtricti inſtituti non ſic paſſim obligantur, vt nos ſolent, & poſſunt obligare; ſicque nos obligant ex circunſtantijs Regulæ, & ſublimioris conditionis præcepti; igitur ſemper in nobis ſublimior præcepti conditio ſalvabitur.

172 Et licèt Seraph. Doctor ſupra t. *Reg.* tenuerit ex Regulæ præcepto ſublimioris conditionis fore noſtram obedientiam, at ita, quod præ cæteris præceptis ad alia vota conſentaneis, latius exercenda ſit. Suadetur ex 2. *Sent.* ſupra citato, vbi proponens, An ſubditi teneantur in omnibus obedire Prælatis, & reſolvens favere parti negativæ, ac in favorem partis affirmativæ hoc formans argumentum, *Sicut homo* vovet paupertatem, & continentiam, ſic vovet obedientiam; ſed qui vovet continentiam, tenetur abſtinere ab omni coitu; & qui vovet paupertatem, tenetur renuntiare omnibus temporalibus; ergo qui vovet obedientiam tenetur obedire *in omnibus:* Reſpondet non tenere paritatem, rationes ſublimes adducens pro Religione in communi, ne ſit ſic facile obtemperare in omnibus per obedientiam, ac per abſtinentiam, & paupertatem; & ad ſpecificam Religionem noſtram circa idem ibi attendens addit in confirmationem: *Unde in Regula Beati Franciſci ſimpliciter præcipitur, quod* nihil omninò habeant proprium ſuper terram: ſimpliciter etiam præcipitur perpetuo cōtinere non ſolum ab actu, ſed etiam à ſuſpecto conſortio, & conſilio mulierum: ſed non ſimpliciter præcipitur ſuis Prælatis in omnibus obedire; ſed in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare, & non ſunt contraria animæ, & Regulæ ſuæ. Hæc Doctor Seraph. Igitur iuxta eum, etiam ſi aliunde ſublimior debeat eſſe obedientia noſtra, at non ſic, quod pari metro culpæ, & pœnæ teneamur exercere ſic omnia per obedientiam, ac per paupertatem, & continentiam.

173 Unde cum iuxta præfatum Regulæ præceptum, magna ſit concertatio, & Bernard. Buſtos, Miranda, Leſius, & Martinus à S. Joſeph teneant obedientiam noſtram ſolum limitandam ad quod fuerit contra animam, & Regulam, at ad cæterum nos manere obligatos, quin debeamus intelligere ſupra, quod non eſt contra Regulam, & animam; at Leander cum Piſa, & quam pluribus quos citat vbi ſupra ad 10. *Reg. cap.* 5. *à num.* 14. contrarium defendit, & inter alia, duplici ferè irrefragabili medio ſuadet, exponens ad noſtrum intentum, non ſic ample, vt contrarij volebant, capiendum præceptum illud Capitis decimi Regulæ noſtræ, vt ſic obedire teneamur. Nec amplius in hiſce immorari vellem, ne diffun-

diffundat, dum hęc pro nunc innuere, ſatis videatur. Solum revoca in memoriam, quæ in Decretalibus expoſitionibus habentur, vt præcepta vt præcepta, & conſilia vt conſilia etiam virtute pręcepti Regulæ imitamur, ſicque animum pacemus.

174 Sed quidquid ex præexpoſitis ſit, per aliam viam, vt directè ad Sixtinam euntem, planam, ni fallor, præoppoſito argumento ſolutionem adhibebimus. Sit itaque, quo ſummo voluerim gradu, ſublimior ex eo præcepto noſtra obediendi obligatio, inde Sanctori opinio nedum infringetur, ſed magis corroborabitur. Ratio eſt conſpicua, quia ſi ex pręcepto teneamur obedire Prælatis in omnibus, quæ non ſint contra Regulam; nedum ex præcepto, ſed ex voto tenemur obedire Summo Prælato, & Romano Antiſtiti; igitur dum iſte aliquid à Fratribus Minoribus obſervandum ſtatuat, & decernat, vt fecit ſupra Sixtus 4. per ea verba, *Tenore præſentium ſtatuimus, atque decernimus*, ſi Fratres in virtute Regulæ teneantur obedire in omnibus, in virtute eadem, & maiori tenebuntur Sixtinæ obedire. Et id etiam vrgeret, dum Papa (ex hypotheſi) aliquod Regulæ præceptum penitus relaxaret, vt patet, præterquam quod Papa Sixtus, tale non intendit, quin potius contrarium, cum expeodat in narrativa ſic decreviſſe, vt peccati laqueos auferat, & animabus in conſcientijs ſubveniat, ac proinde potius contrarium, contra animas noſtras, videbatur ei, & vniverſæ Religioni, ſupplicanti Papale ſtatutum. Quod autem circa Papæ obedientiam, prę cæteris chriſtianis & regularibus, Beatus P. Franciſcus votum exhiberet, nedum pro ſe, ſed pro omnibus filijs, in eius voluntate, veluti in Adamitica contentis, eſt certum apud Piſam ſuper *Reg. cap.* 1. Cordub. *c.* 1. *q.* 4. Policium *cap.*1. *num.* 12. Mirand. *c.* 24. Leandrum ſuper *cap.*1. *in quæſt.* 5. *ſelecta, num.*8, vbi eos ſequitur, & pro omnibus Seraphicum Doctorem ſupra *cap.*1. *Reg.* vbi hęc habet: *Ex quo apparet, quod nulla Regula ſic ſuum ordinem ſubiecit, ſicut Ordo Minorum eſt Domino Papæ, & Eccleſiæ ſubiectus. Nam & ſi totus Clerus, & Religioſorum vniverſitas teneantur firmiter Apoſtolico Domino obedire, tamen Sanctus hunc debito votum adiecit ſpeciale: Perfectus igitur Evangelij obſervator ſe, ſuoſque in ſe ſpeciali obedientia, ac reverentia promiſſione ſubiecit.*

175 Oppones 3. Sixtinum decretum, vti privilegium capiendum; & privilegia poſſe abrogari & pręſcribi per contrarium vſum; necnon Prælatos Religionum poſſe explicare Privilegia Papę, eiuſque vſum reſtringere, vel interdicere; ergo & præfatum. Ut circa præſens oppoſitum poſſis adhibere ſolutionem, præmittam plura breviter, vt dum mediocris intelligentiæ ſis, ea poſſis adhibere.

176 Adhibe in primis, contra Regularium privilegia non ſufficere ad pręſcribendum tempus iuris communis, ſed ex decreto Innocentij 3. requiri annos 40. aut 60. ex Eugenio 4. quin & 100. ex ipſius conceſſione ad Benedictinos; necnon ex Rodriguez *tom.* 3. *q.* 35. *à.*2. conceſſit ſpeciale indultum ne poſſet vllo modo præſcribi; de quo Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *Sect.* 5. licèt dubitet quoad forum externum, non ſic quoad conſcientię, iuxta illud *multa licent, quæ non expediunt.*

177 Adhibe 2. ſuppoſito ſpatio 100. annorum ad pręſcriptionem privilegiorum Regularium, prout etiam ſupponit Bordon. *Tom.* 3. *part.*2. *reſol.*52. *num.*122. difficilem inveniri in Regulares pręſcriptionem, quia cum privilegia ab aliquibus Pontificibus confirmata clauſulis reſtrictivis, alij Pontifices confirment in ampliori forma, & abſolutè, ſicque invalida, ac nulla pretextu abuſus, vel non vſus, vel contrarij vſus, vel privativi vſus, aut imperfectæ pręſcriptionis de novo incipiant eſſe valida, ac ſi tunc primo conceſſa fuiſſent, & aboletur quęvis inchoata præſcriptio adverſus illa, vt advertit Bordon. ex Confect. Portello, & Cruce. Ubi advertunt Bordon. & Pellizzar. horum doctrinam capiendam, dum confirmatio non habeat clauſulam reſtrictivam, S, *Modo alias non fuerint revocata*, quia per novam confirmationem ſic revocatam non reviviſcunt.

178 Adhibe 3. quod vt privilegium conceſſum alicui Ordini non cenſeatur amiſſum, ſufficere, quod illud ſit in vſu apud aliquas, vel aliquam Provinciam eius Ordinis. Ita Pellizzar. *nu.* 124. ex Portello *de Dub. Pug. V. Privilegium n.*55.

179 Adhibe 4. quod etiam ſi privilegium omninò ceciderit in omnibus Provincijs Ordinis, nihilominus ſi tale privilegium ſit in vſu apud aliquem alium Ordinem, qui in illius Ordinis privilegijs communicet, poterit primus ille Ordo vti eo, veluti ſi de novo concederetur ei. Ita Pellizzar. ibidem.

180 Adhibe 5. Privilegia Regularium non revocari, niſi per expreſſam eorum mentionem, vt conceſſit Eugenius 4. pro quo quam plurimos AA. citat Bordon. & inter alias hanc dans rationem, quia, S, Pontifices, tam conceſſa, quam concedenda declarant eſſe perpetuo duratura; ergo expreſſa requiritur revocatio. Itaque privilegium poſterius

 impe-

impetratum contrarium priori,non valet,niſi mentionem faciat de priori. Ita Bordon. cum Gloſ. Portel. *Compend.* Peregrin. &c.

181 Adhibe 6. quod vt non vſus privilegij præſcribat in Privilegiatium, requiritur hunc habuiſſe notitiam privilegij; præſcriptio enim non currit contra non valentem agere, aut ignorantem ius ſuum. *l. Abſentia ff. de reg. iur. l.* 1. *C. qui admitti.* Ita Bord. cum alijs *num.* 123. qui etiam tenuerat *num.*100.ob idem excuſari à peccatis, & cẽſuris incurrendis ſi ſciat de privilegio, cuius habuit ignorantiam; quia qui ignorans, non dicitur abuti.

182 Adhibe 7. Prælatos Regularium habere facultatem à Pontificibus interpretandi privilegia; at in dubijs, & tunc iuxta ſeptem regulas à Bordono adductas, quarum vna eſt, quod ad cognitionem multum profit tenor ſupplicationis, vt ſupra iam circa Sixtinam cum pluribus AA. diximus: tum interpretanda iuxta favorem privilegiatorum. Ubi etiam nota, quod dum ex tenore conſtat de mente Legislatoris, interpretatio locum non habet, non enim in claris eſt locus coniecturis, ſed in ambiguis, *l. Ille, aut ille, ff. de legat.* 3. *Gloſſ. V. Hac iuri communi cap. Cum dilectus* 8. *de conſuet.*

183 Adhibe 8. Privilegia Regularibus conceſſa, in dubio revocationis, non præſumi revocata. Ita quam plures cum Bordon. *num.*127. & alij cum Pellizzario *nu.*126. quia in dubio nemo debet ſpoliari re ſua.

184 En habes plura, quibus adhibitis, facile poteris prǽadductis in oppoſitum ſatisfacere. Quibus conformis infero tibi, quod circa Sixtinæ intentum principale,parum poſſe interpretari, aut reſtringi, cum eſto excipiat Papa clarè caſus, in quibus poſſint Fratres per obedientiam adſtringi, pari claritate firmat regulam in contrarium. Tum, quia tam ex poſtulatione,& proœmio,quam ex claro tenore verborum conſtat qualis fuerit Pontificis voluntas, & contra eius voluntatem à nullo inferiore valet quidquam interpretari, aut reſtringi. Omnis enim declaratio ad id eſt,vt conſtet de fine & voluntate Legislatoris. Nec hinc obſtat, ſi dicas cum Bordon. *num.*316.ex Leone X. Prælatos ſuperiores habere vivæ vocis,poſſe limitare, & reſtringere, cum ob conceſſiones privilegiorum Papa nõ intendat eximere Subditos ab obediẽtia Prælatorum, vnde illa clauſula: *Dummodo non adverſentur ordinationibus, & inſtitutis religioſorum.* Non obſtat, ſic in Sixtinam, tum quia hæc, pluſquam privilegium, vt in ea conſtat eſt ordinatio, & ſtatutum, ac proinde ſi Pontifex non intendat adverſari ordinationibus regularibus, minus intendet adverſari Apoſtolicis. Tum, quia Sixtina eum dumtaxat *non præcipiendi* Subditis &c. habet ſcopum, ac proinde qui in illis caſibus non intendat Subditos eximere ab eo Papæ claro præcepto, iuxta intentum Papæ debet in illis caſibus eximere Subditos à preceptis irregularibus Regularium Prælatorum. Tum, quia ex illis ad Sixtum poſtulatis,ſequeretur,quod conceſſio nil concederet, dum ſemper debet continere aliquid preter ius. *L. fin.C.de in offic. teſtam.* Cruz *lib.*2. *cap.*1. initio,& ſemper aliquid operari debet.

185 Tum infero, Decretum Sixtinum per contrarium vſum, non ſic facile, vt præſumebatur potuiſſe preſcribi. Siſtit in eo, quod, ni fallor, ab anno 1470, vſque ad annum 1621. fuit in vſu, ac proinde quoad præſcribendum, ab eo tempore debebat reputari inchoata preſcriptio, quo ſemper viguit obſervatiu; ſemper enim reputatur conceſſum, quod ſemper obſervatum: igitur, dum præſcriptio tenere poſſet locum, hæc debuit ad ſummum computari ab anno 1621. quo anno fuit aliquid in virtute obedientię ſtatutum, & deinde, vt ſolitum erat antea in Capitulis, non fuit expoſitum, nil ſub mortali obligare.

186 Tum,vt quæ in privilegium poſſint opponi, valeas enervare, nota,non ſore Sixtinam ſic purè privilegium, quod non habeat plus ſtatuti, & pręcepti, vt patet ex tenore; ac proinde quæ poſsẽt obſtare in privilegium, non ſic in Papæ præceptum; vide quę ſupra dixi cum Aſcan. *Art.* 7. *Subart.* 3. Sic licèt Miniſter Generalis, quia privilegio poſſet renunciare, ſecus autem, ſi nedum foret exhibitum per modum conceſſionis, ſed etiam præcepti.Sic Sigiſmund. à Bononia,Sanchez, & alij apud Sanctor.*Tom.de pœnis cap.*6.*quæſt.* 3. *in fine.*

187 Oppones 4. Pium Quintum decreviſſe poſt Sixtum Quartum, non teneri Fratres ad ſtatuta, dummodo non ſint ſub obedientia, & cenſura; ergo corruit tota Sanctori reſolutio. Reſpondit Sanctorus primo, Pij determinationem fuiſſe vivæ vocis oraculum iam ſpiratum. Tum ſecundo,Pium non plus dicere, quam Statutum Segovienſe, ſicque circa obedientiæ præceptum interpretandum, videlicet, in ſenſu materiali,non vero formali.Vide Sanctori doctrinam ſupra.

188 Tum iuxta Bordoni, & Pellizzarij doctrinam *num.* 127. 128. 132. dum aliquod poſterius determinatum alicui priori contrariatur, ſi æqualia vndequaque ſint, ſemper ſtan-

ſtandum eſt vltimo iuxta regulas iuris, ſrens autem ſi alicuius principalioris conditionis ſit primum. Vivæ enim vocis oracula non videntur eſſe ęqualis conditionis quoad firmitatem, & Auctoritatem iuxta præfatos, alioſque Auctores, ac ſunt determinationes Bullatæ; tum quia, vt inquit Pellizzarius in Bullatis loquitur ipſe Papa, in oraculis vero alia perſona atteſtans, & referens quid Papa conceſſerit: Tum, quia etiam fiat per Papam vivæ vocis oraculum, ſemper eſt ore tenus, factum ſine ſcriptura, & in quibuslibet ſemper intenditur magis ſubſiſtere, quod mandatur per ſcripturam conſtare. Sed Sixtinum ſtatutum ſolemniſſime fuit ad perpetuam rei memoriam Bullatum, ac ſcriptum; ergo.

189 Oppones 5. quod iuxta præfatum opinandi modum, ſequetur Prælatos parva poſſe conſequi à Subditis, cum difficile poſſent eos per obedientiæ, & cenſurarum vires obligare; ergo improbus ille opinãdi modus. Reſpondendum, homines æquè viſibilibus, & ſenſibilibus conflatos, æquè per viſibiles, & ſenſibiles pœnas ſubijci, & etiam dum indomitos chamo, & freno conſtringi, ac proinde ſi inſoleſcat vt brutum, & ſe habere ſeſſorem non ſentiat, conſueto rationis cibo priveiur, fœnum vt vos comedat, iaceat in carceris ſtabulo ligatus funibus, & ferreis catenis ſi oporteat, quovſque contritus cognoſcat poſſeſſorem ſuum, & præſepium Domini ſui; dumque parva ſint iſta, adducant maiora iuxta criminum, & relaxationum conditionem, tuncque videbit Prælatus ſubditum quamtumvis ferocem in virum alterum mutari. Ab hominibus enim maximè ſtultis, quorũ maior eſt numerus, pœnæ quæ videntur, & hinc ſentiuntur ſunt quæ magis timentur; viris namque probis, & perfectis tam temporales quam ſpirituales otioſé reddantur, quia Sapiens non odit mandata, ſed attendit, & eſt lex illi ſemper fidelis, cum ſit homo ſenſatus. Intelligũt firmiter Prelati, quod ſi temporalibus pœnis impoſitis, ſubditi non venerentur eos, non ſtare defectum in pœnis ſic impoſitis, ſed in pœnis per Prelatos omiſſis, & raro, vel tæpide applicatis. Inde dum pœnæ non infligendæ non timentur, nec leges, nec Prelati venerantur. Circa hoc vide quæ dixi in *Art.* 3. §. *Neque hinc.*

190 Oppones 6. ex præfato opinandi modo ſequi, ſubditos in conſcientijs manere ſerenos, & Prælatos confuſos, & ſcrupulis oneratos, cum difficile poſſint ſcire quando poſſint per obedientiam mandare iuxta caſus, & exceſſus, qui à divina lege &c, vt in Sixtina. Reſpondendum quod ſi difficile ſit ſcire vobis, qui Prælati eſtis, *Erudimini qui iudicatis terram*, & qui difficile ſciat mandare, facile ſcire poteſt renuntiare. Ex eo enim, vt ait Sapiens, exiguo parata eſt miſericordia, dum his qui pręſunt, duriſſimum fiet iudicium. Inde nemo periit obediendo, dum plures perierunt quia erraverunt mandando. Et in caſu onerandi, videtur minus onerandos ſubditos, cum ſit iam ſatis oneratus qui vbicunque eat, ſemper habet ire ſubiectus. De ęterero onerentur, qui honorantur. Rurſus exiſtimo, quod minus Prelati involventur ſcrupulis: Tum, quia dum limitatur facultas præcipiendi, etiam occaſio errandi: Tum, quia cognoſcere quando debeat iuxta caſus & exceſſus qui à divina lege &c, non facit levem vultum, vt non videant, dum protſus ignari, & cæci non ſint; ſi enim ſit cæcus, qui cæcum ducit, &c. Erudimini, qui iudicatis.

S E C T. IV.

Reſpondetur nunc argumento, ex quo tota præſens concertatio emanavit.

191 VEnimus iam ad principale argumentum, ſupra, *vehementer oppoſitum*, quod ſcilicet, ſi dum fuit ſtatutum per Sixtum 4. ſpecialiter formatum, valuit Capitulum Generale Segovienſe per contrarium revocare, vtpote poſt ſilentium, in virtute obedientiæ interdicendo ingreſſum cellarum, ſic, etiam quodlibet Capitulum Generale poterit revocare ſtatuta, tametſi à Sanctiſſimo in forma ſpecifica confirmata.

192 Reſpondendum cenſeo, ex ſtabilitis in Segovienſi Congregatione, nunquam manere reiectam, aut infirmam reſolutioné præhabitam, videlicet, ſtatuta in forma ſpecifica confirmata, non poſſe per ſequentia Capitula revocari. Suadetur, dũ facile explicatur. Quia Congregatio Segovienſis nil contrarium Sixtinæ ſtabilivit, ac proinde nil ſtatuti per Papam revocavit; ergo præhabita reſolutio nũquam reijcitur. Suadetur antecedens, quia Congregatio Segovienſis, dum V.G. ingreſſum cellarum poſt ſilentium in virtute Sanctæ obedientiæ interdixit, exiſtimavit dari motivum, ex quo poſſet induci ad mortale, ſeu occaſionari nonnulla, quæ deberent iuxta divinam legem, aut Eccleſiaſtica præcepta prohiberi; ſed dum huiuſmodi caſus & exceſſus prævideantur, non contradicit Sixtina, poſſe Capitula in virtute obedientiæ præcipere; ergo.

Sic

193 Sic compellor meritò expēdere reſolutionem propter auctoritatē totius Religionis per Capitulum Generale repræſentatæ, cū indecoroſum foret dicere tot probos, & prudentes Patres temere, aut ignorāter proceſiſſe: Necnon ſic ſeſolvere conſultò decrevi, ob imperitiam, & aliquorum ſubditorū imprudentiam, cum inſipienter penetrantes reſolutiones noſtras, ſtatim laxis fibris, & audacter dicerent, *Non tenemur obedire Pralatis, nec poſſunt nobis per obedientiam & cenſuras quidquam pracipere, cum ſic pro nobis intra Religionem habeamus Auctores.* Non ſic, qui ſic impij, non ſic, ſed Prælatorum obedientia flante, eritis tamquam pulvis, quem proijcit ventus à facie terræ. *S*emper Deus eſt timendus, ſed maximè dum in obendientiæ virtute per vocem Prælati tonat. *S*ic, voce è nube elapſa, plus eam quam fulgarantium Cælorum radium timete.

194 Dices, ita videri, at metro ſcholaſtico ſemper venit inſtandum, quod ſcilicet, præciſē ſilentium frangere, & in cellam alterius introire, non ſemper exhibeat in promptu occaſionem inducendi aliquod quod mortiferum, & aliàs ex divina lege prohibitum: Tum, quia valet dari ſicuti in alijs præceptis Eccleſiaſticis parvitas materiæ, & in hoc, etiam parvitas temporis; igitur etiam præformata reſolutio circa ſilentij exemplar cum patiatur in caſibus exceptiones, venit amplius diſtinguenda, & ſervatis ſervandis explicanda. Fateor deberi, cum ob leves eventus, & quaslibet cauſas non debeāt Fratres illaqueari. Quapropter, cum nullum ſtatutum frequentius obſtet, oportebit per ſequentem *S*ubſectionem nonnulla explanare.

SVBSECT. I.

Circa Silentij Obſervantiam exponitur praceptum.

195 CIrca ſilentij obſervantiam, licèt attēte exquiſierim, mirum profectò, nullum me inveniſſe ſtatutum ab ipſo Religionis exordio vſque ad Capitulum Generale celebratū Caturci anno Domini 1334. vbi in conſtitutionibus Benedictinis ſtatutum ſapienter fuit formatum de ſilentio ad *Caput* 2. quod quia diſſertum, antiquum, & Papale, penitus recitare mihi conſultò videtur.

196 *Praterea* (ſic habetur, & formatur) quia pax eſt opus iuſtitiæ, & ſilentium cultus eius, ne devotionis fervor per inquietudinem multiloquij extinguatur, *S*tatuimus & etiam ordinamus, quod ſilentium, à Completorio vſque ad pulſationem Primæ diei ſequentis, ab omnibus obſervetur, exceptis hoſpitibus de novo venientibus, & eis miniſtrantibus, vel aſſiſtentibus, vſque ad horam congruam, de Guardiani ſui licentia, vel mandato. Sileatur autem in clauſtro, in choro, & in Eccleſia, à principio chori, & ſupra, & in dormitorio, in quo ſunt cellæ, ſivè ſtudia, omni tempore; in dormitorio vero à ſtudijs ſeparato, temporibus, quibus Fratres ibidem dormiūt; & in refectorio tam in prima menſa, quam in ſecunda; & extra refectorium, vbi erit multitudo Fratrum ſimul comedentium; & hoc non ſolum à reſidentibus, verum etiam à forenſibus obſervetur. In locis autem vbi Fratres non habent officinas diſtinctas, ab immediatis ſuperioribus eorum locorum loca diſtincta, & commoda deputentur, vbi Fratres ſileant, & vbi loqui poſſint alias dum opportunum fuerit. Similiter hora dormitionis à feſto Reſurrectionis Domini vſque ad feſtum Exaltationis S. Crucis, qualibet die poſt ſecundam menſam immediatè pulſetur campanella refectorij, & ex tunc ſileatur vſque ad Nonam. In diebus vero ieiuniorum, ſimili modo à pulſata campanella, poſt menſam ſecundam ſilentium obſervetur, donec fiat ſignum ſurgendi à ſomno, ſecundum ſpatium à Guardiano provide aſſignandum. Liceat tamen Fratribus, quod neceſſe eſt, loqui, breviter, & ſubmiſsè. Siquis autem ſilentium fregerit, debeat in Capitulo dicere culpam ſuam, eam, prout quis deliquiſſe meminerit, exprimendo: cui à Guardiano abſtinentia à pulmento, vel à vino, vel ab vtriſque, vel alia pœna, vel pœnitentia, ſecundum culpæ exigentiam, *imponatur.*

197 Prædicta ſunt, quæ circa ſilentij ſtatutum, à Capitulo Generali relato adducuntur, quæ ad verbum recitat, & proponit Capitulum Generale Valliſoleti An. 1593. nonnulla deinceps addens, ſicuti & ad verbum Congregatio Generalis Segovienſis Anno 1621. addens vlterius ſub obedientiæ præcepto, *Ne tempore ſilentij meridiano, & nocturno ingrediantur cellam vllam alterius, exceptis tamen cellis Pralatorum pro negotijs dumtaxat neceſſarijs, & Patrum habentium per conſtitutionem ſocios pro ipſis ſolummodo.* Circa quæ notandum, quod dum à primo ſtatutorum exordio vſque adhuc, pluries circa eaſdem materias ſtatuta replicata invenerim, ſecus autem ſic pluries de ſilentio, & multo minus de cellarum vniverſali, & abſque exceptione ingreſſu, cum tale interdictum difficilime inveniatur per ſpatium quadringentorum annorum,

niſi

niſi in Statutis Reverendiſſimi Bonaventuræ Calatayeronenſis,& Reverendiſſimi Benigni Genuenſis. Cur autem ſic per eos duos Miniſtros Generales? ego neſcio, Deus ſcit. Scio tamen, præfatos Patres fuiſſe celeberrimos inter celebriores Seraphici Patris Succeſſores. Quapropter nonnulla de ſilentio expendere opus erit; ſic autem, vt prius reſolvamus, quæ ſpectant ad vtilitatem, & deinceps ad obedientiæ ſtatutum.

CAPVT I.

Importantiſſima ſilentij vtilitas breviter commendatur.

198 CIrca ſilentij vtilitatem, videtur pro viribus reſolvendum, inter Regulares viros nimis importare, ſtatuere, & ponere cuſtodiam ori, & oſtium circunſtantiæ labijs ipſorum. Sic Doctor Mellifluus, Doctor Chriſtifer, & Doctor Seraphicus, apud Sanctor. *Cap.3. Statut.*10. Sanctus Bernardus *Serm.2. de mutatione aquæ*, vbi ait: *Silentium cuſtos Religionis, in quo eſt fortitudo noſtra.* S.P.Franciſcus (vt refert Marcus Uliſſiponenſis *par.1. Chronic. lib.1. cap.* 25.) ſolebat dicere: *Silentium ſanctum eſſe cuſtodem, & conſervatorem puritatis cordis.* Sanctus Bonaventura *lib. de perfectione vitæ ad Sorores, cap.* 6. vbi ait: *Alia vtilitas ſilentij eſt, quia demonſtrat hominem cæleſtem eſſe; argumentum quaſi infallibile eſt, vt ſi ſit homo in Theutonia, & non loquatur Theutonice, videtur quod non ſit Theutonicus: ſic qui eſt in mundo, & mundana non loquitur, evidenter demonſtrat, ſe in mundo non eſſe, qui enim de terra eſt, de terra loquitur.*

199 Confirmant ſilentij vtilitatem quam plurimi Scripturarum eventus, quorum præclarus ille Filiorum Iſrael apud Pſalm. 106. vbi cum tribularentur ex quo locuti: *Stetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius: Aſcendunt vſque ad Cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorũ in malis tabeſcebat: Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt*; vſquequo? vſquequo *ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius: Et lætati ſunt, quia ſiluerunt.* Dum ſtatuit ſilentium Deus, ſciunt ſilere flumina, quæ elevaverunt vocem ſuam, & quæ vocem dederunt nubes.

200 Confirmat Iudithæ victoria, dum æquè ac gladio, *Labiorum motu in ſilentio* caput amputarat Holofernis. Confirmat Eccleſiaſtes 9, cum apud eum, *Verba ſapientium audiuntur in ſilentio.* Confirmarat Altiſſimus, qui dum in ſpiritu oris eius omnis virtus, ſemel tamen locutus, idque, cum medium ſilentium tenerent omnia. Inde Statuta Valliſoletana,& Segovienſia citata ſupra, *Sacrum* invenio vocare ſilentium. Neque in hiſce ſilendum, quantum Seraph Pater loquaces, garruloſque Fratres deſpexerit, nimis ſiquidem culparum correctionem deſiderans, tamen ſic provide in *Collatione* 17. ſuos Generales Succeſſores inſtruit: *Aures etiam non præbeat multiloquijs, & multiloquos in accuſationibus ſpecialiter habeat ſuſpectos, nec faciliter credat eis.*

201 Confirmat tandem, dum ex ſilentij fractura quam plurima nociva ſequantur. Sequuntur enim facile detractiones, murmurationes, convicia, mendacia, contemptio, bonorum deriſio, ſcurrilitas, diſſenſio, rumor, & ſic alia, quę cæteros Fratres conturbant; præterquam tales, intolerabiles fiunt, cum noceant in pace dormientibus, ne media nocte divinas alacriter perſolvant Laudes; impediũt orantes, eiſque addunt poſſe impatienter à dæmonio tentari; conturbant prædicaturos, aut in craſtinum lecturos, cum à prima nocte vigiles, diſſipentur mentis ſpiritus, & ſic miniſterijs incapaces reddantur; ſcandalizant parvulos, cum omnia tempus habeant, & intra Religionis clauſtra tempus tacendi non inveniant. En, quanta in vno crimine, ſilentij fractor perperret facinora? vnde Gerſon *tit.3. lib. de vita ſpirit. Lect.* 6. inquit: *Silentium frangere erit in caſu ſcandali, grande delictum: aut ſimiliter aliqua talium offenſarum, aliunde levium, dum Novitij, vel tota Religio inde turbatur, ita vt negligendo minima, ipſe Religionis vigor paulatim decidat, & in magnis etiam totus abſcedat.*

CAP. II.

Silentij Statutum piè, & ſervatis ſervandis exponitur.

202 CIrca formale ſilentij præceptum, revera, nimis vrget vti ab omnibus obſervandum, præfatum Segovienſe Statutum, cum dicat: *Inhibemus ſub obedientiæ præcepto omnibus, & ſingulis Fratribus, ne tempore ſilentij meridiano, & nocturno ingrediantur cellam vllam alterius, exceptis tamen cellis Prælatorum pro negotijs dumtaxat neceſſarijs, & Patrum habentium per conſtitutionem ſocios pro ipſis ſolummodo.* Ubi, ex quo exceptio firmat regulam in contrarium, difficilimus pro cellarum ingreſſu remanet recurſus.

203 Verum enim verò, cum ſæpè vniverſa

verſa ſtatuta noſtra doceant, nimis oportere fragilitatis humanæ compati, cum talis debeat eſſe etiam Prælatus, qui Summus (ad Heb. 5.) quod *poſſit condolere ijs qui ignorant, & errant*; Lex enim homines conſtituit Sacerdotes (ad Heb. 7.) *infirmitatem habentes*, inde cum omnes ſimus infirmi, pedibus luteis ambulantes, & ſæpè maior ſit languẽtium multitudo, ſervatis iuxta intentionem ſtatuentium ſervandis, nonnulla in favorem vitorum proborum reſolventur. Neque id, alio, quam non ſtrictè illaqueandi animo faciam, cum fatear coram Deo, Angelis, & hominibus, quod, dum ego pluribus alijs tranſgreſſionibus involutus, ſtatuti ſilentij, à primo regularis rationis vſu, ſine ingenti violentia extiti obſervator.

204 Cenſeo igitur 1. quod poſt ſilentium ingredientes in cellas, aut ex eis non exeuntes, & aliàs ſic loquentes, vt circa vicinos Fratres cauſent, quę ſupradiximus in §. vltimo pręcedentis Capituli, peccant mortaliter. Suadetur facile, quia in primis adeſt præceptum formale Sanctę obedientiæ; deinde cadit ſupra materiam ſufficientem, vt patet, cum varia incommoda, & vicinis damna reſultent; necnon talem finem honeſtum habuiſſe Prælatos, & Legislatores ſatis manifeſtarunt; ergo. Inde in Statutis Calatayeronenſis præcavetur: *Vehementer hortamur in Domino, vt quod oportet, religioſè, tacite, ſummiſsè, ac modeſtè, &c.* Comprobatur clarè diſcurſus, quia, prout in præcedẽtibus expoſuimus, ſemper & quando adeſt obedientiæ mandatum obligat ſub mortali, niſi aliàs, vt ſupra Sãctotus, *materialiter* enervetur, & aliter conſtet Legislatorẽ intendiſſe; ſed hinc de vtroque conſtat; ergo.

205 Cenſeo 2. ſemper, & quando poſt ſilentium in cellis valet aliquis Frater advertere, imminere alicuius eventus minus honeſti periculum, ac dari occaſionem tranſgrediẽdi in materia gravi, peccat mortaliter. Hæc reſolutio eſt conformis Scoto *in* 1. *Sent. q.* 2. *Prologi*, quem ad conſimile adducit Sanctor. *ſupra ſtatut.* 49. *cap.* 2. vbi ſic Scotus ait: *Si obijcias, multa in actibus humanis ſunt dubia, vtrum ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum, & Expoſitorum: Reſpond. non eſt dubia via ſalutis ſimpliciter, quia à talibus, tamquam à periculoſis, debet homo ſibi cavere, & cuſtodire ſe: ne homo dum exponit ſe periculo, incidat in peccatum. Quod ſi noluerit quærere ſalutem, ſed non curando exponat ſe periculo, vbi forte de genere actus non eſt peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter, ſe tali periculo exponendo.* Plura hinc vellem dicere, quæ licèt tacitus, qui habet aures audiendi audiat.

206 Cenſeo 3. quod tametſi in caſu regularis neceſſitatis, poſſe ingredi in aliorum cellas, non ſit contra mentem Segovienſium Patrum in Statuto de ſilentio; at eſſe iuxta eorum mentem, quod vrgentior, & irregularior debeat eſſe neceſſitas, & cauſa, vt religioſi iuvenes ingrediantur. Et ratio eſt, quia communiter iuvenes ſunt gens ſine conſilio, & ſine prudentia, hiſque duobus deficientibus, facile cætera omnia deſirient. Unde Eccleſiaſticus *cap.* 30. provide de iuvene ait: *Lude cum eo, & contriſtabit te. Non corrideas illi, ne doleas; & in noviſſimo obſtupeſcent dentes tui. Non des illi poteſtatẽ in iuventute*; igitur etiam dum alijs arbitrãda, ſemper neganda eis. Etenim cum eis, quidquid prudentius agas, & loquaris, ſemper reſpondebunt vt iuvenes, ſæpè poni, vt regularem diſciplinam evertant (Roboan recordare 2. *Paral. cap.* 10. dum cum iuvenibus tractare cæpit, omnem ferè Monarchiam deperdens, quia *illi reſponderunt vt iuvenes*; & recordare Sancti Avi ſui David, quẽ *ſæpè expugnaverũt à iuventute*; qui nec de alio potius, vmquam doluit, quam de delictis, & ignorantijs iuventutis, vt in *Pſalm.* 24.) vnde Paulus inſtruens *Timotheum* 2. *c.* 2. ſic ait: *Iuvenilia autem deſideria fuge: ſectare verò* (nota comparationis extremum) *iuſtitiam, fidem, charitatem, & pacem, cum ijs qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones de vita.*

207 Tum confirmatur ex communi praxi omnium Regularium, cum in vniverſis ferè licentijs, gratijs, politicis indulgentijs, & quibuslibet ſic favorabilibus, raro ad iuvenes ampliantur, quin ſemper iſti excipiuntur, & ſeverius tractantur, & recluduntur. Et meritò, quia licèt ſpiritus eorum appareat ferventior, at è mundo recens ſemper caro infirmior, dum adhuc regulari pabulo minus nutrita, ſolidata parum, ac eo periculoſior, quo ab humoribus terrenis non purgata, ſanguinis iuvenilis effervescentia adeſt vehementior. Inde, dum vnum ſtatutum liceat per conſimile explicari, adducam verba Statuti RR. Bonaventuræ Calatayeronenſis, vbi dicitur: *Hortamur præterea, ne per aliorum cellas frequentes ſint, & iuvenes præſertim quibus, & aliorum cellas ingredi, & alios in proprias admittere, ne liceat, Magiſtris; & ſuperioribus dumtaxat, publici muneris obeundi gratia.*

208 Cenſeo 4. in ingreſſu, vel non egreſſu cellarum non fore legis tranſgreſſores, qui bono fine interſint, vt honeſta, modeſta, & muneribus ſuis, ac ſtatui religioſo proficua ſummiſſe loquantur, v. g. Lector cum lectore circa ea, quæ ſunt literę, & ſpiritus; Præ-

dicator

dicator cum Prædicatore circa occurrens prędicandi negocium, conferens, aut petens auxilium: Probus, & devotus Frater, vt triſti & afflicto præſter ſolatium, aut exaſperato, & irato remedium: Tumque nec incurrent, qui ſint viri Religione antiqui, & ab ea condecorati, ob egregios labores ob quos toties, dum alijs dormientibus, ipſi extiterunt vigilantes, vt pote veri, & nedum nomine tenus Lectores iubilati, dum aliàs honeſta, & honeſte colloquantur.

209 Suadetur reſolutio; quia præfatæ cauſæ videntur revera rationales, vt interpretetur, Legiſlatorem extra eas legem intendiſſe; igitur cum *mens Legiſlatoris, & ratio ſint anima legis*, Dyn. *in regul. fin.* Navar. *conſil.62. de regul. num.5.* Rodrig. *tom.1. q.67. art. 2.* Sanchez *lib.2. dp.37. num.4.* videtur rationabile præfatos caſus non comprehendiſſe.

210 Confirmatur 1. *Quia lex admittit exceptionem cauſa rationalis. Cap. ſi quando, 5. de reſer.* igitur dum non facile poſſit negari, præfatas cauſas fore rationales, nec facile poterit in præfatis caſibus exceptio non intendi. Qui enim habet rationabilem cauſam nō ſervandi legem, bona fide dicitur agere, & ſic excuſatur à peccato, Innocent. *in Cap. Per tuas, de ſimon.* Felinus *in Cap. 1. de re iud. fallit. 7.* Rodrig. *Tom.1. q. 30. Art. 27.* plures citans, & D. Thom.

211 Confirmatur 2. quia in his quæ per ſtatuta formali pręcepto mandant Prælati, de per ſe non intendunt ſub mortali obligare, vt poſitivè perfectionem addant, ſed vt abuſus, periculoſas conſuetudines, & occaſionem deficiendi tollant, iuxta illam regulam, *part.3. reſolut.149.* benè adductam à Bordon. videlicet: *Lex benè agere non cogit, ſed male agere prohibet*; igitur dum in præfatæ reſolutionis caſibus, nil ſit mali, quod prohiberi oporteat, adhuc dato, quod melius foret ab eis abſtineri, non eſt cur intra intentionem legis præcipientis, ſic prohibendo comprehendantur.

212 Confirmatur 3. quia revera finis Legiſlatorum non fuit alius, recta comite ratione, niſi vitare, aut præcavere ea omnia, quæ vt inutilia, improba, & detractiva poſſunt turbare, & graviter nocere, vt retulimus ſupra in fine Capituli præcedentis; equidem ſi prædicta non imminerent, nunquam ſic ſub graviſſima pœna Legiſlatores pręciperent; igitur in quibus præfata non inveniantur, cum in eis finis legis abſit, & abeſſe debet Legiſlatoris præceptum. Comprobatur clarè ex illo axiomate, S, *ceſſante fine legis ceſſat ipſa lex, l. Quod, 33. ff. de legibus, C. Etſi Chriſtus, 26. de iure iur.* vbi *Gloſſ.* Bordonus *tom. 6. fundam. 4.* cum Diana, *part.1. tract.10. reſol.28.* & alijs ab eo citatis, intelligit, illud non ſolum capiendum in genere, ſed etiam in particulari ſecundum comparationem, nam ſicut ceſſat lex in communi, cum ceſſat eius adæquata ratio finalis, ita & ceſſat in caſu particulari reſpectu illius particularis perſonę; valet enim argumentum à toto ad partem; igitur ſicuti illis motivis in genere, & in toto Ordine ceſſantibus, legem ceſſare adæquatè intelligeretur, dum ceſſent penes individuum aliquod, & penes ipſum legē ceſſare debet intelligi. Circa quod nollem omittere verba Capituli Generalis Interānæ celebrati An. 1500. vbi prope finem hæc habentur: *Si qua tamen in parte diſpenſatum, vel modificatum legatur, ex quadam indulgētia, piaque intentione Nos feciſſe intelligant, vt de duobus malis inevitabilibus maius fugeremus, cum omnis conſtitutio (vt in Decretis habetur) debeat eſſe boneſta tempori, & loco conveniens, & poſſit, vt in Ca. Catholica, pro perſonarum qualitate mutari, dummodo iuxta regulam iuris, neceſſitate ceſſante, ceſſet pariter, quod urgebat. Maluimus enim paululum de re noſtra pręſumere, quam tantam Fratrum multitudinem damnationi exponere. Deum imitate, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt convertatur, & vivat.*

213 Confirmatur 4. ex illa trita regula iuris, quod in odioſis benignior pars ſit amplectenda; ſed non videtur poſſe negari, quod ſuppoſita præfatorum caſuum, & perſonarum honeſtate, quæ reſoluta manet, ſit benignior pars, & aliàs *dum profeſſio ſtet pro libertate ſubditorum*, vt ad aliud, inquit Sanctorus *Cap. 7. Statut.75.* ergo hanc poſſe amplecti, honeſte videtur, maximè cum id ageret prudēs, ac mitis homo, & *Lex mitius, quam homo, qui miniſter legis, agat, l. Celſus ff. de arbitr.* Cardin. *in Clem. Religioſi de privileg.* Barboſ. *axiom.136. num.29.*

214 Suadetur nunc vltra dicta de alijs viris religioſis, de viris doctiſſimis, & iubilationis lauro merito à Seraphica Religione præ cæteris, veneratione habitis. Ad quod, ducor in primis ex illa regula, quod ſcilicet, *Leges ex tempore, loco, perſonis, & cauſis intelliguntur, diſt. 29. per totam*, apud Bordon. *Part.3. reſol. 149.* Cuius regulæ circunſtantias etiam in caſibus Regula noſtra contemplatur. Quibus adde, quæ ſupra diximus ex Capitulo Gen. Interamnæ celebrato.

215 Confirmatur, quia ab identitate rationis valet argumētum in favorabilibus, tametſi non in odioſis, prout expendebat etiam Bordon. *tom.6. fundam.4. pag.269*; ſed ad intentum præfatæ regulæ valent per eamdem rationem adduci argumenta; ergo. Suadetur 1. ex Generali

rali Congregatione Burdegalenſi Anno 1520, vbi licèt per Sanctam obediētiam præceptum ſit, neminem poſſe aſſumi in Prælatum, niſi ſtantem ad vitam communem, declaravit tamen, eo ſtatuto compati, Prȩlatos melius tractari, maximè ſi ſenes ſint; ſed regulariter Lectores iubilati iam ſenes valent in ordine noſtro reputari, & aliàs potius debet rigoroſè attendi ſtatutum de vita communi, quam de ſilentio perſonali, vt notum eſt ex pluribus vrgentioribus cauſis; igitur non obſtanti Sanctæ obedientiȩ mandato, ſuſtinebit declarationem *ex perſonis* favorabilem.

216 Suadetur ex conſimili, quia nō minus debet attendi obligatio penes ire ad chorum, ibique cum Deo loqui, quam penes claudi in cella, ibique ſilere: Tum, non minus debet attendi omnes vnius Patris, & inſtituti filios æquè nutriri, & in eodem loco refici, ac omnes in eodem tempore tacere; ſed cum ea duplici indiſpēſabili obligatione, in nōnullis attenditur penes horas & cibos circunſtantia perſonarum, & maximè literatarum, vtpote alijs Fratribus divinorum pabulo alentiū, & ſpiritum, & vitam miniſtrantium; ergo etiam in vlteriori tempore, vt ſic laborum allevent faſtidium.

217 Suadetur aliter, & comprobatur ex natura beneficij, & favoris; cū Doctoribus, & conſummatis Magiſtris, in hiſce præ alijs Fratribus attēdere, ſit favor cōſonans tot vigilijs, & ſilentijs, quȩ habuerunt, tempore quo alij colloquebātur; ac proinde cedens in Magiſterij venerationem, cum docendi alios, *divinum prope munus ſit*, vt ait Sanctorus *Cap.5. ad Statut.13. quæſt.1*: vnde Seraph Pater in Teſtamento inquit, *Et omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis verba divina debemus honorare, & venerari. ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum, & vitam*; igitur cum in hiſce præ alijs Fratribus excipi, ſit favor, & beneficiū, & aliàs præ alijs favere, & benefacere eis, ſicuti & prȩ alijs venerari, ſit Seraphico intento conforme, ſic interpretare favorabiliter, erit congruum, ac rationale. Suadetur ſubſumpta illatio conſequentis ex Peirino *tom.2. quæſt.2. cap.2. nu.75.* qui *venerationem* iuxta Teſtamenti Seraphici intētionem Sanctoro comite declarat, non conſiſtere ſolum in intrinſeco cultu, *Sed etiam illis favendo, in quibuſcunque occaſionibus eis benefaciendo, & plus, & priuſquam alijs &c.*

218 Dices hinc, equidem dignum, & iuſtum fore, Religionis Doctoribus favere in alijs, at in his quæ ſilentij, vt inconſequens & impertinens non videatur favor, reſtat deſignare, ex quo eis potius ſic favere congruat. Ultra ea quȩ dicta manent, huic increpanti dicto apponam, etiam in ſilentij lege, Doctoribus plus favere congruere: Tum, quia de viris doctrinarum habitu illuſtratis, quod vbicunque prudenter, & religioſe loquātur, videtur ſemper præſumendum: Tum, quia non ſic, ac carcerorum, debent concludi ora Doctorum, cum lux nunquam ſub modio recondita, id eſt intra cellam clauſa, ſed ſuper candelabrum, vt in omni tempore lucere poſſit omnibus, qui in domo ſunt, ac proinde non extingui etiam per noctem, vt lucis privilegium debetur. Bonus enim Magiſter, vbi reſidet, non ſic facit cellam, ac aulam; nec ſic noctem, ac diem (vide Conſtitutiones Martinianas, vbi in *Cap.10*, dum *in viſceribus Ieſu Chriſti* exhortatur favoribus literatos proſequi, ſic Adaptator, qui B. Capiſtranus ſignat rationem. *Cum ſcientia Donum Dei ſit, armatura ad defenſandū Fidem Catholicam, Corona Ordinis, Lumen veritatis, & vita in tenebris ambulantium*): Tum, quia ſi magis domeſticè hæc perpēdamus, iuxta præclaras Ordinis conſuetudines, Lectores iubilatos, ſervatis feſtis ſervandis, inveniemus eos à matutinis exemptos, quibus ſic, dum hora octava ad ſilētium tangatur, & alias poſt cœnā difficile quis alicui habilis inveniatur exercitio, cū totam noctē, nec poſſit, nec debeat prȩſtare ſomno, equidē moleſtæ ſolitudinis experietur effectus, ſicque favor privilegij vertetur in odium, ſicuti & prȩmium in ſupplicium.

219 Abſit meritò, quod Doctorum merita omnibus poſſibilibus favoribus non proſequamur, cum ſic favere conſonet Sanctis Patribus, & Reverēdiſſimis noſtris Miniſtris Generalibus. Pro Sanctis Patribus ſat ſint Divus Paulus, & obſervantiſſimus eius Diſcipulus Chryſoſtomus. Divus Paulus 1. *ad Timoth.5.* dum ait: *Duplici honore honorandi ſunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Duplici honore* (inquit Sedulius) *id eſt magno, propter gradū officij, & doctrina.* Quē ſenſum habuiſſe S. Primaſium, & S. Anſelmū refert, vbi ſupra, Sanctorus. Uberius at & ſublimius S. Joannes Chryſoſt. dum ibi ait: *Maximè, qui laborant in verbo, & doctrina. Ubi modo ſunt, qui dicunt ſermone, & doctrina opus non eſſe? Quandoquidem tanto ſtudio Timotheum Paulus admonet dicens: Iſta meditare, in his eſto, cap.4. Vaca lectioni, & hos omnium maximè iubet honorari; cauſamque addit, multum enim laborem ſuſtinent, quam vero id iuſte. Cum enim alius non vigilet, neque curis maceretur, ſed paſſim ſecurus, & quietus in quotidianis fabulis, & conſeſſibus ſit; hic autem concidatur ſolicitudine, & meditationi perpetuo inſiſtat, idque maximè ſi exterioris diſciplina ſit rudis, quis non videat, quantus ſit cæteris honore præferēdus? Quippè qui ſe ipſum tot laboribus, &*

ærum-

ærũnis expoſuit. Eſt enim linguis innumeris propoſitus ad lacerandum: alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius memoriam, alius compoſitionem in ius trahit, magnaque illi cõſtantia ad iſta toleranda opus eſt. Hæc conſidera, profecto aurea tanti Doctoris verba. Iuſta equidem, & cõſonans videtur retributio, vt eis, etiã dum alij ſilent, licere loqui præſter Religio, qui, dum alij loquebantur, in Religionis obſequium, toties ſuſpirantes inter labores ſiluerunt.

220 Pro Generalibus & Venerabilibus Seraphici Ordinis Prælatis, ſat ſint Beatus Capiſtranus, prout ſupra, ac Reverẽdiſſimi Franciſcus Sampſon, & RR. ac Illuſtriſſ. Campanea, quorum vltimus ſic erat ſciẽtiæ addictus, quod teſtatur Sanctorus, ſe eum ſic dicentem audiſſe in Capitulo Generali Romæ ad An. 1639: *Plus eſtimo, quod ſim Lector iubilatus, quã Generalis. Etſi cuncta mihi auferrentur, relinqueretur tamẽ Scotus, nihil mihi deeſſe exiſtimarem.* Nec vellem verificari poſſe (inquit Sanctorus. *Cap. 5. ad Statut.* 13.) quod dixit Reverẽdiſſimus Sampſon in Generali Capitulo, Cremonę celebrato, S, *Olim in Ordine dominabatur vera conſcientia, paulatim dimiſſa eſt prima ſillaba,* Con, *& remanſit vera ſcientia; Nũc autem Fratrum malitia, & negligentia deperijt, & ſecunda ſillaba, videlicet,* ſci, *quia ſcientia, & ſtudia deperierunt in Ordine, & ſolum remanet,* entia, *quia Fratres moderni, tamquam lapidei, etiam beſtiales & mali, ſine conſcientia, & ſcientia remanent, velut entia bruta.*

221 Tandem, qui Statutorum antiquorũ rigidus adſit obſervator, quantis exemptionibus favorabilibus præ cæteris veri, ac probi literati proſequantur (notanter ſemper dixi, quoſcũque favores de veris, & dignis Doctoribus capiendos, quia ſi ſal fuerit infatuatum, mittatur foras, & conculcetur) inveniet à Capitulo Generali celebrato Caturci ſub Benedicto 12. ab Anno 1337, vſque ad celebratum Salmãticæ Anno 1618. Tum & in Statutis huius noſtræ Provincię Aragoniæ, ex Patrũ Antiquorum deciſionibus, & conſuetudinibus, compilatis, & compoſitis à R. P. Fratre Thoma Frances Urrutigoyti, Scriptore celeberrimo, Viro Religioſiſſimo, Ex Secretario Generali, & Miniſtro Provinciali, *in cap.* 4. ne poſt ſilentium, pœnis Sanctæ obedientiæ incurrant, declarantur liberi, ac immunes, Lectores Iubilati.

Oppones Unicum.

222 IN contrarium, quod momenti ſit, vnicum dumtaxat invenio; quod ſcilicet, Statuta Segovienſia per clauſulam expreſſam neminem excipiant, vt conſtat clarè ex textu; igitur liberè in contrarium excepti exprimuntur à nobis, qui, ſi voluiſſent, non ſic reprimerentur ab eis. Reſpondendũ iuxta iam præadductam doctrinam, nullum ſic ſtrictum, & rigoroſum, maximè in actibus humanis poſſe dari præceptum, in quo non liceat attendi finis, & mens rationalis præcipientis, cum mente, & Legislatoris ratione leges animẽtur; quo pacto, cum finis Legislatoris concerneret illicita, & bono cõmuni nociva prohibere, credendum eſt, quod neminẽ excipiat, vtpote dum hæc ſequi, vel rationabiliter immunere præſumatur; ſecus autem, dum diverſi ſint caſus, vtpote extra finẽ prohibitionis contẽti, cum honeſta, & rationabilia nullus Legiſlator prohibere credatur. Sin autẽ etiam abſque præfatarum honeſtarum circunſtãtiarum exceptione intenderet aliquis Prælatus obligare, tunc recurrere vales ad Sixtinam ſupra expoſitã, & ad doctrinam RR. Pellizzarij *Tom. 1. tract. 4. cap. 2. Sect. 2. n.* 254. vbi cum Fagund. circa votum paupertatis exponens, penes ea, quæ Regulares è bonis conventus donant, cũ filijs Patrisfamilias comparandi, inquit, quod ſi Prælati alias ſeveri inviti teneri velint, irrationabiles erunt, nonque ſubditos, filioſque peccare, quouſque tranſgreſſio in bonis non cenſeatur iudicio Prælati prudentis ſufficiens. Sic, ſervatis ſervandis, obſerva. Moueo tamen notanter in fine, vltimã hanc Iubilatorum reſolutionem, dumtaxat probabiliter capiẽdam, dum Prælati Generales per patens mandatum aliter & rigoroſius Statutum Segovienſe non exponant, & intiment; ſi enim circa ſilentium penitus neminem, & nullatenus exceptũ declarent, vltimæ huic reſolutioni noſtrę diſſentiendum eſt; quia Doctores ſolum doctrinaliter poſſunt leges declarare; Prælati autem Generales, etiam Auctoritativè, & vltra ſic, prout ferè omnes conveniunt.

SVBSEC. II.

Reſpondetur nunc vltimæ obiectioni Sectionis 4. & nonnulla de materia parva ſilentij expenduntur.

223 CUm dixerimus, etiam in ſuo robore ſiſtente Sixtina, potuiſſe Prẹlatos Segovienſes abſque eius contraventione præcipere per Sanctam obedientiam, ne poſt ſilentij ſignum Fratres inſimul in cellis manerent; & in eadem Sectione quarta inſtaretur, non apparere ſufficiẽtem cauſam quemlibet cellarum ingreſſum, cum poſſent dari caſus qui nec inducerent ad mortale, nec à divina lege prohiberentur, ideo in capite præcedenti, caſus non incurrendi cenſuram, & obedientiæ tranſgreſſionem deſignavimus, & expoſuimus, tam ex occaſionis neceſſitate, quã ex perſo-

perſonarum dignitate;ac proinde ſic,iam hinc facile manet reſponſum ad inſtantiã,videlicet, non ſemper,& in omnibus caſibus obedientiæ præceptũ obligare,ſed in eis quos diſtinximus ſupra in fine *Cap.* 1. *&* *in Cap.*2. *Cenſura* 1. *&* 2. quibus ſic expoſitis, de primo ad vltimum manent expoſita, & reſoluta, quæcunque ad Sixtinæ controverſiam ſpectantia.

224 Circa ſecundum,videlicet circa materiam parvã ſilentij, reſtat nunc aliquid dilucidandum, videlicet, an poſt ſilentij ſignum, vt religioſi detineãtur in cellia detur parvitas materię,quæ à formali transgreſſione excuſet; necnõ,quanta poſſit abſque culpa mortali talis materia eſſe?Circa primum reſolventes,dicimus,non poſſe dubitari à nullo viro prudenti,& timorato, dari in ſilentij ſtatuto parvitatem materiæ,difficile ſiquidem invenietur actus humanus,in quo iuxta præcepta regularia, & eccleſiaſtica non inveniatur, vt patet circa ieiunij præceptum, circa Miſſæ auditionem, circa divini perſolvendi officij obligationem, & ſic alia,quæ non minus ex pręcepto vrgent, ac ſilendi ſtatutum;necnon in his quæ ad votum ſpectant, vt circa paupertatem, & circa clauſuram Monialium, dum aliqua pars corporis extrahitur, &c. Neque in his, vtpote certis, amplius immorandum.

225 Maior difficultas ſtat in deſignando certam parvitatis normam, cum in quibuslibet moralibus equidem arduum ſemper fuerit. Exiſtimo ergo (ſalva quavis Patrum noſtrorum declaratione, cui ſemper ſubſcribam) breviſſimam dimidiam horam,vt parvam materiam, in comparatione ad vniverſa tempora noctis, poſſe reputari. Ducor in primis ex eo, quod non minus debeat obſervari præceptum Eccleſiaſticum, quam Regulare; nec minus videatur compellere ſenſum auditus, vt audiat, & viſus vt videat, ſeu vt extra vnicum obiectum, nil videat, quam compellere os,vt non loquatur;ſed vrgente præcepto Eccleſiæ;vt quis audiat Miſſam integram (ſic in eruditione Chriſtiana canitur à pueris, *Oir Miſſa entera en los dias de guardar*) & ſic, vt nil videat vltra ſacrum, tamen dum tangitur ad Miſſam, compatitur non tranſgredi præceptum, licèt vſque ad partẽ parvam in comparatione ad cæteras Miſſæ partes, in Eccleſiam non ingrediatur; igitur & compatietur, quod dum tangitur ad ſilentium, pro tempore in comparatione ad totam integram noctem parvo, è cella non egrediatur.

226 Ducor 2. ex paritate Horarum, circa parvitatem materię in divini officij præcepto, quæ referam,vt ad inſtar,prudens, reſolvenda circa ſilendi horas,conferat. Pellizzarius ergo in *Tom.*1.*tract.*5.*cap.*8.*num.*93. inquirit,quænã ſit pars notabilis divini officij, cuius omiſſio ſit peccatum mortale?Reſpondetque ſic(recitatat alia)quare vniverſaliter dici poteſt,omiſſionẽ partis,quę æquivalet minimę horæ, vel dimidiæ parti eius, eſſe peccatum mortale: ſi vero nõ attingat ad dimidiam partem,eſſe ſolum veniale. Ita Filliuc. *tr.*23. *n.*246. alijque plures apud Bonac. *dp.*1.*p.de Hor.can.q.*8.*p.*2. §.1.*n.*2; quãvis alij,cum Bonac.ibi,Caſtro Palao *tom.*2.*dp.*2.*p.*5.*n.*1.& Diana *p.*5.*tr.*5.*reſol.*26. putent, medietatem horę parvæ non ſufficere, vt eius omiſſio ſit peccatum mortale.Probant, tum,quia non eſt verosimile, Eccleſiam velle perpetuis gehennæ incendijs ſubijcere ſuos filios ob omiſſionem à Deo levem: tum, quia communior ſententia Doctorum habet,vnicũ eſſe pręceptum de 7.Horis recitandis;at poſita vnitate præcepti, levis materia debet iudicari ea,quę quantitatem Horę parvę non attingit. Imò Marchinus penes Dianam *p.*6.*tr.*6.*reſ.*6. ait, omiſſionem Horę parvæ non eſſe mortalem,& Sotus *lib.*10.*de iuſt.q.*5.*ar.*7. de hoc dubitat. Hęc Pellizzar.

227 Ex quibus inferes,brevem (non longam, cum lingua tempus breve creditum defluat inane) horæ medietatem, parvam materiam fore. Sic inferes, ſi conferas tempora tacendi cum temporibus loquendi cum Deo, ac proinde cum non ſit veroſimile, piam, vti Seraphicam Religionem, Eccleſię Romanæ valde imitatricem, velle perpetuis gehenæ incendijs ſubijcere filios ſuos ob materiã adeò levem,& maximè cũ ex natura rerum,non ſic oporteat, nec iure debeatur humanũ, & naturale ſilentium obſervare,ac Deo maximo cum debita gratiarum actione ſupernas, ac divinas laudes,ore, lingua, mente, ſenſu,atque vigore exhibere: Benedicam enim Dominũ in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo, & dum per ſingulos dies,maximè at lauda anima mea in die magno Feſtivitatis Marianę,cuius incõparabiles Almæ Matris dolores,vt altera Mater,Eccleſia ſuſpirat,plãgit,& lamẽtatur. Ceſſet vox tua à ploratu, taceat iam, ò pulcherrima mulierum, pupilla oculi tui, cum triſtitia in gaudium verſa, vna cum Caſtiſſimo Sponſo Joſeph, dilectus adſit Filius, qui decorans gloria,ſponſiſque reddens præmia, cum Patre, & Sancto Spiritu,vivit,& regnat per vniverſa ſæcula.

Amen.

Tibi, ò, primo vltimum Mariæ inſtans.

TABULA DISTINCTIONUM,

QUÆSTIONUM, ARTICULORUM,

& Subarticulorum, &c. Quæ in hoc tertio Sent. libro continentur.

DISTINCTIO PRIMA.

DE ſtructura, & non repugnantia Verbi exiſtentis in carne. Pag.1

Quæſt.1. Utrum poſſibile fuerit naturam humanam uniri Verbo unitate ſuppoſiti. pag.1

Art.1. Quid debeat intelligi per unionem perſonalem. pag.1

Subart. un. difficiliora dilucidant. pag.3

Examen puncti primi. pag.3

Examen puncti ſecundi. pag.4

Examen puncti tertij. pag.6

Art. 2. Qualiter unio ſit poſſibilis ex parte perſonæ, quæ aſſumit. pag.8

Art.3. Qualiter ſit poſſibilis ex parte naturæ, quæ aſſumitur. pag.13

Subart. 1. Aliquibus in contrarium adductis ſatisfit. pag.16

DISTINCIO SECUNDA.

DE modo aſſumendi naturam. pag.19

Quæſt. 1. An naturam humanam poſſit ſtatice uniri Verbo, eoque non fruï, includat contradictionem. pag.19

Art.1. An Verbum cuicumque non intellectuali naturæ poſſet uniri. pag.19

Art. 2. An in noſtra natura aſſumpta à Verbo, habitus gratus gratia, vel gloria, foret neceſſitatis, vel congruentiæ. pag.21

Art.3. An ex vi aſſumptionis, Deo grata maneret natura. pag.24

Subart.1. Ex vi unionis formaliter Deo grata non fuit humana natura. pag.25

Subart.2. Ex vi perſonalitatis Verbi formaliter Deo grata non fuit humana natura. p.27

Subart.3. Ex vi divinæ naturæ formaliter Deo grata non fuit humana natura. pag.30

Subart.4 Iuxta Subtilem mentem nonnulla dilucidantur, & reſolvuntur, dum principaliter oppoſitis ſatisfit. pag.33

Subart.5. Principaliter oppoſitis ſatisfit. pag.38

Art.4. An ex ipſo aſſumptionis modo, impeccabilis maneret humanitas. pag.42

Subart.1. Examinatur impeccabilitas Chriſti, ut ab omni ſuperno dono abſtracti. pag.43

§.1. In ſenſu compoſito examinatur impeccabilitas. pag.49

§.2. Propugnatur aliter Scoticum aſſumptum, & Thomiſticum enervatur. pag.55

§.3. Propugnatur aliter Scoticum aſſumptum, & Thomiſticum enervatur. pag.58

Subart.2. Chriſtus D. in ſecundo ſtatu exponitur. pag.62

Subart.3. Chriſtus D. in tertio ſtatu exponitur. pag.63

Ultima reſolutio. pag.66

Quæſtio. 2. An Verbum primò, & immediatè aſſumpſerit totam naturam humanam. p.66

Art.1. De partibus eſſentialibus aſſumptum dilucidatur. pag.67

Reſolutio. pag.69

Solvuntur oppoſita. pag.69

Art. 2. De cæteris corporis partibus fit reſolutio. pag.71

Quæſt.3. De organizatione corporis, incarnatione, & Deipara comparata. pag.74

Art.1. Chriſtifera organizatio reſolvitur. p.74

Art.2. Reſolvitur Sanctiſſima Virginis Maternitas. pag.76

DISTINCTIO TERTIA.

DE adoptione. pag.80

Quæſt. un. Quo pacto de Chriſto D. ſentiendum ſit. pag.80

Art.1. An Chriſtus dici poſſit filius adoptivus. pag.80

Art.2. An Chriſtus poſſit dici filius naturalis Dei. pag.88

DISTINCTIO QUARTA.

DE ſatisfactione offenſa. pag.90

Quæſt. 1. An pura creatura potuerit de condigno ſatisfacere. pag.90

Art.1. De ſphæra peccati mortalis in ratione offenſa. pag.90

Noſtra reſolutio. pag.91

Aliqua ex oppoſitis ſolvuntur. pag.94

Art.2. Principali intento quæſtionis reſpondetur, & nonnulla, iuxta Scoti doctrinam expenduntur. pag.95

Art.3. Oppoſito principaliori ſatisfit, & circa ſatisfactionis caputum apiius aperitur Scotus. pag.99

Quæſt.2. De ſatisfactione Chriſti Domini. p.101

Quæſt.3. An ſatisfactio Chriſti fuerit valoris ſimpliciter infiniti. pag.104

Art.1. Scoti proprius ſenſus manifeſtatur, & ſuadetur. pag.104

Individuatur amplius Scoti expoſitio, & quo pacto ſit in dictis ſuis habendus. pag.109

DISTINCTIO QUINTA.

DE libertate in Chriſti D. operibus pag.111
Quæſt.1. Quo pacto qua liberum, Chriſti opus fuerit meritorium. pag.111
Art.1. Varij dicendi modi examinantur. p.112
Inſinuatur reſolutio. pag.124

DISTINCTIO SEXTA.

DE cauſa finali adventus Chriſti D. in mundum. pag.125
Quæſt.un. An Adamo non peccante Verbum incarnaretur. pag.126
Art.1. Scoti reſolutio propugnatur. pag.126
Principaliora ſolvuntur. pag.131

DISTINCTIO SEPTIMA.

DE Fide Theologica, & infuſa. pag.135
Quæſt.1. De ſenſu in quo hinc inquiratur Fides. pag.136
Quæſt.2. Quid ſit intelligendum in Fide, quâ Theologica, & infuſa. pag.137
Quæſt.3. De obiecto materiali Fidei. pag.141
Quæſt.4. De obiecto formali Fidei Theologica. pag.147
Art.1. Circa Deitatem ſub ratione Deitatis. pag.147
Art.2. Circa Deitatem, ut prima veritatis in eſſendo. pag.148
Art.3. Circa Auctoritatem aſſertoriam. p.149
Art.4. Circa Divinam revelationem. p.150
Art.5. Proponitur verior reſolutio. pag.152
Art.6. Circa revelationem, ut obſcurè requiſitam. pag.154
Art.7. Circa obſcuritatem ex parte revelantis. pag.155
Art.8. Fidei anxia reſolutio examinatur. p.158
Subart. un. De extrinſecis credulitatis motivis. pag.166
Motiva à Noſtro Catholico, & Subtili Magiſtro condecorata. pag.166
Prima, via ſumitur à pronuntiatione prophetica. pag.167
Secunda, via ſumitur ab ſcripturarum concordia. pag.167
Tertia, via ab auctoritate ſcribentium. p.167
Quarta, via à diligentia recipientium. pag.168
Quinta, via à rationabilitate contentorũ. p.168
Sexta via ab irrationabilitate ſingulorũ p.169
Septima, ab ſtabilitate Eccleſiæ. pag.170
Octava, à miraculorum claritate. pag.170
Nona, ab externorum comprobabilitate. p.172
Decima, à magnifica, & divina pietate. p.172

DISTINCTIO OCTAVA.

DE Fide ad Petrum. pag.173
Proœmians annotatio. pag.173
Quæſt.1. De primo, à quo Eccleſia ſumpſit exordium. pag.173
Quæſt.2. Exordium, & legitima natura veræ nunc Eccleſiæ deciduntur, & dilucidantur. pag.176
Art.1. Eccleſia quæ vera, debet eſſe, quæ à capite una. pag.177
Reſolutio in titulo formata propugnatur. p.177
Art.2. Eccleſia, quæ à capite una, debet eſſe, quæ à capite viſibilis. pag.179
Art.3. (Principali intento Quæſtionis reſpondetur) Eccleſia, quæ à capite viſibilis, debet eſſe, quæ à capite Catholica, & Romana. p.183
Art.4. Eccleſiæ, & ſupremo eius capiti principaliter obviantia ſolvuntur. pag.187
Quæſt.3. De Eccleſiæ præformata vinculo ad ſtabilitatem requiſito. pag.195
Principaliora contrariorum argumenta ſolvuntur. pag.200
Quæſt.4. De divina Eccleſiæ labio. pag.207
Art.1. Eccleſia, quæ vera, nunquam in his, quæ Fidei, poteſt falſa loqui. pag.207
Art.2. Nonnulla, quæ principalius obſtant, ſolvuntur. pag.215
Subtile, & fortè argumentum Gregorij Magni. pag.220
Art.3. De Divina Eccleſiæ interpretatione. pag.221
Subart.1. De pura litera, & ſignificatione Grammaticali. pag.221
Nonnulla oppoſita ſolvuntur. pag.224
Subart.2. An ſolum debeat teneri, ut Divinum Verbum, quod in Sacra Scriptura reperitur. pag.226
Nonnullis in contrarium oppoſitis ſatisfit. p.231
Subart.3. Regula pro Scripturarum Divina veritate, & declaratione, Eccleſia noſtra Catholica. pag.234
Solvuntur, quæ principalius oppoſita, & pro eximio Hæreticorum impetu, in Catholicæ credulitatis favorem, ſingularis eruditio Auctores expenditur. pag.239
Expoſitio Auctoris, & oppoſiti circuli ſatisfactio. pag.244
Quæſt.5. De viſibili Romanæ Eccleſiæ capite ſecundum ſe. pag.250
Art.1. An ſit fide tenendum, SS. Patrem Innocentium Undecimum fore ſummum Univerſalis Eccleſiæ Antiſtitem. pag.251
Subart. un. Principaliter oppoſitis ſatisfit. p.258
Secundum argumentum. pag.262
Tertium argumentum. pag.263
Quartum argumentum. pag.264

Quin-

Quintum argumentum. pag.265
Sextum argumentum. pag.266
Septimum argumentum. pag.266
Octavum argumentum. pag.267
Nonum argumentum. pag.270
Decimum argumentum. pag.271
Undecimum argumentum, in quo maxima capitalis Fidei doctrina expenditur. pag.271
Duodecimum argumentum, in quo circunſtantia Epiſcopatus, ut Romani, expenditur. pag.278
Sectio vn. Epiſcopatus Romani controverſiam reſolvens. pag.279
Art.2. De infallibili veracitate Romani Antiſtitis. pag.283
Subart.vn. Unico in oppoſitum ſatisfit. p.288
Art.3. An Papa ſit ſuprà Concilium, quod videtur idem ac inquirere, an caput ſit ſuprà corpus. pag.290
Subart.1. Expenditur comparatio de vero, & Pontifice indubitato. pag.291
Sect.1. Concilium ut ſic, non forè ſupra Pontificem Maximum, univerſalius ſuadetur, dum præcipua Contrariorum ſingularius retardantur. pag.291
Subſect. 1. Pontificem Maximum non forè caput totius unitæ Eccleſiæ retardatur. p.292
Subſect.2. Intentum in ſecundo dicto ampliatum, retardatur, & noſtrum confirmatur. pag.295
Subſect.3. Intentum in tertio dicto retardatur, & ſemper confirmatur noſtrum. pag.298
§. 1. Retardatur immediationis præſumptum. pag.298
§.2. Retardatur immobilitatis præſumptum. p.300
§.3. Retardatur principalitatis præſumptum. p.301
Subſect. 4. Intentum ex fine, Regula, & ſupplente retardatur. pag.303
§.1. Retardatur ex fine. pag.304
§.2. Retardatur ex Regula. pag.305
§.3. Retardatur ex ſupplemento. pag.306
Subſect.5. Cætera Contrariorum fundamenta retardantur, & evelluntur. pag.307
§.1. Primum fundamentum retardatur. pag.307
§.2. Secundum fundamentum retardatur. p.309
§.3. Ulterius ex gratis dato, Contrariorum fundamentum enervatur. pag.311
§.4. Contrariorum ultimum ex exemplaribus formatum retardatur. pag.313
Sect.2. Comparatio ſubarticuli extremis reſpondens. pag.314
Subſect. 1. Reſolvitur difficultas in primo ſenſu. pag.314
Subſect. 2. In ſecundo ſenſu, equidem rigoroſo, reſolvitur difficultas. pag.317
§.1. In primo ſenſu expenditur reſolutio. p.317
§.2. In ſecundo ſenſu expenditur reſolutio. p.319
§.3. In tertio ſenſu expenditur reſolutio. pag.321
§.4. In quarto ſenſu expenditur reſolutio. p.327
Subart.2. De non indubitato Papa. pag.329
Sect.1. In primò ſenſu expenditur reſolutio. p.329
Sect. 2. In ſecundo ſenſu expenditur reſolutio. pag.330
Subart.3. Pro omnium argumentorum ſatisfactione. pag.331
Humilis oratio ad Beatiſſimum Petrum. p.333

DISTINCTIO NONA.

De ſpe Theologica. pag.335
Quæſt.1. De obiecto formali ſpei Theologica. pag.335
Art.vn. Scotica opinio proponitur. pag.338
Quæſt.2. De obiecto materiali ſpei. pag.341
Quæſt.3. An Deus poſſit alicui revelare damnationem, & tunc an ille poſſet licitè deſperare. pag.345
Art.1. Circa ea, quæ antecedunt. pag.345
Art.2. Circa ea, quæ ſunt ad medium. pag.349
Art.3. Circa ea, quæ ſubſequuntur. pag.350
Quæſt.4. An ſit poſſibilis deſperatio abſque hæreſi. pag.350
Quæſt.5. An in Beatis maneat ſpes. pag.352

DISTINCTIO DECIMA.

De Charitate Theologica. pag.360
Quæſt.1. De obiecto formali, & materiali Charitatis. pag.360
Art.1. De obiecto formali Charitatis. p.360
Art.2. De obiecto materiali. pag.368
Proximi dilectio indicitur. pag.369
Quæſt.3. De Charitate, ut excellenti. pag.371
Quæſt.4. De dilectione Dei ſuper omnia. p.373
Reſolutio eligenda iuxta Scotum. pag.373
Ratione ſuadetur. pag.375
Principalius oppoſitis occurritur. pag.377
Quæſt.5. De Charitate Dei erga nos. pag.379
Art.1. An Deus æqualiter omnes creaturas diligat. pag.380
Fundamenta opinionis æqualitatem defenſantis. pag.380
Fundamenta alterius opinionis. pag.380
Seraphici Reſolutio, & concordia expoſitiva. pag.380
Art.2. An Deus magis diligat hominem, quam Angelum. pag.381
Pro Angelis. pag.381
Pro Hominibus. pag.382
Seraphici Reſolutio, & concordans expoſitio. pag.383
Solvuntur, quæ pro Angelis obiecta. pag.383
Art.3. An Deus magis dilexerit genus humanum, quam Chriſtum. pag.384
Proponuntur rationes pro genere humano. p.384

Pro

Pro Chriſto Domino. pag.385
Reſolutio. pag.385
Art.4. An Chriſtus magis dilexerit Ioannem, quàm Petrum. pag.386
Pro Ioanne. pag.386
Pro Petro. pag.387
Seraphici concordans expoſitio. pag.387

DISTINCTIO UNDECIMA.

DE virtutibus in communi, & in particulari: in communi, iuxta Seraphicum Doctorem: in particulari, iuxta V. Mariam de Agreda. pag.389
Quaſt.1. Sat virtutum in communi lumen diſtribuens. pag.389
Art.1. De virtutibus Cardinalibus, quo ad numerum. pag.389
Art.2. De virtutibus Cardinalibus, quo ad nomen. pag.390
Art.3. De virtutibus Cardinalibus, quo ad diſtinctionis formalitatem. pag.391
Art.4. De virtutibus Cardinalibus, quo ad ſubiecti receptionem. pag.392
Art.5. De virtutibus Cardinalibus, quo ad ſalutis vtilitatem. pag.394
Art.6. De virtutibus Cardinalibus, quo ad originem. pag.395
Concordans Seraphici Reſolutio. pag.396
Art.7. De virtutibus Cardinalibus, quo ad durationem. pag.397
Quaſt.2. De virtutibus Cardinalibus in particulari. pag.398
Art.1. De Prudentia. pag.398
Art.2. De Iuſtitia. pag.400
Art.3. De Fortitudine. pag.401
Art.4. De Temperantia. pag.402

DISTINCTIO DUODECIMA.

DE Donis Spiritus Sancti. pag.403
Quaſt.1. De Donis in communi. pag.404
Art.1. De Donis, quo ad differentium comparationem. pag.404
Art.2. De Donis, quo ad excellentiam. p.405
Art.3. De Donis, quo ad coordinationem. p.406
Art.4. De Donis, quo ad durationem. pag.407
Quaſt.2. De ſeptem Spiritus S. Donis in particulari. pag.409

DISTINCTIO DECIMATERTIA.

DE ſtatutis Seraphicis. pag.411
Proœmians Argumentum. pag.411
Quaſt.1. De ſtatutis Seraphicis in communi. pag.412
Art.1. An Franciſcanæ ſtatutorum multiplicitas proficua, atque laudabilis videatur. p.413
Soluuntur, quæ principaliter obſtare videntur. pag.414
Art.2. An varia ſtatutorum contrarietas reprehenſibilis videatur? pag.417
Oppoſita principalius ſoluuntur. pag.419
Art.3. An dum ſtatuta eriguntur, potiùs ſpiritualés pœnæ ſint imponendæ. pag.421
Art.4. An in ſtatutis formandis oporteat cauſam, & rationem inſimul exhibere. pag.423
Art.5. An ſtatuta, quæ noſcuntur ferè inſtar motiui tranſcendentis, & perfectionis ſimpliciter ſimplicis, debeant vniverſis Religionis Provinciis, vt obſervanda proponi. pag.426
Art.6. De ſtatutis compilandis. pag.427
Proœmians argumentum. pag.427
Subart.1. Veterum Patrum compilationis ſtudium, à ſæculo vſque in ſæculum recitatur. pag.427
Subart.2. Principalius compilandi ſtudium circunſtans. pag.429
Art.7. Circa confirmationem in forma ſpeciali, & communi, nonnulla dilucidans, & reſolvens. pag.433
Subart.1. An ſtatuta à Pontefice Romano confirmata, poſſint in Capitulo ſequenti per Capituli facultatem caſſari, & annullari, Pontificia confirmatione non obſtante? p.434
Subart.2. Expenditur Auctoris Reſolutio. p.436
Subart.3. Principaliora contrariorum fundamenta ſoluuntur. pag.438
Opponens vehementer. pag.440
Sect.1. in qua opiniones principaliorum Auctorum Religionis differto lectori parantur. pag.441
Sect.2. Circa relatorum Auctorum reſolutiones, expenditur Auctoris cenſura. pag.445
Sect.3. Suadetur vltima hæc cenſura ex contrariantium ſatisfactione. pag.448
Sect.4. Reſpondetur nunc argumento, ex quo tota præſens concertatio emanavit. pag.453
Subſect.1. Circa Silentij obſeruantiam exponitur præceptum. pag.454
Caput.1. Importantiſſima ſilentij vtilitas breviter commendatur. pag.455
Caput.2. Silentij ſtatutum piè, & ſervatis ſervandis exponitur. pag.455
Opponens vnicum. pag.459
Subſect.2. Reſpondetur nunc vltimæ obiectioni ſectionis 4. & nonnulla de materia parva ſilentij expenduntur. pag.459

PROTES-

PROTESTATIO AVCTORIS.

PRIMI, ac Tertij Sententiarum Libri (ſoli Deo gratia, honor, & gloria) curſum conſummavi, Fidem Catholicam, SS. Patrum doctrinam, & SS. Conciliorum decreta, pro viribus venerari habui, & à primo vſque ad vltimum punctum, obſervare propoſui. Verum enim verò, ſi aliquando, vt Adæ, & iræ filius, Scotiſtæ zelo, aut ferè indiſpenſabili Controverſiarum accenſus fervore, quidquam, minus digne, & laudabiliter, inveniatur ſcriptum, non malitiæ, ſed ſimplici imperitiæ adſcribatur. Ea propter, quæcunque hinc, & in Tomo 1. ſcripta, ſi, etiam leviter, diſſonent SS. Patribus, Concilijs, probis Theologis, pijs auribus, & doctrinis, nunc, & ſemper retracto, & delere volo, atque humilime oro, à quocunque ſic inventa, deleantur, nonque cum iuſtis ſcribantur. Et, vt corde, ac opere compleam, quod voce promitto, nonnulla, vt hinc poſita, & expoſita cupio emendare; ac proinde, dum in 1. Senten. pag. 304. num. 30. Fidem evacuatam in Chriſto & Alma Matre deſcribo, capiendum ita, quod ſcilicet, in Chriſto ſemper, & in Alma Matre, actus fidei evacuatio foret aliquando, vtpote, cum Deum intuitivè videret. Sic, ferè omnia, quæ affero in 3. Senten. Diſt. 2. quæſt. 1. art. 4. ſubart. 1. vt à pag. 59. vſque ad 62. incluſivè, abſolutè loquendo, non approbo, ſed ſimpliciter retracto; non enim ea dico, quia abſolutè dicenda ſentiam, iuxta purum & pium ſenſum à modeſtis Theologis obſervatum; ſed dumtaxat argumentationis gratia in ſpeculationes Domini Godoy; quapropter, licèt fatear, vt fateor, illud de Verbo numquam peccaminosè denominando, ibi tamen in contrarium, locutus arguitivè fui, prout, ſex nonnullis medijs, & cauſalibus à Domino Godoy adductis, rigore philoſophico, aliquas pati inſtantias, tunc exiſtimavi. Tum in Polyanthea Theolog. pag. 498. nu. 28. Dele ly, eius, & Bethſabee filium. Tum in Tom. 1. pag. 107. n. 23. lin. pen. Lege ſic: actum notionalem, id eſt quaſi actionem notionalem, realiter includat. Tum, quæcunque alia ſic reperta ſint, oro, emendentur per eum, qui ſit veritatis amator, vt tam opus meum, quam operis emendatio, cædat in laudem, & gloriam eius, qui ſapientiæ Dux eſt, & ſapientium emendator; qui vnus, & Trinus, cum Alma Matre, & Sponſo Sanctiſſimo, laudabilis, glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula. Amen.

Ita eſt:

Fr. Ioannes Perez Lopez.

Digitized by Google